

Arib.





EB

Bibl.

25

Constat 4 gld 0 – 0

A 1701

VI Idus Majas

J V Driebergen

55

K

120536

JV Driebergen



IOANNIS
FREDERICI
GRONOVII.
Pecunia
Vetus.

centesima usuræ
fœnus unciarium

A. Zylvelt fecit

JOH. FREDERICI GRONOVII
DE
SESTERTIIS
SEU
SUBSECIVORUM PECUNIAE
veteris Græcæ & Romanæ
LIBRI IV.

ACCESSERUNT

L. VOLUSIUS MÆCIANUS JC.
& BALBUS MENSOR de Asse.

PASCASII GROSIPPI Tabulæ Nummariæ.

MANTISSA, & TRES ΑΝΤΕΞΗΓΗΣΕΙΣ
de fœnore Unciario & Centesimis Usuris.

item de Hyperpyro.

SALMASII Epistola, & ad eam RESPONSIO.

ΛΟΓΑΡΙΚΗ ΠΑΛΑΙΑ ΚΑΙ ΝΕΑ
Græce & Latine.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officina JOANNIS DU VIVIE, 1691.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

MAGNÆ BRITANNIÆ

REGI

WILHELMO



Iam ante menses id agens, ut hanc vitæ domesticæ [illegible] inter omni laboris apparatu ab patre meo in[illegible]am, quanto maximo [illegible]ca a me fieri potest, partim iterata, partim prima recensione publico committendam conficerem, ad-



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

MAGNÆ BRITANNIÆ

R E G I

W I L H E L M O

Iam ante menſes id agens, ut hanc vitæ domeſticæ memoriam omni laboris apparatu ab patre meo inſignitam, quanto maximo decore a me fieri poteſt, partim iterata, partim prima recenſione publico committendam conſecrem, ad

frontem omni venere exornandam decurro, quo divinitus omnino vocari me animadverto. Ab ipſo enim cœlo velut Chriſtianus Phœnix, unicus ab unico jam ſecunda ſubole, collocatus non in unius regni throno, ſed in quadam totius mundi Heliopoli & conſpectiſſimæ ſanctitatis ara, ſpectaris, Rex Auguſtiſſime, ab univerſo orbe oculos cum plurima admiratione ad pulcritudinem Virtutis Tuæ convertente. Ut pars ſpectantium fieri precarer, pepulit me indoles mea, quam vel ex natali ſolo, vel ex urbe, quæ ſedem vitæ meæ præbet, traxi: ſed ut fierem, & quidem propinquior, dedit locus, quem in Academia Lugduno-Batava tueor; fecere Illuſtres Curatores & Conſules, qui me dignum judicarunt, ut Dei Majeſtatem in Tua Perſona adeo manifeſte ſe exſerentem pro concione renunciarem. Hinc agnoſco Nomen Regiæ Tuæ Majeſtatis ut ſanctiſſimum in terris infixum mihi eſſe; hoc mentem, hoc linguam meam occupaſſe & replevi-

viſſe.

visse. Itaque quod undiquaque mihi semper & maxime per hos dies imperatur, supplex veniam peto, ut id liceat exsequi; hoc est, ut has lucubrationes partim Daventriæ, partim in hac urbe enutritas vivere & circuire patiaris fultas non minus quam fulgentes Serenissimo Regiæ Tuæ Majestatis nomine; quod ut Deus Bataviæ Britanniæque fautor æternum sospitare velit, castissime veneror

SACRATISSIMÆ REGIÆ
MAJESTATI

DEVOTISSIMUS

JACOBUS GRONOVIUS.

JACOBUS GRONOVIUS
LECTORI
S. D.

Quanquam multis aliis cummaxime impeditus, tamen votis librarii hæc laboris paterni specimina editione nova publicare, omniaque in unum volumen conjicere cupientis, præsertim quum intellexisset & illa quæ edita sunt, ex chirographo τȣ̃ μακαρίτȣ posse illustrari, & inedita quædam continenter scripta adhuc latere, nolui me subtrahere utique in hac triumphali ejus causa. Sic enim jure hanc partem voco; quam quum diu ut tiro ad exercendum & proludendum tetigisset, denique progressus in campum, sane militarium operum instar exhibuit; quippe quum loquutionis inter Romanos vulgatissimæ veritatem originemque vel suppressam educturus, vel male convulsam defensurus per tot asperos & impenetrabiles aliis locos Græcorum Latinorumque Scriptorum decucurrisset, denique cum absurdo & bonarum rerum ignaro provocatore commissus & pugnare coactus. Sed ut illi quidem certamini satisfecit; ita majore luctu confundi me sensi, quoties contemplatio tot chartarum ab eo relictarum me admonuit decessus huic studiorum generi perincommodi, cui ex quam paucis ac tenuibus lineis ad tam conspicuam argumenti molem media ætate perducto, longe majus adhuc fastigium jam propior seni apponere destinabat. Quod enim sæpe optantem audivi; opperiens occasionem, qua compos fieret multarum rerum huc pertinentium in bibliothecis peregrinis absconditarum, ad omnia rem nummariam constituentia, etiam pondera, transire desiderabat. Hinc tam diligens examen ponderis in aurea simul & argentea Romanorum neta, quamcunque spectare potuit; nec satis, etiam studiosissimoma annotatio in variis palimpsestis. Hinc nactus catalogos Pari-

sinæ

ſinæ Regiæ, & Florentinæ Ducalis bibliothecæ, ex iis ſtudioſe collegerat, ſi qua illic talia obſervarentur, ut per me aut alium, ſi fuiſſet vita, ex iſto ſilentio educta, clariſſimo monumento conſecraret; quod dum fieret, interim etiam non omittens continenter annotare, quæ inter varios labores in ipſis his IV libris ad doctrinam exaugendam inculcari vel mutari etiam poſſent. Sed præterita querimur: & potius pateat, quid hæ paginæ ſecum vehant. Itaque tempore ſic ferente, indagans ubique prout poteram mentem voluntatemque paternam, eorum quæ ad oras annotata reperi, plurimam partem inſpexi, & vel locis ſuis inſerui, vel ſi ampliora eſſent, aut talia, quæ relinqui aliorum induſtriæ poſſent, in extrema pagina apponi curavi. Id quod ſane caviſſem facere, niſi pretium allatura aut ſententiam hic illic poſitam declaratura magis viderentur; quod mihi egregie uſu veniſſe memini de locis ſpectaculorum apud Romanos per ditiores erectis & elocari ad lucrum ſolitis apud Ciceronem lib. IV ad Att. ep. IV. Ita verſatus in hoc opere, quod in IV partes deſcripſit, pari modo Mantiſſam (eam enim ſequi debere judicabam) adminiſtravi, & duas Αντεξηγήσεις. Neque enim in his ulla pars erat, quam non novis ſupplementis & ornatu aliquo auxit. Illis tertiam Αντεξήγησιν adjunxi. Quam quo minus continerem, vel conjectura voluntatis paternæ me compelleret; quum non eo conſilio iſtam exaraverit, ut occultaretur; idque intemperantis eſſe dicebat Terentius Varro. Sed & in ea erat aliquod adjumentum doctrinæ, ſi nihil aliud, certe ad veram inſtaurationem loci Horatiani: de quo quum examinarit ὁ μακαρίτης eos, qui ante ipſum eam partem tractaverunt; tum qui poſt ipſum in ea verſari voluit magis quam verſatus eſt Dacierius, in quo boni mortales adeo ſibi placent; quid quæſo ille adfert, quod non ab aliquo fuit occupatum, & hîc proponitur in numero 69? Videbis poſt relationem duplicis modi apud veteres & hodie uſitati in ſolvendo ex arca vel menſa intempeſtivam, poſt verbi *ſcribere* uſum quaſi notabiliorem in conficienda ſyngrapha poſt acceptos nummos, etiam illic referri, quemadmodum Nerius

fuerit fœnerator, Cicuta quoque argentarius & pararius: mera frigora Gallicæ nivis. Quæ dum profligantur, in cumulo chartarum recognoſcendo diligentius incidens in diatriben, qua examinaverat ſcriptum Nicolai Abrami, cujus nomen, ut jam vides, alibi adpoſuerat, forſan & illam ibi immixturus, (præſertim pag. 213.) quum ad laboris hujus reliqua pertinere videretur, ne eam quidem putavi comprimendam, quo minus inter tot aliorum infirmitates patefactas illæ quoque apparerent. Sed & quoniam aliquando mihi dederat deſcribenda brevia collectanea de nummo poſterioris temporis, hyperpyro appellato, etiam illa nunc putavi opportuna fore, ſi procederent; tanto magis ut ſciret orbis, quanto meliora & firmiora hîc in Batavica Lugduno ante annos jam eſſent elimata de pretio iſtius nummi, quam nuper prodidit in Gallia Carolus du Freſne in diſſertatione de inferioris ævi numiſmatibus num. LXXX, ad neſcio quod majus otium denique rem rejiciens. Nam ut illic operam paternam & reſtitutionem ex libro obſervationum Eccleſiaſtic. cap. XXV, aut quæ viri docti de Mſſ. exemplaribus Guntheri teſtantur, agnoſceret, ab eo exſpectavi non magis, quam toto illo altero Gloſſarii opere; ubi videtur omnia ſuo Marte agere, ad quæ nunquam perveniſſet, niſi & illius libri & aliorum antegreſſu fuiſſet adjutus. Hinc & quod in Diſſertatione citavit *nummum aureum, qui Perpre vocari ſolet*, in Gloſſario citat *nummum aureum, qui Perpera vocari ſolet*: & quum in Gloſſario *Perpera* ducatur ab *Perperum*, in Diſſertatione ſtatuitur fœmininum ſingulare. Sed quid refert? Homini Gallo hodie id licet. Epiſtolam Cl. Salmaſii & ἀντίδωρον quod recepit ab patre, an adjicerem, diu hæſi. Sed tandem cogitans eam multis innotuiſſe, multis quoque deſcribendam datam ab patre fuiſſe, & quoniam manifeſtius prima totius hujus laboris occaſio & origo ſæpe inter ſummum animi plauſum mihi narrata hîc aperitur, ne eam quidem occulere volui, a lectoribus doctrinæ gratiam, non acrimoniam in verbis inſpectum iri ſperans; præcipue quum illic obiter proferri quoque animadverterem etymologiam vocis *miles*; quam quum

ſæpe ex patre auditam, plura etiam ad ejus confirmationem addente, ſemper probaverim, tum non potui ſatis tacitus ridere, quæ interim vel ex Gallia vel ex viciniâ placuit ſatis incondita aliis in ea meditari. Denique nequaquam abſurdum judicavi, ut agmen omne clauderet Λογαρικὴ Παλαιὰ καὶ Νέα: quam diu exoptatam, ut colligere eſt ex libro IV cap. XVII, tandem nactus pater, etſi totam notis ſcriptam, tamen eo uſque verſavit, ut explanandi via feliciter reperta in Latinum ſermonem redegerit certus publicandi. Ipſo interim morbis aliiſque occupationibus impedito & mox defuncto occuparunt hanc operam Pariſiis monachi Benedictini, Bernardo de Montfaucon interpretationem allinente. Ne ſi etiam vixiſſet ὁ μακαρίτης, & aliæ res eum coegiſſent ad hunc uſque diem differre editionem iſtam, vidiſſetque hunc laborem ſuum in Gallia præflorari; quidquam ille aliud quam applauſiſſet novo doctrinæ inſtrumento prolato gaudens, ut in principio famæ non ægre vidit interceptam & a ſe averſam, quam ſibi deſponderat, Annam Comnenam, ut & alibi hîc referri videbis, etſi ſatis abſurde idque in multis locis ab Poſſino tractatam, ut ex MS. paterno ſæpe cum ægritudine animadverti. Itaque colligens ex hoc altero caſu, quid animi futurum patri foret, non vocaviſſem alios in conſcientiam paterni laboris, ſiquidem iſta interpretatio ſic fuiſſet ab his elaborata, ut rei, quæ illic verſatur, aliquam notitiam apud eos fuiſſe mihi apparuiſſet. Videlicet interpres iſte numeris definit ſummas, (qui profecto puerilis labor eſt) non nominibus Romanis, ut Salmaſium facere in loco citato ſcribebat pater. Jam verò ut in ſpecimine Salmaſiano id licebat, ſic in verſione integra ejus libelli id parum erat ex decoro. Quippe quoniam diviſio & numeratio per aſſis partes non undecim modo, notas illas & familiariſſimas, ſed etiam minimas eſt mere Romana, eamque Græci ignorant, neque illa vocabula in ſuam linguam, ut multa alia Latina, converterunt; coguntur Græci numeris uti: quibus ſi quis ſcriptum tale interpretaturus Latine velit etiam uti,

 plane

plane non intercedo. Sed notabile est id in hoc libro, quod auctores ejus velut retinentes aliquid ex pristinis vestigiis rationis Latinæ, quæ λογαριϰὴν Augusti complexa fuit, & sine copulativa solebat jungere E. G. semissem trientem semunciam sicilicum, ita etiam sine copulativæ interventu hunc ediderunt. At vero id non placuit monachis illis. Hinc ausi facinus sunt per quidem indignum & intolerandum. Non modo in notarum explicatione pag. 319 ponere ausi sunt ιʹμηʹ se credere notari ὄγδοον ϰαὶ τεσσαραϰοστὸν ὄγδοον, sed etiam in contextu sic continue copulativam addiderunt. At, sodes, quod vel minimum signum copulativæ in illa nota potest deprehendi? Illi tamen non hîc tantum eam vident, sed & in altera nota ∠γʹιβʹ, quam interpretantur ἥμισυ τρίμοιρον ϰαὶ δωδέϰατον. Nec satis; immo duplicem eam vident in illa α∠ϰδʹμηʹ, interpretantes ἓν ϰαὶ ἥμισυ, εἰϰοστὸν τέταρτον, ϰαὶ τεσσαραϰοστὸν ὄγδοον, ubi ne semel quidem exstat. Et quæso, cur non tertiam interposuerunt inter ἥμισυ & εἰϰοστὸν τέταρτον? Neque enim ulla causa major mihi se exserit illic omittendi. Ab hac igitur opinione progressi omnem totius computi hujus paginam ab eis oppletam vidi & risi frequentia hujus copulativæ non ex auctoritate bibliothecæ Regiæ, sed pro violentia sui monasterii; quam Romanæ consuetudinis & elegantiæ, cujus aliqua imitatio est hic libellus, peritia longissime inde abigit. Unde si conferas hanc editionem cum Gallica, persuade tibi, ubicunque non vides in hac copulativam istam, ibi nec esse in MSto. exemplari, sed ab bonis illis viris inculcatam; ad quod observandum debuisse me diligentem esse credidi. At ubi illam expressam cernis, ibi nonnisi ex MSto. fideliter petita est. Quid quod pag. 327 (hujus edit. pag. 712) omiserunt in Græcis, in Latina addiderunt *in dimidium, quartam & quadragesimam octavam*, sæpius ibi ludentes? Sed non hîc stetit ignorantia simul & audacia. Verum ut vides in specimine, quod modo secundum allegavi, notam literæ γ explanant τρίμοιρον, quum δ & sequentes literas simpliciter reddant τέταρτον, πέμπτον &c. Quod quum primo viderem, præsumebam animo

mo fore, ut aliqua illis conſtaret ratio, forſan quod in MS. in ſimili loco, ubi paſſim γ ponitur, alicubi vocem expanſam τρίμοιρον viſurus eſſem, cujus auctoritate id illi tranſtuliſſent ad omnes. Tanto veriſimilius id præcipiebam, quod pagina 341 (h. ed. 725 in principio) videbam ita referri τρίτον κ̀ δωδέκατον ἑξαφ. ιι ἥμισυ τρίμοιρον, quod ipſum totidem verbis repetitur pag. ſeq. (h. ed. 726.) Verum attendens, tale nihil obſervavi. Etiam in loco proximo & ſequente de XLVII ſolidorum ratione, ubi ſemel ponunt τρίτον, bis τρίμοιρον, eadem plane nota eſt in fine, nempe ~ού, quum in duobus locis præcedat primo ~ρ̈ϋ̈ις, & poſt ς̈γϋ̈, ubi explanant γ ἥμισυ τρίτον κ̀ δωδέκατον, mox ἥμισυ τρίμοιρον ὄγδοον. In MS. nimirum promiſcue ponuntur ~ού & γού, ut clare ex XLVI & XLVII ſolidorum exactionis ſcriptura apparet. Quod ſi in cauda illa putant id reſidere, ut compoſitum ex voce μέρος debeat poni (id videntur in literis δ & ε cum eodem ſyrmate formatis velle ſtabilire ibidem pag. 319) cur id non ſequuti ſunt? aut cur ſcribunt τέταρτον μέρος? an τεταρτημόριον ignotum? Et ego tamen adhuc τρίμοιρον quæro, ſatis notam habens τριμοιρίαν, vel alterum τριτημόριον. Sed vana omnia eſſe clare probat pag. 371, (h. ed. 748) ubi edunt κ̀ αὖθις τὸ τρίτον εἰς μιλλιαρήσια τέσσαρα, ut habet plenis literis deſcriptum codex MS. Hîc illi æque reddunt *tertiam partem*. Si ſententia notariorum fuit in reliquis illis tot locis τρίμοιρον indigetare, cur hîc id non adhibuerunt? Tanto magis ridiculum, quod quum ibi ſit relatio ſecretici deſiderantis ab Imperatore explanationem, in ipſa λύσει vel explanatione & reſcripto Imperatorio pag. 372, (h. ed. 749) ubi reſpondetur iſti parti & de ea controverſia deciditur, edunt κ̀ ὑπὲρ τοῦ τριμοίρου πλεῖσθαι μιλλιαρήσιον α φόλλεις η, ubi in MS. eſt nota γού. Ex quibus duobus exemplis non poteſt non conſtare τρίτον ubique poni debere. Et præclaras in eo ſane delicias faciunt, vel dum pag. 382 (h. ed. 757) ſcribunt εἰς τὸ τρίτον κ̀ δωδέκατον, mox vero εἰς τὸ τρίμοιρον κ̀ ὄγδοον: vel dum pag. 344 (h. ed. 728) edunt ἥμισυ κ̀ τρίμοιρον, at ſtatim in ſequente ἥμισυ τρίτον δωδέκατον (quum

pag. 365 (h. ed. 733) ἥμισυ τέταρτον δωδέκατον,) non modo ludentes ſtulte in vocibus τρίτον & τριμοιρον, ſed etiam inter τρίτον & δωδέκατον nunc interponentes καὶ, (ut etiam faciunt pag. 323, h. ed. 711, εἰς τὸ τρίτον καὶ δωδέκατον pro nota) nunc omittentes. Et ſunt talia plura, ut pareat ipſos hæſiſſe, certe admodum imbecilles in hac explanatione fuiſſe. At nullum eſt inde diſcrimen; quod ſi aliquod foret, eſſet inter τρία & τρίτον: τριμοιρον nuſpiam fuit. Nam quod referunt de voce δίμοιρον, ſcias oportet pag. 325 (hujus editionis pag. 712) ubi legitur ἤτοι τοῦ διμοίρου, ſcias, inquam, oportet ita plane expreſſum eſſe in MS. Quo exemplo crede, ubi τριμοιρον monaſticum & δίμοιρον occurrere debet, ibi ab notario integre fuiſſe futurum ut reponeretur. Etſi quæ iſta in illo ipſo loco eſt ſtultitia monachalis dicam an Gallica? An Græce dicetur ἀπὸ τῆς τοῦ ἥμισυ ἕκτον ἤτοι τοῦ διμοίρου τοῦ ἑνός? In MSto eſt ἀπὸ ... τοῦ ... ἤτοι. An ἡμίσεος ἕκτου non æque apud Græcos dici poterat, quam in Latinis *a media autem & ſexta?* Etiam mox ubi legitur ἤτοι δίμοιρον, clare eſt in MS. δίμοι.

Sed neque ſic erat concinnata verſio, ut ei acquieſcere liceret. Nam ne omnia citem, quid eſt pag. 332 (h. ed. p. 717) *una cum dicer. & hexaf. nom. 1. cum dimidio, ſexta & quadrageſima octava, foll. 1. nomiſmata ſignata 2?* Itane quum modo annumeratur unum nomiſma cum quibuſdam adhuc partibus, quæ unum integrum non explent, dabuntur ſtatim etiam duo? Quid quod in Græcis utique eſt χαράγματος α β? Voce priore certe oſtendente ſingulare eſſe quod ſequitur. Sic pag. 366. Καὶ εἰς τὰ ἐπέκεινα τῆς ψηφία τοῦ δημοσίου τὰ μέχρι τῶν διακοσίων νομισμάτων, καὶ αὐτῶν, ἡ αὐτὴ ποσότης εἰσπράττεται. Ne dicam ſic illos pro ſuo arbitrio diſtinguere, quum in MS. ſola nota poſt vocem αὐτῶν ſit hæc; quæſo quod genus Latinitatis eſt? *Excreſcente publici tributi pecunia uſque ad ducenta nomiſmata, & pro ipſis ducentis, eadem ſumma exigitur.* Itane καὶ αὐτῶν notat *& pro ipſis ducentis?* Quum excreſcit pecunia ad ducenta, quæſo quantum adhuc abeſt ab illis, ut ſic debuerit accurate id imprimi? Dabit veram ſenten-

tentiam opinor pagina hujus edit. 745. Notabilius est pag. 367, (h. ed. p. 746) ubi voces ἐν τῷ θολωτῷ ὠάτῳ τοῦ μεγάλου παλατίου redduntur *in trullato magni palatii triclinio*. In qua parte sedet istud triclinium? Immo vero petitur ejus defensio ex Cangio in descriptione S. Sophiæ. Videamus igitur illud hodiernæ Galliæ cymbalum. Sane ille num. XXXIII ita scribit. „ Ab ejusmodi Tholis dictum θολωτὸν Magni Palatii Triclinium, „ ab Anastasio Dicoro exstructum, ut refert Zonaras, quod „ idem esse constat cum Trullo, in quo habita sexta syno- „ dus, ἐν τῷ Σεκρέτῳ τοῦ θείου Παλατίου τῷ λεγομένῳ Τρούλλῳ, ut „ habent Acta ejusdem Synodi: quod quidem Triclinium a „ Macario Ancyrano dicitur fuisse οἶκος περιφανὴς ἐν καλῷ τῶν „ βασιλέων Κπ παλατίῳ κείμενος. An igitur sic Patres satisfecisse se dignitati suæ censent, si isti Cangio innitantur? Atqui de triclinii ista appellatione nihil Zonaras, qui tom. III scribit, τὸ λεγόμενον θολωτὸν ἐδομήσατο, καὶ ἐν αὐτῷ διῆγεν. & mox, δειμαίνων ἐκ διαίτης εἰς δίαιταν μετέβαινε καὶ ἐκ θαλάμου εἰς θάλαμον ὑπεδύετο. Anne ita voracem statuunt Anastasium istum, ut triclinio sic insuescere semper voluerit? Atqui nihil ad triclinium: estque temeritas illius Cangii, & vanitas in eo adhibendo & sequendo Monachorum.

Sic pagina 380 (h. ed. p. 756) video has voces τῇ ἐμφανισθείσῃ μοι πεπιστωμένῃ σεκρετικῇ παρεκβολῇ verti Latine *exhibitæ & mihi commissæ chartæ*. Hic rursus ubi est illa copulativa Græca? an Græci voculam μοι solent præponere verbo, cui debet jungi? o Menagi, o Hueti, an vobis adolescentibus ita vigebant Parisiis studia Græca? Denique quum ter in hoc libello occurrat rara Græciæ vox, & quidem ubique in genitivo plurali, τῶν β ἐγχρονιῶν & ὑπὲρ ἐγχρονιῶν, hinc illi fingunt nobis vocem forsan Græcis nullo tempore, nullo loco auditam aut cognitam ἐγχρόνιον, interpretanturque vel *duorum enchroniorum*, vel *pro duobus enchroniis*. Accentus, quem expressi utroque loco, sic in MS. habetur annotatus. Quæ ratio genitivi pluralis quomodo singulare potest habere ἐγχρόνιον? Saltem debuerant ἐγχρονιόν. Sed cui potest dubium esse, quin

sit

ſit ab ἐγχρονία? An vero ea dicta ſit, quod intra annum inciperet, nempe prima Septembris, viderint. Patet enim eſſe alieniſſimum. Quid dicam ἐλαϊκὸν reddi *elaticum*, & quod de eo indocte projicitur pag. 330, quum Ammiani memorandus & hic recitandus ideo locus ſit lib. XXII cap. 7. *Ægyptii, genus maxime avidum, multiplicatum repoſcere, ſi compulſori quidquam dederit, ut levari debito poſſit, vel certe commodius per dilationem inferre quæ flagitantur* &c. ubi conſulendæ notæ doctiſſimi Henr. Valeſii, ut Latine videas interpretatum patrem.

Hæc augeri poſſent. Sed ſola ſufficient opinor ad declaranda juſta mea, cur laborem paternum conſpici non vetuerim. Atque adeo poſſem te, ſi liberet, fauſto pede pati ire ad ipſa hæc ſcripta, niſi viderem contigiſſe, ut illa, quæ jam ante exſtitere, diverſæ indolis lectores fuerint ſortita. Nam ut decenter ab aliis agnitum eſt, ſi quid ex eis profeciſſent; ita alios quoque ad ſurripiendum inde ſibi aut etiam detrectandum acceſſiſſe deprehendo; cujus poſtremi generis vel princeps eſt Joannes Hardouinus intra paucos annos pluribus edendis ſcriptis non tam ſuis, ſed maximam partem aliunde in ſua translatis Lutetiæ famam nactus. Ad quod præcipuam occaſionem illi dabat Plinius, in cujus editione vir ille ferus profecto, quidquid placitum ut aliunde ſuppreſſis diligenter, ſed perabſurde, parentum nominibus ſibi inoculans, ita & hinc exhaurire potuit, nuſquam omiſit tacito ubique Gronovio; viciſſim ubi quid minus lætum carpendi cauſam ſibi dediſſe judicavit, nuſquam indictus manet Gronovius; ſed neque illos ipſos, quos Gronovius jam ante tot annos in viam reduxerat, modo ſint nomina muſis commendata, quiete ſua frui paſſus. Nec mirum, nunc id ab eo fieri, quum ex perpetua conſuetudine ſic verſetur in omnibus illis Plinianis notis, quas cum ipſo Plinio in hoc oppido publicavit quondam pater. Quæ ut ipſæ paſſim ſe demonſtrant, ut noſtra ad id opera non requiratur (niſi quod in ratione judicii ferendi poſſemus ineptiſſimum caput oſtentare, ut forſan tempus aliquando coget) ita faciamus,

mus, quod hujus loci est, & huic jam scripto attendamus. Nisi quod præmittere unum satis ridiculum debeo, & ut ab patre in notis illis tentatum, ita in hoc opere ex libro XXXIII cap. XI, *Constat eundem sex millibus sestertium in libras singulas una emptalia* (sic Mss. idque in exemplari suo de sestertiis lib. III cap. VIII adnotavit pater nescio ante an post Plinianas notas editas, non sibi scilicet satisfaciente vulgata lectione *vasa empta*, quomodo etiam citaverat lib. I cap. XI) *habuisse*; unde in notis pater *una emblemata*. Ibi consistit copia eruditionis Harduininæ; ut tamen augeret notam, exponit emblemata, quæ nullus potest jam ignorare. Ubi quanto plura erant ab viro, qui micam salis & cordis possideret, exspectanda & proferenda? Pater protulit, quod ille potuit; non quæ dicta ab aliis, erant repetenda, sed vel emendanda vel auctius illustranda. Verum talis non est Harduinus. Sed ad id quod dixi, veniamus. Ita *quinus ille semipes* & Plinii cum Xenophonte comparatio lib. XVII cap. XI non sufficit ex Gronovii Vetere Pecunia ingrate raptus, nisi & Casaubonus vapularet. Non *Zopyri scyphi* HS. XII *æstimati* lib. XXXIII cap. XII, nisi Ciacconius attaminaretur, & satis quidem contempte. Sic in libro XIV cap. XVI *duum denariorum pondus* & comparationem Dioscoridis absit, ut agnoscat se furatum esse ab Gronovio II, 6. Ita nec libro IX cap. LIV potuit peragi locus ille, qui versatur in hujus operis libro IV cap. V de Hirrii piscinis, nisi refutaretur Pincianus; & sententiam illic Gronovii, non nomen videbis. Sic in libro XXXIII cap. XI de donativo Africani nihil scilicet adjutus est ab Mantissæ Gronovianæ fine; non magis quam cap. III ejusdem libri, ubi scribit Plinius *talentum Ægyptium pondo LXXX patere*. Sed hîc jam incipit se prodere, & videmus præclare teneri præmiatorem. Notat enim [Ita MSS. Reg. 2 & alii. non, ut editi, *capere*. Vox est ea Senecæ quoque familiaris.] Facile credo ipsum non confessurum id hausisse ex hujus operis libro III cap. III. Sed cur tamen ea vox Senecæ etiam familiaris jactatur? Non est Senecæ magis familiaris, quam Geographis omnibus, & historicis, ubi res poscit.

ſcit. Sed pater dicebat ſæpe eſſe apud Senecam non vocem, ſed illud conjunctum *tantum patere*, & eleganter dictum. Verum lævitas ejus in ſiniſtra uſurpanda nimis quam credi poteſt obtuſa & Piſone ipſo Tulliano hebetior eſt in libro XXXIV cap. III, de quo hæc ſcripta agunt lib. XII cap. VIII, in caſu Cleſippi, qui acceſſio erat candelabri. Plagam igitur debuit primo accipere Hermolaus. Sed unde fur iſte abſtulit τὸ *quum auctio fieret, præco Theon candelabro Corinthio pretioſo* ·· *Servum nihili, praviſſimo corpore, fullonem Cleſippum. Id candelabrum cum appendice homuncionis comparavit* . . *Gegania vidua nobilis & locuples. Eam emptionem dum frequenti convivio oſtentat, productus quoque & ut vitia corporis manifeſtiora jocos præberent, nudari juſſus* . . *Cleſippus* . . . *manumiſit maritum heredem* . . *ſumpſit. Ille* . . *cui niſi applicitus adhæſiſſet, nunquam perveniſſet ad res tam opimas non ſecus ac fatum ſuum veneratus?* Utrum hæc Pariſiis an Daventriæ prius nata eſſe credis ipſe, Harduine? Sed tamen ut ſcias illum tagacem hominem eſſe vel paterrima libidinis non impudentia plenum, præfabatur, [Sententia eſt, quam nonniſi veniam ante præfatus, aperire vix auſim: adeo pudet inquinare chartas, aureſque & animos legentium vel leviter inficere pœnitet.] At non aperiebat: at potuit tranſire; ſed præter gratiam hujus patrantis hiſtoriæ maluit quoque animum ſuum conſcientia rapinæ inquinare. Ubi enim puncta poſui, illic paucula mutavit. Quid quod jam & ridiculus eſt, quum ad librum XXXIII, , ex Budæo & Gronovii hoc opere I, VII, ederet *HS* $\overline{DC}$? ibi enim ait ſubintelligi centena millia, idque lineolam numero ſuperpoſitam monere. An linea numeris ſuperpoſita valet centena millia?

Nec talis modo in lineis, ſed etiam in comparatione Romanæ monetæ cum hodierna Gallica; ut quum Plinius XXXVII, VI ait *ſeſtertium viginti millibus*, de quibus pater III, 8, dicit [monetæ noſtratis libræ ſeu floreni ſunt omnino ducenti.] Verum ad librum XXXIII cap. XI pag. 71, ubi dicit Plinius *quinis millibus ſeſtertium*, notat (ut pag. 72 *ſeſtertium ſex millia* libras

libras esse 600) monetæ Gallicæ libræ sunt seu floreni 500. Sequitur itaque quina millia sesquialtero tanto prævalere viginti millibus. Præclarum rationarium & certe Serenissimo Delphino usui futurum ob summam attentionem! Cujus quidem nobilissimum præter ista edidit documentum, dum scribit in electis illis Notis & emendationibus pag. 87 tomi v: De sestertiis porro posterioris generis accipi hæc oportere auctor est „Plutarchus in Gracchis pag. 825, ubi objecisse Graccho Drusum ait, quod delphinos argenteos comparasset emptos in „singulas libras denariis mille quingentis & sexaginta, sive „quod idem est, quinis sestertium millibus: οἱ περὶ Δροῦσον „ἤλεγχον, ὅτι δελφῖνας ἀργυροῦς ἐπρίατο τιμῆς εἰς ἑκάστην λίτραν „δραχμῶν χιλίων, καὶ διακοσίων πεντήκοντα. Quid enim refert illius hominis, etiam teste Serenissimi Delphini majestate, effutire, quod sub calamum venit, & διακόσιοι πεντήκοντα etiam esse *quingenti & sexaginta*, quum sic antecesserit quoque Livii editor?

Sed ubi placuit minus, & ideo nominari debuit Gronovius, ut in ipsa appellatione fædaretur, est ex lib. II cap. 6, ad locum Plinii XIV, XVI, in quo loco obtrudit Gronovius non Plinio, sed *nobis* ait, nescio se & cœnobii consortes intellexerit, an omnes cives (Ipsum certe Gronovius nunquam cogitavit) *chalatis* ex imitatione Vegetii & chalatoriis funibus. „Quid ergo? Ait Latine Plinium expressisse, quod Græce „Dioscorides κάθες εἰς γλεύκους ξέστας η', *confer in mustum sex-* „*tarios octo.* Dignum Harduino & plane nunc Parisinum. In Græco ξέσται prædicantur de quantitate musti, in Latino sextarii octo alterius scilicet generis, dicuntur conferre in mustum. Tum quis non arripiet illud egregium κάθες esse *confer?* Si illa quocunque modo immitterentur, vel demitterentur, posset ferri. Sed quum illud κάθες ipse Plinius exponat herbas linteolo illigatas demitti in aliquod liquidum, certe id conferre potuit dixisse Plinius, sed non potuit sic interpretari Dioscoridis verba. Sed nec minus lepidum ibidem de nectarite, ubi quum ex Dioscoride sufficeret patri radicem pon-

dere quinque denariorum in sextarios XXXVI musti addere, ille negat, & quia forsan robustius sorbere amat, vult XL denariorum pondus in sextarios vicenos addi. Fruatur; nec enim de Agricola aut Salmasio nunc vacat inspicere. Sed verba Plinii sunt: *Alii nectaream vocant, radice ponderis* XL *denariorum in sextarios sex musti addita, similiter in linteo*; ad hæc postrema notat [tusis nimirum & in mustum collatis] Quæso quibus illis? quo illos ablativos? Omnino dormiens & famæ securus ista projecit. De radice agitur, non de foliis. Neque debet illa tundi, sed scindi aut abradi aut integra, si tenuior est, involvi.

Item non placet ad librum XXXIV cap. 2 de sestertiis æreis, neque id suffecit semel ostentavisse, sed iterari oportuit in præclaris illis alienæ doctrinæ plumis, quas jactat in Nummis illustratis. Sed quidquid in utroque loco dicit, nihil in eo est, quod latuit Gronovium, qui agnovit unum hunc locum, & quia agnovit unicum, scivitque vocem *sestertius* ita variis modis expressam corruptamque esse, hic quoque talem judicavit. Negat Harduinus: sed nihil adfert, quo efficacius neget, quam affirmat pater. Quid enim? an quum omnino cuncti æquales auctores, quibus æque usus illius ævi perspectus fuisse credendus est, ac Plinio, nonnisi in argentea moneta sestertium adhibeant; an unus locus illis omnibus obduci potest? Porro quoties consensus exemplarium conspirans ne sic quidem evincit codices non corruptos esse? An in Curtio non omnes codices corrupti sunt & habent *Belli & Pacis effigie*. Et utique quam credibile est ab dupondio alium processisse ad sestertium, hoc est, alterum tantum?

Ad verba libri XXXVI cap. 6 *quem & res & domus ipsius clamat*, de quibus in hoc opere lib. III in fine, quum testatus esset libros manu exaratos sic totidem fere apicibus, non potuit præterire, quin conjectura Scaligeri advocaretur. Sed cur Gronovii quoque non conjectura, sed sententia & explicatio hic non vapulat? Noli credere, lector, id fru-

ſtra fieri, aut tam benignum hominem hunc eſſe, ut ei parcere voluerit. Sed videlicet ſic expediebat. Cur enim non dicit aperta fronte totidem apicibus habere libros manu exaratos, ſed *fere* (nam *ferre* edidit, ut pateret non typorum majorem, in illis editionibus, quam commentantium fuiſſe curam) placuit addi? Quo uſque illud *fere* extenditur? Eo uſque nimirum, ut ſcire debeas in optimo illo Voſſiano, quo pater uſus fuit, clare ſcriptum eſſe *que ut res eſt, domus ipſius*, & ſic opinor quoque codices quos inſpexit Harduinus. Ex hoc *fere* collige, uter verius iſtas voces tractaverit.

Ad verba Plinii x, LI, de quibus in hoc opere agitur pag. 453, pergit ineptire in patina Æſopi, & ait eam figlinam fuiſſe. Qua fide aut veritate id adſeverat, quod ſcire non potuit? An & Æſopus fornacem majorem Vitelliana conſtruxit? Ibidem quod venditat *HS centum taxata*, vocat *noſtra emendatio*, ſatis ſciens quam vehementer ab eo aberret in in dierum calculo, per quos ea jam fuit in mundo & palam propoſita, ut quam ex hujus operis pag. 451 pateat eſſe Salmaſianam; æque ac illud *HS ſex*, quod ait ita ſe reſcripſiſſe, quod diutiſſime reſcripſerat Salmaſius.

Hinc igitur eſt, ut qui ſecundam Gronovii Antexegeſin (hujus edit. pag. 537) in loco Plinii XIX, IV non viderat, Petavii ſui expoſitionem ſimpliciorem vocet præ Salmaſiana; quum ea plane non ſit ſimplex, ſed per improbiſſimam & juvenilem comparationem deducatur, qua hortus ſupponitur δαυλὸς: quum ſimplicitas Plinianæ ſententiæ longe ſit alia & multo ſimplicior.

Agnoſcis, Lector, Harduino adfuiſſe velut communes quoſdam locos alienandi invitis dominis, & quomodocunque etiam illi agant, ore non probo nec puro eos infeſtandi & vellicandi. Nec mirere, ubi os modo aperiunt & quodcunque proferunt, tum eos contrectari. Ne ſi ſilent quidem, licet eis ab iſta maledicentia ſecuris eſſe: & ubi locum Plinii lib. XXXIII de auri pretio mutato non attingunt, tam Gronovius, quam alii locum eum intactum, tanquam foveam,

prætergressi vituperantur. Non secus ac omnia quæ tetigerunt Harduino innotescere debuerint, aut ipsi voluerint, tam fatuo sed maligno existimatori. Quam felix esset, si potuisset ipse omnia in eo loco prætergredi intacta, & non aut facinorose omnia ex aliis describere, aut miserabilem & indoctissimum in modum velut visco adfigi & hærere. Quid enim tota illa rei monetariæ ex Plinio consideratio est, nisi recensio emendationum perpetua Gronovii cum ipso Plinio in hoc oppido editarum? Utique inde hausit parenthesin, *Librales (unde nunc etiam libella dicitur & dupondius) appendebantur asses.* Nam qua auctoritate invertens sic scribit pro *etiam nunc*, ut est in editis, & Mss? Utique inde rapuit *Quin & militum stipendia, hoc est, stipis pondera, dispensatores, libripendes.* Inde *Quadrans autem teruncius vocatus*. Sed qui in illa vexatissima parte dignus ingenio scrupulus residebat, ad quem eximendum penetrare pater non poterat, nempe verba *Postea Hannibale urgente marcumque Fabio Maximo dictatore*, ut notat pater ex Vossiano, ipse ex Regio codice, quam stolide illic patris dubitantis & sibi ad animum non respondentis vestigia persequitur, & admonitu falso codicis Regii confidentissime errare sustinuit? Mordeat potius in hoc ungues rodatque; quam impie & gloriose mortuorum nomina. Nam quod ad me attinet, ego vero eum locum nunc jam planissimum darem, nisi præfatio hæc nimium pateret. Itaque alibi, ne dubita, habebis, & liquide præstabo restitutum.

Illud sane ignoro, quid in mentem fuerit Theodoro Ryquio, dum in multis & nimium auctis ad Tacitum notis, ex quibus si Lipsiana & ea quæ palam aliena sunt, omisisset, dimidia parte meliorem famam relinquere potuisset, ad verba libri XIII annal. cap. 23. *& tabulæ exustæ sunt, quibus obliterata ærarii monumenta retrahebat*, annotare voluit [Ita habent Codd. Flor. Reg. & Meus] An quisquam fuit, qui de codicibus Mss. dubitavit? An pater quidquam præfatur, quasi ambigat de eis? An vero censuit exstare debere testimonium suæ voluntatis, quo illa impelleretur? utrum ad vulgatam magis lectio-

ctionem, an ad ea, quæ in hoc opere tractari noverat lib. IV cap. III? Bene prorsus, quod nihil istorum argumentorum, quæ passim illic profert, si inspicias, ipsius infirmitatis & fridigissime exercitæ modestiæ documenta, producit ad istam MSStorum codicum lectionem tuendam. Alioqui de istis notis, quas volui exornare & potui & pro ratione loci ac temporis debui, nisi per illum stetisset, longam fabulam tibi narravissem, ut scires in eo nihil me nisi nomen collegæ amisisse. Sed ut nunc est, id desero attribuens hanc notam illi istic generi, quo & Clanim Tacito memoratum I Annal. 79 dicit pertinere ad Clanin Virgilii infestantem Acerras, quum prior sit in Etruria, posterior in Campania; & non modo in Italia Antiqua Ph. Cluverius utrumque suo loco discreverit, sed & Is. Casaubonus ad Strabonis paginam CCXXXIII ostendat tres eo nomine fluvios in Italia fuisse: eamque stultitiam concoquens eodem animo, quo debui pati, ut hoc tempore ex hac Academia scriberetur ad lib. XII cap. 41 ὡς ἔοικεν melius in Polybio verti *plane*, quam cum Isaaco Casaubono *circiter*. etsi quid refert? quum paria multa quotidie videre cogar. Sed quid discedo ab eo libro, cui soli operam commodare volui, ut ab eo quod justa ratione nixum est, temerarii impetus injuria arceatur. Quod quum præstitisse pro tempore videar, non ultra demoror cupiditatem, si qua est, tuam, rogans, ut qui typorum nævi obrepserunt, in extremo notatos corrigas. Vale.

JOAN-

JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS

LECTORI.

Quum multis attendendum sit homini veteris Romæ Græciæque mirandorum cupido, tum moneta nobilissimarum gentium tantæ ad omnia est opportunitatis atque emolumenti, ut inter tot res præclaras & scitu dignissimas utilissimasque vel in primis ejus noticia curanda esse videatur. Quemadmodum enim non privata domus statum habet sine censu & diligentia patrisfamiliæ, non civitas convalescit nisi exercitis & dispensatis vectigalibus: ita nec suis numeris constat tam illustri parte defecta descriptio antiquitatis. Sed nec aliæ disciplinæ (quanquam si sana consilia valerent, nemo, nisi communibus literis suffectus & præparatus, se quidquam liberalium recte imbibere posse speraret: sed dividamus, ut vulgo fit, studia, & concedamus eas professiones, quæ, quia maxime sumtum exercent suum, hodie τὸ πᾶν putantur, solæ crudissimo impetu appetuntur, sine humanitate tolerari) nullæ igitur aliæ quoque liberales disciplinæ hoc auxilio commode carent: adeo stricturæ hujus argumenti per omne genus scriptorum constipatæ sunt, & ubique obviæ, velut nodus & mora, sustinent refrigerantque cursum legentium, quod non intelligunt. Quoties Axonas & Cyrbes Justiniani, suum Corpus, illis qui consuluntur, quoties valetudines regentibus artis principum experimenta, quoties religiones & sacra procurantibus libros, non uni imperio, sed humano generi fatales obscuros esse oportet, si partes æris, si ponderum divisionem, æris & nummiorum vocabulis constantem, si nummorum varietates ignorent? Homines vero pragmatici & civilium studiosi, sicut e suis non agnoscunt eum, qui locum de ærario & illis expediendi nervis meditatus non fuerit, ita nec magnitudines imperiorum, nec plurimas virtutes & pestes, quæ salubres opes incrementa & splendorem juverint, quæ nimiæ

& vel-

& velut devotæ merſerint regnantes populos (quibus tamen duabus partibus propemodum tota continetur ars rempublicam gubernandi) concipere poſſunt, ſi hoc pacis & belli efficaciſſimum inſtrumentum, omnium commerciorum coagulum, vitæ familiaris præſidium, ornatæ prætextum, quale fuerit & elegantiſſime & luxurioſiſſime uſis, neſciant. Hæc igitur tam perſpicua tantumque patens neceſſitas ſummis ingeniis facem ſubjecit, ut in rem nummariam priſcorum eruendam rationeſque ejus explicandas, quanquam multis obſtructas difficultatibus, & animo & opere magno, velut ſanctius ærarium, velut veteres theſauros tellure recluſuri, incumberet. Et quamvis una ſit eruditorum natio, nec patria cenſeri debeant, qui poſſunt ingenium deferre, tamen cum undique cultiſſima terrarum Europa concurreret ad hanc curam, Galli homines, ſeu dignitatibus perſonarum, ſeu doctrinæ claritate, ſeu effectu operis in eo certamine ſine controverſia primas obtinuerunt. Ecce amici Regum, aliquis libellorum ſupplicum magiſter, quum pauci etiam eſſent, aliquis Abrincenſis pontifex, aliquis Archiatros. Ecce a Gallia donati Batavis Athenis, cujus majores magnis & legionibus & populis imperitarunt, in exſilio nactus latius ſapientiæ regnum, & non minus principatu literarum nobilitatus illius ſucceſſor. Ecce juris ſacerdos, ecce cærimoniarum interpres, ecce cauſſarum ſcrutator & ſiderum, facile ſuorum quiſque primi. Nec vero Tros Tyriuſque quidquam intereſt aut ſordent mihi alterius cœli proventus: (nunquam fuimus tam moroſi, ut odia indiceremus nationibus, & uni alterive matrem, cæteris novercam naturam ſtatueremus) conſtat & illis ſua apud me exiſtimatio: ſed horum numerum & felicitatem admiror. Hic vereor, ne, dum argumenti lenocinio & conditorum ejus auctoritate ſcripturam meam tibi, lector, inſinuare contendo, eo proceſſerim, unde latere tecto, id eſt, ſalvo pudore vix me recipiam: quum propius nihil ſit quam ut perconteris aut cogites, qua ego fiducia me tantis nominibus, quibus ſemper adſurgo, inſeruerim. Itaque cum aut ignavo reſponſo ſuſcepta cauſſa & tot inſomniæ prodendæ ſint mihi,

aut liberius agendo irritanda invidia, parcam verbis, atque eo constantius impingam tibi hoc quod porto: nam, ut festivus Comicus de aquario vase jocatur, literatum est, cantat ab se, cujum & quanti sit. Unum deprecor (quia sunt, qui methodos intempestive crepent, & eo nomine etiam adversus veteres insolescant, illorumque scripta insanis legibus libera aut vituperent aut in ordinem cogant) ne in opere tumultuario & majorem partem inter officinæ moras nato lineam poscas: & nos omnino iisdem, quibus plerique, vestigiis, æris primo, dein argenti, tum auri formis & ponderibus & pretiis annumerandis, decurrisse postules. Equidem & horum si quid hinc petes, fere nihil non referes: sed aliud illorum fuit, aliud nostrum institutum, qui ab initio usque non omnia bene satisque de prisco nomismate dicta repetere, sed subseciva tantum & prætermissa persequi animo habuerimus. Aliquid in decies sestertio, *quod priores fugerat, visum blandiebatur: id igitur solum cum studiosis communicavimus, cætera non tangentes, nisi quatenus illud sine his non intelligebatur: hæ primæ fuerunt lineæ hujus voluminis, anno hujus seculi* XLIII *ductæ. Quod ferebat animus dissimulare, nisi esset amolienda suspicio, meis quidem moribus insolens & aliena, sed multi dum eam parum vitant, invidia sua etiam insontes onerant. Vivimus enim inter homines cujuscumque famæ quam doctrinæ excellentis & edendi quam meditandi cupidiores: unde fit, ut malint scripta rescribere aliena, atque etiam sibi supponere, parientes sine obstetricis opera, sine doloribus, quam exspectare, donec de illis, quæ utiliter scribenda restant, aliquid conceperint & enitantur suum. Erat igitur ille noster quasi sceletus rudis atque informis: tamen ex quo facile colligeres, quid esset, quidque tacitum significarint antiqui, quum pronuntiarent* decies sestertium, *& quæ inde continuantur. Itaque non modo fructum mihi tulit hæc incondita cura, judiciis, quæ maxime verebar, industriæ nostræ testimonium præbentibus,*

sed

sed & exortus est numerorum arenarius, qui in sua Institutione anno XLIX *publicata sententiam nostram ita proponeret.* „ *Numeri à decies centenis millibus itidem quidem exprimebantur per sestertium argenti pondo, sed adverbialiter* „ *& compendiose ut plurimum, subintellectis vocibus* Centies *vel* Centenum. *Sic* HS. decies *significat sestertium* „ *argenti pondo decies centenum, seu decies centies, hoc* „ *est, millies numerandum: seu duas argenti libras cum semisse decies centies numerandas: seu mille nummos sestertios centies numerandos: hoc est, sestertium nummum de-* „ *cies centena millia. Depromptum ex qua dixi cella est τὸ* decies *per solum* centies *vel* centenum *expleri: quum omnes alii aut* centena millia *aut tantum* mille *(non leviori errore: nam si* sestertium *genitivo plurali de singulis nummis interpretabantur; quid* decies mille *nisi decem millia? si de mille nummis, erit* 10000000, *quod non* decies, *sed* centies centena millia *efferendum est) sub eo acceperint. Quæ autem ratio induxerit hanc ἔλλειψιν, nunc habes explicatum; tum describi non poterat, quia etiam latebat erutum nemini. Depromptum pariter, inde* sestertium *hoc esse ex illis, quæ in proximo numerorum actu quidam appellaverant* sestertia pondo: *quum iidem omnes hic* nummorum *in eo vocabulo intelligerent*, Sestertii decies, sestertio decies, *aut consuetudine vulgi contra rationem introductum putarent, aut omnino Latinis usurpatum negarent: alii* sestertia *prorsus idem esse, quod* sestertios *contenderent; Scaliger* decies *nomen substantivum imaginaretur. Rem tenuissimam, inquis, quam complures facilius utique quam fixum in luto nummum transscendissent: quin & erit forsan, qui naribus adductis, ore depravato, tricas, tramas putridas, glandem cassam, curculiunculos minutos, exclamet. Fateor, in tenui primum laborem fuisse, sed eodem valde opportuno & recondito, atque ob hoc tamdiu, toties, tam laboriose, à solertissimis & acutissimis hominibus, sine effectu, quæsito. Dein hanc exiguitatem multa & magna consequuntur: lux quædam in*

omnes sinus & recessus veteris monetæ pertinens: ratio ponderum & proportionum & æstimationis per æs & argentum & aurum signatum certius & commodius inita: innumera veterum omnis generis scriptorum capita mendis aut obscuritate involuta & inutilia, hac ope sanata & declarata: detecti acervi errorum, quibus necesse fuit implicari & toties excidere optimo proposito vera tradendi viros incomparabiles. Qualis est amnium natura: sæpe angusto fonte prorepunt, quem adsistens verearis ne aut æstus exsiccet aut ruina obturet: mox vehunt commercia remotissimarum gentium, terminant imperia, muniunt urbes, irrigant sata, interdum expugnant ac populantur, nationum & gregum pellunt sitim, vimque illam quam utilem tam formidabilem exercent. Itaque mirum non foret, si quis indignaretur hoc inventum sibi involari; si ægre ferret ab se mutuatos nomen non reddere; præsertim ubi Budæus, Manucius, alii, nec in quibus magnifici fuerunt, sed in levioribus multo & vulgatis, de quibus nemo paullo humanior aliter sensisset, appellantur, Hostus etiam prædicatur: ut fide candoris per hos facta, nemini alii, si quid contulissent, quicquam abjuratum credatur. Mihi non vacat indignari. Placet in chartas verba transferri mea: placet, quicumque veris accedit: quanquam placet magis, qui inter hæc & suo & alieno parcit pudori, nec tantum indulget ætati suæ, ut cogat invitos, quemadmodum Terentium quidam, in prologis scribundis operam abuti, non qui argumentum narrent, sed qui tanquam malevoli, non quidem maledictis, sed silentio respondeant. Est maledica quædam & insectatrix, est & muta & inficiatrix malevolentia, sæpe jam dudum nobis quoque obvia & comes. Quam in aliis mutuo silentio punire licet: hic non licebat, nisi vellem, cum pauci Schedion illud de sestertiis viderint, reliquos me occupasse ignaros, comparantes tempora natæ illius Institutionis & nostrorum Subsecivorum exeuntium, ab illo nos accepisse, suspicari. Tum igitur, quicquid erat, intactis, quæ quæstionem illam unicam non contingebant, & aliunde commode peti poterant, nec nostræ observationis

novum

novum auxilium exſpectabant, recenti inventionis calore, in medium properavimus. Poſtea quoties præſentiores curæ aliquid laxamenti dederant, eodem ſubinde relatus & revocatus, materiamlentam difficilemque ſubigendo crebro & tractando ita emollivi, ut quædam, ad quæ nec ego, nec quiſquam, quod ſcirem, adſpirarat, plana & certa mihi redderem. In quo numero erat omnis ratio, quæ ſuaſit antiquis, ut ſupputationem per ſeſtertios, *per* ſeſtertia, *per* ſeſtertium, *variarent: item vis ac poteſtas* ꝰ pondo: *& modus conficiendi rationes ad denarium, victoriatum, ſeſtertium, Voluſio memoriæ proditus, & primo adſpectu inexplicabilis. Cujus rei vel Hotomannus fidem fecerit: nam Ciacconio eam rem ceſſiſſe non prævideram, non perpetuo, ſed commodato ad breves oculorum conjectus eo libro uſus. Denique ut fit in rebus humanis, ut omnia debeantur tempori, & aggreſſi parva ſucceſſu operis majores ſpiritus ſumant; & ut Ligus ille Marianus, dum cochleas conſectatur, ſtudio legendi paulatim in ſummum montem egreſſus, victoriæ viam imperatorem docuit: Sic ego vicina jungendo, quia multa ſecure & inexplorato tradita, ſecurius accepta, & auctores & ſectatores fruſtrari videbam, diffiſus & indubitans omnibus, priuſquam ea mihi rationibus probaſſem, quaſi nihil etiam definitum eſſet, totumque nunc primum quærendo reperiretur, ſcrutari & excutere inſtitui. Præcipue ex quo ſpem materiæ hujus poliendæ, quam a triginta annis vir eruditione princeps moverat, & ita confirmarat, ut omnibus ſcriptis præfloratas inde lacinias inſeruerit, (tantas quidem, ut niſi inexhauſtam illi penum fuiſſe ſciremus, miraremur, ſi quid reliquum ſibi ad ſingulare munus feciſſet) exceſſus illius deſtituit. Antea ſeſtertiario fere circo continebamur: ſi quid in cæteris partibus alluxiſſet, id privatim ſervire mihi ſatis habens, publice illi occupandum reſervabam non invitus, reverentia viri, quem, ubi ingenii aciem intendiſſet, haud facile quicquam falleret; quique nunquam celaret, melius eſſe falcem in ſuam meſſem non mittere. Maxime vellem, ſtarent ingentia robora, qui tirocinia noſtra imbuerunt, nec dejectis*

 prin-

principiis summa res literarum & campus iste ad rorarios rediisset : vellem, ille præsertim in hunc diem traheret nos atque differret, nos illum potius exspectaremus, quam desideraremus. Quia superis aliter visum, proximum fuit & solatii vicem, per quemcunque alium dari vel inchoatum, quod superstes forsan ille perfecisset, & contingere, non quantum quisque sibi promiserat, sed quantum si etiam proficeret, neminem pœniteret. Id assequuti fuerimus, nec ne, qui legeris, judicabis. Corollaria adjecimus Volusium & Balbum de Asse cum Pascasii Grosippi tabulis : illos, quia serviunt compluribus disputationibus nostris percipiendis, & rari habentur, dignissimi qui non habeantur modo ab omnibus, sed in primis etiam literis, ut Romæ solitum, ediscantur : has, ut si quas summas antiquas transierimus, iis ponere vernacula nomina; quas expressimus subduximusque ad nostrum morem, dispungere, & sicubi fefellerunt nos calculi, corrigere volenti copia ne deesset. In tabula secunda delevimus, quod pro quadringentis millibus dici quoque quadringenta nummum *scripserat : in quarta mutavimus ista : Cum adverbio : semper subauditur* ,, centena millia, *& in* sestertium *subauditur* nummum *seu* ,, nummorum. *Fruere, & bonis nostris fave, malis indulge; non ut dissimules, (cupio & ipse me, & si qui à me inscio deduci possint, ab errore liberari) sed, quod non mea magis quam tua interest, ut liberaliter & eleganter castiges.*

CON-

CONTINENTUR

in hoc volumine

JO. FREDERICI GRONOVII

Cl. Sal-



JOH. FREDERICI GRONOVII, DE SESTERTIIS, SEU SUBSECIVORUM PECUNIÆ veteris Græcæ & Romanæ

LIBER I.

CAP. I.

Occasio scriptionis hujus. L. Annæus Seneca ex vett. libris correctus & illustratus. Vivere in sestertio centies. Esse in ære alieno, in suis nummis. Ζῆν ἐν τοσέτοις. *Libanii Sophistæ locus clarior & emendatior propositus. Militem pauperem pugnare fortius. De sestertiis resumpta doctorum hominum disputatio. Quibus gradibus post renatas literas intelligentia illorum profecerit. Quid quærendum restet.*

Perexigua sæpe primarum etiam rerum sunt momenta: & quæ diu opereque maximo summa ingenia frustra optarunt, quæsiverunt, sperarunt, ubi fortuna & dies admaturat, tenui lacessita irritamento, tantum quod non sponte, minori certe spe aggressis cedunt & feliciter proveniunt. Id nescio an & ego sim expertus, quando unius loci ambigua scriptura dubitationem, sæpius rejectam, nunc velut ultro nutritam inscitiam atque ignaviam acrius exprobrans, me Labyrintho pecuniæ veteris inclusit. Fuerit operæ pretium, & monstris quibusdam pacatis inventa sit difficilis janua, & signa ac notæ finiendi erroris

passim dispositæ, leviore forsan cum periculo posthac ingressuri judicabunt. Quum ante complures annos L. Annæi Senecæ operibus recensendis fervente prælo aliquid subitariæ operæ navarem, (quod tum tamen consilium peregrinatio longinquior peremit) gestiebam leve mendum tollere, ut gemmulam Latini sermonis haud ita vulgarem, quæque non imprudenti excidit auctori, eadem manu ei reficerem. Consolatione ad Helviam cap. x de Apicio: *Quum sestertium millies in culinam congessisset, quum tot congiaria principum & ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus hausisset; ære alieno oppressus rationes suas tunc primum inspexit, superfuturum sibi sestertium centies computavit, & velut in ultima fame victurus, si HS. centies vixisset, veneno vitam finivit.* Ex MSS. suis, *in sestertium centies*, notavit Fer. Pincianus, & ita bis advocat Fr. Hotomannus in libro de re nummaria. Citeriores accuratissimorum hominum editiones particulam spreverunt. Quod nullo more factum videbatur, & legisse quid simile memineram: sed, quia numeros tantum, non verba tenebam, neque in promptu exemplum erat, detuli tantum judicio illorum, qui ante nos hanc Spartam majori cum laude essent sortiti, ut nihil mutarem. Postea ætate & usu robustiori visum est omnino faciendum, ut restituerem vetus chirographum, ut tamen in tribus Pall. conceptum fuit: *si in sestertio centies vixisset*: auctore perquam locuplete & idoneo in vita T. Pomponii Attici: *ut neque in sestertio vicies, quod à patre acceperat, parum splendide se gesserit, neque in sestertio centies adfluentius vixerit, quam instituerat.* Suffragantur & alii parum aut nihil differentes. Cicero pro Q. Roscio: *Egebat? immo locuples erat. Debebat? immo in suis nummis versabatur.* Errat Marquardus Freherus, cum hyperbolice dictum a Tullio putat, in nummis ambulare, vel versari, qua figura Horatio & Petronio metiri nummos modio lib. 1 Parerg. c. 16. In Verrem lib. IV. *At hominem video auctionem fecisse nullam; vendidisse præter fructus suos nihil unquam; non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse ac semper fuisse.* Horatius lib. II epist. II.

Res urget me nulla, meo sum pauper in ære.

Paupertas enim non necessario omnium egeni, sed, ut finit Seneca epist. LXXXVII, *parvi possessio.* Plinius lib. IX cap. XXXV. *Relictus ab eo in amplis opibus hæres.* Et in contrarium Seneca lib. II de benef. cap. XXXV. *Nihilominus illum in ære alieno relinquimus.* Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio: *vivant in patrimonio parentum pro parte donato: auro, argento, vestibus fruantur.* Sic Libanius περὶ προστασιῶν. τοὺς δὲ νῦν καὶ αὐτὸ τοῦτο διαφθείρει, τὸ ζῆν ἐν τοσούτοις ποιεῖν αὐτοὺς φιλοψύχους ἀντὶ φιλοτίμων, καὶ πείθειν φεύγειν ἀπὸ τῶν καλῶν κινδύνων ἐπὶ τὰ παρέχοντα τρυφᾶν. Cujus nec sententiam nec veram scripturam adsecutus est, qui bono publico hanc & alias orationes Libanii edidit, Jac. Gothofredus. Vertit enim: *quod in illis vitam ducant, quod vitæ quam gloriæ cupidiores sint, & suadeant fugere a pulchris periculis* &c. Sed legendum est: καὶ

πείθειν

περὶ τὴν φυγήν. *Eos vero*, inquit, *qui nunc ſunt, hoc ipſum corrumpit, quod vivere in tantis opibus* (vel, poſſeſſio tantarum opum) *reddit eos vitæ quam gloriæ cupidiores, ſuadetque fugere* &c. Nam hoc vult, pecuniam in pericula ſegniorem facere militem. Τὸ ζῆν ἐν ποσοῖς, ſi ſumma ampla, quaſi aliquot centenum millium, deſignata ſuperius fuiſſet, ex alio Senecæ loco vertere liceret: *vivere in toties ſeſtertio.* Exemplum Horatii Lucullanus miles, in memorata epiſtola, qui collecta viatica perdiderat.

—— poſt hoc vehemens lupus, & ſibi & hoſti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præſidium regale loco dejecit.

Ubi mollior ſit comparatio, ſi legas: *vehemens lupus ut, ſibi & hoſti Iratus pariter.* Non eſt tamen neceſſe: & poteſt intellectam voluiſſe illam particulam Horatius. Ut lib. I epiſt. II. *vivendi qui recte prorogat horam, Ruſticus exſpectat, dum defluat amnis.* Ubi frigent interpretes. Inſigne exemplum ignaviæ dicit Torrentius. Non tam ignaviæ eſt, quam ſtuporis ac ſtultitiæ. Quare autem *ruſticus* magis quam urbanus? Omnino non de quovis ruſtico loquitur, ſed ſumſit hoc ex aliqua auctoris nobis ignoti fabula de agreſti tam ſtupido, ut de fonte perenni aquam fundi putaret, quemadmodum de dolio, quod tandem exſiccatur; & quum ad rivum perveniſſet, conſederit opperiens, dum delapſa, ut ſperabat, omnis unda ſiccum alveum tranſitui præberet. Ergo, *Ruſticus exſpectat*, eſt, moram trahit nihilo ſolertius, quam ille in fabula Ruſticus, qui exſpectabat, dum ſe amnis exhauriret. Ejuſdem epiſt. x:

quicquid negat alter, & alter:
Annuimus pariter vetuli notique columbi.

At idem donis ornatus & viginti millium congiario, quum ad ſimile periculum invitaretur,

Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit, inquit.

Euripides in eandem ſententiam in Phœniſſis: Δῆλον δ᾽ ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν. Et Epaminondas: πυθόμενος τὸν ὑπασπιστὴν αὐτοῦ χρήματα εἰληφέναι παρά τινος τῶν αἰχμαλώτων, ἐμοὶ μὲν, εἶπεν, ἀπόδος τὴν ἀσπίδα, σεαυτῷ δὲ πρίω καπηλεῖον, ἐν ᾧ καταζήσεις· οὐ γὰρ ἔτι κινδυνεύειν ἐθελήσεις πλούσιος γενόμενος, ut eſt apud Ælianum lib. XI. Atque hæc quoque confirmant Salluſtii dictum de avaritia: *ea quaſi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effœminat.* in quo diſputat Favorinus apud Gellium lib. III cap. I. Ad genus loquendi pertinet, quod inferius Libanius: οὕτως εἴ τις ὑμᾶς ἐν ἐλάττοσι ποιήσειεν, εὐεργέτης ἂν εἴη μᾶλλον ἢ εἰ πάντα δοίη. Porphyrius de vita Pythagoræ: βιοῦντα δ᾽ ἐν ἀφθόνοις, ἀνατρέφειν τὸ παιδίον, Ἀστραῖον καλέσαντα. Atque hoc quidem εὐμαθὲς καὶ εὐκατάληπτον. Sed longe difficilior ἐξέτασις, rectiusne apud Senecam, IN HS. CENTIES, quod forte fuit in antiquiſſimis codicibus, libri quos ſequimur, *in ſeſtertio centies*, an ille, cujus fidem ſequuti Pincianus &

Hotomannus, *in ſeſtertium centies*, expreſſerint. Pe. quidem Ciacconius, ut ſeſe ab hujus cogitationis moleſtia liberaret, in libro de triclinio dubium vocabulum, (adducens, *ſi in centies vixiſſet*,) in tractatu vero de nummis totam quæſtionem omittit. Me quoque illa quum antea, tum maxime poſtquam iſta Senecæ verba attigi, diu tenuit ambiguum, diu πάνυ γε πλῆθος, κ' οὐδὲν εἰς ὄψιν πλέον. Ut tandem deciderim, non ultra celabo, nec forte multorum ingratiis, ſi placere poteſt θυμὸς ἀγήνωρ in tantis præſtantiſſimorum virorum diſſenſionibus propriam ſibi facientis viam. In confeſſo eſt apud omnes, *decem ſeſtertios* eſſe decem nummos argenteos, qui ſic appellantur, prima origine xxv libris æris ſeu totidem aſſibus æſtimatos; poſtquam vero ſeſtertius quatuor aſſes valuit, quadraginta aſſibus; noſtra pecunia quartam partem ſcutati ſive Philippei ſive aurei: ſimiliter *decem denarios* eſſe decem nummos argenteos hoc nomine, complectentes quadraginta ſeſtertios, noſtrum ſcutatum vel Philippeum aut aureum Rhenanum unum. At ecce immani ſaltu *dena ſeſtertia* ſunt decem millia nummum ſeſtertium, noſtri ducenti quinquaginta Philippei: ſic & *decem denaria* cenſuit Scaliger dicta pro decem millibus nummum denarium, noſtris mille ſcutatis ſive aureis. Nos ut in uſu id habuiſſe veteres nondum adfirmamus, ita dicere potuiſſe pari ratione facile concedimus. Sed quæ ſit illa ratio, quæritur. Atque ut cuivis promptum ſit, quemadmodum intra hos CL annos hac in antiquitatis parte vita profecerit, quæ impedimenta ingeniis fuerint, rem paullo altius repetemus. Primis renaſcentium literarum incrementis miræ erant tenebræ & circa rem nummariam veterum: fingebantque Sabellicus, Beroaldus, Porcius, Egnatius, Turnebus, *ſeſtertium* neutro genere grandem argenteum nummum: & appellabant alium *ſeſtertium minorem* & æris, aliud *ſeſtertium majus* argenti duarum librarum & ſelibræ. Diſpulit hanc caliginem Guil. Budæus, docuitque *ſeſtertios* fuiſſe nummos argenteos binis & ſelibris æris, dein quatuor aſſibus æſtimatos, *ſeſtertia* vero, non nummos, ſed ἀθροίσματα mille hujuſmodi nummorum ſeſtertium: adduxitque in ſuam ſententiam Alciatum ejuſque diſcipulum Ant. Auguſtinum, Rob. Cenalem, Glareanum, & complures alios: donec Georg. Agricola exortus eſt, qui *ſeſtertia* pro tam grandi ſumma omnia abolevit, nec uti ea voce, niſi poëtas, idque pro nummo ſeſtertio voluit: regulamque conſtituit, ſi nomen numerale caſu, numero, genere congruat cum *ſeſtertio*, ſive maſculini ſive neutrius generis fuerit, nullum alium numerum ſignificari quam qui profertur, tanquam *decem ſeſtertios* vel *decem ſeſtertia* dici pro decem nummis: ſi vero duo nomina, numerale ſcilicet atque *ſeſtertius*, iiſdem caſibus non efferantur, ſed hoc genitivo plurali, illud (quod item plurale eſt & neutrius generis) quovis alio, tum τὸ *millia*, quod a nomine numerali expreſſo nunquam diſſentiat caſu, intelligi, ubicumque non ſit appoſitum: ſic *ſeſtertium ducenta*, *ſeſtertium dena* apud Ciceronem, *ſeſtertium*

centum

centum apud Sallustium legi, pro ducentis, denis, centum millibus. Nec caruit suffragatoribus: quippe quem secutus sit pro parte Hadr. Junius, cui *sestertius*, & *sestertium* poëtis, nummus idem, & omni opum vi connixus Hotomannus, propugnans multis argumentis, quæ summo studio ac diligentia ab sese ait observata, & his regulis definita: primo *sestertium* neutro genere, numero singulari, nusquam neque apud oratores neque apud poëtas pro pecuniæ summa reperiri: secundo, *sestertia* veteres prosa locutos nunquam dixisse, sed confictum hoc nomen à poëtis esse ex genitivo plurali *sestertium* contracto pro *sestertiorum*, tantummodo ut versibus servirent: (in quo recedit ab Agricola, quia videbat negari non posse *sestertia* poëtis pro mille nummis accipi, nec in versibus ea vox propter legem metri ex libidine corrigebatur:) tertio, ubi aliquot millia sestertium enuntianda erant, usum fuisse duplicem loquendi, ut interdum plena oratione dicerent, *quinquaginta sestertium millia*, interdum præcise *quinquaginta sestertium*, eodem sensu. Hos exceperunt Pet. Ciacconius & Jos. Scaliger, hactenus egregia cura, quod *sestertia* recte a Budæo mille nummis æstimata, vindicatis, quibus illi abutebantur, auctorum locis, evicere: sed ambo tantum detulere Agricolæ adversus Budæum & Alciatum disputationi, ut rationem, cui insistens ad hanc taxationem Budæus pervenit, repudiarent; Ciacconius totum ad consuetudinem referens, Scaliger inventa ratione nova; quam vera, mox quæremus. Præterea convenit inter omnes, *decies sestertium* idem esse, quod decies centena millia nummum sestertium, nostrorum viginti quinque millia Philippeum. cujus inventi solida est penes Budæum gloria. nisi delibet eam Leon. Porcius, quamquam cætera multis partibus infra Budæum: sed sic quoque utrique sua laus solida est. Sed sitne in brevitate illa dicendi τὸ *sestertium* genitivus pluralis, & intelligendum habeat *centena millia*, quod vulgo, an singulare neutrum, quod Scaligero placuit: sitne enuntiandum semper *sestertium* sine varietate alia, ut Agricola, an nonnunquam, sed ex usu vulgari ac sine ratione mutetur, sic tamen, ut Latinum sit utrumvis, sive *sestertii millies possessor*, sive *sestertium millies possessor* efferas, ut fere Budæus ac diserte Hotomannus: an denique pro ratione vicinæ vocis semper flectatur, & *millies sestertii possessor* Latinum sit, *millies sestertium possessor* solœcum, ut Scaliger arbitrati: scio existimationem non esse cujusvis. Etsi enim à plurimis recepta est Scaligeri sententia, non defuit tamen, qui eam palam ac magna specie oppugnaret. Is est Gasp. Scioppius, sub nomine Pascasii Grosippi, de lingua Latina haudquaquam male meritus:

ἐντί γε πικρὸς
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

præsertim ubi cum Scaligero constitit: tum enim ilicet & hominem se & literas tractare, quæ ab humanitate denominantur (nisi tamen hæc quoque perturbatio est aliquid humani) penitus obliviscitur. Itaque eo processit,

 ut *decies*

ut *decies ſeſtertii*, *decies ſeſtertio* pro Latinis agnoſcere vocaret ridendum ſtuporem. Concedit tamen *decies ſeſtertium numeratum* perinde recte dici atque *decies ſeſtertium numerata:* dummodo alterum accipias per ſyllepſin numeri, alterum ut intelligantur *centena millia*. Hoc igitur, ut Scaliger appellat, nobile certamen ſummorum virorum ita Dei virtute pro modulo noſtro componere tentabimus, ut primo, quod verius nobis videtur, inter multa falſi confinia obtineamus: deinde quæ illud adhuc infamaverunt & ſuſpectum reddiderunt, reprimamus aut conciliemus: tertio eorum, quæ hujus materiæ apud varios auctores dubia pendent, nonnulla exploremus, &, ſi detur, ad certum & liquidum redigamus.

CAPUT II.

Joſ. Scaligeri ſententia expenditur. Latini non habent voces, quibus δεκάδα, χιλιάδα, μυριάδα *exprimant. Decuriæ & centuriæ certorum corporum. Uſus* τ͂ *mille, quando, ut creditur, ſubſtantivum eſt. Varro emendatus, idemque cum Gellio notatus. Seſtertia chilias, denaria chilias pro mille nummis ſeſtertiis vel denariis, nec Latine nec Græce dicitur. Tria ſeſtertia, vel tria millia ſeſtertium dicebant, non tria millia ſeſtertia. Ducenta ſeſtertium* σολοικίζει. *Uſus particularum, quæ in naturam ſubſtantivi tranſeunt, addito vel intellecto articulo aut* κατηγορουμένως. *Sacrum ſophos atque profanum, pro literis divinis & humanis barbare dicitur. Varronis, Chariſii, Budæi, Hotomanni, Ciacconii, de inveniendo ratione* τ͂ *decies ſeſtertii, decies ſeſtertio, deſperatio.*

Præclare definit Scaliger τὰ *ſeſtertius*, *denarius*, eſſe adjectiva: jure contemnit ac relegat Agricolæ, Junii & Hotomanni ſeſtertia poëtica: cedro digna obſervatio, in *decies ſeſtertium*, τὸ *ſeſtertium* eſſe numeri ſingularis neutrum declinabile, non pluralem genitivum. Sed dum ſepoſita ponderum & librarum veterum conſideratione quæſtionem mere Grammaticam putat, qua tamen fatetur in re nummaria nullam eſſe majoris momenti, iis argumentis rem tam abditam, capitalem & tot ſeculis ignoratam confirmat, ut ludere potius, quam ſerio agere, & ipſe perſuadere nolle videatur. Primum hæc duo, ait, *Mille* & *Decies*, alterum purum „ putum ſubſtantivum eſt, ut χιλιὰς Græcis, alterum tranſit in ſubſtantivum „ communicatione articuli, *hoc decies*, *hoc centies*. De priori ſic exiſtimat „ propter medium genus, quod poſuimus, in quo, cum dicitur *decem ſeſtertia* vel *denaria*, intelligi vult τὸ *millia*, cui pro adjectivo hæreat τὸ *denaria* vel *ſeſtertia;* de adverbio propter tertium. Sed nos *mille* hoc ſubſtantivum nullum agnoſcimus, Græcis licuit δεκάδας, ἑκατοντάδας, χιλιάδας, μυριάδας facere. Romani ab his abſtinuerunt, atque etſi *decuriam*, *centuriam*, non tamen in promiſcuum, ſed tantum de certis corporibus ab initio fortaſſis eo numero, poſtea fere ampliore, ſæpe minore conſtantibus, admiſerunt. Sic quo minus indigerent vocabulo τὴν χιλιάδα ſignificante, cardinale illud *mille*

ita ele-

ita eleganter κατ' ἔλλειψιν adhibere cœperunt, ut idem quod χιλιὰς efficeret, & cum revera sit semper adjectivum plurale, obiter adspicientibus & substantivum & singulare esse videretur. Quos inter in primis Varro & A. Gellius. Ille lib. VIII de L. L. *Actus primus est ab uno ad nongenta: secundus à mille ad nongenta millia: quod idem valebat Unum & Mille, utrumque singulari numero appellant. nam ut dicitur hoc unum, hæc duo, sic hoc mille, hæc duo millia, & sic deinceps multitudineis.* Quæ verba ex ratione manifesta sic restituimus, cum vulgo defecta sint. Hic lib. I cap. XVI considerans illa, *mille hominum occiditur, mille passuum est*, subjicit: *mille enim non pro eo ponitur, quod Græce χίλιοι dicitur, sed quod χιλιὰς, & sicut una χιλιὰς & duæ χιλιάδες, ita unum mille & duo millia certa ac directa ratione dicuntur.* Sed de his infra accuratius: loquamur nunc ceu nondum improbata vulgari opinione. Cum *mille* substantive poni aiunt Grammatici, nunquam comparet sine genitivo casu expresso vel intellecto ejus, quod ad millenarium numerum adsurgere significamus, ut *mille hominum, mille capitum.* Nunquam adjectivum, quod intellectu certi substantivi rem per se subsistentem significat, & plerumque pro illa ponitur, adjungitur τῷ *millia* tanquam substantivo ita, ut merum adjectivum sit, & tamen pleniorem illam significationem retineat. Deinde isthoc usu semper exprimitur, aut certe non intelligitur *mille*, nisi ex proxi-
,, mo, ubi expressum est. In re nummaria, inquit, *millia sestertia, millia de-*
,, *naria* dicuntur, perinde ac si Græce esset χιλιάδες σηστέρτιαι, χιλιάδες δηνάριαι.
Hoc exemplum est dormitare interdum magnos viros: nemo unquam Latinorum ita locutus est. *Mille denaria, mille sestertia*, Latina sunt, ut *mille prætextæ, mille cataphracti, mille amici.* Et hic *mille* adjectivum est manifestarium: *denaria* autem vel *sestertia* cum adjectiva sint & substantivum non expressum demonstrent, pro utroque juncto ponuntur singula, ut & *prætextæ, cataphracti, amici.* At illud perinde est ac si dici contenderem *millia prætexta* pro mille togis prætextis, *millia cataphracta* pro mille equitibus cataphractis, *millia amica*, pro mille amicis. Si *millia denaria* dixerunt aut *millia sestertia* compositione substantivi cum adjectivo, eadem utique ratione dixerunt *mille denarium, mille sestertium.* Atqui certum est hæc esse concepta, ut *mille passuum, mille nummum.* Non aliter igitur & *duo millia denarium, duo millia sestertium*, ut *duo millia passuum* vel *nummum* potuerunt dicere. Quin nec χιλιάδες σηστέρτιαι facile apud quemquam Græcorum, qui Romana verterunt, invenietur: nam & χιλιὰς postulat genitivum rei, quæ numeratur toties: in adjectivum formatæ eodem casu apponi adspernatur. Ubi legit χιλιάδας ταλαντιαίους, μυριάδας δραχμαίους? Stupeo, & vox faucibus hæret. Quomodo in mentem tanto viro hæc venire potuerunt? Scio quidem apud Theophilum lib. III tit. VII haberi: πλούσιον ἢ ὡρίσατο τὸν ἔχοντα ἑκατὸν χιλιάδων σηστερτίων περιουσίαν. Sed hic substantivum genitivo casu regit alterum sibi adjunctum eodem casu; ut quum Livius in principio operis:

operis: *memoriæ rerum geſtarum principis terrarum populi.* Et opes iſtæ aliâ forma pronunciarentur ἑκατὸν χιλιάδες σηστερτίων, non ἑκατὸν χιλιάδες σηστέρτια. Sic Gloſſæ verborum juris: Ὀρφανικοὶ τόκοι, οὓς καὶ πουπιλαρίους λέγουσιν, οἱ ἀπὸ τρίτης ἑκατοστῆς. hoc eſt, ex triente centeſimæ, vel trientes centeſimæ: non ternæ centeſimæ, non trientes ſupra centeſimas, ut acceperunt docti jure reprehenſi Salmaſio cap. VII de M. Uſur. Nam alio caſu non pronunciaretur τρίτη ἑκατοστὴ, ſed τρίτη ἑκατοστῆς, puta μερὶς, quæ Latinis uſuræ trientes: & pertinet hoc gloſſema ad leg. VII παρ. X D. de admin. & peric. tut. „Dicimus ergo ait, *tria millia ſeſtertia* & *tria ſeſtertia* pro eadem ſumma: „*tria denaria*, hoc eſt, *tria millia denaria.* Nunquam ſomniarunt hæc veteres, nedum ut dixerint. *Tria millia nummum*, aut *ſeſtertium*, aut *ſeſtertium nummum*, aut denique *tria millia* dicebant, quæ alias *tria ſeſtertia:* ſic & *tria millia denarium*, quæ forte etiam, poterant certe, *tria denaria.* „Et tamen repetit ille: Neque poſſunt effugere, quin *tria ſeſtertia* & *tria* „*denaria* eodem modo dictum ſit, quo plena oratione *tria millia ſeſtertia*, „*tria millia denaria.* De hac plena oratione nunquam cogitarunt veteres: ſi dixiſſent, at non poterant tamen eodem ſenſu dixiſſe: fuiſſent enim *tria millia ſeſtertia* idem quod tricies centena millia ſeſtertium, *tria* vero *ſeſtertia* tria millia nummum: quæ immane quantum differunt. Etenim *mille ſeſtertia* & *decies* idem ſunt. Nec felicius Scaliger, feliciſſime Latinos ſub„ticere millenarium numerum: nec poſſe Græcos dicere διακόσια δραχμῶν, „quemadmodum Latinos *ducenta ſeſtertium.* Nego Latinorum quemquam ita locutum eſſe. Quum millenarius numerus omittitur, *ducenta ſeſtertia* dicunt. Cicero: *numerabantur illa ſeſtertia ducenta quinquaginta Syracuſanis.* Tacitus: *daturum liberis ejus ducena ſeſtertia.* Quum *ſeſtertium* poni placuit genitivo plurali cum cardinali numero, ſemper adjecerunt *millia*, in eadem ſumma, ut *ducenta millia ſeſtertium, ducenta millia nummum.* quæ ſunt idem quod *ducenta ſeſtertia.* Neque ſubauditur in talibus τὸ *mille*, neque infra illud numeris in uſu promiſcuo attribuitur genitivus. Agricolæ & Hotomanni perpetuus hic eſt error, qui ea ſtribligine veterum ſcripta replere voluerunt. Offendit ſimiliter P. Manucius ad Divinationem: aliud eſt dicere, inquit, *ſeſtertiis duobus*, qui ſunt aſſes octo; aliud *ſeſtertium duobus:* ubi *millibus*, ſubaudiri, Latini ſermonis conſuetudo poſtulat. At non ita Chariſius Soſipater: *Item in conjungendo propria quibuſdam poteſtas, quæ ratione excluditur: ut cum dicimus quinquaginta millia nummum: nec ſtatim, centies nummum dicere poſſumus, ſed centies ſeſtertium: nec tamen quinquaginta ſeſtertium, ſed quinquaginta ſeſtertia dicimus.* Ipſe immo poſt paullo Scaliger apud Ciceronem quoſdam corrigere ait *ſeſtertium dena:* quod barbarum, ſubjungit, & inauditum eſſe audacter pronuntiamus. Jure ſane: quemadmodum igitur ſic excidit ſibi, ut laudaret *ducenta ſeſtertium*? Tacitus: *capiendis pecuniis poſuit modum uſque ad dena ſeſtertia.* Jam de ſub-

ſtantivo

ſtantivo *decies* quis imperabit tantum nobis, ut admittamus? Hæc adver-„ bia, *decies*, *centies*, *millies* ſubſtantivorum nominum naturam induunt ac-„ ceſſione articuli, ut *hoc decies*, aut κατηγορουμένου, ut *decies plenum*, *decies* „ *laxum*, *decies ſeſtertium*. Apud Quintilianum in declamationibus eſt: *ter fortiter faciens*. Virgilius: *O terque quaterque beati*. Silius: *ter centum ante ora triremes, Unum naufragium*. Quis autem ferret contendentem, in *ter beati*, *ter centum triremes*, τὸ *ter* ſubſtantivum eſſe, quia ſolis adjectivis jungitur? Sin *decies* ideo potius ſubſtantivum eſt, quam iſta, quia articulus ei præponi poteſt, κατὰ erit ſubſtantivum, cum Grammatici Græci dicunt: ἐν τῷ, Πεῖραν τιν' ἐχθρῶν, λείπει ἡ Κατά. Aut ὄπισθεν, πρόσθεν erunt ſubſtantiva, quia Sophocles: καὶ τὸ ὄπισθεν εἰς τὸ πρόσθεν ἄξομεν. Qui mos eſt Græcis vulgatiſſimus: ſic ὁ πάνυ, οἱ πλησίον, οἱ ἀμφί τινα. ſed hæc omnia defecta verbis, & ſenſu integranda ſunt. Sit ergo *decies* ſubſtantivi quaſi vicarium adverbium: at negari nequit ſcaturiginis vice brachium reductius oſtendi nobis, & naſcentem Nilum procul etiam haberi. Omnes particulæ, quæ appoſito articulo aut κατηγορουμένῳ pro ſubſtantivis gerunt, (quam ἀντιμερίαν, ſive enallagen partis vocant) occultant & a lectoris intelligentia repoſcunt aliud verum. Ut ἡ κατὰ, nempe πρόθεσις. Sic *euge tuum & belle*, puta, προσφώνημα, *carmen*. Sic *aliud cras*, id eſt, aliud dicere, cras fiet; iteratio illius, cras fiet. Seneca epiſt. XLIX. *Modo te proſecutus ſum: & tamen hoc modo ætatis noſtræ bona portio eſt*. Tempus quod ego deſcriptum & intellectum volo hac particula, *modo*. Martialis:

Præter aquas Helicon & ſerta lyraſque deorum
Nil habet, & magnum, ſed perinane Σοφῶς.

Hoc eſt, murmur, vel auditorium acclamantium, Σοφῶς. Quod ſi cogitaſſet homo ſatis laborioſus in literis, non in id barbariæ proceſſiſſet, ut ſcriberet:

Quique Profeſſores ſacrum ſophos atque profanum
Exercere queant.

Quid intelligimus igitur veri ſubſtantivi, quum dicimus *hoc decies*, vel *hoc decies ſeſtertium?* Hîc Rhodus, hîc pauſat Scaliger, ubi tamen maxime erat exſultandum. Itaque fateor, initio dum inter opiniones doctorum jactor, & eligo magis, in quam pedibus eam, quam ipſe cenſeo, hactenus Agricolæ me ſubſcripſiſſe: ut *ſeſtertium* acciperem, ceu caſus patrii pluralis, *ſeſtertii*, *ſeſtertio* ubique corruptum crederem, *decies*, *centies*, *millies* &c. *ſeſtertium* perpetuo indeclinabile putarem, ſic ut ſubaudiretur *ſumma* vel *quantitas* vel *patrimonium*. Volebam etiam in Cornelio Nepote ac Seneca, *vixerit in ſeſtertium vicies* vel *centies*, ſcilicet *patrimonio*. Et ſic alibi. Neque enim *ſeſtertium decies* ἀντὶ τοῦ δεκὰς σηστέρτια ullo modo mihi poterat conciliari, minuſque multo pro decade centum millia amplificante, aut tot nummos toties complexa, qui duplex numerus quomodo reticeretur, quærebam. Interim non minor in altera ſententia difficultas occurrebat. Advertebam inſuper tot

auctoritates veterum, partim eorum, qui *sestertii*, *sestertio*, pro imperio vicinæ orationis in omnibus scriptis editisque libris servaverant, partim qui τῷ *decies sestertium*, & similibus deinceps, perpetuo adjectivum vel verbum singulare adjunxerant. Non levius Budæus, ingens illud literarum incre-„ mentum, fluctuavit. Fuit, inquit, cum existimarem, omnino ita loquen-„ dum esse, ut post adverbium semper genitivum pluralem subjungeremus. „ Aliquamdiu igitur ita loquendum arbitratus sum, quoniam sermo inte-„ ger hoc poscere videtur, in quem contracta sic oratio resolvitur: *sexagies* „ *sestertium*, id est, sexagies centenis millibus sestertium nummorum, *mar-* „ *garitam mercatus est.* Quare illum loquendi modum, *quadragies sestertio* „ *solatus est*, &, *libertinus ter millies sestertii possessor*, judicabam errore legen-„ tium librariorumque ignorantia in exemplaribus invaluisse. Aliter tamen „ nunc censeo, quum hujusmodi locutione, etsi contra rationem recepta, „ tamen libri magnorum auctorum scateant. Sic ille: in quibus tamen hoc, *contra rationem recepta*, nec dicere unquam nec credere ausus fui. nec enim receptam putabam, aut fuisse recipiendæ aliquam, utcumque fucatam, rationem. Præivit tamen illi Varro: *a deciens minora imposuerunt vocabula, neque ratione.* & Sosipater Charisius: *propria quibusdam potestas, quæ ratione excluditur.* Provectus ulterius Hotomannus, quum diu se fatigasset, pronuntiat, abnorme hoc esse & inusitatum dicendi genus, in quo tanta vis fuerit consuetudinis popularis, ut contra omnes Latinæ orationis regulas, τῷ *sestertium*, quod genitivi pluralis esset, pro singulari accepto & in fine variato, usurparetur. Ciacconio quoque censente videri potest id non ratione, sed consuetudine inductum, ut mutato genere e masculino in neutrum multiplicatio per millenarium fieret. Ita magni viri aut malunt omnem antiquitatem reprehendere, quam vitium ingenii sui confiteri; aut tentant illis modis eam excusare, quibus eam reprehendendi major ansa porrigitur. Quid post illos nobis nunc denique restat? Equidem spero me rem tam clare ob oculos propositurum, ut non tantum, quod illi ratione destitui arbitrantur, ejus rationem certam edam, sed etiam, quod poscere rationem statuunt, id contra omnem rationem & consuetudinem veterum esse, a quovis mediocriter docto intelligi possit.

CAP. III.

Sestertium omne id, quo continentur duo integra & unius dimidium. Sestertius nummus, quod ad binas æris libras vel duos asses complecteretur & unius dimidium. Varro redintegratus & illustratus. Æra. Retro dicere æra. Festus correctus. XII tabulæ illustratæ. Trientem tertium pondo. Besalterum lignum. Quadrantem quartum longus. Ἕβδομον ἡμιτάλαντον, ἥμισυ τρίτον, *& similia. Flavius Sosipater correctus. Decussi inducto notatur denarius. Inducere. Priscianus tentatus & bis apud eundem Didymus. Quintus semipes Plinio quis. Aliud* πενθημιπόδιον, *aliud* πέμπτον ἡμιπόδιον. *Xenophon defensus. Besalter numerus. Vitruvius defensus.*

sensus. Semis adjectivum. Ses, sesqui. Ad sestertium, locus extra urbem, Plutarcho Sestertius, & quomodo. Ad tricesimum, Ad centesimum. Castra in quinto lapide. Justinus emendatus. Symmachus defensus. B. Cyprianus in agro sexti decollatus. Auctor vitæ Cypriani vendicatus. Denarium quodcumque ad numerum denum multiplicatur. Septenaria synthesis Sagunthi. Quadragenarium dolium. Quinquagenarium sacramentum & similia. Centenaria usura male dicta Jul. Scaligero. Milliarensis porticus. Vopiscus illustratus. Pontes milliarii tabellariique. Lapis antiquus explicatus. Trecenariæ vites. Correctus Varro. Chilias sestertia, chilias denaria quomodo possit dici.

Verum est, iterum dico, *Sestertius*, *Denarius*, esse adjectiva. Quod ut evidentius fiat, simulque noscatur causa, cur hoc nonnulli ex eruditis non modo non perceperint, verum etiam oppugnarint, repetenda nobis hic, quæ de prioris vocis veriloquio veteres tradiderunt. Varro lib. IV de L. L. *Sestertius, quod semis tertius. Dupondius enim & semis antiquus sestertius est. Et veteris consuetudinis, ut retro æra dicerentur, ita ut semis tertius, semis quartus pronuntiarent. Sestertius ab semis tertius dictus.* Priscianus hæc adducit auctius: *ut semis quintus, semis quartus, semis tertius pronuntiarent.* Habent autem aliquid obscuritatis illa: *ut retro æra dicerentur.* Hotomannus hinc intelligi putat, alium fuisse antiquis, alium Varronis ætate sestertium: veterem enim æreum fuisse, sed post argentum signatum usum ejus obsolevisse. Accipit igitur quasi dictum esset dupondium & sestertium olim æra vel æreos nummos appellatos. In quo quidem mire illum ratio fugit: nam ut de sestertio antiquissimo æreo litem nunc transmittamus, si sic accipiantur verba, necessum erit & dupondium posterius argenteum fuisse, quod tamen nemo adfirmavit. Nec denique respondent huic sensui sequentia: *ita ut semis quintus* &c. Ciacconius binas adfert diversas alibi „ atque alibi interpretationes. Appellat, inquit, ni fallor, *æra* asses, hoc est, „ solida atque integra, aitque esse antiquæ consuetudinis, ut integra ipsa non „ directo ordine in supputando primo loco collocarentur, ut apud Græcos „ fiebat, sed retro dicerentur: non enim dicebatur *tertius triens*, ut Græcis „ τρίτον ἡμιπόδιον, sed contra *triens tertius*. Sed non video, quomodo hoc stare possit. neque enim cuiquam, opinor, in mentem venit, ut *æra* diceret pro asse hac significatione, qua *as* vocatur omne integrum, ut *as hæreditatis*. Quis audivit *ex ære* vel *æribus hæredem* pro hærede ex asse? Nunquam hoc credam Ciacconio, priusquam id alio idoneo teste confirmet. Nec perpetuum Græcis, ut integrum numerale præponerent, ostendit ἥμισυ τρίτον. Nec *retro dici* est posteriore loco poni, sed priore: habet enim τὸ *retro* vicem anterioris. Alio loco colligit ex his verbis Ciacconius, denarii & sestertii minutias, quæ ultra integros excurrebant in rationibus, *æra* appellata, & inde factum, ut rationes ipsæ, seu potius nomina, vocarentur *æra*: ut cum Cicero: *Quid? tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?* Sed minutiæ

quidem illæ non magis vocabantur quam erant æra, etsi sestertiariis in rationibus argenti vocabulis notarentur. Quod vero & in rationibus argenteæ pecuniæ singula capita & nomina perscripta dicebantur *æra*, id non est derivandum ab istis minutiis & excurrenti ære, sed inde, quod ærea tantum pecunia utebantur veteres ante argentum signatum: quemadmodum etiam quum *æs* pro quavis pecunia ponitur, ut *æs alienum* & *egere æris*. Dein repetitur hic idem error, qui & in altera erat sententia, *retro dici* esse postponi. Nam *retro* cum de tempore dicitur, anterius est: & de loco retro commeamus, cum redimus, ubi fuimus. Est quidem & a tergo: sed imaginandum verba in oratione quasi procedere, atque adeo quod cuique præponitur, id eidem retro sive ab tergo est, velut spectanti in id quod sequitur; quod autem præcessit, respicienti, & sic retro habenti. Cicero in Partit. orat. *ut cum semel dictum sit directe sicut natura ipsa tulerit, invertatur ordo, & idem quasi sursum versus retroque dicatur.* Vult igitur Varro, fuisse antiquæ consuetudinis, ut in ista compositione, *semis tertius, quartus, quintus, triens tertius, quadrans quartus, bes alter*, perpetuo vocabulum æs significans prius scriberetur diceretúrque, posterius vocabulum numeri: ita facilius coaluit illa vox, *sestertius*, quam si *tertius semis* frequentassent. Vitruvius l. III c. I. *Nostri autem primo decem fecerunt antiquum numerum, & in denario decem asses æreos constituerunt, & ea re compositio nummi ad hodiernum diem denarii nomen retinet, etiamque quartam ejus partem, quod efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse, sestertium nominaverunt.* Festus: *Trientem tertium pondo, significare ait Cincius Mystagogicon libro secundo, duas libras pondo & trientem. qua consuetudine hodieque utimur, cum lignum besalterum dicimus, id est, pedem & bessem latitudinis habens; & sestertium, id est, duos asses & semissem tertium; item, si tres asses sunt & quartus quadrans.* In postremis vitium est. Ciacconius emendat: *& quadrans, quadrans quartus dicitur.* Nos mitius ante visam illius correctionem: *item si tres asses sunt & quadrans, quadrantem quartum.* Volusius Mæcianus: *Sestertius duos asses & semissem, quasi semis tertius. Græca figura:* ἕβδομον ἡμιτάλαντον· *nam sex talenta & semitalentum eo verbo significantur. Lex etiam duodecim tabularum argumento est, in qua duo pedes & semis sestertius pes vocatur.* Quæ verba ubi in XII tabulis locum habuerint, forsan discimus ex Festo in *Ambitus.* Flavius Sosipater lib. I. *Subauditur enim nummus, ut sestertius nummus, & denarius nummus. Nam id nummum appellamus quod Græci νόμισμα. Sestertius autem unde appelletur, solet quæri. Quod manifestum erit, si sciamus apud antiquos denarium decem asses habuisse. Ideoque in rationibus faciendis denarium decussi inducto notamus, X̶: cujus quarta pars, dupondius semis, sestertius dicitur, quod de tribus assibus semis deficiat. Denique & nota ejus,* HS, *nihil aliud quam dupondium & semis ostendit.* Ita scribendum vidit & Ciacconius, non *inductum.* Priscianus dicit denarium notari *per* X *perscriptam:* Suetonius Nerone cap. LII. *Ita multa & deleta*

deleta & inducta & superscripta inerant. Hinc *inducere senatusconsultum, locationem, decretum. Inducto* est quod Ovidio & Senecæ *transsuto. Decussi inducto* est decadis nota transfixa, vel transversa virgula secta. De sestertio rectius dixisset: *quod de tribus assibus duo & semis ei insint.* Priscianus de ponderibus duos dat egregios auctores, Arruntium & Didymum. Illius verba sunt: *Sestertius olim dupondius & semis, quasi semis tertius, quo tempore denarius decussis valebat: hoc est* post duo (aut hic excidit vox *asses,* aut quæ subjungitur, in eam mutanda est) *sequens tertio loco est semis. Hoc quoque secundum Atticos & Ionas, qui* ἥμισυ τρίτον *dicebant pro* δύο ἥμισυ (priscæ quædam edit. τρίτον ἡμίδραχμον *dicebant pro* δύο καὶ ἡμίσειαν δραχμάς) *teste etiam Didymo, qui hoc ponit ostendens in omni parte orationis & constructionis analogiam Græcorum secutos esse Romanos.* Addit verba Herodoti loquentis de leone ficto: ἕλκων σταθμὸν ἕβδομον ἡμιτάλαντον· τουτέστιν ἓξ ἥμισυ τάλαντα. *Septimum semitalentum dixit, pro sex semis talenta.* Post quæ sequuntur Didymi verba corrupta in omnibus libris: εἰδώλων τῶν δέκα ταλάντων γεγενῆσθαι τοῦ λέοντα. κατὰ λέγει ἔχειν &c. Scribendum existimo: Λέγει δ' ὅλον τῶν δέκα ταλάντων γεγενῆσθαι τὸν λέοντα, κἄπειτα λέγει ἔχειν ἕβδομον ἡμιτάλαντον· τουτέστιν ἓξ ἥμισυ τάλαντα. Ejusdem Didymi apud Priscianum sunt & ista: Ἴωνες καὶ Ἀττικοὶ τὰ δύο ἥμισυ, ἥμισυ τρίτον φασί· καὶ τὰ ἓξ ἥμισυ τάλαντα, ἕβδομον ἡμιτάλαντον· καὶ τοὺς τέσσαρας ἥμισυ πήχεις πέμπτην ἡμισπιθαμήν· καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος προσθεὶς τὸ ἐνδεκάτους. Ἰάδης ἐν τῷ περὶ Μουσικῆς· ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον· ἀντὶ τοῦ, δύο ἥμισυ πόδας. Καὶ καθόλου ὅταν βούλονται ἀριθμόν τινα δηλοῦν, καὶ μόριόν τι προσκείμενον, τὸ ὁμώνυμον τοῦ ἀριθμοῦ ἀεὶ τοῦ πλεονάζοντος λαβόντες, τὸ ὅλον φασίν· οἷον τὰ ἓξ ἥμισυ, ἕβδομον ἥμισύ φασι, τοῦ ἑπτὰ ἕβδομον, ὃς μονάδι πλεονάζει τοῦ ἓξ τὸ ὁμώνυμον λαβόντες. Καὶ Ῥωμαῖοι δ' εὑρεθήσονται τούτῳ χρώμενοι τῷ σχήματι· τὰ γὰρ δύο ἥμισυ ἀσσάρια (τὸ δηνάριον ὡς αὐτοὶ λέγουσι δηναρίους παρὰ τὸ δῆνα ἐσχηματισμένους) Σηστέρτιουμ φασι, τοῦ μὲν Σὴ τὸ ἥμισυ δηλοῦντες, ὡς ἐν τῷ Σημόδιουμ, Σήσκουας, Σήσκουπλα, τοῦ δὲ τέρτιουμ τὸ τρίτον. Καί ἐστιν ἥμισυ τρίτον. Ubi verba virgulis circumscripta videntur tenere locum non suum, & inserenda proxime sequentibus hoc modo: Τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, (ὡς αὐτοὶ λέγουσι, δηναρίους, παρὰ τὸ δῆνα ἐσχηματισμένους) δέκα δὲ χρυσᾶ, ἅπερ καὶ μίλλε νούμμους φασί. Et ita legendum ad marginem libri sui notaverat Scaliger. De Græcorum ista ratione etiam Julius Pollux lib. IX. Ἀρχαία δὲ ἡ χρῆσις, καὶ ἡ τοῦ, πέμπτον ἡμιτάλαντον, καὶ τρίτον ἡμιτάλαντον, καὶ ἕβδομον ἡμιτάλαντον, ἢ τέσσαρα ἥμισυ τάλαντα, ἢ δύο ἥμισυ, ἢ ἓξ ἥμισυ· καὶ ὅλως ὁπόσον φήσει τις τὸ ἡμιτάλαντον, τὸ πρὸ αὐτοῦ ἀριθμὸν ὁλόκληρον εἶναι δεῖ. ἐὰν μὲν ἕβδομον, τὸ ἕξ, ἂν δὲ τρίτον, τὰ δύο, σὺν δὲ τούτῳ τὸ ἥμισυ πάντως ἐπαριθμεῖν. Φίλον δὲ τοῖς ἀρχαίοις καὶ τὸ ἓν ἥμισυ τάλαντον, τρία ἡμιτάλαντα λέγειν· ὡς καὶ τρία ἡμίμναια, τὴν μίαν ἡμίσειαν μνᾶν. At paullo post: τρίτον ἡμίμναιον εἴποις, δύο καὶ ἡμίσειαν μνᾶς ἐρεῖς. Et inferius: τρίτον ἡμίδραχμον, αἱ δύο ἡμίσειαι δραχμαί. Suidas partim describit, partim interpretatur Pollucem: Ἀρχαία δὲ ἡ χρῆσις, καὶ τὸ τρίτον ἡμιτάλαντον, καὶ πέμπτον ἡμιτάλαντον·

τάλαντον· Ἔστι δὲ τὸ μὲν τρίτον ἡμιτάλαντον δύο ἥμισυ τάλαντα, τὸ δὲ πέμπτον ἡμιτάλαντον τέσσαρα ἥμισυ· καὶ τὸ ἕβδομον ἡμιτάλαντον ἓξ ἥμισυ· καὶ ὅλως οὗτινος ἀριθμοῦ παρωνύμως μέρει ἐπονομάσαι τις τὸ ἡμιτάλαντον, τούτου ὁ προηγούμενος ἀριθμὸς ἐφαρμόσαι τοῖς ταλάντοις· οἷον ἂν μὲν ὄγδοον, ἑπτά· ἂν δὲ ἔνατον, ὀκτώ· συναριθμουμένου δηλονότι καὶ τοῦ ἥμισυ. Φίλον δὲ τοῖς ἀρχαίοις καὶ τὸ ἓν ἥμισυ τάλαντον, τρία ἡμιτάλαντα λέγειν, ὡς καὶ τρία ἡμίμναια, τὴν μίαν ἡμίσειαν μνᾶν. Errat Georg. Gualterus ad antiqq. tabb. quum ſic Plinium dixiſſe *quinum ſemipedem* putat, ut Græci πέμπτον ἡμιπόδιον, quatuor pedes cum ſemiſſe. Locus eſt lib. XVII cap. XI. *Eadem menſura* (fodi ſcrobes) *Græci auctores conſentiunt, non altiores quino ſemipede eſſe debere, nec latiores duobus pedibus.* Ubi *quinus ſemipes* idem qui in duodecim *ſeſtertius* vel *ſemis tertius pes.* Reſpexit Plinius Xenophontem quinto memorabilium, ſive Oeconomico, item de ſcrobibus ad arbores loquentem: Ἤδη τινὰ οὖν αὐτῶν εἶδες βαθύτερον τριποδίου; οὐδὲ, μὰ Δί', ἔγωγε, ἔφην, πενθημιποδίου. Ubi quis non videt πενθημιπόδιον minus eſſe τριποδίου? duorum nempe pedum & ſemis. Sic mox: ἤδη τινὰ εἶδες τὸ βάθος ἐλάττονα ποδιαίου; οὐδὲ, μὰ Δί', ἔφην, ἔγωγε, τριημιποδίου. Ubi perperam Stephanus, διποδιαίου· id enim ſemipede plus eſt quam voluit Xenophon. Scrobem enim non vult altiorem duobus pedibus & pedis dimidio, nec minus depreſſam P. S. Itaque ut illic ſemipedem ultra quod requirebat, in interrogatione nominavit; ita deinde ſemipedem intra minuſque quam exigebat, in interrogatione poſuit. Quinus ergo *ſemipes* & πενθημιπόδιον idem, nimirum quod quinque ſemipedes, ſeu duo pedes & dimidiatus: quemadmodum τριημιπόδιον, tres ſemipedes, pes cum dimidiato pede. Ut Grammaticis τριημιμερὲς, cum poſt tres dimidiatos pedes, ſeu pedem & dimidium ejus fit cæſura: πενθημιμερὲς, cum poſt quinos ſemipedes ſeu duos pedes & dimidiatum, ſeu *cum quintus ſemipes verbum finit*, ut loquitur A. Gellius lib. XVIII cap. XV: & ſic deinceps. Hæc ab altero τρίτον ἡμιπόδιον, πέμπτον ἡμιπόδιον tantum differunt, quantum τρία ἡμιτάλαντα, πέντε ἡμιτάλαντα ab illis τρίτον ἡμιτάλαντον, πέμπτον ἡμιτάλαντον. qua de re Pollux & Suidas. & ex altero Caſaubonus ad Theophraſti Characteres. ubi tamen & ipſe præit Gualterio, *quinum ſemipedem* πέμπτον ἡμιπόδιον, quatuor pedes cum dimidio interpretando apud Plinium, ex altero Ciacconius. Cæterum ante oculos habentibus viris doctis, quæ ſuperius ex Varrone, Voluſio, Priſciano, ſunt repetita, non tantopere miror minus ſuboluiſſe, *ſeſtertius* eſſe adjectivum. Etenim ex ſubſtantivo & adjectivo duplicatum putabant, velut *ſemiſſe* & *tertio:* ut eſſet *ſemis tertius* nihil aliud quam duo aſſes cum dimidio, ut *ſemis quartus* tres aſſes cum dimidio, *ſemis quintus* quatuor aſſes cum ſemiſſe, *triens tertius pondo* duæ libræ cum triente. Sane ſignificatio eadem vocis *ſeſtertius*, quæ fuit τοῦ *ſemis tertius:* ſed poſtquam una vox facta eſt, eliſis anterioris vocabuli, unde componitur, duabus literis, totum quod ſupereſt, concedit in naturam poſterioris. Perinde ut factum videmus in *beſalterum*: neque enim dubito, quin

eodem

eodem modo *beſalteram materiam* pro pedis & octo pollicum latitudinem habente, & *beſalterum lapidem* dicere liceat, ut *beſalterum lignum*. Senarium perfectum & analogicum & quaſi aſſem conſtituunt numerorum artifices: duabus partibus additis denarium vel decuſſem factum, ut loquitur Vitruvius lib. III cap. I. velut ex altero beſſe & toto ſeu aſſe conſtantem, dixerunt *beſalterum*. Verba Vitruvii: *duabus partibus additis & decuſſi facto, beſalterum, quem ἐπιδίμοιρον vocant*. Vir eruditiſſimus, qui alias partes ejus loci præclare ſanavit, legit, *beſſem alterum*, non *beſalterum*. Atqui, interrogat ſe ipſe, dicens: Factum hoc eſt, ut *ſeſtertium* in accuſandi caſu pro *ſeſſem tertium* vel *ſemiſſem tertium*? Reſpondet autem, conſiderare illos debuiſſe, non uſurpari abſolute *ſes*, ut *bes*. Hoc quidem verum: ſed una eademque ratio eſt, ob quam & *beſalterum* & *ſeſtertium* dixerunt: quia hæc molliter coëundo juvabant brevitatem pronunciandi: ut *treſſis*, *quatruſſis*, *quinqueſſis*, & cætera illa. Nec, inquit, Feſtus ipſis favet, quum *lignum* dicit *beſalterum*. Favet profecto: nam *lignum beſalterum* idem prorſus eſt quod *lignum beſſem alterum*: idque quoque profertur brevius pro integro, *lignum beſſem alterum latitudinis habens*: ut, *corona aurea libram pondo*. Accedit, ait, quod in eodem Vitruvio reſtituant, *quintarium alterum*, non *quintarius alterum*. Hæc paria non ſunt: neque enim ita belle coire poterant, ut iſta. Sed dirimit litem Voluſius Mæcianus: *Undeciaes hac nota ſcribas* ЖS=), *appelleſque beſſicilicus, nam beſſicilici totiens ducti undeciaes efficiunt*. Et tamen idem dicit ibidem: *quincunces ac ſicilici multiplicati*: &, *ſeptuncem quoque ac ſemunciam totiens ſi duxeris*: non *quincunſicilici*, nec *ſeptunſemunciam*. Quare? niſi quia hæc dura nec propitiis auribus accipienda: iſta, *beſalterum*, *beſſicilici*, leniſſime duplicantur. Deinde τὸ *ſemis* non ſignificat modo dimidiatam libram æris vel nummum: ſed eſt indefinitum, denotans modum ſeu dimidium cujuſcumque rei diviſæ per aſſis partes. Et, ut de τῷ *ſemiſſis* concedatur, *ſemis* certe natura & origine non eſt ſubſtantivum, etſi interceſſerit uſus, neque dictum quaſi *ſemiæs*, ut velit Varro, doctiſque perſuaſit, ſed eſt ipſum, a quo deſcendit, ἥμισυς, ἡμίσεια, ἥμισυ· unde & plurimis adjectivis junctum naturam illorum non mutat: ſic *ſemiraſus uſtor*, *ſemiputata vitis*, *ſemiſopora lumina*. Contracte *ſes*, ut in *ſeſqui*, quod dictum pro *ſeſque*, ut *peregre peregri*, *here heri*, *præfiſcine præfiſcini*. Eſt enim idem quod, *& ſes*, vel *& ſemis*, intellecto a fronte τῷ *as* vel totum, ἓν ἥμισυ. Sic cum dicitur *ſeſtertium*, intelligimus duo ὅλα vel aſſes, quibus aliquid additur tertium dimidiatum. Ergo *ſeſtertius* natura ſua non magis ſubſtantivum eſt & neutro caret, quam *tertius*, & cætera hujus ordinis numeralia. Unde in duodecim, Voluſio teſte, *ſeſtertius pes*, & *ſeſtertium bipalium* Columellæ de arboribus: *Ipſum agrum, quem ſeminare deſtinaveris, planum & ſuccoſum ſat erit bipalio vertere, quod vocant ruſtici ſeſtertium*. Nam ſolebant arma ſua interdum ſic diſtinguere agricolæ, ut modum numeris ſignificarent. Cato de re ruſt.

cap.

cap. XIX. *vectes longissimos pedum* XVIII. *secundos pedum* XVI. *tertios p.* XV. *remissarios p.* XII. *alteros pedum* X. *tertios p.* VIII. Sic locus prope Romam porta Æsquilina, *Ad sestertium.* Commentator Horatii Cruquianus: *Hinc Æsquilina porta Romæ dicitur, Ad sestertium: ubi certus erat locus sepulcrorum ad corpora pauperum aut sceleratorum viliumque comburenda.* Ita enim recte corrigit Lipsius editum: *adsessorium*, recteque intelligit, milliare vel lapidem. Cicero Bruto: *cum plebs prope ripam Anienis ad tertium milliare consedisset.* Idem: *Accepi literas tuas ad quintum milliare.* Cornelius Nepos de Attico: *Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem.* Livius lib. II. *pervenere ad tertium lapidem Gabina via.* Martialis lib. X.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.

Pari vero ellipsi & Itinerarium Antonini Aug. *Iter ab Aquileia per compendium Veldidenam* M. P. CXXV *sic*: *Ad Tricensimum* M. P. XXX. Iterumque alio loco: *Vicum Badies* M. P. IX. *Ad centesimum* M.P. X. Sic passim in eo libro: ubi & multas appellationes locorum cum eadem præpositione notabis: *Ad septem fratres, Ad Mercurii, Ad crispas, Ad dracones, Ad turres, Ad columnam.* Tacitus lib. II histor. *Ad duodecimum a Cremona (locus Castorum vocatur) ferocissimos auxiliarium componit.* Et iterum eodem: *Promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit.* Justinus lib. XXII cap. VI. *Castra deinde in quinto lapide a Carthagine statuit.* Sic in MSS. ubi vulgo præpositio deest. Symmachus lib. VI epist. VIII. *Quum in Hostiensis via septimo degeremus.* Scioppius suspicatur: *in Hostiensi die septimo.* Nam, ut lapidem, inquit, accipiamus, insolens tamen erit, *degere in septimo lapide.* An insolentius lib. IX epist. LXIX. *Hæc interim de quarto Latinæ viæ.* Hieronymus in Euseb. Chronico 2 p. 155. *Ossa ejus in secundo ab urbe milliario sepeliuntur.* Eutropius in Tarquinio Sup. *Ardeam in octavo decimo milliario ab urbe positam civitatem.* Idem. *Bellum enim in centesimo & tricesimo fere milliario ab urbe apud Samnites gerebatur.* Viam Hostiensem habes eodem lib. VI epist. LXVI. Suetonius Aug. *Ad quartum lapidem Campanæ viæ, in nemore prandenti.* Adde Cujacium lib. XX Observ. cap. III. Simocatta lib. VIII. Καὶ πείθουσιν ἐν τῷ λεγομένῳ Ἑβδόμῳ (τόπος δ' ἦν οὗτος τοῦ ἄστεος ἀπὸ σημείων ἑπτὰ) τὸν Φωκᾶν ἀφικέσθαι. Plutarchus in Galba *Sestertium* vocat: cujus analogiam defendit Lipsius: sed non dubito, quin altera appellatio sit integrior & magis ex usu Romano: nec de ratione posthac dubitabunt viri docti. Plutarchus autem Græcorum morem secutus est. Livius lib. VI. *non procul ab Lanuvio Ad Marcium is locus dicitur.* Plutarchus in Camillo hanc historiam peragens bis nominat Μάρκιον ὄρος. Diodorus lib. XIV. ἐν τῷ καλουμένῳ Μαρκίῳ κατεστρατοπέδευσαν. Præpositionem omiserunt Græci. Rursum Livius lib. VII & IX meminit loci, *Ad Lautulas.* Diodorus lib. XIX. παρετάξαντο πρὸς τοὺς Σαμνίτας περὶ τὰς καλουμέ-

νας Λαυ-

νας λαωτόλας. Nam Turnebi quidem ſententia, ſic exiſtimantis appellatum a ſpatii modo, quaſi duum jugerum & ſemiſſis, quam ſequitur Hotomannus, alibi locum habebit, hic facile rejicitur. Lipſius & Kirchmannus tertium dant auctorem, qui hujus loci meminerit, vitæ, quiſquis fuerit, B. Cypriani: *Cum perveniſſet in locum, qui dicitur Sextus, quarto ab urbe milliari.* Emendatum ab aliis recte, *Sextertius*, ait Lipſius. Saltem orthographian ſervaſſent, ſi volebant aliquid tamen in eo recte factum judicari. Equidem mirabar, quî locus non longo intervallo diſtans porta Æſquilina, migraverit in viciniam Carthaginis: niſi forſan Appuleiana Meroë ſpecimen artis in eo præſtitit: aut, ut mittamus cavillum, putarunt (ſic enim & loquuntur) *ſeſtertium* generali vocabulo ubivis gentium vocari, ubi ſupplicium exigitur. Utcumque autem prope Carthaginem etiam potuerit eſſe *Ad ſeſtertium:* tamen cum iſte locus quarto ab urbe milliari fuerit, non potuit hoc ei nomen convenire. Nec erat ſuppliciis noxiorum attributus locus, aut ductus eſt eò Cyprianus damnatus Carthagine, ut ibi potiſſimum lueret, ſed beatiſſimi martyris extrema ſuſcepit, quia Proconſul ex occaſione illic diverſabatur. Alia paſſio: *& in curriculum eum levaverunt, in medioque poſuerunt, & in Sexti perduxerunt, ubi idem Galerius Maximus Proconſul, bonæ valetudinis recuperandæ gratia ſeceſſerat.* At mox: *in agrum Sexti perductus eſt, & ibi ſe lacerno birro exſpoliavit.* Fuit igitur vel vicus vel prædium aut prætorium, ſic appellatum ſive a conditore vel poſſeſſore aliquo Sexto aut Sextio, ut in Gallia, *Aquæ Sextiæ*, prope Romam *Prata Mucia*, *Prata Quinctia*, ſive à ſexto lapide alicujus viæ aliunde quam reſpectu Carthaginis numerato, in quo poſitum erat. In ipſo prædio vel vico commorabatur Proconſul & peragitur judicium: in circumjacente agro ſupplicium. Anaſtaſius Bibliothec. in vita Nicolai I: *His itaque geſtis, ſereniſſimus Imperator inde diſceſſit, ſedemque in loco, qui Quintus dicebatur, conlocavit.* Significat, *Ad quintum*, nempe lapidem ab urbe Roma. Atque hæc de ſeſtertio. Vocabuli, *denarius*, eadem ratio eſt: adjectivum enim eſt, nec ſignificat rem per ſe ſubſiſtentem, niſi aliquid tale ſubaudiatur. Aliud egit doctus ille Savilius, cum *denarium* dictum eſſe ſcripſit quaſi *dena æra.* Deducta ab diſpertitivis hac terminatione exponunt rei, cuicumque apponuntur, vel numerum corporum vel modum magnitudinis vel pondus. *Binarias, ternarias, quaternarias formas* Heliogabali dicit Lampridius, nummos aureos pretio binum, ternum, quaternum conſuetorum aureorum. *Septenaria ſyntheſis Sagunthi* Martiali quæ ſeptem conſtabat vaſis. *Dolium quadragenarium* Catoni de re ruſt. cap. CVI, *urna quinquagenaria* cap. XIII, *dolium quinquagenarium* cap. CXIII, tot librarum menſuralium capacia. *Quinquagenarium ſacramentum*, depoſitum apud pontifices ſponſionis cauſa quinquageſſis. *Quinquagenarius thorax* plumbeus, quinquagenum pondo Plinio lib. VII cap. XX. *Quinquagenariæ materiæ*, ſtipites quinquaginta pedes longi, Ammiano

miano lib. xxvi. *Quinariæ & octonariæ & denariæ fistulæ* Plinio lib. xxxi cap. vi, quinos, octo, decem pedes longæ. *Grex centenarius* Varroni de re rust. lib. iii cap. vi, & Valerio Maximo lib. iv cap. iv, in quo centum corpora. & *greges millenarii, septingenarii, octingenarii*, similiter eidem Varroni lib. ii rei rust. *Centenaria vasa* argentea Lampridio in Heliogabalo, centum librarum. Julius Scaliger lib. iv de caussis L. L. scribit finita in ARIUS, notare habitum ad agendum, vel passionem; hæc, de quibus agimus, non actionem vel passionem, sed τὸ ἔχειν. Quod vero addit: sicut *centenaria usura*, de qua suo loco: frustra promittit: neque enim ulla est *centenaria usura*, sed *centesima*, quæ multum differunt. Nam *centenarium* est corpus unum multiplex, quippe continens centum; *centesimum* est unum e centum. Unde *centesima usura* est pars sortis centesima menstrua: *centenaria usura* forent centum nummi quocunque usurarum genere, indefinito tempore, redeuntes: quam neque appellaverunt neque eleganter poterant appellare veteres. *Centenariæ basilicæ* Capitolino in Gordiano tertio, centum pedum longitudine. Sic *milliariæ porticus* Suetonio in Nerone: *milliarensem* dicit Vopiscus in Aureliano: neque enim propter mille columnas sic dictam placere potest, quod videtur summo viro: quippe quam Aurelianus non luxus aut ostentationis impulsu fecerat, sed usus, in qua se & equos fatigaret. Vetus lapis: *viam. ab. Regio. ad. Capuam. &. in. ea. via. pontes. omnes. meiliarios. tabellariosque. poseivei.* etsi Cluverius satis ineptam vocat hanc inscriptionem lib. iv Italiæ pag. 1296. Gualterus *pontes milliarios* interpretatur columellas numero milliarium insignitas; *tabellarios*, lapides, minori, quam milliaria, intervallo distantes, positosque ut illis adjuti commodius equos insilirent. Quis non miretur *pontes* esse columnas, & *tabellas* lapides? Quid vetat autem intelligere e tabulis seu asseribus pontes mille pedum longitudine? Pontibus autem opus erat propter vias torrentibus interruptas. *Trecenariæ vites* in agro Faventino apud Varronem lib. i de re rust. cap. ii, *quod jugerum trecenas amphoras reddat.* Ita enim legendum, non *tricenariæ*, neque *tricenas.* Proxime dixit in agro colonico cis Ariminum in singula jugera dena cullea vini fieri. Quid igitur magnum de triginta amphoris, quæ culleum unum cum dimidiato explent? nam culleus viginti amphoræ: dena igitur cullea ducentæ amphoræ. *Quingenaria promulsis* Tertulliano lanx argentea tot librarum. Sic igitur *denarius* est denum vel denorum, ut *sestertius* binum & semi; quæ vero sint illa dena, quæ illa bina & semi, non ex ipsis illis vocibus, sed ex appositis noscitur, quatenus illa vel numerari vel æstimari vel mensurari possunt. Sic *quinquagenarium* est quinquagenis æstimandum. Quæ ista, dicent, apposita? si *sacramentum*, æris vel assibus: si *thorax*, libris pondo: si *lignum* vel *materia*, pedibus. Ita ergo *chilias sestertia*, quam dicebat Scaliger, aut *mille sestertium*, ambobus vocabulis singulari, ut volebat ille, numero acceptis,

ceptis, non esset mille nummum, sed duæ chiliades & dimidiata, duo millia quingenta nullius certæ ac definitæ rei: *chilias denaria* vel *mille denarium*, utroque vocabulo singulari, non esset mille denarium nummum, sed decem chiliades seu decem millia incertæ rei. Atque ita apparet, observationem bonam & utilem hac quidem parte Scaligero, dum male aptatur, nihil profuisse.

CAPUT IV.

Sestertii, Denarii, intellectum volunt, nummi vel asses: sestertia pondera argenti librarum. Libra argenti ut centum drachmis vel denariis, ita quadringentis æstimabatur sestertiis. Sestertium, nempe pondus argenti duarum librarum argenti & dimidiatæ, atque ideo mille sestertium nummum. Denarium, argenti pondus, decem librarum argenti. atque ideo mille denarium nummum. Hæc vera & unica ratio, cur dena sestertia sint decem millia nummum sestertium, Denaria dena, si forte, decem millia denarium. Budæi, Portii, Salmasii, de causa differentiæ inter sestertios & sestertia consensus nobiscum. Novo argumento refutata Scaligeri sententia. Varro & Macrobius correcti. Sestertium quinquies, Septies medimnum, pro quinquies & septies centenis millibus Latina consuetudo non patitur.

Hoc igitur stet immotum, vere adjectiva esse τὰ *sestertius, denarius*, neque id esse desinere in re nummaria (ubi, ut recte alicubi Salmasius, omnia fere vocabula adjectiva sunt pro substantivis posita) sed pro intellecto substantivo genus & significationem & terminationem mutare. Masculinis nempe intelligitur & explicatur *nummus*. Ita *denarius* significat nummum denarium sic dictum quod taxaretur assibus libralibus decem, seu decem libris æris: *sestertius* nummum sestertium, sic dictum, quod esset æstimatione dupondii & semis, seu binarum librarum æris & dimidiatæ, quamdiu as libram pondo fuit: postea manserunt hæc nomina respectu ad originem habito, etsi levioribus nummis æreis, quatuor assibus sestertius, sedecim denarius censeretur. Neutris designantur & subaudiuntur *argenti pondera* sive mavis *pondo* in nummis: prius si subaudies, facies copulatione substantivi cum adjectivo, posterius alia ellipsi, qualis est in illis, *triumviri ære, decemviri litibus*, in duodecim tabulis, *viginti quinque pœnæ. Pondera sestertia* vel *denaria*, ut *centenaria* Plinio lib. VII cap. XX. *Fusius Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duobus humeris contra scalas ferebat.* Hoc est, centenum & ducentenum librarum. De nummis denariis & sestertiis omnia jam plana & constituta: *sestertia* vero vel *sestertia pondera* argenti, qualia voce *sestertia* sola posita intelliguntur, fuisse mille nummum sestertium, & *denaria pondera* mille denarium nummum sic colliges. Denarii nummi, quales descripsimus, etsi pro copiis reipublicæ & pro innocentia aut avaritia triumvirorum & officinatorum Monetæ in pondere variatum nonnihil videri posset, mox tamen postquam flari cæptus est argenteus

nummus, in eo constiterunt, ut centum putarentur in argenti libra Romana, quemadmodum centum drachmæ in mina Attica. Livius lib. XXII narrat de permutandis captivis convenisse inter duces Romanum Pœnumque, ut quæ pars plures reciperet quam daret, *argenti pondo bina & selibras* in militem præstaret. Has Plutarchus in vita Maximi δραχμὰς πεντήκοντα καὶ διακοσίας vertit. Libra igitur argenti æqua censebatur centum drachmis. Drachmis respondebant nummi denarii, quicquid tandem fuerit subtiliter exigendo pondere. Quindecim millibus æris gravis damnatus Furius Camillus, Livio auctore lib. V. μυρίων πεντακισχιλίων ἀσσαρίων Plutarcho: ὃ γίνεται, inquit, πρὸς ἀργυρίου λόγον, χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντηκόσιαι. non secus ac Latinis mille quingenti denarii. Καὶ τὸ δεκάχαλκον, addit, οὕτως ἐκαλεῖτο δηνάριον. Græci enim discrimen inter masculinum & neutrum ignorant, pro nummo νόμισμα intelligentes. Hinc igitur sicut nummus denarius argenteus in ære valet decem asses vi nominis: ita pondus denarium in argento signato valet decem libras argenti, & ex consequenti mille denarios nummos. Sic in L. LXXXVIII. ϖ. X. D. de leg. II. *deposita apud me a Seleuco patruo meo denaria tria,* pro tribus millibus denarium, & in veteri lapide, *denaria quinque,* utpote quinque millia denarium, pariunt usuris centesimis annuos denarios nummos sexcentos. Quod si quis his locis omnino contendat *denarium tria millia* & *denarium quinque millia* scribi oportere, & τὸ *millia* notis significatum excidisse; negare tamen is non poterit ex analogia ita potuisse dici. Sic *centenarium* posterior ætas pro centum libris auri pariter in nummis dixit. Jam denarius nummus continet quatuor nummos sestertios, sive illos prisca æstimatione dupondii & selibræ æris, sive posteriori quatuor assium. Libra igitur argenti ut centum denariis, ita quadringentis æstimabatur sestertiis: duæ libræ & selibra, hoc est, sestertium argenti pondus mille sestertiis nummis. Bis namque quadringenti faciunt octingentos, & dimidium quadringentorum sunt ducenti. Nos quidem hæc multa meditatione in loco & libris & literis & studiosis hominibus casso, unico Scaligeri libello & festinatis ex Hotomanno excerptis instructi, soli interdum in sicca nobiscum arena spatiati erueramus. Sed ad bibliothecam reversi animadvertimus tres insignes viros, quorum duo hoc argumentum libris editis peregerunt, tertius sæpe promisit, pollicitis utique majora præstiturus, & nostram omnem operam supervacuam redditurus, nisi eum superstitem alia præsentiora, nuper autem ingenti literarum jactura defunctum beatorum loca avocassent, ante nos eorundem fundamentorum partem jecisse. Quorum verba & laudis illorum propagandæ cupidus & hac auctoritate meam sententiam confirmaturus adponam: neque enim tam salsi sumus, ut labore alieno magno partam gloriam dictis, quamvis potentibus, in nos transmovere cupiamus. Princeps est Budæus, qui sic scripsit:
„ Duæ libræ & selibra, seu quod idem est mnæ duæ & hemimnæon ducen-

„ tas &

,, tas & quinquaginta drachmas valent: quæ si quaternario multiplicentur, ,, mille nummos efficiunt. Quomodo igitur *sestertii* dicti sunt nummi, ,, quod duos asses & semissem singuli valerent, id est, dipondium & semis- ,, sem æris: ita *sestertia* ex eo dicta sunt, quod duas libras singula & seli- ,, bram argenti valerent. Verum id adnotandum, quod libram nunc & mi- ,, nam centenarias intelligimus indifferenter utentes: quod *pondo* etiam ,, identidem appellatur. Plinius: *Mna, quam nostri minam vocant, pendet* ,, *Atticas drachmas centum.* Alter mox Budæum secutus Leon. Portius: ,, Et si cui forte dubium faceret, quod duæ libræ Romanæ & semis ducen- ,, tas & quadraginta, non quinquaginta, quæ ad sestertium majus requirun- ,, tur, drachmas efficiant; obiter declarabitur, quid velint significare aucto- ,, res, & maxime Livius, qui dicit *mille pondo*, & reliqua, in quo multos vidi ,, hæsitare. Sciant igitur, Romanos in plurimis, & maxime in hac parte ,, Atticos imitatos: sicut illi in commercio omnium aliarum rerum sua li- ,, bra quinque & septuaginta drachmarum, in argento mina; sic ipsos in ,, aliis rebus communi libra nonaginta sex drachmarum, in mentione pecu- ,, niæ fere *pondo* indeclinabili usos fuisse, quo centum drachmas ad exem- ,, plum minæ repræsentari significabant: & ideo in *sestertio*, non *libra*, sed ,, *pondo* (discrimen inane, ut inferius demonstrabitur) intelligi debere, & ,, sic ducentos & quinquaginta denarios. Tertius est Claudius Salmasius in ,, commentario ad Pallium Tertulliani: Sciunt, inquit, rei nummariæ ve- ,, teris periti, singula *sestertia* mille sestertios nummos æquare: sed vel duo ,, vel nemo illud scit, cum *sestertii* dicuntur, subintelligi *nummos*; cum *ses-* ,, *tertia*, subaudiri *pondo*. Sic unum *sestertium pondo* duas argenti libras cum ,, semisse valebat, ut unus *sestertius assis* duos asses & semissem. Sed sester- ,, tius nummus postea quatuor assibus permutari cœpit, qui duobus tantum ,, assibus & semisse, juxta veriloquii sui notionem, olim permutabatur. ,, Quadringenti autem ejusmodi sestertii nummi, quatuor assibus valentes ,, singuli, & quaterni uno denario, libram Atticam, hoc est, minam, efficie- ,, bant, quæ centum denarios, hoc est, centum drachmas, vel quadringentos ,, sestertios valore exæquabat. Sic mille sestertii nummi duas libras argenti ,, & semissem constituebant, hoc est, unum sestertium pondo. Sic illi. Cæterum destituit memoria summum virum, quum adversus Cercoëtium, Budæum quidem, ait, notasse quoque differentiam inter *sestertios* & *sestertia*, sed rationem minime aperuisse, quam ipse paucis indicarit, nimirum, cum *sestertia* dicunt Latini, subaudiri *pondo*; cum *sestertios*, *nummos*. Nam id ipsum vocabulum, *pondo*, superius habes Budæo positum: in quo tamen utrumque, cum rem tenerent, offendisse docebimus. Similiter ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ ibidem accusat Glareanum, quasi & ipsum cum Hotomanno fingentem a solis poëtis fabricata illa magna sestertia, & de mille nummis postea usurpata ab oratoribus: quæ ne Hotomanni quidem integra sententia

est: nam Glareanus omnibus vestigiis Budæum sequitur. Habebat hoc vir ille incomparabilis, ut uberrimo ingenio nulla sufficeret manus, & ubi instituerat scribere, nec rerum nec verborum modum nosset. Inde pleraque festinabat, ipsa multitudine occurrentium in sequentes styli partes utilium aciem intentionis in præsentia abrumpente, nec patiente diu singulis immorari. Sic factum est, ut multa illi exciderint, quæ norat ipse melius, & rectius alio die tradiderat tradebatque: quæ, si paullulum modo attendisset animum, facile vitasset. Quorum nonnullis & hoc argumentum consulere nos cogit, non ut exprobremus, sed ut studiosis caveamus. Cæterum quo magis laborarunt Agricola, Hotomannus, Scaliger, ipse flos virorum, ut ista destruerent, eo magis ipsi suis luminibus obstruxerunt. Quoniam igitur voces, *sestertia*, *denăria*, complectebantur ex ratione suprascripta mille nummos sui generis, nunquam dicebant, *quinque millia denaria*, *quinque millia sestertia*, (fuissent enim quinquagies centena millia nummum denarium vel sestertium) sed tantum *quinque denaria*, *quinque* vel *quina sestertia*. At placet in errore suo sibi Scaliger: adeo sæpe inculcat: Dicebant igi-„ tur plene, *decem sestertia millia*, & præcise *decem sestertia:* alterum quia „ *millia* est nomen substantivum; alterum quia *sestertia* ex adjectivo in na-„ turam substantivi transierunt. Et rursus: Dices igitur *decem sestertia*, *de-„ cem millia sestertia, decem sestertia nummum.* Cavebit immo, si sapiet, Latini sermonis studiosus, dicere, *decem millia sestertia*, quod sine ullo exemplo est cum librorum veterum, tum saxorum, nisi forte vitiatorum. Veluti cum Varroni supposuerunt lib. II de re rust. cap. I. *ut mea memoria asinus venierit sextertiis millibus sexaginta, & unæ quadrigæ Romæ constiterint quadringentis millibus.* Lib. III cap. VI. *grex centenarius quadragena millia sextertia ut reddat.* Eodem cap. XVI. *ut peræque ducerent dena millia sextertia.* Et ultimo: *Hirrius circum piscinas suas ex ædificiis duodena millia sextertia capiebat.* Quæ jam intelligo, cur toleraverit in editione sua Scaliger. Sunt autem imperitorum librariorum; non Varronis utique, qui sciebat sic loqui neminem, & vel *sestertium*, vel per notas *HS* scripserat. Apud eundem inepte legitur, *ab hoc mille denarium* multitudinis fieri *hæc millia denaria.* Sed jam Vertranius monuit in chirographis esse, *hæc millia denarium.* quod contra suam sententiam sic tamen adducit Scaliger in libro de re nummaria. Idem vitium apud Columellam lib. III cap. III ter exstat, & apud Plinium lib. XIX cap. VIII. sed correxit Salmasius: *sestertium sena millia è parvis reddere areis.* Macrobiumque lib. II Saturn. cap. IV. *secuto omnium risu dispensatorem Cæsar vocavit, & sestertia centum millia numerare Græculo jussit.* Ubi scribendum, *sestertium mille:* nisi nimium est, & *sestertios centum* mavis. Non erant hi Maronis versus, ut magno redimerentur, & arctior haud dubie fuit in hoc liberalitas Cæsaris, quia sæpe tentata. Sed *decem* vel *dena sestertia*, si aliter pronuntiare libuerat, *decem millia nummum*, *decem*

millia

millia sestertium, *sestertium decem millia nummum*, vel denique *decem millia* dicebant: Horatius etiam *dena sestertia nummum.* Illud *sestertium viginti millia nummum*, quod persæpe in marmoribus antiquis invenias, necessarium videntur fecisse notæ, ut minor errori occasio esset, quum eodem modo, HS. xx, & nummi viginti & viginti millia & sestertium vicies significaretur. Quod etiam Scaliger observat: rectius tamen majore summa fuisset usus, cum ait, qui huic dubio occurrere voluerint, simplicem summam addito N. scripsisse HS. V. N. *sestertiis quinque nummum*: HS. V. autem esse *sestertio quinquies.* nam intra *decies* ea ratione non utebantur Romani, ut jamdudum observavit Budæus. Cur in numeris inferioribus ea abstinuerint, quod nemini explicatum vidi, mox videbimus. Rem significavit & Varro lib. VIII de L. L. nam cum duos numerorum actus fecisset, priorem ab uno ad nongenta millia, *post a Deciens*, inquit, *minora imposuerunt vocabula.* Etenim pro millies vel millena millia dicebant *decies.* Quare *quinquies sestertium* usus repudiavit. Eodem argumento rejicimus *septies medimnum*, quod ex Cicerone pro septies centenis millibus cudunt Priscianus & Pascasius Grosippus: quod tamen aliæ quoque rationes refutant. Simili errore Wolfius ad primum Zonaræ tomum, εἴκοσι μυριάδας δραχμῶν Ἀττικῶν, Latine dicas, inquit, *octies sestertium* vel *octingenta sestertia.* Nam *octies sestertium* consuetudo loquendi nunquam admisit: sed & εἴκοσι μυριάδες decies Romanum, non octingenta sunt.

CAPUT V.

Decies sestertium est decies centies sestertium pondus argenti, seu duo millia quingentæ argenti libræ in nummis sestertiis decies centenis millibus. Ostenditur analogia hujus sermonis aliquot ordinibus rationi Grammaticæ convenientibus, sed ab usu ob commoditatem computandi repudiatis.

Restat tertium genus, cujus in hunc diem desideratam originem & progressionem ex eodem capite, ex quo priora Budæus, satis molliter & commode deducemus. Quia enim *sestertia*, uti dictum est, sunt pondera librarum argenti binum semis, non pondo, sed in nummis, qui nummi mille sunt argentei, & *sestertii* vocantur, quod olim totidem libris æris vel assibus singuli censerentur; dubium non est, quin *bis sestertium* habeat quinque libras argenti, & sic duo millia nummum; *ter sestertium* septem libras & dimidiatam, seu tria millia; *quater sestertium* decem libras, ideoque quatuor millia nummum &c. *centies sestertium* ducentas quinquaginta libras, nummum centum millia; *bis centies* vel *ducenties sestertium* quingentas libras, nummum ducenta millia; *ter centies* vel *trecenties sestertium* septingentas quinquaginta libras, nummum millia trecenta: & sic deinceps. Non est, inquam, dubium, quin Grammatica lege salva sic dici possit, & sartis tectis

artis

artis præceptis: ſed tamen ne diceretur, ut infinitis aliis, uſus interceſſit, qui aliud eſſe Grammatice loqui, aliud Latine docuit. Ille certiſſimus loquendi magiſter, ſed idem quamvis faſtidioſus tam verborum quam ſermonis exactor, non prius hac bene Grammatica vocum ſtructura computantes (& quidem provida ratione, quam inferius indagabimus) uti paſſus eſt, quam ubi nongenta nonaginta novem ſeſtertia præteriſſent. Tum enim, quum *mille ſeſtertia* pronuncianda eſſent, ut novum facerent numerorum actum, quod hucuſque ſpreverant, adſumpſerunt ſingulare, idque multiplicarunt per adverbia. Et quaſi ante *centies ſeſtertium* ἀντὶ τοῦ *centum ſeſtertia* (quod ex analogia poterant, ſed noluerunt, ut nova ellipſi ad multo majorem ſummam efferendam eo uterentur) *bis centies* vel *ducenties ſeſtertium* pro ducenta &c. *quinquies centies ſeſtertium* pro quingentis millibus &c. *novies centies* vel *nongenties ſeſtertium* pro nongentis; quaſi hæc ita dixiſſent, quod per definitiones artis Grammaticæ licebat, niſi in alium locum eam formulam diſpenſaſſent; pro mille ſeſtertia, jam *decies*, puta *centies*, *ſeſtertium* dixere, hoc eſt, duo millia quingentas argenti libras in nummis ſeſtertiis decies centenis millibus; pro mille centum, *undecies* pariter intellecto *centies*; pro mille ducentis *duodecies*, ſcilicet *centies*, *ſeſtertium*, & reliqua. In quibus ergo poſterior vox eſt adjectivum & neutrum & ſingulare: non autem ſubſtantivum ejus eſt *decies*, quod revera eſt adverbium & manet: ſed curta & reciſa hæc loquendi ratio ſic eſt integranda: Pondus argenti *decies* centies *ſeſtertium* in nummis. Sic malo dicere, quam *ſeſtertia pondo* intelligi. Quod non male poteſt videri dictum, ſed a pluribus, immo ab omnibus, male accipitur, hanc σύνταξιν, *ſeſtertia pondo*, quaſi adjectivi cum ſubſtantivo interpretantibus. Sed antequam pergamus, pro candore noſtro parum licet celebratum popularibus ſuis commemoremus, oportet, Rob. Cenalem: qui etſi ab Agricola & ipſe lactatus ſtatuere auſus non fuit, *ſeſtertium* eſſe pondus argenti binum ſemis: (quippe qui mille trecentos cum paucis excurrentibus nummis in quatuor argenti libris Romanis ponat, quum mille ſexcentos debuiſſet) tamen diſſimulata & cauſa & cupidine illius quærendæ, unde, unde, *ſeſtertium* neutro genere aït ſignificare mille „ ſeſtertios nummos, & *decem ſeſtertia*, decem millia nummorum. Cum „ autem, ſubjicit, dicimus *decies ſeſtertium*, non decem, ſed mille ſeſtertia „ ſignificamus, hoc eſt, millies mille ſeſtertios nummos. Nam *decies ſeſtertium* decies centena ſeſtertia valet: ut ſemper inter adverbium & nomen „ intelligas centum: quaſi ita dicas, *ſemel ſeſtertium*, hoc eſt centum ſeſtertia: *bis ſeſtertium* ducenta: denique *decies ſeſtertium* decies centena „ ſeſtertia: *vigeſies ſeſtertium*, vigeſies centena ſeſtertia. Ex his pronus eſt „ ad reliqua adſcenſus: neutrum enim genus in ſeſtertio chiliadem num„ morum ſeſtertiorum complectitur, qui minores ſeſtertii dicuntur: adver„ bium autem ſeſtertio neutri generis adjunctum, centuriam comprehendit.

„ Seſtertia

„ Sestertia igitur sunt chiliarchæ nummorum sestertiorum: Adverbia vero „ sunt quasi dicas centuriones graviorum sestertiorum. Sic ille: postrema quidem stulta & inepta κακοζηλία, sed (ut raro quis peccat, quin exemplum faciat) sic adamata Glareano ut suam fecerit: dirupisset enim, credo, vir „ bonus, ni scripsisset: ut *sestertii* genere masculino sint velut milites gre- „ garii; *sestertia* vero neutro genere, plurali numero velut chiliarchæ mil- „ lenariorum sestertiorum: denique adverbia adjecta velut grandes centu- „ riones supra chiliarchas. Piget ineptiarum puerilium, quæ tamen notari debent, ne rudioribus placeant. Interim vides aliquid suboluisse Cenali de analogia τοῦ *Decies sestertii*, & eum forte fortuna prope scopum collineavisse.

CAPUT VI.

De vocabulo, pondo, variæ doctorum hominum sententiæ. Sosipater Charisius tentatus. Pondo singulare semper, semper ablativi casus, ex eo, quod vetustissimi pondus, pondi, pondo, & ponder, ponderis, videntur dixisse, Pondo semper appositum aut libræ & partibus ejus, aut nummis, ubi ad pondus eorum aliquid examinatur, aut adjectivo numerali, intellectu vocis, libra. In Columellæ conjectura. As libram pondo. Varro bis correctus. Idem a non necessaria correctione vendicatus. Corona aurea libram pondo. Auri uncia pondo. Pateræ libras pondo. Pateræ ternas pondo. Livius ter emendatus. Festus a conjectura prohibitus. Æliano lux. Φιάλαι ἀργυραῖ πάλαιαι. *Libra pondo pendendo. Lex operc faciundo. Cicero defensus. Plauto lux. Inaures pondo duum nummum. Lapis antiquus explicatus. Præsentia trecenta millia nummum. Repræsentare summam pecuniæ, promissa, mercedem, consilium. Cicero, Justinus, Frontinus, Curtius, Cyprianus & Festus Pompejus emaculati.*

Docemur ab optimis etiam & elegantissimis Grammaticorum, τὸ *pondo* censeri sub nominibus tertiæ declinationis in *o* exeuntibus prima positione; esse diversorum casuum & numerorum; neutrum esse aiunt ac singulare, cum pro pondere accipitur, ut in Livii, *corona aurea libra pondo*, quod sit *pondere*; plurale autem cum libram significat, ut apud Fabium, *torquem aureum pondo centum*, quod sit, librarum centum. Alii, quos inter Laur. Valla, numero multitudinis tantum poni, singulari carere; esse indeclinabile: cum dicimus, *duo millia pondo*, genitivum esse; at *mille pondo* nominativo pronuntiari: sic & *bis mille pondo*: nec dici *bina*, *terna pondo*, sed *duo*, *tria*. At P. Ramus ex illis sermonis formulis, *duo pondo*, *quinque pondo*, *decem pondo* (quomodo & ipse tantum dici vult, non etiam *bina*, *quina*, *dena pondo*) colligit, non pluraliter tantum declinari τὸ *pondo*, quando posteriora hæc adjectiva singulari carentibus addi soleant. Rob. Cenali *pondo* plurativa & indeclinabilis vox, alias duodecim uncias singulasve libras designans, nonnunquam vero ad duodecuplum adsurgens totidemque libras complectens, quot libra uncias tenet, ut scilicet singula *pondo* dicamus pondera

duodecim librarum. Hausit hunc errorem de duodecim libris ex Perotto, quem corrupta Livii verba deceperunt, jam Budæo & Agricolæ confutatum. Salmasius in libro de Usuris, quia Hesychio Σζατὸς pondus, quod Æolibus Σπατὸς & Σποτὸς, & ejecto sigma, ποτὸς, hinc suum *pondo* & *pondus*, inserta litera N Latinos vult fecisse. Apud Hesychium quidem invenio: Σζατοὶ, ἀρχή τις. Σζατὸς, σκάφη. ἄλλοι ἢ τὰς πέντε μνᾶς. Sed simplicius olim a *pendo* deduxerunt *pondus*, ut *togam* a *tego*, σπονδὰς a σπένδω. Adversus Cercoetium vero idem vir summus docet, quod *sestertium* neutro genere in singulari numero non dicitur, velut *unum sestertium* pro mille sestertiis nummis, inde fieri, quod cum *sestertia* dicimus, *pondo* intelligamus; *pondo* enim numero tantum multitudinis poni, nec posse subintelligi aut recte construi, *unum sestertium pondo*.

Unumquodque istorum verbum nummis Philippeis aureis
Non potest auferre hinc a me, si quis emptor venerit,

dixerit Cercoetius. Quippe quæ vel sola monstrent, ut pertractaverit & dicatam sibi voluerit eam materiam ὁ πάνυ, non percepisse tamen rationem τοῦ *decies sestertium*. non enim dixisset, *sestertium* singulari numero pro mille nummis fugisse Latinos, qui cum adverbiis nunquam aliter loquantur. Sed hic communis est prope omnium error, *sestertia* pro mille nummis, ultra nongenta nonaginta novem non dici: ubi ad adverbia esset ventum, rursus intelligi nummos, & *decies*, *vicies*, *tricies* dici intellectu *centenum millium*: deinde sine ratione introductum, ut *sestertii, sestertio, decies, vicies, tricies* dicerent. Falsum quoque est ideo abstinuisse veteres τῷ *unum sestertium*, quia τὸ *pondo* careat singulari: nam cur non prius usi fuerint singulari *sestertio* in summis nominandis, quam ad tam grandem veniretur, alia causa fuit, quam explicabimus inferius: τὸ *pondo* autem semper & tantum singulare est, adeo singulari non caret. Sed & olim doctus ille Sosipater Charisius: *Sunt quædam nomina tota in declinatione & singulari & plurali* μονόπτωτα, *in quibus & communia trium generum sunt: nequam* ἀχρεῖος, *frugi* χρήσιμος, *nihili* οὐδαμινὸς, *nugas*, (deest Græca vox, qualis φλύαφος aut φλεδών) *pondo* σταθμός. *quamquam unum pondo non dici sciamus, sed ad libram referamus, ut puta, unam libram, duas libras pondo, & sic deinceps.* Hunc igitur tam late patentem errorem, qui me quoque diu conseptum tenuit, quibus minuere commodum est, hem tempus est. Ut omnia μονόπτωτα primo integra fuerunt, ita videntur antiqui dixisse *pondus, pondi, pondo*, licet neutro genere, ut *vulgus, jugus, rudus*, & *ponder, ponderis*, sive masculino, ut *later*, sive neutro genere, ut *juger*. Has duas terminationes & inclinationes ita miscuit fastidium posteriorum, ut prioris genitivum & dativum abolerent, alterius nominativum & accusativum; facerentque *pondus, ponderis*, & cætera, sed duplici ablativo, *pondo* & *pondere*, quæ duo etiam usu distinxerunt. Nam *pondo* nihil est aliud quam accessio vel vocabuli *libra* partiumque assis, signifi-

gnificans ponderales intelligi, vel numeri, omissa mentione libræ, non corpora numerata, sed pondera, & quidem librarum, denotari indicans. Semper autem singulare est, semper casus ablativi. Modo adjicitur libræ & partibus assis, ubi quoniam adhibentur eædem ad metiendum & partiendum (sic *jugerum agri*, & loca, sic *pes*, sic *hæreditas*, sic *nummi*, sic *usuræ*, sic *tempora* dividebantur) ad tollendam ambiguitatem indicat eas libras, selibras, uncias &c. intelligi, quibus pondera examinantur: modo sine mentione partium assis seu libræ cum solo numero invenitur, ostendens posito numero designari pondera, quæ singula sint librarum. Plautus Pseudolo: *Eo laserpitii libram pondo diluunt. Libra pondo* nihil aliud est quam libra pendendo vel ad pendendum. Rudente: *Neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi.* Menæchmis: *Atque huic ut addas auri tu pondo unciam.* Macrobius lib. III cap. XV. *Plinius Secundus temporibus suis negat facile mullum repertum, qui duas pondo libras excederet.* Cato de re rust. cap. LXXXV. *mellis P.*=—. hoc est, *pondo quadrantem.* Et sequenti: *mellis pondo semissem.* Cap. CLIX. *de perna frustum pondo semissem.* Cornelius Celsus lib. V cap. XVIII. *fuliginis pondo semis: calcis pondo semis.* Cap. XIX. *æruginis rasæ pondo bessem.* Cap. XXV. *resinæ terebinthinæ pondo sextantes.* Columella lib. XII cap. V. *fici aridæ pondo quadrantem, mentæ viridis pondo selibram.* Cap. XII. *sextarium aquæ cum dodrante pondo mellis.* Cap. XX. *Item myrrhæ quincunx, calami pondo libram, casiæ selibram, amomi pondo quadrans.* Cap. XXVIII. *irim cribratam, quæ sit instar pondo quincuncem & trientem, fœni Græci pondo quincuncem & trientem, schœni pondo quincuncem &c. medicaminis pondo unciam.* Itaque legendum forsan cap. XXVII. *Cum deferbuerit, in sextarios quinquaginta irim bene pinsitam, nec plus unciam pondo addito.* Editur enim, *unciæ pondere.* Plinius lib. XXIII cap. 2. *salis marini pondo libram quadrantem.* Scribonius Largus cap. CXX. *croci pondo semunciam, piperis longi pondo sextantem.* Talia sunt etiam propter σύνταξιν notanda, quæ infra scripta sunt. Varro lib. IV de L. L. *Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur. id ideo, quod as erat libram pondo.* Sic enim legendum: non *libræ pondus*, ut vulgo: non *libræ pondo*, ut Salmasio placet. Mox: *Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat.* Ubi male Hotomannus: *quod libram, pondo, assem, valebat:* quasi tria vocabula synonyma posuisset. Inferius eodem libro: *quod asses libras pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant.* Sic recte MSS. nam ut as dicitur *libram pondo*, ita asses *libras pondo.* Nec accipiendum ἀρχαϊκῶς, *libras* pro *libræ*, ut visum Salmasio, sed ipse accusandi casus est plurativus. Livius lib. III cap. XXIX. *exercitus coronam auream dictatori libram pondo decreverit.* Sic Ms. Rhenani & memb. Florentinæ, non *libræ*. Lib. IV cap. XX scribendum similiter: *Dictator coronam auream libram pondo ex publica pecunia populi jussu in Capitolio Jovi donum posuit.* Lib. XXVI cap. XXXVI. *ita ut annulos sibi*

los sibi quisque & conjugi & liberis & filio bullam, & quibus uxor filiæque sunt, singulas uncias pondo auri relinquant; argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta & libras pondo, ut salinum patellamque deorum causa habeant. Ita legi ac distingui & sensus volunt & veteres libri. Vulgo turbate: *uncias auri, pondo relinquant argenti.* In quibus Glareanus & Sigonius laborarunt: ille quærit, ad *libras pondo* aurine an argenti sit intelligendum: respondet Sigonius, utriusque, ita ut qui curuli magistratu functi essent, iis liceret habere equi ornamenta & libras pondo auri, argenti; cæteris senatoribus tantum libras argenti. Perperam: de auro semel expedivit, neque tanta illius adfluebat copia, ut præter annulos & bullam libras pondo concederent singulis: vix uncias, duodecimam libræ partem, in tantis pecuniæ angustiis publicis concesserunt. Postea de solo argento loquitur, in quo statutum est in illos aliud, qui sella curuli sedissent; aliud in illos, qui magistratum nullum curulem gessissent: istis permissum, ut haberent equi ornamenta ex argento, & præterea singulas libras pondo ad cultum deorum; his libras tantum pariter ad cultum divinum, non etiam equi ornamenta. Nam quod legem Oppiam, qua cautum, ne mulieri plus semuncia auri liceret habere, opponit Glareanus: uncias dicit Livius, quia de uxore filiabusque facta est mentio, non de uxore sola: itaque sic interpretandum hoc senatusconsultum, ut per id legi Oppiæ nihil derogetur: atque adeo, quibus filiæ non essent, essent uxores, harum nomine plus semuncia habere non liceret. Livius eodem libro cap. XLVII. *Pateræ aureæ fuerunt ducenta septuaginta sex, libras ferme omnes pondo.* Sic MSS. quod ipsum pro *libræ* ἀρχαϊκῶς dictum hallucinatur ὁ πάνυ. Vulgo *librales*, quod substituerunt ignari sermonis in talibus Latini. Festus: *Grave æs dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum.* Quo quum offenderetur Ful. Ursinus, corrigebat applaudente D. Gothofredo: *quia asses singuli pondo libram efficiebant, deni autem denarium.* Quasi non multo elegantiori brevitate Festus. Male etiam Hotomannus hîc, *pondo libræ:* male Ciacconius: *quia asses singuli p. libras efficiebant:* cæteris resectis. Idem Festus: *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Jovi donum scripsit T. Quinctius dictator, cum per novem dies totidem urbes & decumam Præneste cepisset. Id significare ait Cincius Mystagogicôn libro secundo duas libras pondo & trientem.* His addendum propter eandem σύνταξιν, quod alioquin ad secundum genus pertineret, illud apud Festum: *Centenas pondo dicebant antiqui, referentes ad libras.* Ubi vides, cum plures enuntiandæ essent libræ, hanc vocem subticentes eodem casu numerum expressisse. Livius lib. XXVII cap. IV. *Iis quoque quæ darentur, portatæ togæ prætextæ, & terna pondo pateræ.* Sic omnes libri scripti, vel *ternæ*. Prius potest defendi per ea, quæ proximo capite dicemus. Et sic inscriptio apud Gruterum pag. CCCLIV, I. *Sigillum. argenteum. quod. cum. Aurel. Portense. collega.*

collega. suo. pond. terna. d. d. Tamen scripsisse Livium possis suspicari, *& ternas pondo pateræ.* Videlicet libras. Eadem ratione componendi Ælianus lib. I ποικιλ. cap. XXII commemorans munera, quæ rex magnus legatis dare solebat: τάλαντον μὲν ἑκάστῳ Βαβυλώνιον ἐπισήμου ἀργυρίου· τάλαντα δὲ φιάλαι δύο ἀργυραῖ. hoc est, *duæ phialæ argenteæ talenta pondo*, vel *singulæ talentum pondo.* Herodotus lib. I. Κρητῆρες οἱ ἀριθμὸν ἓξ χρύσεοι ἀνακέαται· ἑστᾶσι δὲ οὗτοι ἐν τῷ Κορινθίων θησαυρῷ, σταθμὸν ἔχοντες τριήκοντα τάλαντα. Unde discere licet, quomodo compendium illud sermonis sit integrandum: *Pateræ libras pondo*, habentes pondus libras pondo. Nam & σταθμὸν Græcis interdum solum, ut Latinis *pondo.* Herodotus lib. I. ἡμιπλίνθια &c. Καὶ τούτων ἀπέφθων χρυσοῦ σταθμὸν ἡμιτάλαντα ἕκαστον ἕλκοντα· τὰ δὲ ἄλλα ἡμιπλίνθια λευκοῦ χρυσοῦ σταθμὸν διτάλαντα. Sed ut omnem obscuritatem tollamus, *libra pondo* dicitur pro *libra pondo pendendo.* In quo illud, *pondo pendendo*, sic conceptum est, ut apud Ciceronem pro Flacco: *illud quæro, sintne ista prædia censui censendo:* & Livium lib. XLIII: *Censores ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt, legem censui censendo dicturos esse.* Festus: *Censui censendo agri proprie appellantur, qui & emi & venire jure civili possint.* Quod frustra ex corruptis membranis tentat Barthius lib. XLI adv. VIII. Scaliger ad locum illum appellando orationem pro Cæcina, hanc, quam diximus, pro Flacco in mente habuit. Dein, *libra pondo pendendo*, ut Plauto in Rudente, *corium opere faciundo.* Varro lib. I de re rust. 16. *Familia ambulet feriata potius, quam opere faciundo agrum fructuosiorem reddat.* Ciceroni lib. I in Verrem cap. LV. *Lex opere faciundo.* Ubi frustra Augustinus, Brissonius, Ursinus, *operi*, corrigunt: ut *Prætor jure dicundo, provinciæ jure dicundo* Livio, *Duumvir sacris faciundis, Triumviri auro argento ære flando feriundo, Triumviri coloniis deducendis, Decemviri litibus judicandis, Quindecimviri sacris faciundis, Arbiter communi dividundo.* Quæ omnia per intellectum præpositionis *IN* dicuntur. Usu frequenti dein obtinuit, ut τὸ *pendendo* obliteraretur. Sic *triumviri auro argento ære* per compendium dicebantur. Cicero ad Trebatium: *Treviros vites censeo: audio capitales esse: mallem auro argento ære essent.* Lapis vetus: *C. Curtio. C. F. Pollia. Rufino. Tribuno. Laticlavio. Legionis.* XIII. *Geminae. Triumviro. Auro. Argento. Aere. Colonia. Ulpia. Trajana.* Porro ut libræ & partibus ejus adjicitur τὸ *pondo*, sic & nummis, cum iis pro ponderibus utebantur. Plautus Menæchmis: *inaures da mihi faciundas pondo duum nummum.* hoc est, quæ sint duum nummum, non tamen pretio, sed pondere. Cornelius Celsus lib. IV cap. XVI. *petroselini pondo denariorum trium.* In quo fallitur Georgius Agricola, quum differentiæ nullius causa ad genera nummorum hanc vocem addere cæpisse veteres censet, & tantam vim obtinuisse consuetudinem, ut *pondo* etiam iis, quæ ambigua non essent, adjicerent. Quia enim nummi erant, non pondera, merito cum ad explorandum alterius rei pondus adhiberentur, ne ambiguum esset, ea vox

adjecta est. *Inaures duum nummum* dicuntur, quæ constant duobus nummis tam in opere quam in materia: *inaures pondo duum nummum*, quæ tantum in materia habent sine manupretio. Plinius lib. XIV cap. XVI. *E napis fit, undecim denariorum pondere in sextarios binos musti addito.* Et mox: *quadraginta pondere denariorum in sextarios vicenos musti.* Hinc convincitur Scaligeri error interpretantis veterem lapidem: *Avidia. Maximina. domum. aeternam. viva. sibi. posuit. Si. quis. aliud. corpus. superposuerit. det. fisco. P. CCC. M. N.* Explicat, *pondo trecenta millia nummum.* Non enim ita loquebantur, ubi nummi pretio & numero valerent, sed ubi ponderis vicem præstarent. Verum est: *præsentia trecenta millia nummum.* Plautus Pœnolo: *Sed hæc latrocinantur, quæ ego dixi omnia.* Co. *Quid ita?* Le. *Quia aurum poscunt præsentarium.* Livius lib. XXX. *Pro ea summa pecuniæ viginti quinque millia pondo argenti præsentia exacta.* Petronius: *Nisi pro quaque re præsentes numeraveris denarios centum.* Et statim: *Aut si quæsieris, pro singulis injuriis numerabis præsentes denarios ducentos.* Hinc *repræsentare* est præsens, non in diem, solvere. Suetonius de legatis Augusti: *quam summam repræsentari jussit: nam & confiscatam semper repositamque habuerat. Reliqua legata varie dedit, produxitque quædam ad vicena sestertia, quibus solvendis annuam diem finiit.* Nerone: *repræsentanda præmia in posterum sanxit.* Et rursus: *inquilinos privatarum ædium atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco.* Othone: *omnibus dena sestertia repræsentata & quinquagena promissa.* Cicero lib. XVI famil. ep. XIV: *Dies promissorum adest: quem etiam repræsentabo, si adveneris.* Ubi tamen legendum videtur: *quæ etiam repræsentabo.* Quæ scilicet in diem promissa, non exspectato die, præsentia solvam. Ad Atticum lib. XII epist. XXXI: *explicare vel repræsentatione.* Seneca ep. XVII: *Quid in longum te ipse differs? exspectabisne fœnoris aut ex merce compendium, aut tabulas beati senis, cum fieri possis statim dives? Repræsentat opes sapientia.* Epist. XCV: *Petis, ut id quod in diem suum dixeram debere differri, repræsentem.* Sic Justinianus, debitum in diem vel sub conditione, legatum utile esse *propter repræsentationem.* Id verbum hoc sensu restituendum Justino lib. XI cap. XII. *polliceturque præstaturum se ea Dario, si secundus sibi, non par, haberi velit.* MSS. *præsentaturum.* Lege: *polliceturque repræsentaturum.* Auctor de bello Alexandrino: *Cæsar respondit se fore æquissimum Pharnaci, si, quæ pollliceretur, repræsentaturus esset.* Restituendum Frontino Strateg. lib. I cap. XI. *Quantum quisque numeratæ pecuniæ aut auri argentique haberet, conferret, ut repræsentari merces proditoribus posset.* Vulgo, *præsentari:* quod refugit omnis melior ætas veterum. Hinc ad alia transtulerunt. Cæsar lib. I de bello Gallico: *Itaque se, quod in longiorem diem collaturus esset, repræsentaturum, & proxima nocte de quarta vigilia castra moturum.* Cicero Philip. II. *Corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas civitatis potest.* Curtius lib. VI cap. XI. *Timuisse, ne pater septuaginta natus annos,*

tanti exercitus dux, tantæ pecuniæ custos, interim exstingueretur, ipsique spoliato tantis viribus occidendi regis causa non esset. festinasse ergo se, dum præmium in manibus haberet, repræsentare consilium. Ita enim scripti meliores, atque in his Florentinus, non *repræsentasse:* & ita distinguendum. Neque enim *repræsentare consilium* est exponere verbis, ut interpretantur viri docti, sed exsequi, maturare, in opus & effectum adducere. Sic ipsi Curtio lib. 10. *præceps ad repræsentanda supplicia.* Hinc etiam id restituendum Cypriano cap. VI de bono patientiæ. *Ut id quod esse cœpimus, impleamus; & quod credimus & speramus, Deo præstante capiamus*, ut illic vulgo editur. Sed testatur Rigaltius in MSS. plene legi *Deo repræsentante*, quod non ita fuerat relinquendum, utpote ex hac nostra interpretatione illic peropportunum. Sicut in contrarium male infertur id verbum Festo Pompeio in v. Sutrium: ubi quum legatur optime, *Gallico tumultu quondam edictum est legiones Sutrii ut præsto essent cum cibo suo, quod usurpari cœptum est in iis, qui suis rebus opibusque officii id præstarent, quibus deberent*, Scaliger reponit, *opibusque confisi repræsentarent, quibus deberent*, fingens casum ab proverbio isto alienum & nunquam usurpatum; quum vulgata sententiam plenam ac integram habeat, ab uno hoc edicto & facto voces istas passim deinde per Italiam usurpatas fuisse significans, etsi non etiam Sutrium imperatus esset exercitus, sed ut in alium locum coiret. Multum abest, ut illic credi possit aliquid pertinere ad repræsentationem. His adde P. Manutium in commentario ad librum XII ad Atticum epist. XXIV, cujus explicationem tum per hæc, tum per ea ipsa exempla, quæ citat, manifeste videbis esse refutatam ut mancam & non satis plenam.

CAPUT VII.

Pondo, quemadmodum numerali adjectivo jungatur. Pondo ducentum, quingentum, octingentum. Livius & Plinius emendati. Varro defensus. Bina pondo, septena pondo, id est pondera librarum pondo. Cornelius Rufinus notatus, quod decem pondo argenti facti haberet: non ultra decem. Valerius Maximus defensus. Duo millia pondo, ut duo millia numero. Ad binum millium numero. Ad viginti millibus. Sisenna & Suetonius illustrati. Patera ex quinque pondo auri facta. Aurum factum, signatum, infectum vel rude, ut & æs, & argentum. In Servio lacuna expleta. Manilius correctus. Mercator facti per utrumque metallum. Argentum ad vescendum. Canes ad venandum. Livius restitutus. Terentius illustratus. Duapondo, trepondo. Quintilianus defensus. Literam s gaudebant elidere veteres. Auri pondo tantum fuit, & similia. Pondo non potest dici pes, ut as. Aurum & argentum pondo diversum numerato. Plinius restitutus.

Nunc ad secundum genus, quo diximus veteres cum solo numerali adjectivo componere interdum τῷ *pondo*. Ejus duo modi. In postremum tentato Livii loco Glareanus legebat: *& ternum pondo pateræ:* quod reciperem nisi illud literis propius esset. nam & hunc casum in numeris amarunt veteres.

veteres. Livius lib. XXII. *Jam primum omnium ominis causa Victoriam auream pondo trecentum viginti adferre se.* Ubi intelliges trecentarum viginti librarum pondo. Lib. XXVIII. *Legati Delphos missi tulerunt coronam ducentum pondo.* Lib. XXX cap. XXXI. *Ducentum & quinquaginta auri, octingenta pondo argenti in vestibulo posuerunt.* Sic omnes MSS. non *ducenta.* Pondus dicit auri ducentarum & quinquaginta librarum auri. Forsan & *octingentum* scripserat. quamquam illud non minus rectum, & eo modo, quem mox explicabimus. Lib. XXXII. *Valerius Antias quaternum millium pondo argenti vectigal in decem annos* &c. Lib. XLII. *Vasa aurea quingentum pondo.* Sic legendum apud Plinium lib. VII cap. XX. *Nos quoque vidimus Athanatum nomine prodigiosæ ostentationis quinquagenario thorace plumbeo indutum, cothurnisque quingentum pondo calceatum per scenam ingredi.* hoc est, quingentarum librarum pondo. Vulgo, *quingentorum:* quod si mavis, ad proximum referas, licet. Varro lib. II de vita po. Romani: *Delphos Apollini muneri missa corona aurea pondo ducentum.* Idem lib. IV ejusdem operis: *Itaque retulit auri pondo mille octingentum septuaginta quinque.* Hoc est, pondus auri millenum octingentenum, seu mille octingentarum septuaginta quinque librarum. Perperam & hîc Hotomannus statuit esse genus hoc consuetudine, non ratione, inductum, ut *mille octingentum* dicerent pro octingentis millibus, & interpretatur Varronem, quasi diceret octingenta septuaginta quinque millia librarum auri. Quæ summa immenso intervallo priorem excedit, & a nemine certe Romanorum undecumque reportata est. Quam Varro designat, satis est grandis, in argento nimirum septuagies bis ducenta sexaginta quinque millia nummum; aureorum nostrorum centum octoginta sex millia quingenti: at Hotomannus inde facit tricies quinquies millies; qui sunt vernaculi nostri milliones aureorum octoginta septem & dimidiatus. Alterius generis sunt ista, unde certius putarunt se colligere τὸ *pondo* plurali numero dici. Livius lib. XXII. *Argenti pondo bina & selibras in militem præstaret.* Lib. XXVI. *Argenti facti signatique decem & octo millia & trecenta pondo.* Lib. XLI. *Decem millia pondo argenti, quinque millia auri in ærarium tulit.* Columella lib. VII. *Cordi fœni septena pondo.* Ubi sunt, qui negabant *bina pondo* Latine dici? Sed hæc & hujusmodi infinita in primis deceperunt homines eruditos, ut τὸ *pondo* utique apponi numerali adjectivo pro substantivo crederent. Sed vix numerus iniri potest eorum adjectivorum, in quibus per ἔλλειψιν substantivum reticetur: cujus figuræ ratio nuper admodum viris acutis explicata maximos defectus systematum Grammaticæ artis, quibus adhuc usi sumus, deprehendit. Et hic τὸ *pondo* naturam servat: hoc est, ablativo singulari modificante numerum, cui adest, ponitur, eumque non species aut corpora, sed pondera definire demonstrat. In omnibus autem illis intelligitur genitivus *librarum.* Valerius Maximus lib. II cap. IX, refert Cornelium Rufinum a Fabricio censore senatu motum,

quod

quod decem pondo vasa argentea comparasset. Pro eo integrius A. Gellius lib. IV cap. VIII. *quod decem pondo libras argenti facti haberet:* & lib. XVII cap. ult. *quod cum comperissent* (Fabricius & Papus censores) *argenti facti cœnæ gratia decem pondo libras habere.* Salmasius adversus Heraldum, oblitus verborum Gellii, vult in Valerio scribi: *quod ultra decem pondo:* quia Plutarchus, ὑπὲρ δέκα λίτρας, & licuerit decem pondo argenti in ministerio haberi, non ultra. Sed hoc posterius auctore nullo adfirmatur, nec indignum discrepare tantillum scriptores. Pro vulgata Valerii stant quoque Plinius & Florus. Quum dicimus, librarum *pondo* argenti *bina*, fœni librarum *pondo septena*, non est mirandum: quando frequenter adjectivis neutris apponuntur substantiva gignendi casu, quæ alio genere casu recto jungi poterant: ut fit in *strata viarum, ardua montium, lubrica vallium, acuta belli.* In quibus cum etiam sit alia ellipsis, non est dubium, cum dicitur argenti *pondo bina*, quin librarum pondera intelligantur. Sed ut hæc omitterent, solumque numerum & retentum, ex obsoleta in aliis casibus inclinatione vocabuli *pondus*, τὸ *pondo,* exprimerent, dicerentque *bina pondo*, *septena pondo*, elegantius visum est. Nam ubicumque τὸ *millia* comparet, etiam minus est difficultatis: ea enim vox quum sine genitivo aut expresso aut intellecto nusquam compareat, is sine controversia est *librarum.* Adeoque hæc omnia non magis probant *pondo* plurale, quam hæc, *mille æris, duo millia æris, viginti quinque pœnæ*, probant, in iisdem *æris* aut *pœnæ* esse neutra pluralia: aut illa, *homo frugi*, *res nihili*, *scortum trioboli*, pro adjectivo & substantivo juncta esse. Quid? τὸ *numero*, cum solum connectitur adjectivo tali, plurale & neutrum esse judicabimus? Cicero lib. II de Orat. *Hæc sunt enim tria numero: ea vero quemadmodum illustrentur, præsto est, qui omneis docere possit.* An potius χρήματα vel *negotia* intelligimus? Apparet ex plenioribus. Lib. I in Verrem: *mille numero navium classem ad Delum appulissent.* Cæsar lib. I de Gall. *oppida sua omnia, numero ad duodecim.* Item: *Equites millia erant sex: totidem numero pedites.* Rursus: *eo circiter hominum numero sedecim millia expedita cum omni equitatu Ariovistus misit.* Ita ergo & *mille pondo.* Seneca epist. XCV. *Quare autem non pondus adjicio, & aliquorum gulam irrito? quatuor pondo & ad selibram fuisse aiebant.* hoc est, quatuor libras vel librarum pondo & circiter selibræ fuisse aiebant pondus mulli. MSS. *& semilibrem*, vel *& asse.* Recte habet vulgata: nisi malis: *& ad selibræ.* Sic enim Sisenna apud Nonium: *ad binum millium numero sauciis utrimque factis.* Cæsar lib. III de bello civili: *ad duum millium numero ex Pompejanis cecidisse reperiebamus, evocatos centurionesque complures.* Suetonius Cæsare cap. XX. *Campum Stellatem &c. divisit extra sortem ad viginti millibus civium.* Sic recte Casaubonus. Octavio cap. XXXVIII. *super triginta ducibus triumphos & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.* Quæ forent integra: *sauciis factis numero ad capita binum millium: divisit civium millibus ad viginti:*

ginti: decernenda curavit ducibus super triginta. Livius lib. XXVII cap. IV. *Dona tulere togam & tunicam purpuream, sellam eburneam & pateram ex quinque pondo auri factam.* Quid hoc aliud quam ex quinque libris pondo? Sic autem MSS. & incassum Lipsius *facti*, quod vel præpositio *Ex* refutat. Quia patera est, utique factum aurum, non signatum, quod a facto diversum, intelligimus. Nec cujusquam interest, patera ea utrum ex laborato ante auro, an signati nummis conflatis, an denique massis rudibus confecta fuerit. Locutus est autem sic Livius, quia aliud est *patera ex quinque libris pondo auri facta*, aliud *auri quinque librarum pondo.* Illud significat, in eadem summa comprehensum esse manupretium; hoc præter manupretium esse tantum in pondere ac pretio ipsius materiæ. Lib. XLIII. *Munera mitti legatis ex binis millibus æris censuerunt: duobus fratribus regulis hæc præcipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, & vasa argentea quinque ex viginti pondo.* Ubi τὸ *facti* referes ad *torques*, non ad *auri.* Lib. XLIV, cap. XIV. *Corona aurea ex viginti millibus Philippeorum facta.* Græcis sic servit particula ἀπό. Polybius: ἧκον καὶ παρὰ τοῦ Δημητρίου τοῦ βασιλέως πρέσβεις, στέφανον ἀπὸ μυρίων χρυσῶν τῇ Ῥώμῃ κομίζοντες. Lapis antiquus Beneventi: *Hic. opus. quadrigae. cum. effigie. imp. Hadriani. Aug. citra. ullius. postulationem. a. municipibus. suis. oblatum. ex. argenti. libris.* DXVII=. *libris.* CIↃ. *adjectis. amplius. viritim. populo.* X. *sing. distributis. dedicari. curavit.* Hoc est, libris quingentis septendecim sextante. Delevimus particulam *cum*, quæ vulgo superat ante, *a. municipibus.* Non sunt hic docendi tirones, quid sit *aurum factum.* Utiliter tamen restituemus Servium ad lib. x Æneidos, versum DXXVII. ubi tria genera argenti vel auri nominat, *signatum, factum, infectum*; describit autem: *Signatum, quod in vasis & signis, ut Cælati argenti: infectum quod in massis, ut Infectique mihi.* Sic editur, sic describitur a summis viris ad L. *cum aurum.* D. de auro, argento, mundo: quasi nihil vitii subsit. Atqui falsum est *signatum* dici, *quod in vasis & signis*: id enim *facti* nomine censetur. Sed redintegrabimus Servium ex Isidoro, qui ex illo sumpsisse videtur lib. XV cap. XVII. *Tria sunt autem genera argenti & auri & æris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis & signis: infectum, quod in massis est, quod & grave dicitur.* Utiliter tentabimus, spero, Manilium lib. v de natis oriente Cassiope:

Et facti mercator erit per utrumque metalli,
Alterum & alterius semper mutabit in usus.

Scaliger *metallum factum per utrumque*, aurum scilicet argentumque, interpretatur electrum, quod *gemino pallet de semine*, ut ait Silius. Quem refutat ad Solinum Salmasius ut & Firmicum, monetarios intelligi, ut ait, opinatum: ipse legit, *perutrimque*, & κολλυβιστὴν designari putat: *factum perutrimque metallum* appellari argentum vel æs, quod utrimque signatum est. Aut *per utrumque* esse ex utroque latere, & descriptionem esse nummi, metallum ex

lum ex utroque latere factum & signatum. Sed nunquam nummum veteres *metallum factum* dixere, nunquam idem *factum* & *signatum*. Itaque in libro de Usuris concinnat *flati*. Scio triumviros *flando feriundo*: sed & hæc quis, oro, dixerit: *flatum metallum per aurum*, pro nummis aureis? *flatum metallum per argentum*, pro argenteis? Absque posteriore versu esset, omnino præferrem sententiam Scaligeri. Ille videtur jubere:

Et facti mercator erit per utrumque metallum.

Facti nimirum operis ex utroque metallo: ut aurificem intelligamus, qui & opus & negotiationem habet in vasis aureis argenteisque, & vel argentum factum aureis, si forte, nummis, vel aurum factum argenteis vendit, vel vasa alterius generis cum altero permutat. Livius lib. XXII cap. LII. *Præter equos virosque & si quid argenti (quod plurimum in phaleris equorum erat: nam ad vescendum facto perexiguo, utique militantes, utebantur) omnis præda diripienda data est.* Sic MSS. omnes, sic antiquitus editi ab Andrea, Mediolanensibus, Tarvisinis, Venetis, Bechario. Glareanus tamen ait vetustiores codices habere *ad vestiendum:* quosdam vero emendasse, *ad vescendum*, quod se non intelligere. Illi vetustiores sunt Ascensius & Moguntini: ab his postea & Modius, & quædam Gruteri, & Leidensis prima, (quæ & ab ultima Gruteri, *& aliquid argenti,*) adoptaverunt. Nos veterem scripturam restituimus. *Factum argentum ad vescendum* sunt vasa & instrumentum mensæ ex argento, argentum escarium, ut loquitur Jurisconsultus, in quo vescebantur. Sic Terentio *canes ad venandum*. Julius Firmicus lib. V astronom. *Accipitres tamen, falcones, Astures, aquilas & aves hujusmodi equosque ad venandum.* Cæterum τὸ *pondo* non esse neutrum plurale confirmabimus eleganter ex illis, quæ dicebant veteres & adhuc intellecta non fuerunt, *duapondo*, *trepondo*. Quintilianus lib. I Instit. Orat. cap. V. *Quid quod quædam, quæ singula procul dubio vitiosa sunt, juncta sine reprehensione dicuntur? nam dua & tre & pondo diversorum generum sunt barbarismi: at duapondo & trepondo usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, & recte dici Messalla confirmat.* Quæ fuerint Messallæ rationes aut veterum sic loquentium, nemo etiam, quod sciam, docuit. Hotomanno certe non succurrerunt, qui *dupondium* & *trepondium* refingit: non Agricolæ, non Jac. Curtio lib. I Conject. 24, id solius Messallæ fide non inepte dici adnotantibus: non Salmasio, qui ad Hist. Aug. *trepondo* pro *tripondo* inolevisse putat, ut in Glossario *trepallus* pro *triphallo* legitur, & *trepidare* corrupte videntur illi pronuntiasse veteres pro *tripedare*. Etenim *duapondo* pro duas pondo, *trepondo* pro tres pondo dixerunt, intellecto utrobique τῷ *libras:* elisa *s* litera primo pronunciando, dein & scribendo: ut factum etiam in *Treviri* pro *Tresviri*: ut nonnulli *pomeridiem* amavere, teste Quintiliano, ut *Vopte* pro vospte apud Festum, ut *Batarnæ* pro Bastarnæ apud Valerium Flaccum: ut *viden, ain, multimodis*. quæ duo postrema in hoc genere notat Cicero de Oratore, ubi

inter alia: *Quin etiam, quod jam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eædem erant postremæ duæ literæ, quæ sunt in* OPTUMUS, *postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita enim loquebamur: qui est omnibu princeps, non omnibus princeps. &, vita illa dignu locoque, non dignus.* Utravis formula usi sunt in illo genere, quod superius est illustratum: *Corona aurea libram pondo.* Sic etiam dicebant *coronam auream duapondo*, quod erat duas libras pondo; *Coronam auream trepondo*, quod erat tres libras pondo. Si neutrum plurale foret *τὸ pondo*, & sua natura significaret libram, *duopondo* & *triapondo* dicendum fuisset, vel *dupondo*, *tripondo.* Si illud, *centum pondo corona*, duo vocabula genitivo casu haberet, *duumpondo, triumpondo*, una voce dixissent. Scribonium autem Largum, cum propterea dicere audet *pondo dua*, non excuso, nisi cacozelia quadam sequendum sibi putavit illud Attii: *Video sepulcra dua duorum corporum.* Vitruvius lib. X cap. XVII. *Nam quæ balista duapondo saxum mittere debet, foramen erit ejus in capitulo digitorum quinque.* Fortassis & Livius scripserat lib. XLIV cap. XIV. *Torquis aureus duapondo, & pateræ aureæ quatuor pondo.* Illa quoque bene considerata juvant sententiam nostram. Cicero pro Flacco: *Apameæ manifeste comprehensum, ante pedes prætoris in foro expensum est auri pondo centum paullo minus.* Vides illis *pondo centum* apponi verba singularia. At *centum* utique singulare nunquam est. Nempe integrum erat: *comprehensum est & expensum pondus auri centum librarum, quæ sunt pondo, sive pondere pendendo & examinando.* Livius lib. XXVI. *Jussique ad quæstores deferre, quod auri argentique haberent: auri pondo septuaginta fuit. Quod*, nempe pondus; & statim: id pondus *auri fuit septuaginta* librarum, quæ libræ sunt *pondo*, sive usitantur in illis, quæ appenduntur. Lib. XXVII. *Prompta ad quatuor millia pondo auri: inde quingena pondo data Coss. & M. Marcello, & P. Sulpicio Procoss. & L. Veturio prætori, qui Galliam provinciam sortitus erat: additumque Fabio consuli centum pondo auri præcipuum, quod ad arcem Tarentinam portaretur.* Rursum intelligimus, *additum præcipuum auri* pondus *centum* librarum, quæ *pondo* sunt. Lib. XXXIV. *Infecti argenti fuit decem & octo millia pondo & ducenta septuaginta facti.* Mox: *Auri pondo fuit tria millia septingenta quatuordecim.* Verbum substantivum subaudiri jubet, pondus librarum. Juxta autem recte per ἐπεξήγησιν dicitur: *argenti pondus decem & octo millia librarum:* &, *decem & octo millium.* Lib. XXXIX. *Pronuntiavit in senatu, decem millia pondo argenti & septuaginta auri Q. Fabium quæstorem advehere: id quoque se in ærarium illaturum.* Nunc facile averseris Philandri & Scaligeri, præcipuorum virorum, novitatem in loquendo: illius ad Vitruvii quintum; animadvertendum est antiquos *pedem* pro *asse* seu *pondo* habuisse: hujus de re nummaria; *Pondo* & *as* erat *pes*, & *dupondius* duo pedes. Quasi ubicumque *as* significat totum, ibi *pondo* ponere liceret pro asse: ita ut *pondo hæreditatis* pro tota hæreditate procederet,

& *bibere non sextantes aut trientes, sed pondo,* esset totos sextarios bibere. Viderunt *tot pondo* aliquando idem esse quod *tot libræ* & *tot asses*; inde putarunt per omnia respondere *assem* & *pondo* & *libram:* quod falsissimum est. Dum as libralis fuit, idem æs erat *decem asses, decem libræ* & *decem pondo æris.* Minuta ærea pecunia *decem asses* desierunt esse tantundem æris, quantum *decem libræ* & *decem pondo.* At *decem libræ* & *decem pondo* in rebus, quæ pondere æstimantur, pro eodem valebant, non quia *libra* & *pondo* essent duo fixa sive substantiva idem significantia, sed quia mos fuerat vetustis integre dicere, *decem libræ pondo:* ut quum dicerent, *decem libræ*, hac significatione intelligerent *pondo*; quum *decem pondo*, intelligerent *libræ*. Pro asse vero finitore, seu quovis toto vel integro per assem diviso, ut *libram* vel *pondo* diceret, nemo veterum somniavit. Non potest jam esse obscurum, si dicatur *sestertia* intelligi *pondo*, quomodo accipiendum sit; dein tutius dici *sestertia* intelligi pondera librarum argenti quam pondo: quæ appendix potius metallum aut factum aut infectum quam signatum, & cum signato additur, tamen id pondere magis quam pretio & numero æstimatum denotat. Livius aperte distinguit. Libro XXVIII. *Scipio argenti præ se in ærarium tulit quatuordecim millia pondo trecenta triginta duo, & signati argenti magnum numerum.* Lib. XXXVII. *Argenti bigati præ se tulit* CXXX *millia, & extra numeratum duodecim millia pondo argenti, auri pondo centum viginti septem.* Lib. XXXVII. *Argenti infecti tria millia pondo: signati tetradrachmum Atticorum centum tredecim millia.* Est quidem apud Plinium lib. XXXIII cap. X, *Claudium Isidorum testamento professum esse, se relinquere in numerato pondo sexcenta millia.* Sed in antiquissimo exemplari vidit Budæus, ut & nos ipsi, *in numerato sestertium* DC. quod recte *sestertium sexcenties* interpretatur: additque: Non enim memini me legisse, ut Latini *pondo* aut *libras* de numerata pecunia dicerent: nam quod Livius, *argenti pondo bina & se libras in militem præstaret,* dixit, ad argentum infectum retulisse mihi videtur: quo etiam loquendi modo nunc utimur, cum argenti marcam vel auri dicimus, tantam pecuniam significantes, quanti edicto principis æstimantur. Est alter locus Plinii capite sequenti: *Postea victa Numantia & deleta, idem Africanus in triumpho militibus* XVII *millia pondo dedit. O viros illo imperatore dignos, quibus hoc satis fuit!* Verum hic quoque fraudem librariorum coarguit immanis summa, quæ pecuniæ facit quadringenties & vicies octies, quanti, opinor, non fuit tota Numantia; & subjecta exclamatio, quæ non nisi perexiguum hoc congiarium patitur. Et jam olim sic in loco Plinii hæserunt Lipsius in Admirandis 2, 8, ac Pighius tom. III ad fastos pag. 12, quorum prior obiter aliquid spargit, alter intoleranda interponit. Ut serio agamus, in MS. legitur XVII *dedit*, id est, *denarios septem dedit,* quæ vera Plinii manus.

CAPUT VIII.

Hoc tressis, hoc decussis, hoc centussis dicebant, intellectu & pondus vel æs. Varro notatus & quater correctus. Pro portione. Sexagessis, Octogessis, Satiræ Varronis. Homo non semissis, non tressis. Emere centussis. Gellius emendatus. Constare decussis. Valere decussis. Statius, Appuleius & Arruntius apud Priscianum & Martialis correctione prohibiti. Dari vicessis.

Eadem vel ejusdemmodi ἔλλειψις est in illis: *hoc tressis, hoc decussis, hoc centussis, hoc mille nummum, hoc mille denarium,* quæ mirifice ad hoc usque non vulgo literionum solummodo, sed & doctissimis viris manum adierunt. Ut Varroni de L. L. lib. VIII. *A tressis virilia multitudinis, hei tresseis & heis tressibus, cum sit singulare hoc tressis: ab eo sic deinceps ad centussis. Deinde numerus æs non significat.* Sic scripserat Varro, *A tressis,* non *A tressibus,* quod mox dicturus erat. Forsan etiam *adsignificat:* ut ante: *In ære usque ab asse ad centussis numerus æs adsignificat.* Et postea: *a tressis usque ad centussis numeri ejusmodi sunt compositi.* Vult quæ sequuntur vocabula post *centussis* non esse ab ære seu asse denominata: neque enim *ducentussis, trecentussis* dicimus ut a *tressis* intra *centussis, quatrussis, quinquessis,* (non enim *quartussis, quintussis,* ut in quibusdam corruptis libris, & sequuntur eruditi quidam) *decussis, vicessis, tricessis.* Lib. IV de L. L. *Reliqua conveniunt, ut tricessis a tribus* (decussibus:) *sic pro portione usque ad centussis, quo majus æris vocabulum non est: nam ducenti, & sic pro portione, cum dicuntur, non magis asses quam denarii aliæve res significantur.* Ita corrigendi vulgati libri ex Prisciano: male enim illic, *ducenti in proportione,* quod sensu caret. *Et sic pro portione,* idem quod, *& sic deinceps;* puta priore loco, *quadragessis, quinquagessis* &c. dein *trecenti, quadringenti.* Ex illis æs adsignificantibus tituli duarum Satirarum Varronis, *Sexagessis* & *Octogessis,* quæ & inscribitur, Περὶ νομισμάτων, ab sexaginta & octoginta assibus; ut Plautus suam inscripsit *Trinummum;* ipse Varro *Magnum talentum* apud Priscianum. Hucusque omnes libri *Sexagesin* & *Octogesin* appellant, quæ voces sunt nihili. Ausonius tamen Popma invenit, quemadmodum illas explicaret: nempe senem introduci in priore, qui continuos quinquaginta annos obdormierit, & eum multa dicere de contemtu sexagenariorum. Quare enim non *Quinquagesin* præscripsit? aut qua analogia *Sexagesis* dici potest querela de sexagenariis? Sic *Octogesin* hariolatur esse Ὀχθόγαισιν, æque monstrosum vocabulum; quod quis intelligeret, nisi ipse explicaret, *anxietatis expulsionem*? Forte ὀχθάγησιν voluit, sed nihilo felicior vox est. Putavit autem Varro, *hoc tressis* dici; quasi sit neutrum singulare *tressis.* Hotomannus, ubi notavit, quoties illis adverbiis *decies, centies,* locus esset, inductum novum sermonis compendium contra omnes orationis Latinæ regu-

regulas, ut *sestertium* in singulari numero usurparent, & per casus omnes declinarent, non dissimili, inquit, licentia ejus, qua usu receptum est, ut diceretur *hoc tressis*, numero singulari; item *hoc mille denarium.* Si verum amamus, nec *tressis* neutrum est, nec *hoc tressis* orationis Latinæ regulis repugnat. Erat integrum: hoc pondus vel æs tressis, hoc pondus vel æs quatrussis, & sic deinceps: itaque in his omnibus articulus vel pronomen intelligi vult substantivum neutrius generis, cui alterum, quod comparet, gignendi casu adhæret. Ut in illis Plauti Pœnolo, *homo trioboli*, Lucilii apud Festum in *Solla*, *non solla dupondi*; P. Vatinii ad Ciceronem, *Simius non semissis*; Persii, *non tressis agaso.* Nam fallitur ridicule Rob. Titius in Assertionibus, cum Ciceronem ait lib. v ad Atticum (immo est lib. v famil. epist. x.) appellasse *hominem semissem* ab exiguo nummo, sicut Persius *tressem agasonem.* Ne solus esset, Matthæus quoque Hostus vilissimum & contemtissimum figura proverbiali *semissem hominem* appellari Vatinio scribit: cujus loci inepta interpretatio videri possit in secundis Hermolai Barbari castigationibus in Plinii lib. xiv cap. iv. Sane de ineptiarum principatu & hæc & illa certant. Et irascerer magis hominibus nisi putasset Hermolaus dici *homines semisses* pro modicis pusillisque, non justa magnitudine, sed dimidiata: & Desiderius quoque *tressem agasonem* Persio appellari contemptissimum homuncionem scripsisset. Quasi aliter diceretur, quam *esse quantivis pretii.* Sic *emere centussis*, scilicet ære vel pondere, Varro περὶ ἐδεσμάτων. *nunc illum, qui norunt, volunt emere millibus centum; te qui norunt, nemo centussis.* Sic MSS. Gelliani lib. xv cap. xix, ubi perperam in editis nuperis supposuere *centussi.* Statius in Risu Saturnalicio:

Noster purpureus novusque charta,
Et binis decoratus umbilicis
Præter me mihi constitit decussis.

Ita lectum olim. At Fed. Morellus: Lege, *decussi*, explosa sibilante litera postrema, cui vir magnus *illinit atrum Adverso calamo signum.* Turnebum intelligit: sed hic minime sequendum, etsi valuerit in postremis editionibus ejus auctoritas. Sic *valere quinquessis*, *decussis*, nempe æs vel pondus. Appulejus in Epitoma apud Priscianum lib. vi. *Sed tum sestertius dipondium semissem, quinarius quinquessis, denarius decussis valebat.* Ubi *quinquessem* & *decussem*, nullo, ut spero, repugnante, restituemus, inquit Hotomannus. Speravit nequicquam: repugnamus enim, & vocem eo casu formatam, quem verbum adsciscere solet, intelligi existimamus. Apud eundem Priscianum in libello de ponderibus Arruntius: *Sestertius olim dupondius & semis, quasi semis tertius, quo tempore denarius decussis valebat.* Rursus hic Hotomannus: legendum puto, *decussi*, casu sexto. Male putat. Festus: *Sestertius dicitur quarta pars denarii, quo tempore is decussis valebat.* Volusius Mæcianus de ponderibus, ubi de ratione ad denarium conficienda, cum

da, cum dixiſſet: *Aſſem hac nota ſcribas voceſque* &c. pergit: *Treſſis hac nota ſcribas & voces* &c. *Quatruſſis hac nota ſcribas voceſque*, ⳩=—, *ſedecim enim quadrantes quatruſſis efficiunt.* Et ſic apud eundem, *quinques*, *ſexis*, *ſeptus*, *octus*, *nonus*, *decus*, ponuntur, quæ ſcilicet curtata ſunt, ut ſolebant properare in computando, temporis lucrandi gratia, pro *quinqueſſis*, *ſexeſſis*, *ſeptuſſis*, *octuſſis*, *nonuſſis*, *decuſſis.* Reſpexit huc Fl. Soſipater lib. 1. *Aſſarius ab antiquis dicebatur, nunc as dicitur, non aſſis: ſane aſſis genitivus eſt, ſicut octuſſis. hujus ablativus eſt, ab hoc octuſſe. ideoque octuſſe emi bene dicimus: ſed da illi octuſſe, ſolœciſmus eſt. nam octus ne dixeris, ſed quaternarius. ſubauditur enim nummus.* Recte ait *octuſſis* genitivum eſſe, ut & cætera in hac figura loquendi. In reliquis quædam aut non intelligo, aut vitiata ſunt, aut denique ipſe Soſipater erravit. Sic & Martialis lib. XII epigr. LXXVI.

Amphora vigeſsis, modius datur ære quaterno.

P. Scriverius fatetur Latine dici, *dari viceſsis*, vel *vigeſsis*, tamen hic *vigeſſi* legendum ait, quia ſequitur, *ære quaterno.* Immo quia hoc ſequitur, ob id facilior eſt intellectu vetus illa ſcriptura: accipiendumque τὸ *ære* quaſi bis expreſſum eſſet: *amphora datur ære vigeſsis, modius quaterno:* vel, *amphora datur viceſsis, modius quaterno ære.* Si ratio Scriverii valeret, omnibus fere ſuperioribus locis par eſſet applicanda emendatio, quia in alio *millibus*, in alio *dupondium ſemiſſem*, in alio *aſſem* vel præcedit vel ſequitur. Confirmantur hæc, quæ diximus, Martiani Capellæ regula, lib. III. S *litera* I *præcedente finita neutra monoptota ſunt, ut treſsis, ſexis.* Quæ etſi dupliciter falſa ſit, hoc tamen ei originem dedit, quod ubique hæc & neutro conjuncta & eadem terminatione inveniebat; cauſſam vero utriuſque veram, ἔλλειψιν, quam oſtendimus, ignorabat.

CAPUT IX.

Varro ingenti calumnia liberatus, quaſi putaverit, in his, hoc mille denarium, hoc mille drachmum, τὰ denarium & drachmum, *eſſe ſingularia caſus accuſativi. Idem bis emendatus & locis obſcuriſſimis illuſtratus. Quintilianus correctus.*

Eadem quoque ſermonis parcimonia eſt in *hoc mille denarium*, *hoc mille nummum.* Varro proxime poſt illa, quæ modo adduximus: *Numeri qui æs non ſignificant, uſque a quatuor ad centum triplices habent formas, quod dicantur hei quatuor, hæ quatuor, hæc quatuor. Quum perventum eſt ad mille, quartum adſumit ſingulare neutrum: quod dicitur hoc mille denarium, a quo multitudinis fit hæc millia denarium.* Miratur Scaliger, Varronem putaſſe τὸ *denarium* in hac locutione eſſe caſus accuſativi ſingularis: hoc enim velle credit illa: *quartum adſumit ſingulare neutrum.* Fuiſſe tam male Grammaticos olim, ut ſic acciperent & reprehenderent iſta, videmur deprehendiſſe

ex

ex Quintiliano lib. I Inst. Orat. cap. VI. *Ait quosdam molestissimæ diligentiæ perversitate contra consuetudinem niti, & malle dicere audaciter quam audacter, & emicavit quam emicuit, & conire quam coire.* his, quando sic stet sententia, concedendum, ut *tribunale* & *scivisse* & *audivisse* & *faciliter* & *frugalis*, quam *tribunal, scisse, audisse, facile, frugi* malint. *Iidem*, pergit, *centum millia nummum, & fidem deum, ostendant duplices solœcismos esse, quando & casum mutant & numerum: nesciebamus enim, ac consuetudini & decori serviebamus, sicut in plurimis.* Ita legendum, deleta negatione, quæ vulgo est, *ac non consuetudini*, contra sensum auctoris. Oblique flagellat aliquem rationis in loquendo ineptum exactorem contra consuetudinem, qui censuerat in istis, *nummum, deum*, duplicem esse solœcismum, quippe & singularem pro plurali, & accusativum poni pro genitivo: quod scilicet antehac nescivimus arcanum, (κατ' εἰρωνείαν loquitur) quia loquebamur, ut ferebat usus ac decor, & sic inscii in graves illos solœcismos incidebamus. At Varroni Pascasius Grosippus sive Gasper Scioppius veretur ne ab Scaligero fiat injuria, quoniam ipse ediderit fide, ut ait, membranarum Faerni: *Cum perventum est ad millenarium, adsumit singulare neutrum, quod dicitur hoc mille, a quo multitudinis fit, hæc millia.* Veruntamen, inquit, sic quoque tenebrosus est Varronis locus, neque facile quis, quid sibi velit, expedierit. Ergo,

O Tite, si quid ego adjuero, curamve levasso.
Ecquid erit præmi?

Habet utraque lectio sensum tolerabilem, sed plenior & justior est prior: in qua sane explicanda lapsus est Scaliger, sed ipsum ejus errorem Pascasius non deprehendit. Is est in eo, quod τὸ *quartum* intellexit de casu, quasi accusandi, cum id de forma extulerit Varro; neque tollendum est cum Pascasio, aut *mille* mutandum in *millenarium* magis quam *quatuor* & *centum* in *quaternarium* aut *quaternionem* & *centenarium*; sed scribendum: *quartam adsumit singulare neutrum.* puta ipsum *mille.* Dixerat numeros simplices, neque æs adsignificantes a quatuor ad centum tres habere formas: dicimus enim *hi quatuor, hæ quatuor, hæc quatuor:* idem fit in *quinque, sex, decem, viginti, centum:* at in vocabulo *mille* adsumitur quarta forma: non enim tantum dicimus, *hi mille, hæ mille, hæc mille*; sed & *hoc mille* (verbi gratia) *denarium*, a quo plurale, *hæc millia denarium.* Ne mihi jactet hîc igitur Ingolstadiensem Varronis editionem Pascasius, in qua audaciam video, meliorem Varronem non video. Sed nec alia, quæ sequuntur, verba tam fœdi erroris reum faciunt doctissimum Romanorum, quasi *denarium, drachmum*, voluerit esse quarti singularis casus, si recte inspiciantur. Apponenda sunt pluscula, & aliter atque vulgo fit interpungenda, ut mentem eorum adsequamur: *Sic as quoniam simplex est ac principium & unum significat, & multitudinis habet suum infinitum (dicimus enim asses, quos cum finimus, dicimus*

cimus dupondius & tressis, & sic porro) videtur mihi, quoniam finitum & infinitum non habent similitudinem, non debere utrumque item dici. Eo magis, quod in ipseis vocabuleis, ubi additur certus numerus, aliter atque in reliquis dicitur. nam sic loquuntur, hoc mille denarium; non, hoc mille denarii: &, hæc duo millia denarium; non, duo millia denarii. Si esset denarii in recto casu, atque infinitam multitudinem significaret, tunc in patrico denariorum dici oportebat. Et non solum in victoriateis, drachmeis, nummeis, sed etiam in vireis idem servari oporteret, cum dicimus judicium fuisse triumvirum, decemvirum, non triumvirorum, decemvirorum. Vult, inquit Scaliger, ut ex ejus verbis clare colligitur, *mille drachmum* ita dictum, ut *drachmum* sit casus quartus singularis. Meis oculis vide, aliter loqueris. Quærit Varro causam, cur non sit analogia inter *assem* & *dupondium* & *tressis*: dicimus enim *hic as* & *hi asses*: at *hoc tressis, hi tresses*: nam *dupondius* ab istis toto genere differt. Analogia servatur in omnibus a tressis usque ad centussis: hæc habent similitudinem inter se, & aliter in plurali, aliter singularia usurpantur: sed hactenus non habent similitudinem cum asse, quod *item*, id est, eadem forma generis masculini, in singulari & plurali *hic as* & *hi asses* dicitur. Veram rationem nos indicavimus, quia *hoc tressis, hoc centussis*, non utroque nominativo, sed altero genitivo dicitur, per intellectum ꝗ *pondus* vel *æs*: quæ etsi potuisset etiam in asse valere ac dupondio (nam Grammatice nihil vetat dici, *hoc assis, hoc dupondii*) tamen usus eam coarctavit intra *tressis* & *centussis*. Varro quærit aliquam, falsamque reperit: nimirum quia *as* simul habet finitum & infinitum (*as* enim finitum est, unum certumque, *asses* infinitum, neque enim potest, *asses* cum dicuntur, intelligi quot sint) *tressis* vero & quæ sequuntur ad *centussis* utroque numero sunt finita: (quod tamen falsum: nam in *hei tresses, hei quatrusses*, species quidem finita, perinde ut in *asses*, sed non numerus, perinde ut *as*) finitum autem & infinitum similitudinem non habent, *debere utrumque*, as & tressis, *non item dici*; id est, non similiter declinari: ut sit, quemadmodum *hic as, hic tressis*, sed *hic as, hoc tressis*. Vulgo legitur: *quoniam finitum & infinitum habeat, similitudinem non habere, utrumque item dici.* Ms. codex CL. V. Isaaci Vossii, *debere.* Alteram negandi particulam ex sensu nos interposuimus. Hanc commenticiam rationem eo illustrat, quod in aliarum etiam rerum vocabulis, cum certo numero apposito finiuntur, accidat, ut aliter pronuncientur, quam cum numero nullo addito indefinite ponuntur. Sic *denarium, victoriatum, drachmum, nummum* dicimus, cum hæ formæ pecuniæ certo numero sunt appellandæ: ut *hoc mille denarium, duo millia drachmum, tria millia victoriatum, centum millia nummum:* sic etiam *triumvirum* & *decemvirum* placuit, quia & hic adest finitio per adjectum numerum. At hæc ipsa vocabula cum indefinite dicuntur, cum e lege artis a rectis, *denarii, drachmæ, victoriati, nummi, viri*, patricum casum formamus, dicimus *denariorum, drachmarum, victoriatorum, nummorum, virorum.*

rorum. Hæc sententia Varronis est, in qua hactenus fallitur, quod ineptam rationem dissimilitudinis inter *assem* & *tressis* dat: cæterum ex ipsis illis verbis, *tunc in patrico casu denariorum dici oporteret*, jam facile colligitur, *denarium, drachmum*, cætera, patrio, non accusandi casu ab illo accepta esse. Habet autem Sosipatrum consentientem in eo, quod sentit, pro integris *denariorum* &c. si declinentur, consuetudinem maluisse contracta *denarium* &c. Sic ille lib. I. *Amphorum, an amphorarum dicendum sit, quæritur: amphorum consuetudinis est*, &c. *Sed ut cæteri adsidue amphorum dicunt, si conjunctim, ut decem millia amphorum, modium, sestertium nummum, sic si per se, amphorarum.* Et rursus: *Amphoram si declines, amphorarum facit: at ex hac conjunctim decem millia amphorum dicimus: Item, modium, sestertium nummum.* Hoc si pervidisset Pascasius, quid non in Scaligerum convitiorum continuasset? Sed Varro moleste & obscure scribendo ipse sibi hoc intrivit: nisi quod eos, qui scriptis ejus emendandis laudem quæsiverunt, cuicumque illius dictioni magis adsuesse oportebat. Sed non efficiet indignando Flaccus, ut nunquam bonus Homerus dormitet.

CAPUT X.

De natura & usu τ͂ mille *disputatum. Id nunquam substantivum, sed semper adjectivum esse. Lucilii quædam partim illustrata, partim tentata.*

Illud negari non potest, in hac locutione, *hoc mille denarium*, existimasse Varronem, τὸ *mille* esse singulare neutrum. Ex eo Gellioque hauserunt suas opiniones Hotomannus & Scaliger: ille quidem vulgi quadam consuetudine recepta hæc loquendi genera, & τὸ *mille* singulari numero usurpatum: Scaliger vero *mille* substantivum numero singulari dictum, non pro eo, quod χίλιοι Græce dicitur, sed quod χιλιὰς, & sicut una χιλιὰς, duæ χιλιάδες, ita *unum mille, duo millia*. Triplicem errorem, quorum nullus vel puero non sit pudendus, indigetat Pascasius. Equidem laudo, cum ab illis dissensit, Pascasium: sed quid opus contumelia verborum? Error iste ab Lucilii ævo ad nostrum usque communis fuit omnium, non modo Grammaticorum, quibus mire infestus Pascasius, summus ipse Grammaticus (nec in contumeliam hoc nomine utimur, ut homines inelegantes,) sed omnium, qui Latine se scire putabant: ipseque adeo Pascasius diutius vir fuerat, quam eum dedidicerat. Quin & post illum, ne suum ille indubitabile verum putet, fuerunt viri οὐ τυχόντες, qui, quod *mille* ἄπλωλον vulgo dicunt, rejecerint eo argumento, quod in ablativo faciat *milli*, ut duobus Lucilii locis ostendit Gellius. *Mille* igitur semper adjectivum est & plurale, & hac terminatione omnium casuum & generum: sed neutrum habet duplex: nam & *hæc mille* & *hæc millia* dicimus: priori utimur, cum hic numerus non

exceditur; posteriori, cum plura sunt millia. Habes discrimen apud Catullum:

Da mî basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum:
Dein cum millia multa fecerimus.

Millia basia dare & *multa mille* non fert Latinitas. Et accidit in hac voce aliquid simile τῷ *centum:* ut enim ipsum invariabile est, in compositione variatur, *ducenti, ducentæ, ducenta*, & deinceps: sic & *mille* ipsum non flectitur, sed in sequentibus ordinibus neutrum dumtaxat alterum, quod solum quoque minori numero jungitur, casibus movetur, ut *duo millia, duorum millium* &c. At in errorem egit tot doctos & mitius castigandos viros primum terminatio: videbatur enim *hoc mille* factum ex *hic* & *hæc millis*, & *hoc mille*, atque ex hoc abrogato restitisse neutrum singulare pro substantivo usurpatum: deinde quod in promptu erat copia locutionum, in quibus τῷ *mille* possessivus casus cum verbo singulari junctus speciem præbebat nominativi substantivi, à quo genitivum regi oportebat. Sed ad prius cogitare debebant, etiam *quatuor, quinque, sex, octo*, terminationes singularium habere, quæ tamen semper habita sunt pro pluralibus, nec unquam τετράδα, πεμπάδα, ἑξάδα, ὀγδοάδα significarunt. In locutionibus autem illis erat βραχυλογία per ellipsin nominativi, pro ratione rei, de qua agitur, intelligendi. Perinde ut in illis: *moris est, non est sapientis dicere non putaram, boni pastoris est tondere pecus, decessit exactæ ætatis:* in quibus *negotium, res, officium, vir* vel *homo*, aut simile quid subauditur. Quadrigarius: *ibi occiditur mille hominum.* Cicero: *Ante fundum Clodii facile mille hominum versabatur valentium.* In quibus, *mille hominum*, dictum est non conjunctione substantivi cum substantivo, sed adjectivi cum substantivo; nec nominativi cum genitivo, sed duorum genitivorum: intelligitur autem nominativus, *multitudo*, vel *numerus*, vel *manus*. Ut integre apud Maronem lib. x. *Sub quo mille manus juvenum.* Et Valerium Maximum lib. VIII cap. ult. *Senatum qui mille hominum numero constabat.* Plautus Milite: *Plus mihi auri mille est modiorum Philippei.* Supple, *numero*, vel *re*, vel *modo*. Ut apud Terentium: *si talentum rem reliquisset decem.* Quintilianus lib. VII Instit. cap. VI, cum dixisset, *argenti pondo quinque millia: quia ille*, pergit, *in argento legato modus & inauditus erat & incredibilis.* Agnoscitur hoc maxime & illo A. Gellii lib. XVI cap. X. *neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant.* Si τὸ *mille* casu accusandi positum est, quorsum *quingentum*, non *quingenta*? Est ergo utrumque casus possessivi, & intelligitur *rem*, vel *pecuniam*, vel *pondus se possidere.* Ut superius in Varrone notavimus *mille octingentum.* Rursum Plautus eadem Milite: *mille annorum perpetuo vivunt.* Nempe *tempus.* Quod & in Varrone intelligimus dicente: *Ad Romuli initium plus mille & centum annorum est.* Lucilius: *Ad portam mille est.*

le est. Licet ſupplere vel *paſſus* vel *paſſuum:* ſi per prius, cum nominativo *ſpatium* & præpoſitione *ad* vel *circiter*; ſi per alterum, addito ſolo nominativo *ſpatium* vel *intervallum.* Catonis: *inde eſt ferme mille paſſus:* integrum foret: *inde ſpatium eſt ferme ad mille paſſus:* vel *ſpatio,* ſi comparet nominativus alius. Livius lib. XXIII. *Mille fere paſſuum inter urbem erant caſtraque. eo ſpatio (& ſunt omnia campi circa Nolam) concurrerunt.* Puta dixiſſe: *mille fere paſſuum campi erant.* Nec naturam vocis mutant, quæ majore numero dicuntur, *duo millia hominum, tria millia,* & ſic deinceps: nam in his quoque nominativus aliquis ſubſtantivi, qualecumque materia patitur, etſi conſuetudine adſcribi deſierit, intelligitur. Velut *duo millia hominum* cum dico, intelligo ſine dubio, *corpora.* Ovidius lib. III Faſtorum:

Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora.

Livius lib. XXII cap. XXII. *Transfugam ſine magnæ rei proditione venientem ad hoſtes nihil aliud quam vile unum atque infame corpus eſſe.* Ubi male Glareanus malit, *onus.* Eo ſæpius autem hæc vox ſubauditur, quod Philoſophis pariter & JCtis multum patet: quædam continua eſſe volunt, ſeu uno ſpiritu contineri, ut hominem, tignum, lapidem, arborem, animalia; quædam compoſita ex contingentibus, ſeu pluribus inter ſe cohærentibus, ut ædificium, navem, armarium; quædam ex diſtantibus, ſed uni nomini ſubjectis, ut populum, legionem, gregem. Vidi cui ſcrupulum moverent illa, *viginti unum millia, cæſa ſunt peditum unum & ſexaginta millia,* apud Juſtinum: neque enim *unum* dicturos fuiſſe, niſi eſſet ſingulare neutrum *mille,* cum dicamus *viginti unum homines, viginti unas literas, viginti unam fœminas.* Sed non diverſa & horum ratio eſt: nam quia *millia* adjectivum plurale neutrum eſt, cui genitivus adjungitur rectus ab illo ſubſtantivo, quod pariter neutrum intelligitur in τῷ *millia,* eidem intellecto ſubſtantivo genere & numero reſpondet τὸ *unum:* eſtque integrum, *viginti millia corpora hominum,* & præterea *unum mille* nempe *hominum corpus:* utramque enim ſignificationem hoc vocabulum admittit. Quæ vero aliorum ſunt generum, in his ea, quorum ſunt, intelliguntur: ut *duo millia paſſuum, tria millia jugerum,* nempe *ſpatia.* Sic in cæteris. Ergo & cum dicitur *hoc mille denarium,* aut cum Terentius: *huic drachmarum hæc argenti mille dederat mutuum;* intellige *pondus* vel *argentum mille denarium* vel *drachmum.* Varro apud Gellium: *qui ex mille nummum, quod ei debebatur, quingentos recepit.* Puta eſſe ex pondere vel argento millenum nummum. Plautus Trinummo: IV ſc. II. *Nunc ſycophantæ huic ſycophantari volo, Si poſſim illo mille nummum Philippo circumducere, Quod ſibi me dediſſe dixit. Auri pondere* vel *auro* intelligendum docet verſus CXIII, & CXXIV. *Haben' tu id aurum, quod accepiſti a Charmide?* S. *Atque etiam Philippeum, numeratum illius in menſa manu, mille nummum.* Cicero in Philipp. *Quis unquam in illo Iano inventus eſt, qui L. Antonio mille nummum ferret*

 expen-

expensum? Dubitabis, an hoc sit expensum pondus mille nummum, & posteriora duo vocabula patrico casu accipi? Quid enim expenditur nisi pondus certum? Nam hæ loquendi formæ cum plurimis notissimis aliis ex more veteri appendendi æris, etiam cum ille exolevisset, ac pecunia adnumeraretur, superstites fuerunt. Cicero lib. III de Offic. *An emat denario, quod est mille denarium?* Hæc verba clare demonstrant, τὸ *mille* adjectivum manere in hac compositione, τὸ *denarium* autem, intellecto τῷ *nummum*, substantivi vicem gerere, & utrumque esse genitivi casus. Nam *tanti esse*, *quantivis pretii esse* dicimus. Pone pro *mille viginti: quod sit viginti denarium:* an *viginti* quoque fiet substantivum, ut significet εἰκάδα? Sic *legasse alicui mille æris* cum dicitur, *mille* non magis fit substantivum, quam *centenos, ducenos, trecenos,* si hæ summæ expressæ fuissent: in quibus intelligis *nummos:* nam antea *centena, ducena*, *trecena* dicebant, scilicet pondera librarum, seu pondo, cum as libralis esset. At *hoc mille æris* est hoc pondus mille vel librarum vel assium vel nummum æris. Obiter hic arguendum, quod obiter observandum censet Matthæus Hostus, genitivum *æris*, peculiari auctorum usu κατ' ἐναλλαγὴν usurpari substantivum pro adjectivo, quippe pro æreis nummis seu assibus. Non enim genitivus modo, sed totum vocabulum *æs* sic interdum usurpabatur, ut in illo, *hoc ære æneaque libra*: genitivus autem iste non pro adjectivo, sed per intellectum τὸ *nummus* vel *pondus*, pro nummis æreis ponebatur. Cæterum cum his tanta ratione subnixis parum congruere videtur, quod profertur è Lucilio:

Tu milli nummum potes uno quærere centum.

Et rursus:

Hunc milli passum qui vicerit atque duobus.

Sane si *millei* dixit tanquam ablativo singulari, errore se obligavit inexcusabili. nam *uno mille nummum*, est, quemadmodum dicebamus, uno pondere vel argento mille nummum negotiatione aliqua occupato: & *vincere mille passuum*, spatio vel intervallo mille passuum. Sic, quod ipse alibi, *Vini mille cadum* est onus vel mensura mille cadorum vini. Quid si tamen *millei* fecerit versu imperante, cum præsertim veteres, E & E I & I, in multis promiscue scriberent? ut *diequarte* & *diequarti*, *die* & *diei*, *fide* & *fidei*, *sesqui* pro *sesque?* *Sibe* & *quase* in multorum libris se reperisse, & his Livium fuisse usum ex Pediano, qui & ipse illum sequeretur, se comperisse testatur Fabius. Sic *mani* pro mane, *tibe* pro tibi antiquis.

CAPUT

CAPUT XI.

Plinius tentatus. Veteres non solent per sestertia explicare argenti non numerati libras. Lapis antiquus illustratus. Pondo sestertium semis non dicitur. Semissem tertium pondo. Dextantem tertium pondo. Sestertium decies.

Revertimur ad *Sestertium*, quod jam liquet, cum dicitur neutro genere, cur intelligamus tantum pondus argenti in nummis sestertiis; curve malimus hoc intelligere, quam, quod antehac placuit, *pondo*. Plinius lib. XXXIII cap. XII. *Zopyrus qui Areopagitas & Judicium Orestis in duobus scyphis sestertiis quinque, hoc est, pondo* XII *æstimatis*. Ita legendus ille locus ex vestigiis veteris scripturæ, inquit Salmasius ad Solinum. *Quinque sestertia* efficiunt pondo argenti duodecim cum dimidio, sed illud dimidium insuper habuit Plinius. Hæc magis vellem vera esse, quia mirifice confirmarent sententiam veram de argenti sestertio, quam credere possum. *Sestertia quinque* sane pondus sunt duodecim librarum argenti & dimidiatæ, non tamen pondo, sed in nummis. At argenti *pondo duodecim* nunquam dicuntur de signato, semper de appenso argento. Committit ergo Salmasius dissociabilia. Nec vero Romanis adeo ignotum erat pondus argenti *sestertium*, ut explicandum esset per *pondo*: præsertim cum sine explicatione præcedenti capite jam centum HS. scyphum fuisse L. Crasso narraverit. Vulgatæ tantum: *Scyphis* HS XII *æstimatis*: quæ notæ, inquit Ciacconius de triclin. si *duodecies sestertium* designant, triginta millia scut. conficiunt: sin vero, quoniam de Græcis ibi sermo est, A. XII. id est, *talenta duodecim*, est legendum, scut. sunt septem millia ducenti. Sed utrumque pretium immane. Vett. edd. *pondo duodecim* *: Videtur scripsisse: *in duobus scyphis HS. in libras pondo* XII *æstimatis*. id est sestertium duodecim millibus. Ut præcedenti capite de Graccho: *Delphinos quinis millibus sestertium in libras emptos C. Gracchus habuit*. Et de Crasso: *Constat eundem sex millibus sestertium in singulas libras vasa empta habuisse*. Lib. X cap. XXII. *Pretium plumæ eorum in libras denarii quini*. Nisi malis: *HS. in libras pondo* VII. Et sic quod sequitur: *cujus binæ unciæ* X *venierunt*. id est, decem millibus nummum. Quod etsi magnum, tamen intelligere possis, non perpetuum hoc Pytheæ fuisse, sed semel aut iterum, si forte, accidisse. Ciacconius hic quoque *decem talenta*. Salmasius hoc posterius aut de libris pondo aut de sestertiis accipi vult, quæ sestertia duas libras cum semisse faciant argenti. Posterius convenit nobiscum. nam decem millia,

* Adscripsit his pater [MS. optimus, *scyphis hs* XII *æstimatis*. Alter multo vilior, *scyphis pondo* XII] In quo loco quia postea consuluit codicem Vossianum, ac breviter de eo loquutus est, quid postremum censuerit, in notis, quas ad ipsum Plinium dedit, ideo ista hic separatim poni placuit.

sunt

ſunt ejuſmodi decem ſeſtertia. Regii legitur in veteri lapide: *trullam. argenteam. anaglyptam.* P. II∽. *Lares. argenteos. ſeptem.* P. II∽ L. Id explicatur a Georgio Gualtero, pondo ſeſtertio ſemis & triente. Sed vix perſuaſerit veteres ita locutos. *Pondo binum ſemis & pondo binum ſemis librarum* aut *pondo bina & ſelibram* aut *ſemiſſem tertium pondo* videntur maluiſſe quam *pondo ſeſtertia*, poſtquam nummis eam vocem attribuerunt. Columella lib. VI cap. XXX. *parumque ordei cum vicia libris* IIS. Sic etiam videtur ſcribi debuiſſe in Narbonenſi lapide: *ſignum. argenteum. P. L.* XII. *de. ſua. pecunia. fecit.* Quod eſt, *pondo libras duodecim*, vel *librarum*. Vitioſum enim: *P. P.*XII. Gualterus in iſto titulo pingit: *anaglyptam. P.* IIS : ∴, & interpretatur, pondo ſeſtertio ſemis & triente, id eſt, libra & deunce: in quo non ſimplex lapſus. Primum notas illas ſemiſſis & trientis nuſquam reperio. Si quatuor puncta trientem ſignant, (nam virgulis quatuor notabant ::) ubi ſemiſſis ſupra ſeſtertium nota? quid ſibi vult punctum quintum? Deinde ne quidem iſto caſu (ablativum dico) enuntiabant, quotiens quid tot librarum dicerent, ut ex pluſculis ſuperius adductis exemplis conſtare arbitror. Sed & cur *pondo ſeſtertio ſemis?* cur non potius *P.* III. hoc eſt, pondo ternum aut ternas vel trepondo? Certe ſemiſſem illum ſupervacaneum de ſuo addidit, qui nec in Gruteri nec in ipſius editione comparet. Superat omnia colophonis loco adjectum: id eſt, libra ac deunce. quod eſt ipſum Nævii Buttubatta. Si omnino quatuor puncta ſignificarent trientem & adeſſet duplex nota ſemiſſis, dicendum foret trullam illam fuiſſe *trepondo & trientem*, vel *ternas & trientem pondo*, vel denique exquiſite *trientem quartum pondo:* tot enim modis efferebant, quod ſignificabant tribus libris & quatuor unciis conſtare. Quid igitur hic de libra & deunce balbutit? in quibus ad duas libras una uncia deficit. Juvemus eum, quatenus poſſumus. Nota dextantis eſt S ::. quippe qui ex ſemiſſe & triente, hoc eſt, decem unciis conſtet. Accipiamus igitur puncta illa quatuor tanquam partium aſſis, & erit, *dextantem tertium pondo*, ſeu duarum librarum & dextantis. Si quintum libebit addere, tranſponendum erit, hoc modo: *S*:·:. hæc enim deuncis nota eſt, ex ſemiſſe & quincunce compoſiti: pronuntiandumque erit, *deuncem tertium pondo.* hoc eſt, bilibræ & undecim unciarum. Ut igitur caveamus, ne jaciatur in nos illud, Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις, & res veterum ſermone eorundem explicemus, ſufficiat nobis, SESTERTIUM, neutro genere eſſe pondus librarum argenti binum ſemis in nummis. quod ſi pondo eſſet, diceretur *ſemiſſem tertium pondo:* eo vocabulo in plurali numero eſſe uſos a binis uſque ad nongenta: inde ſingulare adhibuiſſe per appoſita adverbia multiplicatum. Pondus igitur argenti *ſeſtertium*, eſt duarum librarum & dimidiatæ, ut *pondus centenarium* librarum centum, & quia ſingulæ libræ cenſentur nummis ſeſtertiis quadringentis, mille nummum ſeſtertium. Pondus argenti *decies ſeſtertium* (ut homines *terque quaterque*

terque beati, ter veneficus, munera bis denum millium apud Livium lib. XLII, *juvenes bis Cæſare digni* apud Pedonem Albinovanum) eſt decies duarum librarum& dimidiatæ, ſeu viginti quinque librarum argenti, in ſignato decem millium nummum. Pondus argenti *decies centies ſeſtertium* eſt millies duarum librarum & dimidiatæ, ſive binum millium quingentarum librarum, in ſignato decies centenum millium nummum. Hæc tria ex analogia ſunt, non ex uſu, qui quoniam aliter eas ſummas concipi & enuntiari fecerat, &, ne id, quod ſequitur, ambiguum redderetur, ea omnia repudiavit. Grammatices tamen conveniunt præceptis, & his gradibus pervenitur tandem ad uſitatiſſimum illud & elegans, DECIES SESTERTIUM (reciſis & intellectis τῷ *pondere argenti* & τῷ *centies*. nam τὸ *decies* & quæ ſequuntur, ſubticent intelligique volunt *centies* vel *centenum*, cum *decies* ſignificarent ἀντὶ τοῦ *millies*, ut infra clarius patebit) pro ea, quam poſtrema e tribus proximis formula explicuit, ſumma, bis millenis quingentis libris argenti in nummis ſeſtertiis, quorum ſumma erat decies centenum millium. Quippe ut in una libra computabantur quadringenti, in duabus & dimidiata mille, unde *bina ſeſtertia*, hoc eſt, quinque libras, dicebant pro binis millibus nummum, ſic in mille libris quadringenta millia, in bis millenis quingentis, hoc eſt, *ſeſtertio decies*, decies centena millia. Hinc ergo perſpicuum eſt, *decies ſeſtertium*, ſenſu quidem id eſſe, quod decies centena millia nummum ſeſtertium, & hæc illo contineri: nequaquam autem illud ex his eſſe contractum per intellectum τῶν *centena millia nummum* (quod ſi eſſet, nulla potuiſſet eſſe vulgi Romani tanta barbaries, ut genitivum pluralem acciperent pro nominativo ſingulari, eumque ſingularium more declinarent, multo minus id admiſiſſent docti) ſed ex alia collectione plurium vocum ſingulare prorſus oſtendenti τὸ *ſeſtertium*. Propterea & pro arbitrio vicinæ orationis ea vox inclinatur. Ita *ſyngrapha ſeſtertii centies* Ciceroni, *ſumma ſeſtertii decies* & *ratio ſeſtertii quadragies* Livio, *ſumma ſeſtertii tricies* & *centies & quinquagies ſeſtertii ſumma* Valerio Maximo, *liberalitas ſeſtertii decies* Tacito: *cœnare ſeſtertio centies* Plinio & Suetonio, *margarita empta ſexagies ſeſtertio* Suetonio, *emi poſſe ſeſtertio tricies* Plinio, *vivere in ſeſtertio centies* Cornelio Nepoti & Senecæ.

LIBER II.

CAPUT II.

Tria Hotomanni adversus Budæum argumenta confutata. Priscianus vindicatus, ubi videtur statuere, τὸ sestertius *carere neutro. Grammaticorum silentium non facit irritum, quod usus sanxit auctorum. Sestertium non necesse fuisse quatuor argenti libris æstimari, postquam sestertius quatuor assibus censeri cœpit. Mutatio æreæ pecuniæ non coarguit comparationem argentei Romani & nostri nummi. Denarii & argenteæ pecuniæ pretium pondusve non constare imminutum esse, cum æreæ pondus detractum est. Libella in rationibus sestertiariis nomen, non nummus. Hæres ex libella, hæres ex teruncio. Ciceronis locus explicatus.*

Expendamus nunc argumenta Hotomanni contra Budæi sententiam, quam in parte probavimus, explicandoque ac producendo nostram fecimus. Prisciani annotatio objicitur, per concisionem mediæ syllabæ *masculinorum pleraque nominum, quæ neutra non habent*, pluralem genitivum casum proferre, ut *liberum* pro *liberorum*, *ses-* „ *tertium* pro *sestertiorum*, *nummum* pro *nummorum*. Quid planius, inquit, „ dici potuit, ut intelligatur nomen *sestertius*, non magis habere neutrum „ quam vocem *nummus*, & nihilo magis dici, *hoc sestertium*, quam *hoc num-* „ *mum:* & pudere se, locum illum neque a Budæo, neque ab Agricola, ne- „ que ab ullo unquam notatum atque animadversum fuisse. Si sententia Prisciani nulla parte inverteretur, dicerem tamen, quam molestum est hoc, auctoritatem boni viri non in aliam rem prætendi, quam ut spernatur? *Sestertium* adjectivum probat origo & compositio vocis: *sestertia* omnibus paginis, etiam præter necessitatem, ostentant Poetæ: σηστέρτια ex Latinis transferunt Græci: *sestertium pedem*, *sestertium bipalium* & non Poetæ volentes dicunt & attenti: Priscianus obiter inter nomina, quæ neutra habere negat, retulerit *sestertium*. Cui credimus? Sed non bona fide cum Cæsariensi Grammatico agitur. Observatio ejus hæc est: *Inveniuntur tamen per concisionem mediæ syllabæ masculinorum plerorumque nominum, quæ neutra non habent, hunc casum proferentes maxime Poetæ. Est autem etiam apud veteres prosam scribentes idem invenire, sed raro.* Post aliquot exempla subjicit: *Nummum vero pro nummorum, & liberum pro liberorum, & sestertium pro sestertiorum, & jugerum pro jugerorum, modium pro modiorum, medimnum, senum, septenum, denum, frequenter etiam oratores per syncopam solent proferre.* Dicemusne igitur nescisse Priscianum *modia*, *medimna*, *sena*, *septena*, *dena*, Latine dici? & *jugera* Latine dici, non *jugeros?* nam eadem necessitate hæc ex illis verbis colliguntur, qua τὸ *sestertius* neutrum non habere. Ne reum faciamus tam stupidæ ignorantiæ: sed ita potius accipiamus, ut illa,

quæ

quæ maſculina tantum ſunt, excipiantur ab illa parte regulæ, quæ Poetis hunc morem adſcribit: illa vero quæ non carent neutris, & ab hac parte excipiantur & ab altera, quæ maſculinis neutro carentibus conciſionem me-
„ diæ ſyllabæ in genitivis attribuit. At ſi veteres, pergit, *Seſtertium* pro pe-
„ cuniæ ſumma uſurpaſſent, Varro, Plinius, Mæcianus, Priſcianus, ejus rei
„ mentionem non prætermiſiſſent. Hoc cum ipſis queratur & expoſtulet: illorum enim, qui quod debuerunt tradere, neglexerunt, eſt rationem reddere, quare fuerint omiſſiores; non ejus, qui negligentiam priorum corrigit, cur prætermiſerint illi. Cæterum cum ex non ſcripto colligi, non fuiſſe, ubi aliæ probabiles rationes & ipſa rerum teſtimonia diverſum demonſtrant, vetent Dialectici, multo minus cogetur non fuiſſe ex uno genere ſcribentium ceſſante. Communes nobis & illis fontes ſunt ſcriptores antiqui, poſtquam, quo illi fuerunt nobis inſtructiores, Latina lingua populorum & gentium eſſe deſiit. Ex quibus cum hauriamus *ſeſtertia* tot locis pro mille ſeſtertiis uſurpata, fruſtra flagitatur auctoritas Grammatici ſic vocem interpretantis. Infinita ſunt priſcorum verborum, factorum, morum & rituum, quæ a nemine illorum, qui quidem ad nos pervenerit, directo & plane explicata, eruerunt homines docti ex mentione ſparſim & obiter illata, ex pertenui ſuſpicione mota. Sufficiant aliquando auctores ſibi & placeant pateantque
„ ſine æquali interprete. Confeſſio eſt Hotomanni: Sed exemplorum adeo
„ plena ſunt omnia, ut eorum me copia nonnunquam commoverit, ac fere
„ in Budæi ſententiam retraxerit. quorum magnam partem eodem ordine habet vir doctiſſimus, hoc eſt, corrumpit corrigendo. Quod autem Grammatici & originum conditores ſiluerunt, fortaſſis in promptu cauſa eſt, quod locutionem in promiſcuo videbant, rationem ejus perveſtigatam non habebant. Scimus etiam doctiſſimos Romanorum ſæpe in ſcrutandis linguæ ſuæ originibus deliraſſe: quæ barbaris ſcilicet nobis (præfiſcini dixerim) linguæ uſu deperdito hodie deprehenduntur. Et viri omnibus artibus ſuccincti, quum Budæus & Portius digitum ad fontem intendiſſent, quia citerius atque oportebat ipſi defecerant, viam illorum damnare, quam recte inſtituta & monſtrata via pergere maluerunt. Hinc illam quoque quæſtio-
„ nem adjungit, quid ſit, quod veteres auctores, ubi de adaucto denarii pre-
„ tio commemorant, hoc eſt, a denis aſſibus ad ſenos denos, tam accurate
„ de incremento & proportione Quinarii & ſeſtertii præcepta tradunt, nul-
„ lum tamen neque de vegrandi ſeſtertio, neque de pretii ipſius pro rata
„ portione incremento verbum vel minimum interponant, cum ordinis
„ ratio flagitaret, ut dicerent majoris ſeſtertii æſtimationem pro rata parte
„ excreviſſe, nimirum a duabus argenti libris & ſelibra ad quatuor libras:
„ ab aſſium duobus millibus quingentis ad quatuor millia, denique a mille
„ ſeſtertiis nummis ad mille quingentos quinquaginta. Peccat vir ſummus τῷ περὶ τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν. Verum eſt, mutatione æris & tranſitu

nummi

nummi sestertii a duobus assibus semisse ad quatuor asses, etiam sestertia a binis millibus quingenis assibus ad quaterna millia assium profecisse: verum est, etiamsi nemo hoc scribat: non enim mentitur Arithmetice. At necessum fuisse ut eadem opera eadem sestertia a binis & dimidiata argenti libris procederent ad libras quatuor, a mille sestertiis nummis ad mille quingentos quinquaginta, ipsi efficiendum est, qui vult necessarium fuisse: non postulandum, ut dicerent alii, quod nec factum est, nec necesse fuit fieri. *Sestertia* perpetuo æstimantur mille nummis sestertiis, quia significarunt nunquam aliud, quam duas dimidiatam libras argenti in nummis argenteis, qui quadringenti libram implebant. Attamen adaucto sestertii nummi pretio & *sestertia* debuerunt pro rata portione crescere? Quis negat? Et creverunt utique in numero formarum ænearum, sed non propterea in libris argenti, uti nec in sestertiis nummis argenteis. As antiquissimus, dum scilicet ære gravi utebantur, fuit libralis, & inde sestertius sive as, sive nummus accepit nuncupationem: idem ergo nummus argenteus ut valebat duo pondo æris & selibram, etiam valebat asses duos & semissem: nam as erat libram pondo. Postea as ponderis hujus maximam partem perdidit: atque ex eo non æqua æstimatione erant duo pondo æris cum selibra & duo asses cum semisse. Sic ditiores ære sunt facti & qui argentum & qui æs vel infectum vel grave possidebant, & argenti æstimatio simul est adaucta, non tamen in ipso, verum in ære: ideoque & nummo sestertio pretium accrevit, sic ut non esset ille quidem, si forte, ut antea, valore duarum librarum æris & selibræ, superaret autem valorem duorum assium & semissis, quibus tamen tantundem in commercio & solutione efficiebatur, quantum antea binis libris & selibra: quin immo pro quatuor assibus ambulare cœpit, nec tum ita proprie dici poterat sestertius as quam nummus. Sestertia vero non ideo plures complexa sunt argenti libras, nec plures sestertios nummos, quemadmodum sestertius nummus plurium assium æstimatione pinguior & gravior argento non est factus: sed utrisque redditus est auctior assium numerus, utpote in quibus acciderat mutatio. Sic & denarius nummus, dum librales fuerunt asses, decem valuit asses, quemadmodum dena pondo æris; mutato pondere assium nihil additum argento denarii, sed detractum multum æri assis effecit, ut ille in argenti uncia eadem pars, quæ quondam, octava nimirum, fieret assium sedecim. Quare similiter denarium pondus argenti nec plures propterea libras argenti complexum est, nec plures denarios nummos: cæterum hoc mille denarium plures valuit asses: nam in assibus versata est mutatio. Vides quam perperam colligatur, quod sestertius & denarius pluribus assibus permutari cœperunt, debuisse & librarum argenti numero denaria & sestertia pondera augeri, & sestertia non binis libris & selibra, sed quatuor libris, ac proinde mille sexcentis nummis sestertiis censeri. Etenim libræ argenti sunt eædem quæ olim, quemadmodum & libræ æris: at num-

at nummi ærei ob accisum pondus majore numero libras æris librasque argenti implebant quam antea: nec deni æris post illa poterant dici dena æris: nisi intelligeres *corpora* vel *nomismata*, non *pondo*, ut quondam. Hic etiam solvendus est nodus, quem nectit Ant. Augustinus lib. II Emend. VIII. Quum enim ostendisset, sestertium nummum ab initio binum semis æris, denarium denum fuisse, dein illum quatuor, hunc sedecim assibus æquipa-
„ ratum: Concidat, inquit, itaque necesse est omnis illa denariorum & ses-
„ tertiorum æstimatio, quam eadem ratione ad omnes libras applicabant &c.
Jam vero, ut ad nostram pecuniam vetus ratio conferatur, mutanda est recepta ab studiosis viris æstimatio. Quam paucis versiculis prope damnat & irritos reddit laudatissimos nec satis laudandos Budæi, cui & alibi apparet iniquior, labores? Sed hæc sunt iisdem in erratis, quibus ea, quæ de Hotomanno diximus. Ut enim ille nummorum æreorum pondere castigato putabat nomen summarum argentei nummi, *sestertia*, non consistere debuisse intra mille nummum sestertium numerum: ita hic convellit rationem, quæ inita erat in pecunia argentea Romana ad nostram argenteam contendenda, ex eo quod argenteis nummis pretium in ære cumulatum est. Neque enim ad denarios sestertiosve cum pecunia nostra comparandos medio ac parario asse utimur seu ærea pecunia: sed argentum cum argento conferendo & Romanorum argenteorum nummorum pondus ad nostrorum etiam argenteorum pondus examinando deprehensum est, qui quibus nummis responderent. Itaque videtur ad sanitatem redire Augustinus, cum de-
„ inceps: Nisi quod hi, inquit, qui ponderibus usi sunt, si illud probare
„ possunt, nihilo antiqua pondera a nostris differre, & argenteos aureosque
„ nummos veteres non conterendo deminutos appenderunt, facile pote-
„ runt eos ex ipsorum nummorum notis & pondere ad nostros referre.
Potuisset omnibus his supersedere vir summus, nisi quod requirendo quæ nihil est necesse, & ambigendo, de quo incredibilis Budæi inprimis ex opere ejus sat cognita diligentia dubitari vetat, tamen ea, quæ tradita sunt, suspecta reddere & infamare voluit. An satis liber ab eadem culpa, in contrarium tamen, Cl. Salmasius? quum de M. V. cap. VI statuit *denarii* non minus imminutum esse pondus apud Romanos, quam *assis* & ipsius etiam *libellæ*. nam & *libellam* argenti, quæ olim pretio exæquabatur assi, sive libræ æris, ubi & denarii & assis pondera imminuta fuerint, etiam ab antiquo pondere & æstimatione recessisse, & cum antea decima esset denarii, sub imperatoribus, ut constet ex Volusiano, fuisse tantum quadragesimam ejus partem & decimam sestertii. Primum non constat ex Volusio Mæciano sub imperatoribus hanc mutationem accidisse. nam ille *libellam* pro decima sestertii, quadragesima denarii cœpisse accipi scribit tum, cum denarius sedecim assium factus est, & inventa nova ratio æs excurrens denarii per partes assis significandi. Hoc autem institutum, ut minimum, ducentis viginti an-

 nis ante

nis ante imperatores. Deinde imminuti denarii simul cum asse nec argumentum ullum exstat, nec id siluisset Plinius loco luculento lib. XXXIII cap. III, præsertim cum inter æris & auri pondus in nummis mutatum, de argento interponat. Ad Drusum quidem octavam partem æris argento mixtam refert. Sed nihil hoc juvat Claudium, cum acciderit diu post denarium sedecim assibus æstimatum, diu ante imperatorum tempora. Nec probabile est, simul cum asse imminutum denarium, qui propter imminutum pondus æris pluribus quam antea assibus æstimatus est. Si & ipse deperdidisset de argento, & quidem tantum, ut ex decima fieret quadragesima, retinuisset æstimationem in ære pristinam. Apud Sosipatrum sane Varroni *nummus argenteus, quem flatum primum à Servio Tullio dicunt, quatuor scriptulis major, quam tunc esset*, fuisse dicitur: sed (ut alias difficultates horum verborum transeam, quas Scaliger attigit) is nummus siquidem exstitit, fuit extraordinarius, necdum in usum venit, vel Plinio auctore, qui quinto demum ante primum Punicum bellum anno Coss. Q. Ogulnio Gallo C. Fabio Pictore, ducentis sexaginta post excessum Servii argentum signatum scribit. Sed & Livii XV epitome tum primum Romanos argento uti cœpisse confirmat. Unicum argumentum Salmasii de *libella* speciem habet, sed adumbratam, non expressam. nam ea, ut fortassis olim nummus fuit, in argento valens assem, cum sembella, quæ semissem, & teruncio, qui quadrantem, (nam desierant esse Varronis ætate, cujus verba sunt: *Nummi denarii, decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva. Est*, non dicit, sed *erat.*) in ratione sestertiaria nomen est tantummodo, non corpus aut forma propria nummi. An *semuncia sicilicus*, an *sescuncia* &c. fuerunt nummi, quorum pretium auctum est, cum denarius sedecim assibus permutatus, quoniam quæ olim sedecima pars assis, in rationibus ad denarium facta est sexta decima denarii? quæ octava pars assis, octava denarii? Idem de *libella* sentiendum. Quum denarius esset decem æris, rationes ad denarium ita conficiebantur, ut æs excurrens, quod nimirum intra denarium erat, etsi formæ essent in ære, tamen significarentur vocabulis argenti: sic *libella* notabatur pro asse, *sembella* vel *singula* pro semisse, *teruncius* pro quadrante. Volusius: *Nam quum olim asses libriles essent, & denarius decem asses valeret, & decima pars denarii libram, quæ eadem as erat; singula selibram, quæ eadem semis erat; teruncius quadrantem haberet; sive denariaria, sive sestertiaria ratio conficeretur, iisdem notis, id est, libellarum & singularum & terunciorum, præposita nota denarii vel sestertii, ut erat ratio, æra exprimebantur.* Postquam denarius sedecim assibus constitit, & æs excurrens partibus assis exprimi cœpit, hæsit illa vetus ratio in sestertiariis rationibus, retenta hactenus vi vocabulorum, ut ibi quoque *libella* esset decuma pars, *sembella* vigesima, *teruncius* quadragesima, ejus nummi cui applicabatur, nimirum *sestertii.* non ut *libella*, quæ antea nummus esset decimam

denarii

denarii valens in argento partem, ita circumcideretur, ut nunc tantum decimæ ſeſtertii parti par nummus fieret; ſed ut ea vox pro decima ſeſtertii acciperetur, quemadmodum antea accepta fuerat pro decima denarii in rationibus conficiendis: & quemadmodum tum ſignificaverat aſſem vel libram æris quæ erat denarii decuma, ſic nunc quoque ſignificaret decimam partem quatuor nummorum vel aſſium æreorum, ex quibus conſtabat ſeſtertius. Hoc eſt, quatuor uncias, tres ſicilicos, ſcriptulum: unde & *ſembella* vel *ſingula* pro duabus unciis, ſicilico, quatuor ſcriptulis, & *teruncius* pro uncia quinque ſcriptulis habebantur. Sic *libella teruncius* dicebatur in rationibus ad ſeſtertium pro ſemiſſe, ſic *duæ libellæ ſingula* ponebantur pro aſſe, ſic *tres libellæ ſingula teruncius* ſcribebantur pro aſſe & ſemiſſe, omnibus nummis æreis; & ſic deinceps, de quibus inferius. Non aliter accipio apud Ciceronem ad Atticum lib. VII ep. II de teſtamento Curii: *fecit palam te ex libella, me ex teruncio.* Ubi Boſii *exlibratus* & *exartuatus* cum *geronibus* & *tortorii uncis*, cum Popmæ *ex liberatu* & *ex gravatu* concoquant, quorum dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt. Nihil melius vulgata. quam ſic interpretatur Manucius: fecit te hæredem omnium bonorum: nam *libellæ* nomine ſignificatur as ſive omnis hæreditas. Unde igitur Ciceroni *teruncium,* ſi aſſem habet Atticus? Hoc ita eludit, ut dicat, ſcriptum fuiſſe in teſtamento, ut Atticus ex aſſe hæres, quadrantem Ciceroni reſtitueret. Sed hoc ferri non poteſt, neque ex ejuſmodi inſtitutione is ſenſus elici. Si recte haberent cætera, eo referendum eſſet, quod teſtatores interdum in diviſione aſſem excedebant: de quo Juſtinianus π. VII Inſtit. de hæred. inſtit. & eodem titulo leges XIII π. IV, & XLVII π. I in Digeſtis. Qua ratione Ciceroni ex quindecim unciis vel partibus tres, non vero e duodecim, evenirent. Quæ quindecim ſi reducantur ad duodecim, Atticus novem partes & tres quintas unius, Cicero duas partes & duas quintas unius haberent: hoc eſt, ille dodrantem ſemunciam, ſeptem ſcriptula paulo minus, hic ſextantem quinque ſcriptula paulo amplius. Sed majus incommodum hujus explicationis, quod *libellam* pro aſſe, *teruncium* pro quadrante ponit, qua notione jam ante duo ſecula uſurpari ea vocabula deſierant. Popma profert conjecturam alteram: fecit hæredem te *ex libella* ſive ſeſtertii decima parte, me *ex teruncio* parte ſeſtertii triceſima, (quadrageſimam voluit dicere) id eſt, minima pecuniola, è qua hæredem nemo inſtituit. Accepit pro teſtamento ridiculo, quo totus as eſſet ſeſtertius, opinor. Alioqui non diceret ex tantulis partibus hæredes nullos inſtitui. Sed *ex libella* eſt ex quatuor unciis, tribus ſicilicis, ſcriptulo: *ex teruncio* eſt ex uncia & quinque ſcriptulis: quæ partes quia non exhauriunt totum aſſem, intelligendum ex reliquis partibus alios ſcriptos, quos nominare non fuit operæ Ciceroni. Nec mirari debemus ex tantillis partibus hæredes ſcribi. Cicero lib. XIII, ad Attic. ep. XLVIII. *Mortuus eſt Babullius. Cæſar opinor ex uncia: etſi nihil*

adhuc:

adhuc: sed Lepta ex triente. Ubi similiter tacitos transmittit ex aliis partibus hæredes. Pro Cæcina: *Facit hæc hæredem ex deunce & semuncia Licinium, ex duabus sextulis M. Fulcinium; Æbutio sextulam adspergit.* Sic hoc ipso libro epist. VIII. *Dolabella cum duobus aliis hæres est ex triente*, id est paullo plus uncia.

CAPUT II.

Quartum Hotomanni argumentum rejectum. Veterum ἀκρίβεια in concipiendis pecuniæ summis. Cur non dixerint unum sestertium pro mille nummis. Bina sestertia. Cæsar post victoriam civilem pro congiario binis millibus in conducto habitantes Romæ annua, in Italia trium mensium mercede dominis soluta liberavit. Suetonius illustratus & cum Dione conciliatus. Cæsar idem pro donativo in peditem vicena millia dedit: pro rata centurionibus, equiti, tribunis. Suetonio reddita pristina lectio. Nonii annulus apud Plinium tentatum. Lapides aliquot veteres explicati. Cyprianus emendatus. Arca Pontificum. Cur decies, vicies, tricies &c. maluerint quam mille sestertia, duo millia sestertium, tria millia sestertium, ea voce sestertia pondera signante. Cur decies maluerint quam millies pro decies centenis millibus nummum. Cur in decies sestertio maluerint centies intelligere quam exprimere.

„ Pergit Hotomannus interrogare: Si *sestertium* uno verbo dici pro mil-
„ le sestertiis potuisset, qua de causa nunquam veteres verbum illud
„ usurparunt, sed semper *mille sestertios* dixerunt, *unum sestertium*, aut *sin-*
„ *gula sestertia* nunquam? At vero, quid opus fuit duas voces pro una frustra consumere? Hoc posterius præcipitavit oblitus humanitatis elegantiæque suæ, quæ norat Romanis amata, non in jure modo, sed prope in omnibus rebus solennia verba & formulas, non sæpius compendia loquendi quam circuitiones? Quid opus fuit dicere, *Quod natum est*, pro infante, *Qui consuluntur*, pro jurisperitis, *Qui res judicant*, pro judicibus? Quid opus molesta illa designatione dierum per Calendas, Nonas, Idus, cum simpliciter, ut nos vulgo, numerare possent? Quid opus fuit dicere *semunciam sicilicum* pro asse denarii? *dupondio & dodrante altum sulcum*, pro duobus pedibus & duodecim digitis, seu novem pollicibus? *trientem sextulam* jugeri pro decem millibus pedum? Sed maxime ingeniosos fuisse veteres in supputandis summis pecuniæ, nec fastidio magis quam summa ratione, res ipsa docet. *Sestertios* vel *nummos* eodem casu, quo numerale adjectivum, dicebant usque ad millesimum. *Mille* quidem *nummos* pari modo, sed præterea & sæpius *mille nummum*, *mille sestertium* amabant, ut intelligerent pondus vel pecuniam, sed illud potius, quia fere neutrum adjectivum respondet. In quo male substantivum & singulare *mille* viris doctissimis creditum est. Unum *sestertium* pro hac summa refugerunt, non quia *pondo*, quod intelligebatur, esset plurale, ut viro maximo placitum, sed ut vitarent ambiguitatem, quæ exstitisset ex hac voce similiter pronuntiata de sestertio

nummo

nummo & ſeſtertio pondere. Quod ubi ambiguitatis nullum periculum, & jam conſueſſent aures τῷ *ſeſtertia*, cum adverbio admiſerunt. In quam rem eleganter Varro lib. IX de L. L. *Unde autem ratio analogiæ debuit ordiri, utrum ab ſingulari re in multitudinem, an contra? Neque enim ſi natura ab uno ad duo pervenit, idcirco non poteſt amplius eſſe in docendo poſterius, ut inde incipias, ut, quod ſit prius, oſtendas.* Dicit etſi natura proficiſcatur ab uno, tamen evenire interdum, ut poſterius ſit amplius & promptius ad docendum. Et mox: *Quare in demonſtrando, quoniam potius proficiſci oportet ab eo quod apertius eſt, quam ab eo quod prius eſt* &c. Hinc ſemper abdicato recto aut alio caſu æquo per ſecundum enuntiabant: *duo millia nummum, duo millia ſeſtertium, duo millia ſeſtertium nummum:* & contractius *duo millia*, vel *bina millia.* Hinc etiam incipiebant dicere *bina ſeſtertia*, nempe pondera argenti in nummis pro eadem ſumma: hæc apud Suetonium in eadem re quinas minas vertit Appianus. Idem Suetonius in Julio cap. XXXVIII. *Annuam etiam habitationem Romæ uſque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos ſeſtertios remiſit.* Omitto Sabellicum, qui hic facit inauditum vectigal, ab iis, qui cives non eſſent, Romæque aut in reliqua Italia negotiarentur, ærario pendi ſolitum. Immo adfirmare auſim neminem niſi cives hoc beneficium Cæſaris ſenſiſſe. Torrentius ita interpretatur, ut qui cives Romani in conducto habitarent, ſive Romæ, ſive in Italia, nec plus penderent quam bina millia aut quingentos nummos, anno uno Cæſaris beneficio a penſione liberarentur. Quod ſi voluiſſet Suetonius, dixiſſet, *uſque ad quingentos ſeſtertios.* Nihilominus hac ſententia imbutus & Caſaubonus optimum Suetonii interpretem Suetonio facit contrarium. Is eſt Dio lib. XLVIII. Τὸ ἐνοίκιον τοῖς μὲν ἐν τῷ ἄςει μέχρι πεντακοσίων δραχμῶν οἰκοῦσι πᾶν, τοῖς δ' ἐν τῇ λοιπῇ Ἰταλίᾳ κατὰ τὸ τέταρτον ἐνιαυτοῦ ἑνὸς ἀφεθῆναι. Putat autem falli Dionem: quia caro in urbe conſtabant habitationes, propterea tam diverſas penſionum ſummas exprimi: mentem autem & Cæſaris & Octavii (de quo Dio loquitur renovante poſt Philippenſe prælium eandem largitionem) fuiſſe, ut non niſi ad tenuiores hoc beneficium pertineret: pauperes autem adæque, qui in Italia quingenis ſeſtertiis habitarent, quique in urbe binis millibus. Sed non diſſentiunt Dio & Suetonius, ſi hic recte explicetur, nimirum *uſque ad bina millia* habitantibus, ſeu qui binis millibus habitarent, ſive Romæ, ſive in Italia, iis largitum aliquid Cæſarem: Romæ quidem iis *remiſiſſe habitationem annuam*, hoc eſt, pro iis ſolviſſe de ſuo dominis ædium omnem penſionem anni; qui in Italia, iis remiſiſſe habitationis annuæ *non ultra quingenos ſeſtertios*, hoc eſt pro iis tantum pependiſſe *quingenos ſeſtertios*, quæ non niſi trium menſium penſio erat. Quater enim tres menſes in anno, & quater quingeni ſeſtertii, bina millia. Non autem niſi tenuiores, qui binis millibus habitarent ſive Romæ ſive in Italia. Quo pertinet exprobratio Sullæ facta ab proſcripto, dicente, ὅτι πολὺν χρόνον ἐν μιᾷ συνοικίᾳ

 σιω δὴ

συνδιητώντο, φέροντες ἐνοίκιον, αὐτὸς μὲν τὸ ἄνω, δισχιλίους νούμμους· ἐκεῖνος δὲ τὸ ὑποκάτω, τρισχιλίους· ὥστε τῆς τύχης αὐτῶν τὸ μεταξὺ, χιλίους νούμμους εἶναι, οἳ πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμὰς Ἀττικὰς δύνανται, ut scribit Plutarchus in principio Sullæ. Quod amplius urbanis contigit, datum est honori urbis, quæ caput rerum. In eodem Suetonii * capite est: *Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina sestertia, quæ initio civilis tumultus numeraverat, in equites vicena quaterna millia nummum dedit.* Densæ hic etiamnum viris præstantissimis, inter quos Hotomannus, tenebræ: quibus interluxit aliquando quidem veritas, sed oculis caliginosis accepta & repudiata est. Codices scripti, Vaticanus, Memmianus, Viterbiensis, Pithœi non habent τὸ *in equites*; nec Groslotianus τὸ *quaterna*. Hæc ipsa Suetonii scriptura est, consentiuntque Appianus & Dio. Ille luculente: ἀφ' ὧν εὐθὺς ἐπὶ τῷ θριάμβῳ διένειμε, τὰ ὑπεσχημένα πάντα ὑπερβάλλων, στρατιώτῃ μὲν ἀνὰ πεντακισχιλίας δραχμὰς Ἀττικάς· λοχαγῷ τὸ ἔτι διπλάσιον· καὶ χιλιάρχῳ καὶ ἱππάρχῳ τὸ ἔτι διπλάσιον. Dio autem: τοῖς στρατιώταις πεντακισχιλίας ὅλας διένειμε. Quinque autem millia drachmarum, vicena millia nummum. Τὸ *in equites* adjecerunt, qui putabant pedites frustra nominari, nisi & equitum mentio fieret. At Suetonius de solis peditibus commemoravit, quum omnibus notum esset, quod peditibus daretur, id duplicari centurionibus, dari triplex equiti, quadruplum tribunis & præfectis equitum. Hoc mihi tam perspicuum videtur, ut palpari possit, & suspicatus hoc ipsum fueram, priusquam scivi tot MSS. eas voces inducere. Jam τὸ *quaterna* delendum clamant Dio & Appianus. Sed, inquit Casaubonus, quia plurima & antiquissima exemplaria voces illas retinent, non est dubitandum, errare illos graviter, (Lipsium significat lib. II Admir. cap. XII.) qui iis inductis belle a se locum constitutum censent. Gravis animadversio subscriptione atque argumento perlevi, cum sæpenumero unius exemplaris scriptura contra omnes alios probanda sit. Est enim, pergit, probabilius multo librarios, homines ut plurimum literarum rudes, verba quædam legitima omisisse quam de suo alia addidisse. Sane si soli literarum rudes nec arrogantius de sese sentientes veteres libros tractassent. Nunc audemus in contrarium adfirmare plerisque in antiquis libris potius addendo quam demendo esse peccatum: & testes damus duos duorum optimos codices, Nazarianum Senecæ & Puteanicum Livii, quibus pejores infinitis locis pleniores sunt suffertioresque, & ut quidque in illis aut parvulam mutationem literæ vel syllabæ, ut quidque explicationem non satis promptam & obviam requirebat, additamentis deformatum habent. Nimi-

* Hoc loco adscripsit pater [*Abramus in Orat. Cic. pro Rabir. p.* 283] Quid proprie voluerit, ignoro. Citat ille quidem partem loci hujus Suetoniani, sed non ut huc pertineat. In ipso isto Abrami excessu plurima video ab eodem notata, omnino errorum plena. An eis in hac parte locum forsan destinavit?

rum

rum ita præceperat animo vir, oculatiſſimus alioqui, conjecturam ſuam, ut meliores libros agnoſcere non poſſet. Ea eſt: *in pedites &c. vicena, in equites quadragena* vel *quadragena quaterna:* præterquam quod longiſſime diſtans a laudatis illis plurimis antiquiſſimiſque exemplaribus, nec Dioni Appianoque conſentiens, etiam eo peccans, quod non ſervat proportionem ſemper in hujuſmodi congiariis ſervatam, ut quod pedites acciperent, id triplex conferretur equiti. Lapis antiquus de ſepulcro C. Lucilii C. F. Vel. Vindicis: *hoc. teſtamento. fieri. juſſit. honoris. pietatiſque. cauſſa. ſibi. &. C. Lucilio. Secundo. Patri. &. Luciliae. ſuae. aviae. ex. HS.* ∞ ∞. *praelegatis.* Meurſius de funere cap. XLIV explicat *ſeſtertium bis mille*, id eſt centum millia florenorum. Immo *duo millia nummum*, quæ prælegavit hic beneficiarius tribuni, deinde optio in centuria, non excedunt centum quinquaginta florenos. Apud Plinium legitur lib. XXXVII cap. VI Nonii ſenatoris proſcripti ab Antonio annulus *ſeſtertiis viginti millibus* æſtimatus. Hinc iſtius annuli pretium fuiſſe *viginti mille ſeſtertia*, quæ ſint decies centena millia florenorum, annotat homo doctus. Mirabar quos florenos intelligeret (ſunt enim diverſorum populorum diverſo pretio) cum vidi bona fide mutuatum eſſe a Meurſio cap. V de luxu Rom. At *viginti mille ſeſtertia* ignorant veteres juxta cum *viginti millibus ſeſtertiis. Viginti millia ſeſtertium* ſane norunt: ii ſunt noſtri nummi aurei quingenti, multum ab illa differens ſumma. Itaque ſi majus pretium ejus annuli fuiſſe credibile eſt, quem fugiens Nonius e fortunis omnibus unum ſecum abſtulit, facias licet vel HS. $\overline{\text{CC}}$. *ſeſtertium ducentis millibus*, quæ quinque millia noſtrum aureorum: vel HS. $\overline{\text{XX}}$. *ſeſtertio vicies*, quæ quinquaginta millia: ſumma ampliſſima, ſed longe infra Meurſianam. Sic cap. XIII *triginta millia* putat eſſe amplius *centies ſeſtertio:* & hoc quidem quinquies centena millia florenorum, illa quindecies interpretatur. At *centies* facit ſepties centena quinquaginta millia florenorum, *triginta ſeſtertia* duo millia ducentos quinquaginta: utrumque autem in loco Lampridii vitioſum, ut alii viri docti monuerunt. Lapis antiquus: *L. Porcio. Saturnino. quae. pro. hon.* L. XX. N. P. *ut. aes. alien. reipubl. Cartimitan. lib. amici. fac. curaverunt.* Scaliger interpretatur *ſeſtertia viginti millia nummum pendit.* Debuit vel *ſeſtertium*, vel ſaltem procul habere τὸ *millia:* ut eſſet quemadmodum Horatii, *bis dena ſuper ſeſtertia nummum.* Poſſis & interpretari: *qui*, vel *quod pro honore ſeptuaginta millia numeravit præſentia, ut æs alienum reipublicæ Cartim. liberaret* vel *liberaretur.* Lapis Tiburs: *Hoc. monument. ſi. quis. donare. aut. vendere. voluerit. inf. arkae. PP. Rom.* HS. L. M. N. Pet. Servius cap. VI Miſcellan. (quæ ſervo Romæ donata ab auctore immature defuncto, amoris & doloris mnemoſynon) interpretatur: *inferat arcæ populi Romani ſextertia quinquaginta millia numero.* Dicendum eſt: *ſeſtertium quinquaginta millia nummum.* Uti expreſſum in quarto fol. DCVIII apud Gruterum: niſi quod errore latomi, & ibidem, *ſeſtertios.* Sic &

ſcribendum eſt apud Cyprianum de redemptione captivorum epiſt. LIX. *Miſimus ſeſtertium centum millia nummum.* non *ſeſtertia*, ut editur, probatque Scaliger. Nec arbitrii noſtri eſt, utrum malimus, nec ſuſpectum vulgatum eſt, quod ſummam nimis magnam ſignificet, ut Pamelius dubitat: nullam immo Latine ſignificat, nunquam Romano ſtylo exiit. *Seſtertium centum millia nummum* & *centum millia nummum* vel *ſeſtertium*, & *centum millia* & *centum ſeſtertia* dicebatur: non vero *ſeſtertia centum millia nummum*, quemadmodum nec *centum ſeſtertia millia.* Æque barbara & rejicula ſunt, *bina ſeſtertia millia*, *ſeſtertii bina millia*, *ſeſtertia bina millia nummum.* Colligit autem illa Cypriani ſumma non viginti quinque millia librarum, quæ in Galliis appellantur, ſed ſeptem millia quingentas, coronatorum duo millia quingentos. Diſplicet etiam in Servio noſtro: *arca populi Romani:* quamvis haud ſecus explicet Scaliger cap. XVII Indicis. *Ærarium* ſolent hoc appellare, non *arcam.* Verum eſt: *arcæ Pontificum Romanorum.* quæ ſæpe nuncupatur in aliis monumentis. Ut in octavo fol. DCLII. *prius. inferat. arcae. Pontificum. Rom.* ꟷꟷ. C. M. DEN. Videtur fuiſſe: DC. N. Seſtertium centum millia ſexcentos nummos. nam denariorum mentio huc non quadrat. Rurſum cap. VII. *Si. quis. in. hac. arca. alium. poſuerit.* Q. Q. S. S. *dabit. coloniae. noſtrae. penai. nomine,* * * —. Servius explicat, *quinquaginta ſeſtertios*, vel *quingentos ſeſtertios.* Quæ patitur quidem Latinitas, ſed nunquam illis notis ſignabantur. Explicandum cum Scaligero: *quam qui ſupra ſcripti.* Summa autem, ad quam damnantur, vitiato & exeſo lapide intercidit. Illa igitur, ut dixi, longa ſerie ſic efferebantur. Et nummorum quidem numeratio attollebatur uſque ad ſeſtertium nongenta nonaginta novem millia nummum. Quæ ſequitur ſumma, non poterat ab illis, ut nobis, geminato millenario efferri: non enim *mille millia* nec *millies millena* dicebant: ſed quoties hic numerus duplicandus eſſet, priorem efferebant per *decies centena.* Hinc Plinius lib. XXXIII cap. X. *Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia: itaque & hodie multiplicantur hæc, ut decies centena millia aut ſæpius dicantur.* Ergo non ῥωμαΐζουσι viri docti, qui inventa ab Alexandro Perſepoli centum & viginti millia talentum aiunt efficere noſtrorum aureorum *ſeptuagies bis millena millia*, 72000000: (Romane pronuntiandum erat, *ſeptingenties vicies centena millia:*) addita Suſis exhauſta quinquaginta millia talentum, aureorum *bis & centies millena millia*, 102000000; (Romane *millies vicies centena millia:*) quibus ſi adjungantur ſex millia talentum, quæ faciunt tricies ſexies centena millia, 3600000, exiſtere volunt centum & octo milliones, ſeu *centies octies millena millia* Philippeum ſive aureorum. In quo poſtremo & concipitur & pronuntiatur male ſumma: dicendum erat *millies octogies centena millia*, 108000000: ſumma autem exiſtit longe minor, nimirum millies quinquagies ſexies centena millia aureorum, 105600000: qui noſtri centum quin-

que

que milliones cum sexcentis millibus aureorum. Sic & quingenta millia talentum, quæ Cyrum devicta Asia reportasse testatur Plinius, aureorum nostrorum non *trecenties millena millia*, sed *ter millies centena millia* numerarent Latini. Sic igitur dicebant *decies centena millia nummum*. *Mille sestertia* num dixerint, ambiguum reddit locus Ciceronis in Verrem de Prætura urbana: *Accepi vicies ducenta triginta quinque millia quadringentos decem & septem nummos. Dedi stipendio, frumento, legatis, pro quæstore, cohorti prætoriæ, sestertia mille sexcenta triginta quinque millia quadringentos decem & septem nummos. Reliqui Arimini sestertium sexcenta millia.* Sed verendum, ne quum scriptum esset, HS. $\overline{\text{X}}$ id degeneraverit in HS. ∞. Nullo certe alio loco reperitur, cum passim *sestertium decies*. Nam quemadmodum proximarum grandium summarum nuncupationem contraxerant, vice nummum modulo argenti, qui duas argenti libras & selibram in nummis complecteretur, usurpato: ita mox his quoque aptum compendium invenerunt per eundem modulum, sed ingeniosa varietate; vocem enim prius plurali numero enuntiatam & multiplicatam per adjectiva numeralia, dehinc singulari positam numero per adverbia amplificarunt. Utrumque summa ratione, quam quia nemo dum in lucem protulit, confessione Varronis & insultatione Hotomanni commoti, persecuti quærendo sumus, & aliquid dumtaxat ejus invenimus. Si numerum non mutassent, vix potuissent collectione illa nummorum per sestertia ultra mille uti, quod semper fuisset ambiguum, sestertiane an sestertii intelligerentur. Etenim, ut res ipsa se oculis ingerat, ut decies sestertium dixerunt pro eo, quod simplicius fuisse videatur *mille sestertia*; ita vicies pro eo quod hac ratione pergendo *duo millia sestertium*, pro tricies *tria millia sestertium*, pro quadragies *quatuor millia sestertium*, pro centies *decem millia sestertium*, pro ducenties *viginti millia*, quingenties *quinquaginta millia*, millies *centum millia*, decies millies *decies centena millia sestertium*. Atqui eadem omnia, *duo millia sestertium*, *tria millia sestertium* & reliqua, jam occupaverant in formis nummorum numerandis, & tam certo, ut *duo millia*, *tria millia*, *centum millia*, omisso vocabulo vel *nummum* vel *sestertium*, non de aliis, quam de nummis sestertiis, prius duum semis, dein quatuor assium, intelligerentur. Fœda igitur tum fuisset summarum confusio & ambiguitas quotidie inexplicabilis, nec, quod maxime in nominibus imponendis spectatur, ulli summæ in hoc genere quid proprium relinqueretur. Quis potuisset divinare, si cui legata essent *decem millia sestertium*, deciesne centena millia, an decem millia nummum testator voluisset relicta, cum utraque summa prorsus eodem modo efferretur? Quis jure culpasset Tiberium, si *sestertium quinque millia*, Galbæ præcipua data, non quinquagies, sed totidem nummos fuisset interpretatus? Profecto cavillationum & litium in contractibus ac testamentis finis fuisset nulla, quum illi, unde peteretur, *tot millia sestertium*, nummos totidem, pe-

titores sestertia totidem significare contenderent. Hæc ratio, justissima mehercule, fuit illi, quisquis fuit, callido in primis homini, qui computandi gradus hos invenit, numerum vocis *sestertia* mutandi, ubi quia τὸ *millia* comparebat, non poterat vox *sestertia* nisi genitivo plurali pronuntiari, & usum singularis vocabuli cum adverbiis comminiscendi. Mirare nunc tam sero singulare sestertium adverbiis copulatum, nec, quod indulgebat analogia, properatum in eo genere computandi, antequam decies centena millia nummum procederent. Mirari dignum: ita provide sapienterque factum est. Potuissent enim vel a centum millibus, vel ab decem millibus, vel a mille nummis, qui libram argenti sestertiam, seu duas & dimidiatam libras constituunt, ordiri: hi sunt illi, quorum Varro meminit numerorum gradus, centenarius, denarius, singularis. Quod si pro centum millibus, seu ἀντὶ τοῦ *centum sestertia*, dixissent *centies sestertium*, permultæ grandium summarum appellationes, commodissima illa atque indubitata brevitate enuntiandæ, defecissent. Quod enim inter hoc *centies*, significans centum millia nummum, vel centum sestertia, & decies centies intercedit, id eos numeros, qui sunt inter alterum *centies*, significans centena millia nummum, & millies, impedivisset ambiguitate plus quam Delphica. nam qui sciretur, *relicto, dato, dicto centies*, utrum centum millia, an centies centena millia nummum intelligerentur? Idem existebat incommodum, manaretque latius etiam, si altius exorsi *decies* quoque *sestertium* pro decem millibus dixissent. Cujus enim fuisset ingenii discernere, *decies, vicies, tricies*, quando decem, viginti, triginta millia, quando decies, vicies, tricies, centena millia designarent? Unica erat ratio tantas ambages exeundi, si totum illud quantivis pretii inventum de *Decies, Centies, Millies*, pro toties centenis millibus abolerent: & post *nongenties sestertium*, acceptum pro nongentis millibus, statim dicerent *millies* pro decies centenis millibus: quando &, absque illa fuisset ambiguitate, insolens foret inexspectatumque post *nongenties* dicere solum *decies*, ut numerum centenarium denarius subsequeretur. Igitur *millies sestertium* fuisset illud, quod nunc est decies. *millies centies*, quod undecies: *millies ducenties*, quod duodecies: *bis millies*, quod vicies. Quo pacto omnibus illis vocibus numerorum, quæ sunt a *decies* (ut nunc est) ad *millies* usque, fraudati fuissent. At ne ab uno inciperent, in causa fuit, quia ineptum & supervacaneum erat dicere *semel sestertium*, quod nuda vox *sestertium* per se significaret. Qua tamen nuda in hanc significationem uti noluerunt vitandi rursus ambigui gratia, quod maxime ex obliquis casibus ejus vocis oreretur: *sestertii* enim, *sestertio, sestertium* cum audiebantur, utrum nummum denotarent, an pondus libræ, incertum audientibus relinquebant. Hæc vera & unica ratio est, quare & pro mille nummis *unum sestertium* dicere timuerint: at *bina sestertia*, & sic ordine, ubi nullus ex ambiguo error restare potest, non timuerunt. *Bis* tamen *sestertium*, *ter sestertium* ἀντὶ τῶν

bina

bina sestertia, tria millia, non admiserunt: quippe ita si dixissent, & *decies sestertium* pro decem millibus, & *centies sestertium* pro centum millibus dicendum habuissent, eoque incommoda illa, quæ jam exposuimus, incurrissent. Sed etiam adverbia, *semel, bis, ter, quater*, nominibus adjectivis, inprimis numerorum, sine apposito verbo (quod tamen semper intelligitur) raro junguntur, (rarius substantivis) præterquam apud Technicos & poetas. Ideo nunquam apud Cæsarem, Sallustium, Livium, Curtium invenies *bis mille equitum, ter mille militum, quater mille sociorum*, sed *duo, tria, quatuor millia*: nisi forte uno alterove corrupto loco: quod debuissent observare homines docti & Latini sermonis studiosi, qui in historiarum libris passim ista inculcant. Igitur per hanc quoque rationem abstinuerunt τὸ *sestertium* cum adverbio numerandi jungere, donec, si non necessitas, certe summa commoditas, loquendi genera alias insolentia & prosæ vitata illis extorqueret, eaque frequentando usitatissima redderet. In quibus etiam novo ellipseos ingenio effectum est, ut commodius & sine ambiguitate ad maximas quasque summas efferendas sufficerent. Potuissent enim statim dicere, *millies sestertium* pro binis millibus quingentis libris argenti in nummis, seu decies centenis millibus nummum: sic *bis millies* pro vicies, *ter millies* pro tricies. Sed ita, ut modo diximus, omnibus illis gradibus, qui sunt a *decies*, ut nunc accipimus, ad *millies* usque caruissent, nec tam breviter majores summas nuncupare quivissent. Ipsum enim, quod nunc *millies* est, fuisset *centies millies*, quodque nunc ducentos & quadraginta milliones, ut hodie loquuntur Itali, & ab illis accepimus, insuperque decem aureorum millia significat, id tum duos dimidiatum solummodo milliones significasset. Tantum profecerunt ad commodam & compendiosam amplissimarum summarum appellationem faciendo in illo gradu non *millies sestertium*, sed *decies centies sestertium*. Præterea cum altius escendissent, non potuissent evitare, ne numerum eundem per se nullo alio interjecto multiplicarent: id quod cavisse Latinos vel ex illo simpliciore *decies centena millia nummum* colligitur: sic enim dixerunt, quod ferre non possent *millies mille* aut *millena* aut *millia*, vel etiam *mille millia*: sic pro *bis mille* vel *millies* vel *millena millia* dixerunt *vicies centena millia*. Igitur si dixissent *millies sestertium* pro eo, quod nunc contractum ex *decies centies* est *decies*; etiam pro eo quod nunc *millies* est, erat dicendum *centies millies*: nec hactenus vexantur aures: at pro *decies millies* fuisset *millies millies sestertium*, pro *vicies millies* habuissent *bis millies millies*. Quod quidem sero potuissent mutare in *decies centies millies*, *vicies centies millies*, &c. paucisque gradibus ita processissent: sed hoc mox altero nihilo mollius erat futurum, quum pro eo, quod nunc *centies millies* dicunt, efferendum esset, aut *decies millies millies* aut *centies centies millies*: sic pro *ducenties millies* habuissent *vicies millies millies*, aut *ducenties centies millies*: rursum *tricies millies millies* aut

trecen-

trecenties centies millies pro *trecenties millies:* & ſic deinceps. Quæ omnia inſuavia, ingrata, dura, ut lapides, non voces, ſonare videantur, prævenerunt pro *millies ſeſtertium* poſt nongenta nonaginta novem ſeſtertia fingendo *decies centies ſeſtertium.* Brevi poſt & apparuit τὸ *centies* melius reticeri & ſubaudiri. Quod Scaliger laudat Latinorum elegantiam in reticendo numero millenario, id huc transferre debuit, & centenarium dicere. nam τὰ *decies, vicies, tricies* &c. multiplicant includuntque tacite centenarium. Igitur illud *centies* ſi expreſſum, & non intellectum fuiſſet, primum non tam breviter apteque totum illud genus expediviſſent, & ad tædium uſque ac ravim iterandum habuiſſent idem *centies.* Nec levem hanc cauſam putes, quum & ſingulas voces eodem fine deſinentes & ordine repetendas curtas redderent in computando celerius procedendi gratia: inde apud Voluſium Mæcianum; *ſemis, quatrus, quinques, ſexis, ſeptus, octus, nonus, decus.* Deinde poſtquam ad ipſum *centies* ventum eſſet, incurriſſent in rem, a qua maxime abhorrebant, idem numeri vocabulum per idem amplificando. Itaque qui gravati eſſent dicere *millies millena* vel *millies millia*, illis fuiſſet dicendum, *centies centies ſeſtertium, ducenties centies ſeſtertium, trecenties centies ſeſtertium* &c. atque ad eandem nauſeam rediiſſent, ubi poſt millies nonagies veniebat nominandum *millies centies centies ſeſtertium, millies ducenties centies ſeſtertium, millies trecenties centies ſeſtertium* &c. rurſum *bis millies centies centies ſeſtertium, bis millies ducenties centies ſeſtertium* &c. Sic in *ter millies,* & cæteris plurimis. Hæc intolerabilia Romanis auribus accidebant, & ideo optimum viſum una litura expungere illud toties moleſtum ac nimium futurum *centies*, quoque uno modo nec obtundere putantem & tamen juvare rationem poſſet, decrevere ſemel omiſſum illud in omni ſupputatione per adverbia intelligendum eſſe. Sic exiit tandem pro decies centenis millibus nummum breviſſime & ingenioſiſſime conceptum ſolum *Decies ſeſtertium:* poſteriore voce jam non accepta pro nummo, ſed pro pondere argenti ſeſtertio binarum & dimidiatæ librarum: nec genitivo plurali (neque enim ut *adfatim argenti,* ſic *decies,* aut *vicies argenti* Latine dicitur, aut ullus exſtitit tam ridiculus magiſter artis Grammaticæ, ut adverbia numerandi genitivum regere doceret) ſed ſingulari recto: quæ vox ſignificat id pondus, quod ſummam continens mille nummum adverbio numerandi toties multiplicari intelligitur, iis autem variatur caſibus, quos requirunt vicina verba, a quibus regitur. Nunc exſiſtat aliquis & nobis impingat Hotomanni interrogationem: Cur nunquam duo, tria, quatuor millia, grandiorum ſeſtertiorum dixerunt, ſed ubi ad nongenta nonaginta novem perventum erat, tum repente velut dæmonio Socratico revocati converſa ratione ad minores (nummos voluit dicere, nulli enim ſunt minores & majores ſeſtertii) redierunt ac dicere cœperunt *decies ſeſtertium*, quod valet decies centena millia ſeſtertium? Facete quidem luſit in re capitali ſua

vir gra-

vir gravissimus & literis ornatissimus: sed, ut ille filius Tisandri apud Clisthenem, ἀπωρχήσατο τὸν γάμον. Ad priorem partem hujus quæstionis jam est responsum: non enim dixerunt *duo millia sestertium* pro vicies, ne periret certus sensus *duobus millibus* pro totidem nummis. Et sic in cæteris. In posteriori parte falsum sumit, cum dicunt *decies sestertium*, eos reverti ad nummos: non enim nummus in eo intelligitur, sed pondus argenti: & ut decies centena millia nummum succedunt nongentis nonaginta novem millibus nummum, ita alio modo efferendi easdem summas *decies sestertium* sequitur nongenta nonaginta novem sestertia.

CAPUT III.

Τῷ decies sestertium & cæteris hujus numerorum actus semper adjungitur adjectivum vel verbum singulare. Varro correctus. Ciceronis aliquot loca vindicata. M. Cœlii ad Ciceronem illustratus locus. Cæsar emendatus. Advectum sexagies. Advector. In Plauto veterum codicum scriptura defensa, ut & in Statio. Hirtius tentatus, & Asconius Pedianus. Plinius adjutus, & Julius Frontinus. Lapis antiquus explicatus. Duodecies sestertium, quod ad XL usuris perduceretur. Usuræ quadrantes & binæ sextulæ.

Hoc errore plerique omnes literatissimi viri, qui in hac materia elaborarunt, velut visco contacti hæserunt, quum dicitur *decies sestertium*, intelligi *centena millia*, & *sestertia* non dici nisi a binis usque ad nongenta nonaginta novem. Itaque juncturam hanc adverbiorum cum nomine sestertiorum per ellipsin maxime considerandam tradunt, & audent inter vitia sermonis ponere *sestertium* in numero singulari usurpatum, tanquam sine veterum exemplo, etiam ex illis, qui concesserunt *sestertia* esse duas minas semissem. Budæus paullo cautius est loquutus, non tamen melius: „ Quomodo *sestertius* duos & semis asses valet, & *sestertia* singula duas li„ bras & selibram: sic illud genus tertium *sestertii* duo millia & quingentos „ nummos valere posse videbatur. At Portius: Adverbia, cum ad multi„ plicationem alterius numeri apposita fuerint, suum tantum numerum re„ ferunt, ut *decies centena*, *decies millena*: cum vero ad designandam alterius „ rei quantitatem per se reperiuntur, per centum millia multiplicantur, ut „ *decies sestertium*, *decies talentum*. Suspicatur etiam fortassis, apud antiquos hæc adverbia non eadem voce prolata: sed cum per centum millia multiplicari deberent, non *decies*, *duodecies*, *millies*, sed *deciens*, *duodeciens*, *milliens*, interposita litera *n* pronuntiata. Et quum Cicero scribit ex vicesima portorii rerum nomine Verris exportatarum publicanos *sestertia sexaginta perdidisse*, de majoribus, ait, intelligendum: quum inferius argumentando infert res ipsas exportatas *duodecies sestertium* valuisse, intelligendum „ de minoribus. Agricola: Si numerale adverbium jungitur in sestertiis, „ significat tot centena millia. Mox loco Ciceronis adducto in quo est,

 „ *HS*.

„ *HS. decies centena millia*, hæc locutio eſt, inquit, integra: alteriſque duo-
„ bus, ubi, *HS. decies numeratum eſſe*, & *HS. undecies perdidiſſe*: hæ duæ lo-
„ cutiones ſunt conciſæ. Ciacconius: Quam orationem ſæpe contrahebant,
„ ut dicerent, *decies centena millia*, aut *decies centena*, aut *decies* tantum. Sic
„ *centies* & *millies*. nam his numeralibus adverbiis, ſi *centena millia* non ap-
„ ponebantur, ſubintellecta inerant. Sed hæc *centena millia* elidit conſenſus auctorum, ubicumque hoc genere loquendi utuntur, adjectivum aut verbum ſingulare vel apponentium vel ſubjicientium. Quæ huc congeremus, ne quis forte uno Velleii, vel cujuſvis alterius ſcriptoris uno alterove loco eluſo viros doctos putet rem factam habere, & quia credo, ſi illi tot teſtimonia in oculis habuiſſent, futurum fuiſſe, ut ab hac ſententia deterrerentur. Varro lib. VIII de LL. *Nam ut deciens, cum dicatur hoc deciens, ut mille hoc mille, & ſit utrumque ſine caſibus vocis, dicemus ut hoc mille, hujus mille, ſic hoc deciens, hujus deciens: nec eo minus in altero, quod eſt mille, præponemus hei mille, horum mille.* Ita Ms. Voſſianus. Dixerat, quod minora a *deciens* vocabula impoſita eſſent numeris in tertio & quarto actu, non eſſe contra analogiam: eſſe enim in *decies, vicies, tricies, quadragies* &c. ut in *mille*. Vulgo editur, *hoc deciens, ut hoc mille, hujus mille*: ubi duo poſtrema vocabula reſecanda eſſe videramus olim de conjectura: nunc & ſcripto abeſſe vidimus, qui habet & repetitum *mille*. *Deciens* ait dici *hoc deciens*, ut *mille* dicitur *hoc mille*. Quæ etſi male comparet, auctor idoneus eſt ad id quod volumus, nimirum dici *hoc decies*, non *hæc decies*: quod exigebant illa intellecta *centena millia*. Sic *hujus decies*, ut *hujus mille*. Hoc ſufficere ait ad analogiam demonſtrandam. Neque tamen eo minus dici, *hi mille*: ſupple, quum non dicatur, vel *hi* vel *hæc deciens*. id enim manifeſto ingerit argumentatio Varronis. Quid dicemus? ignoraſſe Varronem, quæ eſſet conſuetudo loquendi, & quidem communior, ut illi volunt? Hoc vero ferri non poteſt. Rationem compoſitionis & originem ignorare potuit: ipſam locutionem & formulam, cum in ore omnium verſaretur, ignorare non potuit. Cicero lib. II in Verrem: *De quo vobis priore actione ſatisfactum eſt, ſeſtertium undecies numeratum eſſe.* Lib. III in eundem: *Ita in frumentum imperatum ſeſtertium bis & tricies in annos ſingulos Verri decernebatur, quod aratoribus ſolveret: in alteras decumas ferme ad nonagies. Sic per triennium ad hanc frumenti emptionem Sicilienſem prope centies & vicies erogatum eſt.* In Piſonem: *Nonne ſeſtertium centies & octogies, quod quaſi vaſarii nomine in venditione capitis mei adſcripſeras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſti?* Philippica II: *Ubi eſt ſepties millies ſeſtertium, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat?* Statimque: *Tu autem quadringenties ſeſtertium, quod Idibus Martiis debuiſti, quonam modo ante Kalendas Apriles debere deſiiſti?* Philipp. VIII. *ut ſeſtertium ſepties millies recuperetur.* Lib. III de Officiis: *quum ei teſtamento ſeſtertium millies relinquatur.* Lib. V ad Atticum: *Sed an-*
tequam

tequam proficiscare, utique explicatum sit illud sestertium vicies & octingenta. Potuisset *vicies octies:* sed concepit ut in rationibus Verris: *Accepi vicies ducenta :* & rursus : *quod plus frumenti fecit accepisse istum HS. decies octingenta millia.* At ejusdem libri epist. I, quum solorum *octingentorum* mentionem faceret, subjungit: *quæ quidem ego utique vel versura facta solvi volo.* Famil. lib. v epist.xx. *Neque erat id sestertium tricies, ut scribis, sed novies decies.* Aut si τὸ *id* ad præcedens *nomen* referre mavis, lege, *sestertii tricies.* non enim *triginta millium* & *novendecim millium,* ut voluit Manucius: non enim congruit, *legatum præfectumque meum maxima calamitate levatos.* Eadem epist. *Me omnem pecuniam, quæ ad me salvis legibus pervenisset, Ephesi apud publicanos deposuisse: id fuisse sestertium bis & vicies: eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse.* Lib. XII epist. XXVIII. *Itaque nec de sestertio vicies, nec de sestertio septingenties quidquam agi nunc per senatum potest. tibi autem ex SC. imperandum mutuumque sumendum censeo.* Dionysius Lambinus ad secundam in Verrem, cum oratio sit præcisa *sestertium undecies*, subintelligendumque *centena millia*, miratur non dici, *numerata esse.* Quid si loci „ omnes, pergit, in quibus tale loquendi genus usurpatur, corrupti sunt? „ At dubium non est, quin corrupti sint. Nunquam hoc scripsisset, si omnes semel acervatos contemplatus esset. Gruterus, quia scripti codd. omnes, præter duos, *numeratum,* adhuc, inquit, sustinui me; interim nuto. Matthæus Hostus, in libro de numeratione emendata, cum idem tradidisset „ de *centum millibus* intellectis, id autem, subjicit, adeo verum est, ut etiam „ cum singulari numero, quasi *centum millia* non desiderarentur, conjun- „ gatur. Allinit deinde duo ex iis, quæ modo advocavimus, exemplis. Vide licet, quanta vis sit insitæ semel opinionis ad perperam argumentandum. Ex eo, quod ubique cum singulari conjunguntur adverbia, contrarium colligere debebat. Ad tot igitur Ciceronis locos quin redigendum sit corrigendumque, quod habetur lib. I in Verrem cap. XXXIX. *Hinc sestertium quaterdecies P. Tadio numeratum Athenis:* ut voluit Scaliger, cum vulgo sit, *numerata:* nobis quidem nulla dubitandi ratio superesse videtur. Sed alium hic scrupulum offendit Manucius: *vicies,* ait, *tricies, quadragies,* dixisse veteres pro bis decies, ter decies, quater decies: in Asconio esse XIV, quod fortasse valeat *decies quater centena millia.* Nodum in scirpo quærit: illud quod ille putat non dici nisi *decies quater,* una voce est etiam *quaterdecies:* quod si non aliunde, vel ex Prisciano de ponderibus constaret, ubi ordine referuntur *tredecies, quaterdecies, quinquiesdecies, sexiesdecies.* Porro in grandibus illis summis maluisse Ciceronem, ut omnes, computare per sestertia quam per nummos, ne necesse haberet inserere τὰ *centena millia,* ex collatione locorum perspicuum est. M. Cælius epist. VIII lib. VIII Fam. *Quo vento projicitur Appius minor, ut indicet pecuniam ex bonis paternis pervenisse ad Servilium, prævaricationisque causa depositum* HS. LXXXI. hoc est,

 sester-

sestertium octogies semel vel *octogies & centum millia.* nostrorum aureorum ducenta duo millia quingenti. Quod non suboluit P. Manucio, qui prorsus hoc depravatum suspicatur: nam neque satis magnam confici pecuniam ad emendam prævaricationem & perfectum potius numerum in libris veterum notatum animadverti: videri autem ex ignoratione antiquarum notarum fluxisse mendum, factumque LXXXI ex eo quod fuerit fortasse CCCIↃↃↃ: quæ sestertium erant centum millia, pecuniæ nostratis tria millia (immo duo millia quingenti) scutatorum. quamquam ne hanc quidem corrupto accusatori mercedem pro rei magnitudine satis amplam videri. Sic ille ἀγωνιᾷ, cum sit nihil negotii interpretari, ut dixi. Cæsar lib. I de bello civili cap. XXIII. *Sestertium sexagies, quod advexerat Domitius atque in publicum deposuerat, allatum ad se ab duumviris Corfiniensibus Domitio reddit, etsi eam pecuniam publicam esse constabat.* Ita namque legendum judicabamus etiam ante, quam MSS. & ex illis Edd. Gryphianam & Stephanicam sic habere docuisset nos libellus Variarum. Vulgo, *quod aurum adduxerat.* Ciacconius pro vero laudat ex Parisiensi: *quod aurum advexerat:* sed utrumque contaminatum. Verbi fuerat idem mendum apud Ciceronem lib. III in Verr. cap. LXXIX. *Quamobrem enim scriba deducat, ac non potius mulio, qui adduxerit.* Sed recte Lambinus ex MSS. *advexit.* nam & hanc inflexionem verbi requirunt sequentia. Unde probatur omnium MSS. apud Plautum Asin. a. II sc. II. *Quomodo argentum intervortam & advectorem & Sauream.* Pro quo editi, *adventorem.* *Vehere* alioqui etiam est portare antiquis. Et hinc defendenda scriptura vetus in Statio IV Thebaid. 732. *Ergo nec ardentes clypeos vectare, nec arctos Thoracum nexus sufficiunt.* Nam quæ illic affert Barthius, sunt ἀπροσδιόνυσα. Hirtius de bello Africano cap. XC. *Itaque bis millies sestertio his imposito, ut per triennium sex pensionibus populo Ro. solverent.* Scriptis quibusdam deest τὸ *bis.* Forte fuit: *millies sestertio his* (vel *bis*) *imposito, quod per triennium.* Livius lib. XLV. *Sestertium ducenties ex ea præda redactum esse auctor est Antias.* Cornelius Nepos: *in sestertio vicies, quod a patre acceperat.* Horatius lib. II Sat. III. *Scilicet ut decies solidum exsorberet.* Valerius Maximus lib. VII cap. VIII. *Prælegabaturque ei centies & quinquagies sestertium.* Lib. IX cap. I. *Crassus, quanti ipse domum suam æstimaret, interrogavit. Atque, ut respondit, sexagies sestertio: quanto ergo eam, inquit, minoris fore existimas, si decem arbusculas inde succidero? Ipso tricies sestertio, ait Domitius.* Ibidem: *sexcenties sestertium æris alieni contractum famosa injuria nobilium juvenum.* Velleius Paterculus lib. II. *Id gratis, an accepto centies sestertio fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus.* Et rursus: *sestertium septies millies, depositum a Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio.* Monumentum Pallantis de SC. facto sub Claudio commemoratum Plinio minori lib. VII epist. XXIX. *Sestertium centies quinquagies, cujus honore contentus fuit.* SC. ipsum, lib. VIII epist. VI. *Voluisse quidem senatum censere*

ſere dandum ex ærario ſeſtertium centies quinquagies. Et mox: *eam partem ſententiæ, quæ pertinebat ad dandum ei ex ærario centies quinquagies ſeſtertium.* Petronius Arbiter: *Præterea habere in Africa trecenties ſeſtertium fundis nominibuſque depoſitum.* Seneca lib. II de benefic. cap. XXVII. *Hic quater millies ſeſtertium ſuum vidit.* Ad Helviam: *Superfuturum ſibi centies computavit.* Plinius lib. XVIII cap. XII. *Circiter millies ſeſtertium liberalitate D. Auguſti congeſtum, uſque ad detrectationem hæredis exhauſit agros in Piceno coëmendo colendoque in gloriam.* Lib. XXXVI cap. XV. *Incenſa villa ab iratis ſervis concremaretur ad ſeſtertium millies.* Et ibidem: *Erogatum in id opus ſeſtertium ter millies.* Plinius alter lib. III epiſt. XIX. *Quæris an hoc ipſum tricies facile colligere poſſimus.* Lib. X epiſt. III. *Quia mater Romani liberalitatem ſeſtertii quadringenties, quod conferre ſe filio codicillis ad patrem ſcriptis profeſſa eſt, nondum peregerat.* Ubi Germaniæ lumen Con. Rittershuſius: *ſestertium quadringenties* malim in plurali quam in ſingulari numero. Cur ſequitur ergo, *quod?* Si nimis grandis videtur ſumma, lege cum doctiſſimo Buchnero (ſic enim voluit) *quaterdecies.* Tacitus annali III. *M. Piſo exuta dignitate & accepto quinquagies ſeſtertio in decem annos relegaretur.* Lib. IV. *Decretum Corneliæ virgini ſeſtertium vicies.* Lib. VI. *Millies ſeſtertium ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgus, quanto modicus privatis ædificationibus.* Eodem: *donec tulit opem Cæſar diſpoſito per menſas millies ſeſtertio.* Lib. XII. *Ita quinquagies ſeſtertium ex opibus immenſis exſuli relictum.* Lib. XIII. *Et ſeſtertium quadringenties ærario illatum eſt ad retinendam populi fidem.* Lib. XV. *Se annuum ſexcenties ſestertium reipublicæ largiri.* Lib. IV Hiſtor. *Actum in ſenatu, ut ſexcenties ſeſtertium a privatis mutuum acciperetur.* Epitome Livii LXXXIX. *Redactum eſt ſeſtertium millies quingenties.* Auctor dialogi de corruptæ eloquentiæ cauſis: *Nec hoc illis alterive ter millies ſeſtertium præſtat.* Ut legendum monuit etiam C. Barthius. Suetonius Auguſto: *Quamvis proximis annis quaterdecies millies ex teſtamentis amicorum percepiſſet, quod pene omne in rempublicam abſumſiſſet.* Tiberio: *Publice munificentiam bis omnino exercuit, propoſito millies ſeſtertio gratuito in triennii tempus.* Caligula: *adjecit & fructum omnem vectigaliorum & redituum medii temporis, ut Antiocho Comageno ſeſtertium millies confiſcatum.* Glareanus hoc oppido ob-
„ ſcurum dicit: confiſcatum enim participium quod ſubſtantivum habet?
„ fructumne an regnum? an ipſum factum ſubſtantivum? hoc ſenſu, quod
„ confiſcatum erat, erat HS millies. Profecto nimis conſpicuum cæcitatis in loquutione, qua de agimus, percipienda documentum. Eodem: *Totum illud Tiberii vicies ac ſepties millies ſeſtertium.* Galba: *Seſtertium namque quinquagies cum præcipuum inter legatarios habuiſſet.* Aſconius Pedianus in Act. I Verr. *Nam quamvis ſeſtertium octingenties dupli nomine exigi jus eſſet, ſeſtertium tamen quadringenties tantummodo repetitum eſt.* Ita flagitat ſcribi ſententia: vulgo, *exigi uſus eſſet.* Martialis lib. I epigr. LIX, cum *ſeſtertiolum bis decies* dixiſſet, ſubjicit:

Hoc da tu mihi, pluris emam.

Epigr. XCIX.

Non plenum modo vicies habebas.

Ibidemque:

Quasi non foret relictum, sed raptum tibi centies.

Statimque:

Optamus tibi millies, Calene;
Hoc si contigerit, fame peribis.

Lib. III epigr. XXII.

Sed adhuc supererat centies tibi laxum.

Lib. IV epigr. LXVI.

Dic, ubi sit decies, mater quod avara reliquit.
Nusquam est.

Lib. IX epigr. LXXXII.

Bisque tuum decies non toto tabuit anno.

Frontinus de aquæductibus: *Legimus apud Fenestellam in hæc opera Marco decretum sestertium* IV *& octingenta.* id est, *quater millies & octingenta.* Grandis summa, centies centenum decem millium nostrorum aureorum. In margine ponitur alias legi *quater & octingenties:* quæ sunt vicies centena decem millia. Lapis vetus: *quod. unus. omnium. principum. &. solus. remittendo. sestertium. novies. millies. debitum. fisco. non. praesentes. modo. sed. &. posteros. suos. praestitit. hac. liberalitate. securos.* Ut restituit egregie Salmasius ad Spartianum. cujus verba libet apponere: Qui locutionem illam, „ *novies millies sestertium debitum fisco,* minime intelligebant, mirifice locum „ illum conturbarunt, reponendo: *novies millies centena millia debitum fisci:* „ quæ est mera balbuties. In eam summam, quam reposuimus, consentiunt „ etiam veteres Hadriani nummi ab eruditis hominibus prolati: *Reliqua vetera HS. novies millies abolita.* hoc est, *sestertii novies millies.* Sic enim loquebantur. Ubi & recte contra Scaligerum observat, summam eam esse nostrorum aureorum ducenties vicies quinquies centenum millium, seu viginti duorum millionum & quingentorum millium. Appuleius in Apologia: *profiteor, mihi ac fratri meo relictum a patre sestertium vicies paullo secus: idque a me longa peregrinatione & diutinis studiis & crebris liberalitatibus modice imminutum.* Et rursus: *Avus modicum reliquerat, mater sestertium quadragies possidebat, ex quo sane aliquantam pecuniam, nullis tabulis, sed, ut æquum erat, mera fide acceptam, filiis debebat.* Iterumque: *reliquit Rufino huic, non mentior, sestertium tricies devorandum.* Denique: *totum Pudentillæ quadragies præsumptione cassa devorandum.* Tertullianus de habitu muliebri: *Brevissimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies sestertium inscritur.* Spartianus Hadriano: *In caducum parietem nos inclinavimus, & perdidimus ter millies sestertium; quod populo & militibus pro adoptione Commodi*

modi dedimus. Idem in Vero: *collatumque militibus ter millies.* Ubi & ista repetit: *ter millies perdidimus, quod exercitui populoque dependimus.* Eutropius lib. VI. *Galliæ autem tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties.* Macrobius lib. II Saturn. cap. IV. *Æs alienum exsolverat, numerato quadragies.* Et ibidem: *priori alterum centies sua manu junxit.* Lapis Vasione Vocontiorum. *C. Appio. C. F. Vol. Flavo. Praefect. Juuensium. Tribun. militum. leg.* XXI. *Rapacis. Praef. alae. Thracum. Herculaniae. Praef. ripae. fluminis. Euphratis. qui. HS.* XII. *reipublicae. Juliensium. quod. ad. HS.* XXXX. *usuris. perduceretur. testamento. reliquit.* Hæc ita interpretatur Scaliger, "ut voluerit testator, penes rempublicam legatum consistere, quoad ex usuris sors, quæ erat XII sestertia, perveniret „ ad XL sestertia. Ponamus, inquit, XII sestertia unciario fœnori locata. „ XII millia sestertium sunt tria millia denarium, & XL millia sestertium „ sunt decem millia denarium. Ita respublica lucrabitur hoc casu VII mil„ lia denarium. Usura vero annua centesima duodecim millium sestertium „ sunt denarii CCCLX. Hic locus est, in quo vir summus *unciarium fœnus & centesimas usuras* ingenti errore confudit: quem cum aliquoties jure carpat illius successor, ipsum tamen hunc titulum non attigit. Mihi vero intolerabile genus est loquendi: *duodecim sestertia, quod perduceretur:* ejusque exemplum vehementer desidero. Atque interim malim explicare: *sestertium duodecies:* collocatum scilicet sub usuris annuis quadraginta millium. Habes apud ipsum Scaligerum adductum ex monumento veteri: *Huic. monumento.* „ *ex. testamento. legata. sunt. HS.* VII. *a. Sempronio. Severo.* Est simpla „ summa: subjicit, *sestertia septem.* Quod si *legatum* scriptum fuisset, ea „ esset ampla summa, nempe *sestertium septies.* Vides quam vim fateatur esse singularis numeri in talibus: sed fallitur cum putat adverbiis citius esse usos veteres, quam dicendum esset, *decies sestertium.* Sic igitur & in lapide Vasionensi verius *sestertium duodecies.* Reliquus sermo qualis apud Tacitum de mor. Germ. *Fœnus agitare & in usuras extendere ignotum.* nimirum *fœnus extendere in usuras & perducere usuris ad tot millia* videntur eodem modo dici. Cicero lib. XIV ad Att. ep. XI. *De Cluviano, quoniam in re mea meipsum diligentia vincis, res ad centena perducitur.* De quo ep. præcedenti: *Quod quæris, jamne ad centena Cluvianum; adventare videtur: sed primo anno octoginta detersimus.* Voluit testator legatum suum non modo prodesse reipublicæ, sed etiam privatis usurarum commoditate: atque ideo constituit in centum nummos usurarum nomine tres nummos & trientem nummi, in centum denarios pariter tres denarios binosque obolos. Si tres tantummodo essent, usuræ quadrantes forent. Centesima pars centum nummum est sestertius: ejus quadrans est as. Nam sestertium nummum si per assem dividas, uncia erit triens: duodecim enim trientes quatuor faciunt asses, quot habet sestertius: sextans, duo trientes; quadrans, as; triens, as

cum

cum triente; quincunx, as duo trientes; ſemis, dupondius; ſeptunx, dupondius triens; bes, dupondius duo trientes; dodrans, treſſis; dextans, tres aſſes triens; deunx, tres aſſes duo trientes; reſtat triens unus ad complendum aſſem, qui erat nummus ſeſtertius. As igitur uſura menſtrua facit annuos aſſes duodecim, qui tres ſeſtertii. Terni in centenos annui, in millenos faciunt triginta, in decem millia trecentos, in centum millia tria millia, in decies triginta millia, in duodecies triginta ſex millia. Superſunt quatuor millia uſurarum nomine, quæ annuis ternis nummis addunt trientem nummi ſeſtertii. Nam ubi centum nummi pariunt unum trientem, mille ſeſtertii pariunt decem trientes, qui ſeſtertii tres cum triente; decem millia centum trientes, qui triginta tres ſeſtertii cum triente; centum millia mille trientes, qui CCCXXXIII nummi triens; decies centena millia tria millia trecentos triginta tres ſeſtertios trientem: quibus ſi addideris ex ducentis millibus nummum nata duo millia trientum, hoc eſt ſexcentos ſexaginta ſex ſeſtertios & duos trientes, ipſa quatuor millia nummum confeceris. Hunc aſſem menſtruum cum triente, annuos tres ſeſtertios & trientem in centenos, dices *uſuras quadrantes & binas ſextulas*. Nam duodecim binæ ſextulæ, ſingulis quippe menſibus binæ, faciunt trientem ſive quatuor uncias annuas. Seſtertii autem triens, uti dictum, as cum triente. Uncia ſeſtertii erat triens: ergo binæ ſextulæ ſeſtertii ſunt uncia binæ ſextulæ, ſive uncia & triens unciæ. Hoc menſtruum quadranti centeſimæ accedit. Duodecim unciæ aſſem faciunt, duodecim binæ ſextulæ trientem. Habes annuum aſſem trientemque, qui triens erat ſeſtertii. Non aliter ſe res habebit, ſi ad denarium computes. Duodecies ſeſtertium, τριάκοντα μυριάδες, trecenta millia denarium. Quadrantibus uſuris reddunt annua novem millia. Deſunt mille denarii ad æquanda quadraginta millia ſeſtertium. Id faciet triens denarii adjectus in annuos centenos. Nam in centum millia denarium, mille trientes denarii, trecentos triginta tres denarios trientem; in ducenta millia denarium, duo millia trientum, ſexcentos ſexaginta duos trientes; trecentorum denique millium denarium tria millia triens, denarios nongentos nonaginta novem trientem conficiunt: qui tres trientes denarii addunt milleſimum denarium: & ita τριάκοντα μυριάδες, annua reddunt decem millia denarium, ut duodecies quadraginta millia nummum, uſuris quadrantibus & binis ſextulis. Triens denarii, quinque aſſes triens, ſive LXIV unciæ. Uncia denarii, as cum triente, ſive XVI unciæ. Binæ ſextulæ denarii, quincunx binæ ſextulæ, ſeu quinque unciæ & tertia pars unciæ. Hoc menſtruum facit annuum denarii trientem. nam duodecim quincunces ſunt LX unciæ, ſive quinque aſſes; duodecim binæ ſextulæ, triens unus ſive quatuor unciæ. Ita exiſtit annuus denarii triens, puta quinque aſſes triens, vel LXIV unciæ. Hæc nos, quod ad computationem, ut ſolemus, rudiori Minerva: cæterum brevius faciunt artifices. Centum ducta per quadraginta millia faciunt quadra-

quadragies centena millia: in quæ si divides duodecies centena millia, habebis tria trientem. Rursus, ubi centum pariunt tres & trientem, duodecies centena millia necessario faciunt quadraginta millia: nam tria & triens ducta per duodecies centena millia efficiunt quadragies centena millia, in quæ divisis centum existunt quadraginta millia. Nec nimia est summa legati in homine tot locupletibus militiis perfuncto. Plinius de suo se patriæ undecies contulisse ait lib. v epist. vii. Possis & Scaligeri interpretationem *duodecies sestertio* applicare: ut id legatum tamdiu penes rempublicam esse voluerit testator, donec ad quadragies perduceretur. Ita, si centesimis usuris ea pecunia collocata esset, respublica intra paullo minus viginti annos lucratura erat vicies octies sestertium.

CAPUT IV.

Decies acceptum, numeratum & similia non dicuntur intellectu τῶν centenorum millium pretium. *In quatuordecim, in septem, ex septem. Marcianus Capella emendatus & illustratus. Decies acceptum, numeratum non dicitur per syllepsin numeri. In Livio Scaligeri correctio probata. Syllepsis numeri qua ratione constet. Exempla quædam ejus restituta quatuor Livii, duobus Silii locis. Multitudo urbana iere. Pars avidi certaminis. Omnis ætas obvii. Castulo socii Romanorum. Vulgus jacent. Vos Gætule, Vos Calliope. Falso creditæ syllepses: inimicos meos dicturum: delecti nobilissimus quisque mittitur. Appuleius restitutus ex MS. amantium iræ amoris integratio est. Seneca defensus. Mille drachmarum redditæ.*

Hæc igitur universa, sic una &, ut ita dixerim, continenti contemplatione, oculis subjecta, doctissimorum hominum animos percutere & a *centenis* istis *millibus* suppressis eos absterrere, atque ad aliam rationem quærendam excitare potuerunt: quemadmodum Budæum, Cenalem, ipsum Hotomannum, Scaligerum, Salmasium sanequam commoverunt, ut in diversos errores distracti omnes tamen agnoscerent aliquid veri. Alii pauca ex istis, cunctis minus præsentibus, velut in strepitu audita atque aliud agendo memoria repetentes, & his unum alterumve locum corruptum, ubi cum plurali junguntur adverbia, pro integris & nihilo levioris auctoritatis opponentes, eo reciderunt, ut ex sermone non Latino simplicem & regularem, ex ordinario & simplice figuratum facerent. Legitimum enim, *numerata decies*, quod solœcum, non Latinum est; figura excusandum, *numeratum decies*, quod solum semper receptum fuit; eamque figuram modo novam ellipsin τῦ *pretium* aut *negotium*, modo syllepsin numeri esse statuunt. Sic *accepto centies HS.* apud Velleium interpretantur accepto centies centenorum millium pretio: & *sestertium decies numeratum* esse negotium decies centenorum millium sestertiorum numeratum sciscit Scioppius. Hic quia impediunt eos exempla veterum, in quibus τὸ *sestertium* variatur casibus, *sestertii, sestertio,* „ in aliam temeritatem labuntur omnia illa corrigendi. Sic Agricola: *Sester-*

„ *tium* copulatum cum adverbiis scriptores nullo alio casu efferunt, sed his „ duobus conjunctis utuntur, ut aliquo neutrius generis nomine indeclina- „ bili. Etsi autem per ea, quæ superius pro veriore sententia prolixe disputavimus, harum opinionum falsitas facile convincitur: tamen, ut omnem etiam imbecillioris ingenii lectori scrupulum tollamus, propriis eas quoque argumentis urgebimus. Nimirum si potuerunt Latini dicere, *accepto centies sestertium*, ut intelligatur *centenorum millium nummorum pretio*, num quæ causa est, quin & dixerint, *accepto centum* vel *centenum sestertium*, ut pariter intelligatur *millium nummorum pretio*? Nihil proferri potest, quare hæc locutio sit illa durior. Immo mollior multo est, præsertim cum dicerent, *illo mille nummum*, *uno mille nummum*: quum solum numerale interdum cum præpositione ponerent, intellectu substantivi, ut *sedere in quatuordecim*, *sessum in quatuordecim transire*, *scriptum in duodecim*, & similia. Cicero 1 parad. *sapientem illum Biantem, qui numeratur in septem.* Lib. 13 ad Attic. epist. 32. *Audieram fuisse in decem.* Martianus Capella lib. 1. *Item ex septem residui, qui inter duodecim non vocantur, item post hos complures alii pro suis gradibus cœlites.* Ita MS. Vulgo, *ex his septem*: cum non sit cui relativum respondeat: sed interposuerunt, quibus insolens erat *ex septem.* Planetas intelligit septem; ex quibus vocari vult illos, qui non erant nominati inter duodecim versiculis istis comprehensos:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Residuus erat solus Saturnus; sex enim reliqui jam erant nominati: sed utitur numero plurali pro singulari. Proferant, age, exemplum vel unum, quo probent dici, *accepto binum*, *denum*, *centenum* &c. *sestertium*, pro binum nummum pretio, vel binum millium pretio, vel ducentorum millium pretio &c. atque ita progrediantur a duobus nummis usque ad decies: proferant, & vicerint. Sin agnoscunt necessario, solis adverbiis apponi singularia, nec rationem reddere possunt, quare his potius quam numeralibus adjectivis, ne pigeat etiam fateri aliud quid subesse, & sua *pretia* atque *negotia* ad alias opportunitates reservent. Per syllepsin numeri dici *decies sestertium* cum singulari, proprium est commentum Scioppii, productum in Grammatica Philosophica & Paradoxis literariis sub nomine Pascasii Grosippi publicatis. Qui quamvis admittat *sestertia* pro mille nummis, & ita *sestertium* cum dicitur, statuat intelligi sestertium minæ pondus, ducentos quinquaginta denarios, sestertios nummos mille continens: tamen & ipse decernit, in τῷ *decies sestertium* posteriorem vocem esse genitivo plurali positam, qui regatur a subauditis *centena millia*: stuporem eorum non posse rideri satis, qui *HS.* uspiam *sestertii*, vel *sestertio* reddiderint, & *sestertium* pro nominativo & accusativo singulari acceperint: *decies numeratum esse* & *decies numerata esse, accepto decies* & *acceptis decies*, recte dici; hoc per ellipsin

cente-

centenum millium, illud per syllepsin numeri. Quum ingens sit numerus locorum, in quibus *sestertii*, *sestertio*, servant codices antiquissimi, favore potius digna Budæi & Hotomanni modestia, cum phrasin, cujus rationem ignorabant, tolerarunt tamen, & Scaligeri contentio in ratione quærenda, quam accusandus in tantis viris stupor. At qui numerant viginti quatuor auctorum loca a Scaligero, ut aiunt, interpolata, atque ideo stulticiæ dant ei priores, ita quidem, ut ellebori jugere & omni Anticyra persanari nequeat: quid in se statuent tanto pluribus vitiatis? Criminatur Scaligerum noluisse a Ciacconio doceri. Ipse autem Scioppius noluit a Ciacconio doceri, recte Charisium monuisse, non dici *centies nummum*, sed *centies sestertium*, nec *quinquaginta sestertium*, sed *quinquaginta sestertia*. Ille vero vel hac sola auctoritate Agricolæ sententiam abunde confutatam existimat, & „ inde colligit, si nominibus numeralibus apponatur *M. nummum*, item & „ *sestertium* addi posse: si non apponatur, *nummum* non posse, *sestertium* „ nempe, si per adverbia loquamur, alioqui *sestertia*: verbi causa, dicimus, „ *decem millia sestertium* & *decem millia nummum*; non autem *decem millia* „ *sestertia*. item dicimus *decies sestertium*, non *decies nummum* aut *decies ses-* „ *tertia*: præterea *decem sestertia*, non autem *decem sestertium* aut *decem* „ *nummum*, sed *decem sestertia nummum*. Hæc optime. Scioppius non correctione (ut Hotomannus, qui concessa observatione de *centies nummum* male appellato, postrema sic mutat: *nec quinquaginta nummum, sed quinquaginta sestertium dicimus*) Charisium tentat; damnat aperte & incusatæ toties Grammaticorum stoliditatis compertum pronunciat: quia erravit alibi, potuisse hîc quoque labi. Sed eo verum dicere non potuisse minime colligitur. Illud videamus, an Charisii observatio consuetudini veterum congruat. Jam negari nequit, ubicumque *sestertium* genitivo plurali ponitur, ibi vicem ejus posse poni *nummum*: quum utrumque idem significet, & hoc omissum licet in illo subaudiatur: nisi appareat id *sestertium* pro *sestertiorum* a *sestertia*, non *sestertii* descendere. quo tamen dubitare quis potest an veteres sint usi, quum uti possent, sed non sine aliqua ambiguitate. Quid igitur causæ veteribus, quum *duo millia sestertium*, & *duo millia nummum*, similiaque longo agmine promiscue habeant, cur numquam dixerint, ut *decies sestertium*, ita & *decies nummum*, si *sestertium* erat genitivus pluralis? Non dicere adfirmat Charisius: nec est λέξις γλωττηματική, ut forte *hospita terra*, & *paupera*, & *pulchras clunes*, & cætera de genere hoc, quæ fefellerunt interdum & τὸν γραμματικομάστιγα: sed si Latina erat, vulgaris erat & quam mille occasionibus quotidie oporteret in ore omnium esse. Præterea dixisse ex tot antiquis nullo potest exemplo probari. Unum videtur esse Livii lib. XL cap. XLVII. *Sestertium nummum quater & vicies ab iis est exactum*. Ubi ridicule ait Scaligerum tollere τὸ *nummum*, nec esse causam, cur Charisio potius quam Livio credatur. Atqui cum Charisii præceptum

 ex aucto-

ex auctoribus & usu vulgari istius ævi petitum sit, reperiaturque cum cæteris omnibus, quorum scripta exstant, consentire: utrum probabilius, scholio imperito vocis turpatum Livium, idque delendum, an tot auctores & plebem Latinam & Charisium jus suum ignorasse? cumque *duo millia nummum* & *duo millia sestertium, tria millia nummum* & *tria millia sestertium*, quæque sequuntur, libere dicerent, & toties dicendum haberent, stulta superstitione, quum adverbio uterentur, vocem *nummum* vitasse, solum Livium idque unico in loco ausum oculos attollere contra. Sciendum præterea in Mog. quo ex uno codice libri ea pars edita est, fuisse solum: *Numum quater & vicies:* ut servaverunt Aldus, Saveterius Parisiis, Frobenius: idque credibile est natum ex nota *HS.* quarum literarum posterior quum evanuisset, librarius *H* pro *N* accepit, idque significare putavit, *Nummum.* Numeri syllepsis, quam alioqui synthesin nominant, locum hic non habet. nam ejus hæc est ratio, quod vox, cui diverso numero verbum vel adjectivum respondet, diverso numero prolata significat & exponitur per aliam, quæ ejusdem est, cujus verbum vel adjectivum, numeri. Ut, *pars in frusta secant.* id est nonnulli. Sic *aperite aliquis, cœperunt quisque,* & *invalidus quisque obtriti.* nempe *aliquis, quisque,* non sunt nisi plurium. Livius lib. XXII cap. X. *Supplicatumque iere cum conjugibus ac liberis, non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam quos in aliqua sua fortuna publicæ quoque contingebat cura. Tum lectisternium per triduum habitum.* Ita legendum est. Vetustissimus codex: *supplicatum qui regum conjug.* Vulgo, *iit.* Sed & male editur: *publica quoque contingebat. Curatum lectisternium & per triduum.* Sed τὸ *&* in nullo scriptorum: satis quoque τὸ *curatum* arguit continenter sequens *decemviris sacrorum curantibus.* Ab conjectura nostra τὸ *publicæ* & interpunctio mutata est. Lib. XXIII cap. XLIV. *Quamquam utraque pars avidi certaminis erant, eo die tenuerunt se tamen munimentis.* Ita MSS. ubi fecerunt, *avida cert. erat.* Lib. XXVII cap. LI. *Tum vero omnis ætas currere obvii, primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes.* Sic vett. libri, non *obviam.* Nempe *urbana multitudo* iidem qui urbani magno numero, *pars utraque* iidem qui ambo exercitus, *omnis ætas* iidem qui omnis ætatis homines. Sic *Castulo* iidem qui Castulonenses, lib. XXVIII cap. XIX. *Castulo cum prosperis rebus socii fuissent, post cæsos cum exercitibus Scipiones, defecerant ad Pœnos.* Sic repertum nobis in membranis minimum duodecim: sic editum Andreæ, Mediol. Tarvis. Venetis, Becchar. nisi quod etiam *defecerat.* Ascensius primus fecit *Castulonenses,* ab eo Moguntini, dein omnes. Quasi non lib. VI. *Sutrium socios populi Romani.* Hoc est, Sutrinos. Lib. IX. *Plistiam ipsi, socios Romanorum, ut parem dolorem hosti redderent, circumsidunt.* Lib. XXVI. *Emporiis urbe Græca (oriundi & ipsi a Phocæa sunt) copias exposuit.* Lib. XXIX. *Omni effusa civitate obviam,* &c. *precantibus, ut volens propitiaque urbem Romanam iniret.* Lib. XXXVIII. *Quum repente una civitas, incertum quam ob*

causam,

causam, Samæi defecerunt. Cæsar lib. I civ. *Sulmonenses, quod oppidum a Corfinio septem millium intervallo abest.* Appuleius in Apol. *Neque hoc eo dixi, quod me patriæ meæ pœniteret, etsi adhuc Syphacis oppidum essemus, quo tamen victo ad Masinissam concessimus munere populi Romani: ac deinceps veteranorum militum novo conditu splendidissima colonia sumus.* Silius lib. III sic emendandus:

Vos quoque desertis in castra mapalibus itis,
Misceri gregibus, Gætule, adsuete ferarum
Indomitisque loqui & sedare leonibus iras.

Vulgo: *Gætuli adsueta.* Quod conatur defendere Barthius lib. VI adv. cap. XV. Frustra. nam tertium versum omittit, quem connectere superiori præcipua difficultas. Neque enim indomiti leones in castris, neque illud domandi tempus. Quid est autem, *castra loqui leonibus?* Vide & Heinsium ad Ovidii Remedia vers. 164, ubi alia lectione studuit huic loco succurrere. *Vos Gætule,* ut alibi: *Prodite Calliope:* & Virgilius, *Vos, o Calliope, precor, adspirate.* Et Silius lib. XII.

Sed vos Calliope nostro donate labori.

Idem lib. VI. *jacent portis ululante dolore Dispersum vulgus.* Sic MS. ubi editi, *jacet.* Plurima hujusmodi Livio restituimus. At male sub syllepsi numeri censentur: *credo inimicos meos hoc dicturum, omnia ex sententia processurum.* Nam *dicturum, processurum,* ibi ἀπαρεμφάτως & verborum infinitorum more ponuntur, non adjectivorum nominum vel participiorum, pro λέξειν, προχωρήσειν, quæ ista terminatione utrique numero junguntur. Quod recte observat A. Gellius lib. I Noct. Att. cap. VII. Male: *Poetæ suum quisque opus a vulgo considerari vult: delecti nobilissimus quisque Romam mittitur:* verbi enim conjunctio potius ad zeugma pertinet, quod unum diverso numero positis duobus additur congruens propiori: tacite autem bis positum intelligitur: quasi esset, *Poetæ volunt & quisque ex illis vult: delecti mittuntur, & quidem nobilissimus quisque mittitur.* Ne illa quidem syllepsis numeri: *mille drachmarum sunt redditæ:* duntaxat, ut explicat Scioppius, *res mille drachmarum est reddita.* Utrobique enim idem numerus. Sed *mille drachmarum* pro neutro est accipiendum, quippe ubi intelligatur *pondus* vel *argentum*: ei autem respondet fœmininum plurale, quia *mille drachmarum* perinde est quasi diceretur, *mille drachmæ*, vel *drachmæ ad mille:* atque ita apparet syllepsis & numeri & generis. Tale est Appuleji lib. II met. *Mille,* inquit, *nummum deponentur tibi.* Sic enim optimus Florentinus: ubi fecerunt *nummi,* quasi necessario ita requireret verbum *deponentur.* Sed erat id dictum, ut *mille drachmarum redditæ.* Macrobius lib. V Saturn. cap. 16. *Mille sententiarum talium aut in ore sunt singulorum, aut obvia intentioni legentis occurrunt.* Ne ista quidem: *Amantium iræ amoris integratio est: Nobile erit Romæ pascua nostra forum: censorium crimen erat paucæ argenti lamellæ,*

lamellæ, apud Senecam de vita beata cap. XXII. (ubi fugit ratio virum doctum, cum *erant* necessarium putat) ne ista quidem ad syllepsin numeri retulerit Grammaticus subtilis & philosophus, quemadmodum nec quidquam horum, quæ reprehendimus, sub illa figura Minerva Sanctii agnoscit. Quando igitur, ut diximus, vera syllepsis numeri inde profluxit, quod reperiantur vocabula terminatione singulari significationem habentia plurium, seu quæ posita numero singulari repræsentant aliud plurali numero positum, cui proprie verbum subsequens vel adjectivum respondet; ostendat agedum nobis Scioppius vocem idem quod *centena millia* denotantem numero singulari, ad quam referri possit τὸ *acceptum*, *numeratum*, cum dicitur *centies acceptum* vel *numeratum*. Nam *pars* significat quosdam, *quisque* plerosque omnes, *Castulo* Castulonenses, *Calliope* ipsam cum reliquo choro seu novem Musas, *vulgus* homines de plebe. At ubi vocabulum, quod significet singulari numero *centena millia?* Deinde si syllepsin istam adeo frequentarunt in contracto & brevi *decies sestertium*, cur tantopere refugerunt in integro, *decies centena millia sestertium?* Cur non dixit Cicero: *septies millies centena millia patebat?* & alius, *depositum a Cæsare & occupatum ab Antonio?* Minus morosa fuisset oratio syllepsi sola, quam ubi hæc cum ellipsi conjuncta est. Denique collectivorum hæc ratio est, ut collectivo singulari respondeat verbum vel adjectivum plurale: non ut plurali verbum vel adjectivum singulare apponatur. Et sane hanc numeri syllepsin esse non posse concedit etiam Gerhardus Johannes Vossius, vir nostra prædicatione major, & sicut aliis de toto disciplinarum orbe, ita hoc Opere de principiis L. L. optime meritus, cap. LXXII de Constructione. „Nemo „Grammaticorum ita insaniit, ut auderet dicere, quod Scioppius: Integra „oratio secundum regulas est: *Quater & vicies centena millia nummum ses-„tertium sunt ab iis exacta est*, & per syllepsin numeri, *est ab iis exactum.* Quomodo, *centena millia est exactum?* Si qui in Italia, ut in Cilicia, Soli fuerunt, eorum municipem hanc fuisse syllepsin facile crediderim: Romæ quidem lege Penni tenebatur.

CAPUT V.

Decies, Centies & similia de solo sestertio argenti pondere dicuntur. Plutarchus vindicatus a censura viri docti. Decies denarium non dicebant veteres, nec decies æris, sed decies centena millia denarium, decies centena millia æris. Rejecta novo argumento Prisciani in Cicerone lectio. Livii locus tentatus. Centies aureorum, Latinum non est. Celsus, Paullus, bis in Pandectis restituti. Aureorum æstimatio sub Cæsaribus. Centum aurei, dena sestertia, summum honorarium patronorum. Ulpiani locus defensus. Curtius illustratus. Quinquaginta sestertia. quingenti aurei, non mille. Decies talentum, Latinum non est. Decies centum millia, tam in prosa quam in versa oratione. Millies millies, decies millies millies, centies millies millies, non dicebant Latini.

Quem-

Quemadmodum igitur, quibus gradibus, quamque docte formatum ſit *Decies ſeſtertium*, qui debeat ſuppleri, ſatis, opinor, demonſtratum eſt. Nunc, ut eo referamur, unde digreſſi ſumus, poſtquam uſu ipſo formula per adverbia explicandi ſummas ſeſtertiis ab illo numerorum actu jam quaſi deſponſata & adjudicata eſſet, omneſque ſcirent, nec de alio numiſmatum genere, nec de ſumma inferiore eam uſurpari; pro *decies centies ſeſtertio* argenti pondere arctius etiam *Decies* dicere cœperunt, ſubaudiendo ex prius contracto, *decies ſeſtertium*, poſteriorem vocem: & recte Plutarchus in Antonio, *πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας* efficere id quod Romani vocant Δέκιες, non plus, non minus, tradit, proprium id compendium ſeſtertiariæ rationis ſignificans, injuria ob id Hotomanno reprehenſus. Poterant per analogiam & in denariis adhibere: ſed uſus repudiavit, nec ſine cauſa, quod unam certam grandes concipiendi ſummas formulam vulgo valere præſtet. Quare „ non eſt opus Scaligeri regula: iſta, quæ per amplificationem enuntiantur, „ intelligenda de ſeſtertiis eſſe, niſi ſpeciatim denarii nomen adjiciatur. Nuſpiam enim adjicitur, nuſpiam legitur *decies denarium:* ſi dicere vellent Græcorum computationem ſequentes, *decies centena millia drachmum* vel *denarium* dicebant. Hoc ſecundum eſt argumentum, quo *ſepties medimnum* apud Ciceronem contra Priſcianum & Scioppium revincimus. Eandem ob cauſam admodum falluntur Alciatus, Agricola, Hotomannus, (nam quod Budæum in hoc ſibi ſuffragari poſtremus horum exiſtimat, *μνημονικὸν ἁμάρτημα* eſt) Ciacconius, Er. Puteanus, cum eodem modo *decies æris* olim dictum fuiſſe arbitrantur. Ratio cur id fieri non potuerit, ex præcedentibus manifeſta eſt. Et quidem altera ex conſtructione Grammatica: nam adverbium numerandi non recipit genitivum caſum: alias eadem forma, *decies hominum*, *decies equitum* vel *peditum* diceretur; nec cauſa eſt quare in his analogia deficiat. Altera, quia vox *æris* non multiplicat *τὸ pondus libræ* ſubauditum, nec ſignificat plures libras æris, ut faciunt adjectivæ voces, *denarium*, *ſeſtertium* in argento: ideoque vox illa *æris*, etiamſi intelligatur *τὸ pondus libræ*, non poteſt ſignificare mille æreos nummos: ut *ſeſtertia* ſingulos mille ſeſtertios nummos. Hæc enim duas libras & ſelibram argenti denotant in nummis, quorum quadringenti cenſebantur in libra: at ex libra æris olim quidem as unus, poſt ſex, inde duodecim, denique viginti quatuor facti. Primorum *decies centena pondo æris* mille, poſtremorum viginti quatuor millia aſſium non excederent: & ſic immane quantum diſtarent a decies centenis millibus. *Decies* autem in hoc, *decies ſeſtertium*, *centum* tantummodo vel *centies*, non *centum millia* tacite includere evicimus. Ergo quum grandem iſtam ſummam in ære ſignificare vellent, *decies centena millia æris* dicebant, ut *decies centena millia nummum*, *quinquagies centena millia drachmarum*. At uti *decies nummum* (quod juſtiſſime repudiat Chariſius) & *quinquagies*

quagies drachmarum non poterant, ita nec *decies æris.* Nec aliud probant auctoritates, quibus magni illi viri ſunt decepti. Livius lib. XLIII. *C. Lucretium, ubi dies, quæ dicta erat, venit, tribuni ad populum accuſarunt, mulctamque ei decies centum millium æris dixerunt.* Sic lib. XXIV. *Coſſ. ex SC. edixerunt, ut qui ſupra trecenta millia uſque ad decies æris cenſus fuiſſet, quinque nautas daret; qui ſupra decies, ſeptem.* Quo loco triumphat contra Budæum Alciatus, & ſimiliter abutitur Hoſtus. Quis autem non videt, ex proximo *trecenta millia* poſt *decies* ſubaudiri *centum millia*; uti ex ſequenti *decies æris* ad priora *trecenta millia τὸ æris*? Ut lib. XXII cap. XLVI. *Numerus omnium peditum, qui tum ſteterunt in acie, millium fuit quadraginta, decem equitum.* Sic enim ex MSS. reſtituimus. Velleius lib. II. *Exercitumque quem* LXX *millium peditum, quatuor equitum fecerat.* Curtius lib. III. *In acie autem cæſa ſunt Perſarum peditum centum millia, decem equitum.* Ut hinc nemo probaverit, *decem equitum* extra illam viciniam dici pro decem millibus equitum: ita nec inde poteſt colligi *decies æris* ſine proxime poſitis *centum millibus* dici potuiſſe. Nihilo magis juvat lib. X cap. XLV. *Æris gravis magna vis tranſvecta, vicies centies millies & quingenta triginta tria millia.* Subjunguntur enim & hic *centena millia*, quæ ſubaudienda eſſent ad adverbia, ſi maxime omnia ſana eſſent. Sed non ſunt. nam primum *τὸ magna vis* nobis nuſquam reperta inſeruit Sigonius, & ſcimus, non optimo illum, immo vix bono, fuiſſe libro uſum: deinde omnem fidem hæc ſumma excedit. Age ponamus calculos. Centum millia æris gravis noſtræ pecuniæ ſunt mille ſcutati: decies centena millia æris ſunt decem millia ſcutatorum: centies centena millia æris, ſcutatorum centum millia: millies centena millia æris, ſcutatorum decies centena millia, quem millionem hodie Itali vocant: decies millies centena millia æris, ſunt centies centena millia ſcutatorum, ſive decem milliones: centies millies centena millia æris, millies centena millia ſcutatorum, ſive centum milliones: decies centies millies centena millia æris ſunt decies millies centena millia ſcutatorum ſive mille milliones. Quid *vicies centies millies?* nempe vicies millies centena millia ſcutatorum, ſive duo millia millionum, argento Romano *octingenties millies ſeſtertium.* At ingens ille triumphus Paulli de Macedonia, qui finem tributorum attulit, nondum ter millies in ærarium tulit. Itaque ſuſpicor illa, *centies millies* abundare, & ſcripſiſſe Livium: *vicies & quingenta triginta tria millia.* Ubi cum annotaſſet aliquis ad marginem ſub illo *vicies* intelligi *centena millia*, quæ ſequentibus implicuit Livius, librarius CCCIƆƆƆ, quæ ſignificabant *centum millia*, ſi per notas ſcripſerat, retulit in contextum, reddiditque *centies millies.* Sic quoque pro illius ævi copia ſatis grandis eſt ſumma, ſcutati viginti quinque millia trecenti triginta: cum in argento eſſent tredecim millia trecenti. Sp. Carvilius paullo poſt de Samnitibus triumphans & Etruſcis tranſtulit æris gravis trecenta nonaginta

ginta millia, id est scut. tria millia nongentos: qua comparatione ille certe, ut tempora ferebant, insignis triumphus fuit. Video tamen in duobus MSS. esse *vicies C. mille & ad* XXXIII *mil.* in tertio *vicies centum millia & ad triginta tria millia.* Ex quibus facere possis; *vicies centena & ad triginta tria millia:* qui sunt scut. viginti millia trecenti triginta præterpropter. At frustra *decies æris* inculcat Hotomannus Valerio Maximo lib. IV cap. III, ubi de Fabricio Luscino: *decem æris, & quinque pondo argenti, totidemque servos sibi missos.* Prudentius ipse: vel, si forte, *decem millia æris:* nam *quinquaginta* pro *quinque*, tam in argento facto quam in mancipiis refutat frugalitas temporum. Ista igitur, ut dixi, nihil aliud probant, quam *decies centena millia æris* dixisse veteres, ut *decies centena millia nummum sestertium.* Falluntur similiter doctissimi viri Haloander & Ant. Augustinus lib. II Emend. cap. VI, quum *centies aureorum* apud Celsum Paullumque JCtos interpretantur centies centena millia aureorum. Refugit hoc Latini sermonis ratio: solœcismum vero illum nec jurisconsultis tribuere possum, quorum ævo sermo erat incorruptus; nec Triboniano velim, cujus ævo jam defecerat adeo, ut nec scriptorum quisquam illius æqualium ad pecuniam tum inter manus versantem hoc compendium adhibuerit: si tamen necesse est alterorum esse, hujus potius quam illorum: librariis tamen imputare malim. Verba sunt Celsi L. LXXXVIII de V. S. *Tantum quisque pecuniæ relinquit, quantum ex bonis ejus refici potest. Sic dicimus centies aureorum habere, qui tantum in prædiis cæterisque similibus rebus habeat.* Nos tuto delemus τὸ *aureorum*, ut de centies sestertio intelligatur. Perinde ut apud Papinianum L. LXXVII π. III de condit. & demon. *Cum uxori mandatum esset, ut moriens filiæ communi decies restitueret.* Et Paullum L. IV π. I de statuliberis, etiam leviter corrigenda: *Non est statuliber, cui libertas in tam longum tempus collata est, ut eo tempore is, qui manumissus est, vivere non possit; aut si tam difficilem, immo pene impossibilem conditionem adjecerit, ut illi inde ea libertas obtingere non possit; veluti si hæredi millies dedisset.* Vulgo sine sensu: *ut aliunde ea.* Error est Dionys. Gothofredi, in Notis explicantis *millies* ditissimi hominis patrimonium, continens decies centena millia nummorum: quasi esset idem *millies* Romanum, quod Italicus *millio.* Cujacius lib. XXI Obs. cap. XXXIX merito carpit interpretes Græcos, qui aut *centum myriadas* (nam ἑκατὸν μυριάδες, decies centena millia denarium, quadragies sestertium) aut chiliadas (neque enim ita loquebantur prisci Græci, sed pro ἑκατὸν χιλιάδες dicebant δέκα μυριάδες, centum millia denarium, quadringenta sestertia) reddiderunt. At *millies*, inquit, efficiunt, myria myriadum, sive decem millia myriadum, quæ vulgus his notis exprimit 100000000, & his verbis, centum milliones. Confundit vir maximus rationem per denarios, & sestertios computandi. Nam *millies* Paulli est millies centena millia sestertium, nostrorum vicies quinquies centena millia coronatorum, seu duo milliones & dimi-

L diatus,

diatus, Græcis δισχίλιαι πεντακόσιαι μυριάδες, seu ducenties quinquagies centena millia denarium: at μυριὰς μυριάδων seu μύριαι μυριάδες millies centena millia denarium, sestertium quater millies, nostrorum centies centena millia coronatorum, seu decem milliones. Si nihil interesset, tamen Florentinæ membranæ, eo quod habent *miles*, satis ostenderent, quod Ant. Augustinus & cæteri recte judicarunt, legendum esse *millies*. Nunc & ratio id poscit, & frustra Covarruvias alterum tuetur *mille sestertia* intelligendo. Non enim ita loquebantur veteres, sed pro eo dicebant *decies*, uti dictum est: nedum ut cum *mille* solum ponerent, *sestertia*, non *nummos* intelligerent: non secus ac quum *duo millia*, *tria millia*, & deinceps. Idem Paullus L. XCVII de legatis tertio: *Imperator interrogavit partem legatarii, quærendi causa: pone, inquit, in condito centies aureorum esse, quæ in usum sumi solerent: diceres, totum, quod relictum esset, deberi?* Solœcum est *centies aureorum*, solœcum est, *centies aureorum, quæ:* sive ad *centies*, sive ad *aureorum* referas: non enim *aurea* dicebant veteres, sed *aurei*; multo minus *sexcenta aurea millia*, ut nunc loqui placet eruditis. Sed & hoc cum laudarent docti viri, credo non venisse illis in mentem, ut hanc summam ad nostram pecuniam reducerent. Scimus aureum Romanum illis tempestatibus valuisse viginti quinque denarios, nummos sestertios centenos: quæque *dena sestertia* effert Tacitus, ea dici Ulpiano *centenos aureos*, maximum patrocinii forensis è legibus honorarium. *Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usque ad centum aureos*, inquit L. I π. XII de extraordin. cognit. Valde festinavit vir maximus, cum in Addendis adversus Heraldum, *centum* illos *aureos* a Triboniano vel Justiniano esse scripsit, Ulpianum videri *centenos sestertios* posuisse, unius aurei pretium: nunquam sane tantam mercedem fuisse advocatorum pro causa acta, ut centum aureos acciperent. Oblitus Taciti XI ann. *Capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia.* Oblitus Plinii, qui lib. V epist. IV eandem summam facit ex *sex millibus nummum* & *mille denariis*, quam Vicentini Tuscillo Nominato dederunt. Apud eundem eodem libro Nepos prætor in edicto peractis negotiis permittebat pecuniam *dumtaxat decem millium dare.* At, inquit, licita hujus honorarii summa fuit aureus unus, quia Juvenalis Sat. VII, *si contigit aureus unus.* At hoc nusquam cautum. nam Juvenalis ὑπερβολικῶς imminuit, ut magis efficiat pudenda circi & infamium artium pretia. Alioqui de patrimoniis causidicorum longe aliter Tacitus & auctor de causis corruptæ eloquentiæ, & qui dicit: *nummos habet arca Minervæ.* Non bene collegerunt etiam summas Scaliger & qui fuerunt illo auctore contenti, cum *quinquaginta sestertia* lib. VIII Curtii tradunt explicari sequenti libro *mille aureos.* Immo alterum tantum sestertium mille faciunt aurei. Quum enim singuli aurei centenos habeant nummos, porro decem aurei mille, centum autem decem millia; quis non videt quinquaginta millia nummum, hoc est, *quinquaginta*

quaginta sestertia, non facere ultra aureos quingentos. Nec mirum quidquam habet differentia largitionis, cum illa levis officii aulici, ut rex putabat, hi fortiter rei gestæ præmium fuerint. Si bene igitur posuerimus calculos, inveniemus, centies centena millia aureorum, (tot enim illi volunt intelligi, non sola centena millia, nec ἑκατοντάκις ἑκατὸν χρυσοῦς, ut Græci, quæ Latini decem millia aureorum dicerent, non centum centenos, nec faciunt decem millia aureorum nostrorum, ut perperam annotat Dion. Gothofredus, sed viginti quinque millia) fecisse sestertium decies millies, hoc est, milliones viginti quinque, seu ducenties quinquagies centena millia aureorum sive Philippeum. Quam summam quam ridicule imaginemur ad quotidianum usum ab homine privato in condito servari, neminem fugit. Scribendum igitur: *pone, inquit, in condito centenos aureos esse, qui in usum sumi solerent.* Et solent jurisconsulti hac summa exempli gratia uti; quemadmodum patet ex L. XXXIV π. IV de legatis primo: *si non certum corpus nummorum sæpius sit relictum, ut puta centum, quæ in arca habet.* Sic & L. VIII. π. II. L. CIV. π. I. L. CVIII. π. XIV. L. CIX. π. I. L. CXIII. CXIV. π. III. L. CXXII. π. II. & innumerabilibus. In eundem errorem incidit Budæus, qui cum retulisset ex Plinio, in ærario populi Romani septem annis ante Punicum bellum tertium fuisse argenti numerati *trecenties & septuagies quinquies:* Quæ pecunia numerata, inquit, utrum ad sestertia, an „ ad aureos referenda sit, mihi non liquet: quare nihil statuo. Sed frustra hæsitare summum virum ex dictis constat. Maneat igitur, *decies* solum, ut & *centies*, cæteraque hujusmodi, nunquam nisi de sestertio dici, ut recte intelligitur ex Plutarcho: & *decies sestertium* dici tantum, non *decies nummum*, ut bene Charisius, non *decies æris*, non *decies aureorum*, non *decies talentum*, quod Portius addidit. At Valerius Maximus lib. VI cap. IV. *Dario filiam in matrimonium cum decies centenis millibus talentum pollicente.* Est enim hic genitivus, uti & *æris*. Optimus Budæus repudians quod nonnulli „ scriptores ita *centies talentum* protulerunt, quasi, inquit, *sestertium* rectus „ aut accusandi casus sit, & non potius genitivus. Atqui si genitivus esset, & subintelligerentur *centena millia*, poterat tolerari *centies talentum* eadem ratione. Nunc quia τὸ *sestertium* in hac locutione genitivus non est, sed vel rectus vel accusativus, aliter se res habet. Hirtius de bello Africano: *Leptitanos tricies centenis millibus pondo olei in annos singulos mulctat.* Hoc Latinum: at *tricies olei* solœcum. Vopiscus: *Inter omnes constat, eum imperii sui tempore bis millies quinquagies centena millia drachmarum in cœnas insumpsisse.* Valerii Maximi præterea verba confutant, quod ait Scaliger Martialem propter versum licentia Poëtica dixisse *decies centum millia.* Quasi in soluta oratione non liceret dicere nisi *decies centena.* Atqui monumentum Ancyranum bis: *Civium. Romanorum. censita. sunt. capita. quadragiens. centum. millia.* Livius lib. XLIII. *Legati Carthaginiensium tritici*

decies centum millia & hordei quingenta indicantes se ad mare devecta habere. Sic igitur per *decies centies*, & posteriore omisso & subintellecto per solum *decies* gradibus inde factis multiplicatum circumscribebant, quod simplicius ac sine arte post nongenta nonaginta novem sestertia habebant dicendum *millies* usque ad id, quod nisi rationem illam invenissent, fuisset pronuntiandum, *nonagies millies millia HS. nummum*, vel *nonagies millies sestertium:* pro quo longe commodius apparet, quod ex instituto placuit, *nongenties centena millia nummum* vel *nongenties sestertium:* sicuti pro *decies millies millia* vel *decies millies sestertium* sine intellectu alterius numeri dixerunt antea *centies*, pro vicies millies millena *ducenties.* Postea pro centies millies millena aut centies millena millia dixere *millies centena millia nummum* vel *sestertium*, vel *sestertium nummum*, & *millies sestertium*, & solum *millies.* Non opus foret ultra procedere, nisi esset notandus Aldi Manucii lapsus: is enim in Quæsitis per epistolam post nongenties millies nobis format *Millies millies*, & deinde *Decies millies millies*, denique *Centies millies millies:* quæ Romana nunquam fuisse satis acceptum habeo. Est quidem immanis summa, & raro pronuntianda fuit, Græcis διχιλιόσιαι πεντήκοντα μυριάδες μυριάδων, talenta quadragies ter centena sexaginta millia, sexcenta sexaginta sex cum minis quadraginta, millionum nostrorum duo millia quingenti. Cæterum analogia monstrat, post nongenties millies dicturos fuisse aut dixisse *decies centies millies*, ut post nongenta dixerant *decies.* Hoc cum promovissent pergendo, *vicies centies millies, tricies centies millies*, usque ad *nonagies centies millies*, pro eo quod ille vult *decies millies millies* maluissent *Millies decies millies:* quod denique Aldus, *Centies millies millies*, pariter transpositis vocibus, ne continenter bis idem numerus poneretur, *Millies centies millies.* Atque hæc ad quartam interrogationem Hotomanni. Unde manifestum est, pleraque omnia hujus generis, si quidquam in universa Latina lingua, accuratissima ratione, etsi alicubi sit obscurior, ita esse descripta: tantum abest, ut ab imperitia vulgi & Opica Pelasgave consuetudine inducta debeant existimari. Colligamus in summam pleraque superius & tribus proximis capitibus dicta, & rem totam nova luce juvemus. Quemadmodum *lignum bes-alterum* dixere pro assere vel tabula bessem alterum lata, seu assem unum, qui pes, & bessem, qui octo pollices, latitudinis habente: sic *argentum sestertium* pro pecunia signata semissem tertium pendente, seu duas libras & selibram ponderis explente. Id cœptum in foro vocari *sestertium*, nude & sine adjectione substantivi *argenti:* ut ruri frequentatum *agrum sestertio vertere*; ut ad urbem in ore erat *ire, duci, portari* vel *rogo dari ad sestertium:* quum jam nemo ignoraret, quid quisque locus, quæque res, qua de agebatur, sub hoc indefinito posceret intelligi; quibus certis & finitis rebus quoque loco usus hoc genericum & infinitum attribuisset. Quoniam autem argenti libra quadringentis, duæ & selibra mille

æstima-

æstimabantur nummis sestertiis, palam est hoc vocabulo non prius illos uti potuisse, quam ad hanc summam nominandam perventum esset. Nec tamen statim pro hac ipsa summa singulare *sestertium* placuit, ne ambiguum foret, si diceretur *dare sestertium*, nummus an argentum intelligeretur. Sed in duplicata hac summa, quia nullum periculum erat ambiguitatis, inceperunt dicere *bina sestertia* pro duobus millibus nummum: in quo apparet eo promptius vocem admissam solam sine substantivo, quia non dicebant *argenta:* commode tamen intelligebant *pondera:* (nam argentum & pondus argenti idem:) atque hoc quoque vocabulum eo facilius transmissum, quia in tot aliis pecuniæ verbis id menti mandatum lingua jamdudum lucrifecerat. Sic *tria sestertia*, sic *decem*, sic *centum* usque ad *nongenta nonaginta novem sestertia*. Quod sequebatur, *mille sestertia*, reprobatum, non quia perspicue dici non posset, sed quia, si reciperetur, videbatur eodem vocis sensu & *duo millia sestertium*, *tria millia sestertium*, &c. analogia sancire. Intercessit fuga sermonis ambigui, qui cum vitari non posset in his, si pro tot millibus ponderum bilibrium & semissium in nummorum ampliore summa valerent, quæ eadem prorsus figura, iisdem literis, eodem sono, pro tot millibus singulorum κερμάτων sive nummorum jam recepta erant, adeo ut solo numero *duo millia, tria millia*, non aliud significarent; hoc ambiguum, inquam, sermonis ne incurrerent, & hæc & radicem eorum, *mille sestertia*, exstirparunt, & dilatum adhuc ad partes vocarunt *sestertium*. Hoc singulare in grandibus illis, quæ explicandæ erant, summis figi & augeri non poterat, nisi per adverbium: neque enim in nominibus invenitur vox numerum significans tam magnum, nisi in forma declinandi plurali. Adverbium igitur illud erat unicum *millies:* nam *millies sestertium* sua natura & sine figura est idem quod *mille sestertia*, nempe duo millia librarum & mille selibræ seu quingentæ libræ: quæ continent decies centena millia nummum sestertium. Sed hoc *millies*, plenius & figuratum, vindicavit expeditior ratio computandi ad longe altiorem gradum, nimirum millies centena millia nummum sestertium, subjecitque belle atque eleganter factum iri, si in præsentia eo proprio & simplici abstinerent, idque resolverent ac circumscriberent per *decies centies*; si deinde ex hoc *decies centies*, alterum, quod toties repetendum erat (nimirum *centies*) omitterent, inque omnibus adverbiis, quibus *sestertium* multiplicaretur ad ingentes illas nummorum summas demonstrandas, intelligerent. Idque sedit ac placuit: atque inde omnes hi numerandæ pecuniæ gradus, qui sunt a *decies* usque ad *millies*, ut nunc accipiuntur, illis processere: quibus omnibus caruissent, nisi *decies* illud *sestertium* esset inventum. Pro quo denique *decies* solum suffecit. Ergo brevitas commoditasque ratiocinandi effecit, ut pro numero argenteorum nummorum ponerent vocabulum pondus argenti, quod æquabatur tot nummis, significans, *duo sestertia*, pro duobus millibus nummum, &

deinceps: cogitarent dein pro decies centenis millibus nummum *mille sestertia*, rursum pro hoc, sive ἀντὶ τοῦ mille sestertia *millies sestertium*: denuo ἀντὶ τοῦ millies sestertium in hoc gradu *decies centies sestertium*: denique ex decies centies sestertio pro his omnibus pronunciarent *decies sestertium & decies*.

CAPUT VI.

Argumentum speciosissimum Hotomanni, petitum a differentia ponderis drachmarum & denariorum, diversoque numero, quo illæ in minam, hæ in libram Romanam incurrebant, inventum ab G. Agricola, & non ipsos modo, sed etiam Cenalem, Scaligerum, Ciacconium, Snellium, Rualdum, Smithum & Thomasium abduxit. Probatur contra multis auctoribus, pro drachma denarium, proque denario drachmam ambulavisse, & centum denarios conjectos in libram argenti Romanam, ut centum drachmæ putabantur in Attica. Denarius pro drachma, Victoriatus pro tribus obolis, sexta denarii pro obolo, Plinio, qui ter emendatur. Ἡμίχρυσος *aureus denarius. Cleopatræ verba ab conjectura prohibita. Drachma octava pars unciæ, non sexta. In uncia duo stateres, quatuor sicli, octo* λεπτὰ *sive drachmæ.* Λεπτὰ, δραχμαὶ, ὁλκαὶ, ὀβολοὶ, δηνάρια *interdum* συνώνυμα. Ἀργυροῦς, *argenteus, pro mina. & centum denariorum. Follis* CCL *denarium, ut Sestertium, quod veteres dixere, pondus argenti, denarium totidem, mille sestertium nummum. Omnes Græci denarium* δραχμὴν, *omnes Latini* δραχμὴν *denarium verterunt. Differentia inter denarium &* δραχμὴν, *quæ subtili examine, illam septimam, hanc octavam unciæ partem facit, non impediet, quin & vulgo hi nummi pro se invicem valerent; multo minus, quin Romani, Græcos in omni sermone, suo tamen quodam proprio more imitati, centum denarios in libra cogitarent, ut elegans formarent suum sestertium pro mille nummis sestertiis. Denarios quos Agricola leves & non legitimos vocat, quos modo Claudii, modo Vespasiani monetæ adsignat, quosque fatetur centum e libra signari potuisse, eosdem esse, quos Polybius, Livius, Strabo, Valerius Maximus, M. Seneca, Augustus, Cicero noverunt. Non videri de aliis drachmis loqui auctores, qui* XCVI *in libra, quam qui centum in ea ducunt. Mos Romanorum rotundandi numeros & abutendi vocabulis a certo numero formatis ad majoris vel minoris numeri copiam. Denarii pondus idem quod drachmæ experti Agricola, Scaliger, Snellius, Capellus. Nummi, in honorem Marii facti. titulus illustratus. Libra triplex, communis, medica, nummaria. Denarii unciales, semunciales &c. victoriati didrachmi, sestertii denario majores, commentum Savoti portentosum. Mina pro* LXXV *drachmis non dicitur Appiano.*

Sequitur falarica in speciem terribilis, qua unica Budæanorum omnium „ phalanges se profligaturum promittit Hotomannus. Si *sestertium* mil„ le sestertios continebat, simulque duas argenti libras & selibram valebat, „ necesse est duas illas summas inter se convenisse: hoc est, duas argenti li„ bras & selibram mille sestertiis valuisse. Atqui duæ argenti libræ & seli„ bra valebant octingentos tantum & quadraginta sestertios. Nam Plinius „ scribit lib. XXXIII cap. IX ex argenti libra denarios conflari solitos qua„ tuor & octoginta, & proinde ex duabus & selibra ducentos & decem de„ narios. Quæ summa si ad sestertios redigatur, quorum quatuor dena-

„ rium

„ rium conficiunt, quadruplicato numero non plures ſeſtertii reperientur „ quam octingenti & quadraginta. Juvat Cornelius Celſus lib. v cap. xvii. *Sed & antea ſciri volo, in uncia pondus denariorum ſeptem eſſe.* Et ad P. Natalem: *Græci medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt: quæ quia ad denarium conveniunt, (octoginta enim quatuor in libram incurrunt) pro nota Græca drachmæ, notam denarii poſui, & ad ejus pondus drachmas redegi.* Scribonius Largus ad Calliſtum: *Erit nota denarii unius pro Græca drachma: æque enim in libra denarii octoginta quatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt.* Denique Livius lib. xxxiv. *Argenti ſignati octoginta millia fuere Atticorum. Tetradrachma vocant. trium fere denariorum in ſingulis eſt pondus.* Hoc argumentum eſt inventum a viro maximi & meritiſſimi nomi„ nis, Georgio Agricola. Sed, inquit, neque denarius legitimus ejuſdem eſt „ ponderis, cujus drachma, neque libra ex centum drachmis, ſicut mina, „ conſtat. Itaque cum Budæus res non conceſſas ſumpſerit, quod ex illis „ efficit, nullo modo concedimus: verum quia ex argenti libra quatuor & „ octoginta denarii legitimi, trecenti vero triginta ſex ſeſtertii ſignantur, „ ſequitur, ut ſi mille nummis ſeſtertiis addideris octo, argenti libras tres „ efficias. Hoc argumentum Rob. Cenalem devium egit: Denarius num„ mus argenteus erat, inquit, ſeptima pars unciæ, ideoque drachma Attica „ ſeptima parte gravior: uncia enim octo drachmas, denarios vero ſeptem „ comprehendit: quod (addit alibi) abunde probavit G. Agricola. Hoc Scaligerum commovit, ut omiſſa Budæi ratione *millia ſeſtertia ſua* & ſubſtantivum *decies* comminiſceretur. Hoc Willibrordum Snellium, ut contra ſua ipſius experimenta malle ſe expreſſis Plinii verbis quam obſcuris & incertis, ut vocat, conjecturis fidem habere teſtaretur: quaſi quæ mox adducemus Plinii, expreſſa non eſſent. Hoc P. Ciacconium Hiſpanum per„ vertit: Sed quærat aliquis, inquit, qua ratione factum, ut *ſeſtertia* ſingula „ mille ſeſtertios continuerint? Et Budæus eam rationem adfert, quod „ quemadmodum *ſeſtertius* duas libras æris & ſemiſſem valebat, ita *ſeſtertia* „ duas libras & ſelibram argenti, hoc eſt ducentos quinquaginta denarios, „ quaſi libra centenos denarios penderet. Sed id reprehendit Agricola ea „ potiſſimum ratione, quod ex libra argenti juſtum fuit Romæ octoginta „ quatuor denarios ſignari, non centum. Et videri poteſt id non ratione, „ ſed conſuetudine inductum, ut mutato genere e maſculino in neutrum „ multiplicatio per millenarium fieret: ut apud Caſtellanos etiam fit: nam „ cum dicunt *quinientos*, *ſeſcientos*, intelligunt ſemper *maravedis*: cum di„ cunt *quinientas*, *ſeyſcientas*, intelligunt ſemper *mil maravedis.* Idem Rualdum abduxit, ut de Plutarcho & Budæo graviter exiſtimaret. „ Denarii Romani conſularis (i. ætate M. Antonii & M. Tullii Ciceronis) „ pondus fuit momentorum ſive granorum duum & ſeptuagenum. quod „ eſt dicere, Attica drachma quaterni ſeſtertii, ſive Romanus denarius, no-

„ vem

„ vem granis, i. ſeptima illius drachmæ, vel octava ſua parte omnino pon-
„ deroſiores fuerunt. Denarii hujus generis ſepteni in unciam adſignati
„ ſunt, quæ fuit octo drachmarum; in libram Romanam octoginta quatuor,
„ quæ XCVI drachmis fuit repenſilis, libra Græca ſive mina Attica, quatuor
„ ſolum drachmis levior: ita ut denarius ad drachmam & fere ad Hiſpani-
„ cum regalem fuerit, ut octo ad ſeptem, ut XCVI drachmæ ad LXXXIV de-
„ narios. Idem delinivit Anglos doctos viros Thomam Smithum & Tho-
mam Thomaſium. Illius quidem ex opere ſcripto excerpta mecum com-
municavit G. Boſwellus Regis magnæ Britanniæ ad Ordines legatus: & ex
„ vernaculo tranſlata ſic habent: Omnium ultimus de hac materia ſcripſit
„ G. Agricola Saxo. (laude enim debita fraudabo neminem, cujus benefi-
„ cio profeci, ſed ſuum cuique libens tribuam.) qui tantum in hoc argu-
„ mento vicit reliquos omnes, quantum jubar ſolis ſtellas exſuperat. Rem
„ ille totam adeo explanavit, ut neque Budæus, neque Alciatus, Portiuſve,
„ qui omnes edito ejus libro ſuperſtites fuerunt, eum vel junctim vel ſepa-
„ ratim oppugnare aut etiam ſua propugnare auſi fuerint. Budæus interim
„ non exiguam errandi occaſionem habuit: neque enim e fæce doctorum
„ erant, qui in avia ipſum abduxere, Plutarchus, Dionyſius Halicarnaſſen-
„ ſis, A. Gellius, & tales e Græcis & Latinis, qui interiore cura neglecta, &
„ ſumto, quod erat proximum, vertunt *μνᾶν libram*, & *δραχμὴν denarium*,
„ & contra, ubi Romani ſcribebant *denarium*, Græci vertebant *δραχμήν*:
„ quod ſane proximum, at non idem eſt: item ubi Latini habebant *libram*,
„ Græci ponebant *μνᾶν*. Thomaſii autem de ſeſtertio edita ſunt: Adhæc
„ *ſeſtertium* non ponitur pro mille ſeſtertiis, ea ratione, qua *ſeſtertius* pro
„ æris duabus libris & ſemiſſe, ut Budæus putat. Nam quod libram dicit
„ centum conſtare denariis, nullis auctoribus dicit. Et Plinius lib. XXXIII
„ cap. IX diſerte quatuor & octoginta e libris ſignari aſſerit. Ex quo colli-
„ gitur, mille ſeſtertios tres libras minus duobus denariis pendere, & fieri
„ non poſſe, ut *ſeſtertium* Budæanum a duabus libris argenti & ſemiſſe di-
„ catur, quemadmodum *ſeſtertius* a duobus aſſibus & ſemiſſe, tanquam ſe-
„ mitertius, dictus eſt. Hæc igitur eſt *πολύδαμος* illa Gorgo,

Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans,

adverſus quam diligentius intentiuſque velut Orci galea nos munire veram ſententiam oportet. Primum *ſeſtertia* mille ſeſtertios nummos valuiſſe, quod Agricola, Hotomannus, Thomaſius, hoc argumento inficiabantur, poſt Scaligeri & Ciacconii adſertionem inter doctos jam judicatum eſt: *ſeſtertium* quoque numero ſingulari cum adverbiis eodem ſenſu dici nos confirmavimus. Id autem inde proveniſſe, quod in libra ducerentur centum denarii, perinde ut in mina centum drachmæ, auctor eſt Budæus, quem ſequimur. Plinius lib. XXI cap. XXXIV. *Drachma Attica (fere enim Attica obſervatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus.* Hinc ipſe

paſſim,

passim, ubi apud Græcos auctores *drachmis* definiri pondera invenit, modo *drachmas* retinet, modo *denarios* subjicit. Lib. XIX cap. III de lasere: *magnificum in usu medicamentisque & ad pondus argentei denarii pensum.* Lib. XIV cap. XVI. *In congium musti decem denariorum pondere addito.* Pro quo Dioscorides: Βάλε δραχμὰς δέκα εἰς γλεύκους χοῦν. Ex quo non dubito, quin eodem capite reformanda sint, quæ in vulgatis discrepant. Plinius: *E napis fit II denariorum pondere in sextarios binos musti addito.* Dioscorides: Βουνίου δραχμὰς δύο κόψας κάθες εἰς κοτύλας γλεύκους τέσσαρας. Male vulgo, XI. Κοτύλη, hemina, dimidiatus sextarius. Rursum Plinius: *Ex rosæ foliis tusis in linteolo in mustum colatis cum pondusculo, ut sidat, CCL denariorum pondere in sextarios vicenos musti, nec ante tres menses vase aperto.* Dioscorides: Ῥόδων ξηρῶν κεκομμένων μνᾶν μίαν ἐνδήσας εἰς ὀθόνιον, κάθες εἰς γλεύκους ξέστας η', μετὰ δὲ τρεῖς μῆνας διυλίσας μετάγγιζε. Nam minæ sive centum denariorum pondus in sextarios octo, requirit duas minas in sedecim, duas & ἡμίμναιον in vicenos. Male vulgo, XL *denariorum.* Sed nec recte, *colatis.* Alii *collatis.* nihilo melius. Scribe, *chalatis.* id est, demissis: quod verbum apud Vegetium, ut & *chalatorios funes*, eruit Turnebus. Plinius de nectarite: *radice ponderis V denariorum in sextarios* XXXVI *musti addita.* Dioscorides: Ῥίζας ξηρᾶς δραχμὰς πέντε ἐνδήσας εἰς ὀθόνιον, κάθες εἰς χόας ἕξ. Nam sex congii, triginta sex sextarii. Vulgo: XL *den. in sextarios sex.* Nec pondera prorsus alia sunt Plinio, alia Dioscoridi, in horum nonnullis, ut queritur Dalecampius: sed partim librarii vitiarunt, partim Plinio sunt alia vocabulis, eadem ratione. Sic statim: *Hyssopites e Cilicio hyssopo unciis tribus in duos congios musti conjectis aut tunsis in vinum.* Dioscorides: Δεῖ δὲ τῷ κεραμίῳ τοῦ γλεύκους λίτραν μίαν τοῦ ὑσσώπου κεκομμένων τῶν φύλλων προσδιδόναι. Libra in amphoram, facit proportione tres uncias in duos congios, sex uncias in quatuor, novem in sex, duodecim in octo. Octo congii, amphora, ut duodecim unciæ, libra. Lib. XX cap. II. *Semine solo siccato, dein trito triginta denariorum pondere in heminas dato aquæ.* Eodem, cap. XXIII de ferula: *Radix denarii pondere in vini cyathis duobus bibitur adversus serpentes.* Eximius locus eodem libro cap. XXIV in theriaca Antiochi incisa in æde Æsculapii: *Serpilli duum denariorum pondere: opopanacis & milii tantundem singulorum: trifolii pondus denarii: anethi & fœniculi seminis & anisi & ammii & apii, denariorum senum singulis generibus, ervi farinæ duodecim. Hæc tusa cribrataque vino, quam possit, excellenti digeruntur in pastillos victoriati pondere.* Vides *denarium* pro drachma, *victoriatum* pro tribus obolis. Lib. XXI cap. XXII. *Denarii pondus in sextarium aceti & mellis addi oportet.* Lib. XXIX cap. I de Mithridatico: *quarundam rerum sexagesima denarii unius imperata.* Cap. III. *Cerussæ denariorum duum pondere: &, pineique corticis duabus sexagesimis denariorum.* Sic cap. IV & VI & X & XI. Lib. XXX cap. XIV & XV. Sic *duæ sextæ denarii* pro duobus obolis lib. XXIX cap. VI. *Ut efficiatur dimidium pondus denarii, promittitur, additis*

ditis duabus sextis denarii e stibi. Lib. xxx cap. I. *Aspidis cutem pondere sextæ partis denarii.* Hinc etiam dicit interdum *argenteum denarium*, quamvis non esset Romanis nisi argenteus: nempe in arte versatur Græcorum, quibus & *aureus denarius.* Sic enim vertit illorum ἡμίχρυσον, drachmam auri. Lib. xxxiv cap. vii. *Solitum enim* (Lysippum) *ex immani pretio cujusque signi denarios seponere aureos singulos.* Lib. xxxvii cap. I. *Indicato in Cypro sex aureis denariis smaragdo.* Auctor Galenus lib. viii de compos. medicam. περίδηλον, ὅτι δραχμὴν λέγομεν νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ὅπερ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσιν. Auctores, in parte illi ipsi, qui in contrarium adducuntur: Celsus, cum *drachmas ad denarios convenire*; Scribonius, cum tot in libra denarios esse quot drachmas adfirmant: Cleopatra: ἡ δραχμὴ ἔχει γράμματα γ', ὀβολοὺς ς', θέρμους θ', κεράτια ιή, χαλκοῦς μή. τὸ Ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν α'. Quod perperam invertit Capellus: τὸ δηνάριον ἔχει δραχμὴν Ἰταλικὴν α'. Plinius Valerianus: *Drachma est pondus denarii argentei. Obolus quoque denarii pars est sexta.* Auctor Isidorus, qui non ab sese, sed haud dubie ex aliquo veterum optimo lib. xiv cap. xxiv. *Drachma octava pars unciæ est, & denarii pondus, argenti tribus constans scriptulis, id est, octodecim siliquis.* Ubi fuit igitur mens summo viro, cum ad Solinum interpretaturus illud Plinii lib. ix cap. xxxv, *pondus ad hoc ævi semunciæ pauci singulis scri-*
„ *ptulis excessere*; apponit: Tria scripula vel scriptula in drachma: sex drach-
„ mæ in uncia: sic decem & octo (voluit quatuor & viginti aut festine ni-
„ mis calculum posuit) scriptulorum uncia est: semuncia novem: ut mar-
„ garita, quæ semunciæ pondus uno scripulo superaret, decem scripulorum
„ esset. At Fannius:

Uncia fit drachmis bis quatuor. unde putandum
Grammata dicta quod hæc viginti quatuor in se
Uncia habet.

Et Volusius: *Dividitur uncia in scriptula viginti quatuor.* Moxque: *Semuncia habet sicilicos duos, sextulas tres, dimidias sextulas sex, scriptula duodecim.* Denariis aliquis illorum, qui argute voluerunt agere videri, sex unciam terminavit; drachmis, quod sciam, nemo. Ipse melius hæc norat scripseratque alibi: sed indispensatus iste atque irrevocabilis styli cursus hic quoque illi plaustrum perculit. Igitur hæc condonabitur, ut tanto facilius mutuos det nobis aliquot auctores hujus rei, quam nunc quærimus, ex defensione Notarum in Tertullianum. Hero Alexandrinus in fragmento de re nummaria: Τῇ Ἀττικῇ δραχμῇ χρηστέον πρὸς σταθμὸν καὶ νόμισμα, ἐπειδήπερ ἰσοδυναμός ἐστι τῇ Ἰταλικῇ ἣ καλεῖται δηνάριον. Idem Hero in eodem opusculo: Σίκλον ἀπὸ τοῦ σεκὲλ ἑβραΐδος, ὅ ἐστι ῥοπή. ἔχει δὲ δύο λεπτὰ καλούμενα, ἅ εἰσι δραχμαὶ δύο· δύο δὲ δίδραχμά εἰσι δύο σίκλοι κατὰ τὸ σίκλον τὸ ἅγιον, οἳ ποιοῦσι στατῆρα ἕνα· ὁ στατὴρ τῇ ὁλκῇ δύο διδράχμων ἀποτελεῖ μέτρον· σίκλον δὲ καλεῖται κοδράντης· ἑρμηνεύεται δὲ ἐκ τοῦ ἑβραΐδος κοδράντης ἤγουν ἀπόδεσμος, δύο δὲ δραχμὰς εἶχε. Quicum

omnino

omnino consentit fragmentum aliud ex codice Budensi prolatum a Joach. Camerario, repetitum a Scaligero, ab Salmasio correctum: Ἔχει ὁ στατὴρ ἥμισυ τῆς οὐγκίας, σίκλους δύο· πάλιν τὸ σίκλον, ὅ ἐστιν ἥμισυ τοῦ στατῆρος, τέταρτον τῆς οὐγκίας, ἔχει λεπτὰ δύο· τὸ δὲ λεπτὸν ὁλκὴ μία, ὄγδοον τῆς οὐγκίας, παρά τισι δὲ καὶ ὀβολὸς καλεῖται. Ex horum traditione, uncia duos habet stateres, quatuor siclos, qui & quadrantes, octo λεπτὰ, quæ & drachmæ: stater duos siclos, qui & didrachma duo, quatuor λεπτά· siclus duo λεπτὰ seu drachmas: λεπτὸν sive drachma octava pars unciæ. Hæc eadem λεπτὰ, δραχμὰς, ὁλκὰς, ὀβολοὺς, (idem enim interdum omnia hæc vocabula significant) postea *denarios* idem Hero vocat: Δηνάρια δὲ ἦσαν ἐκεῖνα δύο τὰ ὑπὸ τῆς χήρας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον βεβλημένα, ἃ καὶ δύο λεπτὰ ἐκαλεῖτο. Hilarius in enarratione Psalmi CXXVIII. *Duos denarios inopis viduæ acceptiores Dominus ait copiosis divitum nummis.* Iidem scriptores μνᾶν, quæ centum drachmarum est, vocant ἀργυροῦν, seu μέγα ἀργύρεον, opposito nempe τῷ λεπτῷ, quæ erat drachma: & in isto testantur esse centum denarios. Hero: Μέγα δέ ἐστιν ἀργύρεον, ὃ ἐκλήθη ἀργυροῦς, δηναρίων ἑκατόν· ἕκαστον δὲ δηνάριον ἀσσαρίων ἐστὶν ἑξήκοντα. Budensis Camerarii: τὸ κληθὲν νόμισμα παρὰ τοῖς βασιλεῦσι (ἀργύρεος δὲ καλούμενος διὰ τὸ ἐξ ἀργυρείων τότε τετύφθαι εἰκόνα ἔχων βασιλικὴν) μέγα μὲν εἶναι τῷ χαράγματι καὶ τῇ ὁλκῇ, ὃ ἐκλήθη ἀργυροῦς, ὥστε ἔχειν αὐτὸν δηνάρια ρʹ. ἕκαστον δὲ δηνάριον ἔχειν ἀσσάρια ξʹ. Idem confirmat Epiphanius: Ρʹ δὲ δηναρίων ὑπῆρχεν ὁ ἀργυροῦς, ἑξήκοντα δὲ ἀσσαρίων ὑπάρχει τὸ δηνάριον. Ejusdemque vetus interpres: LX *vero assaria denarius nominatur: centum autem denaria argyrus, id est, argenteus existebat.* Maximus περὶ τιμῆς τῶν τριάκοντα ἀργυρείων· Λεπτὰ καλοῦνται τὰ ἀσσάρια, ἤγουν τὰ νουμμία· ἑξήκοντα δὲ ἀσσαρίων ὑπῆρχε τότε δηνάριον· ἑκατὸν δὲ δηναρίων ὁ ἀργυροῦς. De istis sexagesimis partibus denariorum, quæ *assaria* vocant illi, & Maximus λεπτὰ, vocabulo jam aliter usurpato, adversus Cercoëtium Salmasius. Aliud argumentum etiam præbet Epiphanius, follem κατὰ δηναρισμὸν describens: Φόλλις, ὃ καὶ βαλλάντιον· διπλοῦν δέ ἐστιν ὑπὸ δύο ἀργυρῶν καὶ ἥμισυ συγκείμενον, οἳ γίνονται σνʹ δηνάρια. Vetus versio: *Follis, qui & ballantium, id est, sacculus, a duplicatione nominatur: duo namque sunt ac semis argentei, qui faciunt minutos denarios* CCL. Subscribunt Glossæ Nomicæ: Φόλλις σταθμός ἐστι λεγόμενος καὶ βαλλάντιον· ἕλκει δὲ δηνάρια διακόσια πεντήκοντα. Aliudque vetus fragmentum περὶ σταθμῶν. Βαλλάντιον παρὰ τὸ βάλλειν· ἐστὶ δὲ σταθμός τι βαλλάντιον, ὃ καὶ Φόλλις δηναρίων σνʹ. Jam antea dictum ἀργυροῦν esse idem quod minam seu libram. Ergo mina centum denarios, duæ semis, quæ veteres Latini dixere *sestertia*, posteriores *folles*, ducentos quinquaginta denarios habet. Denique probat hoc conspiratio Græcorum & Romanorum omnium, quotquot sunt quibus Latinam pecuniam ad Græcam Græcamque ad Latinam redigere usus fuit: quorum illi *denarium* Latinum semper δραχμὴν, hi δραχμὴν semper reddiderunt *denarium*: horumque inter se comparatio demonstrat, ut pondo bina & selibram æstimari drachmis ducentis quin-

quaginta, ita unam libram drachmis centum, unam minam denariis centum. Agricola ut tot auctoribus responset, dicit quidem aliquid non abhorrens ab illa minuta subtilitate, qua in his utitur, sed quod facile adversus ipsum inverti, & pro nobis valere possit. Plinius quidem, ait, in eo „ ipso loco Græca nomina non modo mensurarum, sed etiam ponderum „ interpretatur. Itaque cum denarius argenteus ad Atticæ drachmæ pon- „ dus proximius accedat, quam vel denarius aureus vel victoriatus, dicit „ drachmam Atticam denarii argentei habere pondus. Quocirca Latini „ scriptores, cum locos ad verbum de Græcis exprimunt, pro drachma red- „ dere solent *denarium*, contra Græci cum locos de Latinis convertunt, pro „ denario *drachmam*. Sic Romani scriptores interdum μνᾶν vertunt *libram*, „ & Græci libram μνᾶν. Habemus quod volumus: neque enim Budæus negavit, aut nos negaverimus, subtili examine minam a libra, drachmam a denario differre aut minus quam centum denarios ex libra signari. Immo diserte Budæus, cum advocasset verba Hermolai: *mnan, libram, pondo, minam* pro eodem nostri dicunt, ut Græci μνᾶν, λίτραν, ὁλκὴν, addit: „ Quod dictum ut non usquequaque verum est, ita in re nummaria *libram* „ & *minam* pro eodem fere usurpari deprehendimus, vix ut differentiam „ animadvertere possis, quamlibet observes accurate & Latinos & Græcos. Hoc autem quærimus, an quod veteres drachmam denario, libram minæ compararunt, non præbeat idoneam rationem explicandi vocem *sestertia* pro mille nummis, quasi conflatis ex pondere argenti duarum & semis librarum, cum in libram centum denarii, singuli quatuor nummum, ut in minam centum drachmæ imputarentur? Censuit Budæus. Contradixit Agricola, & tanta manus doctorum hoc maxime impulsi, quod subtilissimo examine pondera denario & drachmæ divortant. At si hoc discrimen non deterruit omnes ad unum veteres, ne δραχμὴν *denarium*, χιλίας δραχμὰς *mille denarium*, δέκα μυριάδας *centum millia* interpretarentur & exprimerent, Latini, Græci, vicissim; neque offecisse judicandum est idem quantulumcumque discrimen, qui minus ἑκατὸν δραχμὰς dicerent *denarios centum*, cumque viderent Latini esse Græcis summam significantem centum drachmas, μνᾶν, quam propter proximam æqualitatem ponderis etiam in aliis *libram* reddebant, illorum imitatione conciperent libram centum denariorum, & inde *sestertium* pondus argenti, duplicatam libram cum semisse: quod quia ex hac ratione ducentos quinquaginta denarios, etiam mille nummos sestertios valeret, Agricola comminiscitur tria genera denariorum, gravium unum, quales ex libra tres & sexaginta signatos, Livium & Varronem (sed male, ut docuit Hotomannus) demonstrare putat, quos fatetur nunquam sibi visos: mediocrium alterum, quales quatuor & octoginta e libris signari justum esse tradit Plinius, si tradit, tot aliis locis drachmam denario æquans: levium tertium, cujusmodi jam abolita liber-

tate

tate imperatores Claudius & eum ſecuti, aliquid de pondere detrahentes, e libra fecerint ſex & nonaginta. De hoc poſtremo genere ſic ſcribit: „ Si de iſto levi & non legitimo denario Plinium ſcripſiſſe Alciatus dixe- „ rit, *drachma Attica denarii habet pondus*, ne videar defenſor nimium liti- „ gioſus, ab eo non diſſentiam: præſertim cum tales inveniri ſoleant, ſed „ maxime percuſſi a quibuſdam imperatoribus, qui Veſpaſianum ſunt ſecu- „ ti. Hos etiam denarios leves ſi Plutarchum alioſque inferioris ætatis ſcri- „ ptores Græcos, qui pro denariis reddunt drachmas, aut Latinos, qui „ contra drachmas convertunt denarios, putavit intellexiſſe, non repugna- bo. Et hic habemus confeſſionis ſatis. Concedit enim fuiſſe & reperiri hodie denarios tales, qui eodem, quo drachma, cum ſint pondere, centum potuerint in libra cenſeri, ut totidem drachmæ in mina. Sed quum eos non legitimos vocat, quum ante Claudii principatum non percuſſos, (etſi Ciacconio perſuaſerit, etſi formaverit hinc aſſes ſuos, ſeſtertios, victoriatos, denarios, conſulares & imperatorios Capellus, in quibus mire laſcivit, nec aliunde Savotus ingerat toties Neronem detraxiſſe argenti & auri ponderi) in eo convincitur erroris manifeſti collatis Polybii & Livii locis, cum hic ex illo πεντακοσίας δραχμὰς quingenos denarios accepit: Strabonis & Valerii Maximi de Præneſtino mure, quem ille διακοσίων δραχμῶν, hic ducentis denariis veniſſe ait: M. Senecæ rhetoris, qui & ipſe narrat rem ſub principatu Auguſti geſtam, in qua agnoſcit viginti quatuor ſeſtertia eſſe in talento: Ciceronis denique eadem ratione decem millia talentum bis millies quadringenties reddentis. Ut taceam alia plurima, in quibus Dio, Plutarchus, Dionyſius, & Alexandreæ hiſtoriæ ſcriptores de temporibus antiquioribus loquuntur: nec credibile eſt omnes illos ſcriptores adeo fuiſſe imprudentes aut negligentes, ut ſuæ ætatis levem pecuniam cum ſuperiori gravi, ut fingit ille, perpetuo errore confunderent. Quid quod Plinius de Taprobanes rege refert lib. VI cap. XXII? principatu Claudii, cum Annius Plocamus manceps vectigalium rubri maris, aquilonibus raptus ad inſulam neceſſario applicuiſſet, admiratum fuiſſe regem juſtitiam Romanorum inde, quod pares pondere denarii eſſent in captiva pecunia, cum diverſæ imagines indicarent a pluribus factos. An credibile eſt omnes hos fuiſſe graves & conſulares, quos imaginantur, nullum Claudianum? tam mehercule quam omnes fuiſſe leves & Claudianos, ut indicat velle Agricola adverſus Alciatum. An Claudium potiſſimum commiſiſſe, ut interiret illud ſpecimen Romanæ juſtitiæ, quod tam recentem fecerat admirationem barbaræ ac remotiſſimæ genti, eamque ad amicitiam Romanam petendam ſollicitaverat? Quis autem ille ad portas Hannibal, qui ſubegit Claudium a bello Punico ſecundo exemplum repetere, quo publica inopia levaretur? Cur autem Tacitus, Suetonius, Dio, accuratiſſime omnia perſequentes mutationis hujus in pecunia ne verbulo quidem meminerunt? Scaliger etiam teſtatur, omnes

fere, qui hodie reperiuntur, denarios ejuſdem eſſe, cujus drachmam, ponderis, neque Regalem Caſtilianum excedere. Hæc ſufficiunt nobis ad demonſtrandum drachmas denarioſque Romanis & Græcis eodem pretio taxatos, centumque denariis æſtimatam nummariam libram: teſtimonia, inquam, Plinii, & Galeni, totque aliorum, tum perpetuus uſus omnium auctorum, præter experimenta Budæi, ipſius Agricolæ, Scaligeri & cæterorum in appendendis denariis. Si qui alii fuerunt minore numero libram exhaurientes, illos uti non quadrare ad noſtrum inſtitutum unicamque illam & veram rationem, qua *ſeſtertia* quî dicta ſint, intelligimus, non diffitemur: ita extraordinarios fuiſſe illos neque in ambulante & verſante inter manus pecunia promiſcue jactatos, neque rem tot argumentis probatam ſuſpectam reddere poſſe ulli æquo arbitro confidimus. Quod ad Hotomannum attinet, ille tot partibus Agricolæ diverſus, unum ab eo ſumpſit imbibitque adeo, ut in Romanam libram centum denarios ac proinde quadringentos ſeſtertios imputandos eſſe, neque Budæum, cui totus pene mundus adſentiatur, neque quemquam Budæo doctiorem, ſi quis fuerit repertus poſthac, unquam veritatis ſtudioſis perſuaſurum auſit promittere. Quis vanam putet tantam tanti viri fiduciam? Sed ſi rem penitius inſpicias, acumen ejus aut certe memoriam deſideres. Hic ſcilicet tempus erat libræ omnia ſcriptula & ſiliquas exſequi ſubtiliter, ubi de ratione nominis mediocri ſummæ impoſiti, qua in re plerumque rotundum potius quam exactum numerum amabant Romani, agitur: hic tantam controverſiam, quam αἰνιγματώδη & ingenii carnificinam dicit alicubi, ſubita ſententia finiri, ut Budæi ex receptiſſima vulgatiſſimaque ratione poſiti calculi conturbarentur. An meminit ſuperius ſcripſiſſe, *libram & minam* pro eodem ponderis genere interdum ab auctoribus uſurpari, interdum pro diſpari ac diverſo: modo ſeptuaginta duas drachmas in libram ſive minam imputari, modo ſeptuaginta quinque, ſæpe quatuor & octoginta, nonnunquam nonaginta ſex, PERSÆPE CENTUM. Sed & ſequens caput totum occupat in ampliori recenſione locorum apud auctores, quibus drachma & denarius æquantur. Immo eo uſque provehitur, ut apud Livium, ubi dicitur: *tetradrachma vocant: trium fere denariorum in ſingulis argenti eſt pondus:* poſt multam diſputationem fateatur ſe vereri, ne nomen τρίδραχμα in τετράδραχμα degenerarit. Adeo adverſantes Budæo cavere non potuerunt, quin ſæpe illis exciderent, quæ ipſorum propoſito adverſarentur. Cur Hotomanno, in re juxta dubia, liceat quatuor & octoginta denariis coërcere libram argenti, ut neget mille ſeſtertium nummum imputatum in duas libras & ſelibram; Budæo, ut rationem det, cur *ſeſtertia* valuerint mille nummum, quod teſtatiſſimum & judicatum eſt, opinionem omnium, qui Græca aut Latina olim tranſtulerunt, calculo aptam & non minus certis auctoribus probatam ſequi non liceat? At etiam nonaginta ſex denariorum in libram mentionem habet; quia Fannius Remnius: *Accipe*

Accipe præterea patrio quam nomine Graji
Mnan vocitant, noſtrique minam dixere priores:
Centum hæ ſunt drachmæ. Quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram.

Dioſcorides: Ἡ δὲ λίτρα ἔχει οὐγκίας ιβ΄, δραχμὰς ϟϛ΄. Et Galenus: Ἡ μὲν λίτρα δραχμὰς ἓξ ἔχει πρὸς ταῖς ἐννενήκοντα· τὸ δὲ ἡμίλιτρον ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα δηλονότι· καθάπερ καὶ τούτου πάλιν τὸ ἥμισυ τέσσαρας καὶ εἴκοσι. Priſcianus: *Italica autem mina drachmas habet nonaginta ſex.* Quin & apud Plinium ſuſpicatus eſt olim Hermolaus, non LXXXIV, ſed LXXXXVI legendum eſſe. Hinc igitur „ Hotomannus: Sumamus alterum legitimum denariorum numerum in li- „ bram, de quo ſuperius ſuo loco dictum eſt, nimirum ſex & nonaginta. „ Nihil neceſſe eſt rationem inire. Verbo iſto ſolo intelligitur ſatis, Bu- „ dæanæ opinioni nullum omnino locum relinqui. Hoccine non eſt vineta ſua cædere? Etenim ſi nonaginta ſex denarii libram implent, cur tanta adſeveratione prius quatuor & octoginta id præſtare ſtatuit? Dein Budæus non ignorabat, quatuor illis ſententiis, quæ aut LXXII, aut LXXV, aut LXXXIV, aut XCVI denariis præciſe libram definiebant, id quod volebat, non convenire. Videbat autem, ſi centum denarii in libram conferrentur, claram ſe obſcuriſſimæ rei facem accendere, & cauſam differentiæ tantopere quæſitam inter *ſeſtertios* & *ſeſtertia*, ſatis idoneam inferre poſſe. Sciebat ita quoſdam Romanorum & Græcorum tradere, &, quia rotundus erat numerus, recepto & in aliis veterum mori familiarior & convenientior videbatur. Id ergo, quod expoſitum erat obviumque, ſecutus eſt: & quidem tanto moderamine, ut non ſecus de libra minaque ſentientes improbaret, ſed eorum ſubtilitatem veteres ſecutos in re nummaria negaret. In quo nos ei omnino ſubſcribimus. Diſſenſum aliorum & diverſos calculos, & pro tempore copiaque metalli, forſan & animo regentium monetam, differens denariorum pondus ei objicere, quid eſt aliud quam petere τὸ ἐν ἀρχῇ? Æquent illi ſuos quatuor & octoginta denarios, vel plus vel minus, quot volunt in libra præter centum, æſtimationi omnium, quotquot fuere, veterum, qui Græca vel Latina verterunt: æquent ponderi denariorum, quales hodie plurimi reperiuntur: & tum habebunt quod nobis opponant. Unde probabitur magis conſilium Budæi, quam quod inſuper habitis cæteris eam æſtimationem libræ advocavit, quæ ſerviret optime propoſito? unde magis aliorum infelicitas, quam quod putida diligentia, altum patens faſtidientes, in brevibus Syrtibuſque infinitis hæſerunt? Sit autem pinguior iſta ratio & minus reſpondeat religioſe ponderum alibi adhibitorum momentis & ſubtiliſſimo denarii & drachmæ ad ſe invicem examini. An poſtulare potuit, ut crederemus octo & quadraginta aureorum pondus in libra auri fuiſſe, numerum vero quinquaginta: in denariis id ferre non potuit, ut numerus formarum & pondus aliquantulum differrent? Quanto

plus præstant in quinquaginta aureis duo quam in centum denariis quatuor? Immo qui tot loquendi genera in re, in qua ipsi tam subtiles ac circumspecti sunt, sine ulla ratione aut consilio, mera libidine vulgi, etiam contra rationem & regulas, inducta & tolerata veteribus audent statuere: eorumne est negare rationem aliquam secutos, quæ non sit argutissima & puncto laxior? Sed enim cur non convertimus contradictionem Hotomanni, quod fieri posse vidit Agricola, & propterea de hoc genere concessit potuisse fieri, ut tales centum in libra fuerint. Itaque longe melius constabit hæc ratio: Legitimus numerus denariorum in libra fuerint sex & nonaginta; igitur quum desiderarent vocabulum, quo grandes summas brevius conciperent, non aliunde id desumpturi quam a numeri & ponderis in argento significatione, optimumque & in rem visum esset, quod jam alio genere in nummis usurpabant, *Sestertium*, mille nummos eleganter complexurum, si numerus denariorum, qui libram implebant, corrotundaretur; valde, si quid unquam, credibile est pro sex & nonaginta denariis centum denarios in libra cogitasse & finxisse veteres etiamsi non essent, constituendi vocabuli istius causa; vel sic pronuntiasse & effinxisse id vocabulum, quasi tot essent: præsertim quum hic rotundus numerus exacto tam vicinus esset. Quis enim hoc Romani moris, communis immo sensus, ignorat, ut populariter & extra subtilem disputationem numeri vel detractis vel adjectis aliquibus rotundius enuntientur. Varro lib. II de re rust. cap. I. *Si, inquam, numerus non est ad amussim, ut non est, cum dicimus mille naves iisse ad Trojam, centumvirale esse judicium Romæ.* Asconius in Pisonianam: *Possit aliquis credere, lapsum memoria Ciceronem, qui dicit, quadraginta annis ante se consulem factum esse SC. adversus L. Appuleium Saturninum tribunum plebis, cum triginta sex anni a Mario & L. Valerio Flacco coss. numerentur. Sed hic non subtilis computatio annorum facta est, verum summatim tempus comprehensum est: & perinde accipiendum, ac si dixerit, prope* XL *annis: hæc enim consuetudo est ipsius Ciceronis. Itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, quum octavus decimus dies esset, posteaquam factum SC. ut viderent Coss. ne quid resp. detrimenti caperet: vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis.* Sic Florus annos CCL regnatum Romæ scribit, & quingenties annis populum Romanum Italiæ subigendæ impendisse usque ad Ap. Claudium M. Fulvium consules. Sic *centurias*, *decurias*, *tribus* dicebant, in quarum aliis infra, aliis longe supra tam brevem numerum homines continebantur. Et sane quum Græci Latinique consentiant, drachmam octavam esse unciæ partem, trium scriptulorum, & cum hac drachma vulgo denarium compararint, vix dubitandum videtur, quin hæ sint ipsæ drachmæ, & hi ipsi denarii, qui proprie ac subtiliter sex & nonaginta minam libramve nummariam constituerent, sed non tantum numeri rotundandi causa, verum etiam, quia rarissimi pondus illud exactum referrent,

rent, consuetudine fori & tractatione pecuniæ introductum, ut centum pro libra minave ambularent. Willebrordus Snellius denarii pondus ita colligit. Unciam Romanam ait artifices nostros dispescere in vicenas partes, quas *anglicos* vocent; hos vicissim anglicos secari in partes tricenas binas, quæ *grana* appellentur: sic singulas uncias Romanas grana pendere sexcenta quadraginta, libram duodecim unciarum granis septem millibus sexcentis octoginta æstimari. Quamobrem si uncia Romana habuerit denarios octo, libra sex & nonaginta, oportere, ut singuli denarii appensi octoginta granorum inveniantur. Exhibet deinde typos & characteras denariorum quatuor & viginti, integerrimorum, ut ipse ait, & vetustissimorum ex purissimo argento: in his tantummodo tres octoginta ista grana, sed parvo, excedunt, duo complent ipsa, cæteri omnes minus habent ponderis, ut fateatur (quamquam libram Romanam centenariam evasisse, ut centum ex illa denarii SC. signarentur, nullo auctore confirmari posse putet) centum denarios tales e libra signari potuisse. Libet etiam addere verba viri nobilis & doctissimi Jac. Cappelli, qui Agricolæ de subtilitate concedere velle non videtur, & nummos consulares atque imperatorios & ipse loquitur. Quum denarium suum consularem, constituisset granorum septuaginta duorum, qui imminutus sit, & drachmalis factus, quo tempore lege Papiria asses semunciales, de Agricola „ subjicit: Is tamen Budæi rationes sane validissimas non satis commode di„ luit. Fatendum igitur ingenue, quod contendit Budæus, Atticam sc. „ drachmam cum denario commutari solitam: atque hanc esse causam, „ cur optimi quique scriptores pro *drachma denarium* usurpent, & vi„ cissim. Et deinde: Cum ergo ex uncia Romana feriebantur septem de„ narii probæ notæ, tum conficiebantur denarii, quos consulares distinctio„ nis causa nuncupamus, hoc est, priscum & legitimum suum pondus re„ tinentes. Cum vero ex eadem uncia octo denarii cudebantur probæ iti„ dem monetæ, tum conficiebantur denarii, quos drachmales & imperiales „ nuncupare possumus. (Hæc tanti sint, quanti cuique libet.) Jam etiamsi „ ejusdem indicaturæ esset drachmalis denarius cum consulari, quotusquis„ que erat, qui assumpta trutina ponderis inæqualitatem aut adverteret aut „ pensi haberet? Quid? an non in Italia atque adeo in Gallia passim Regales „ Hispanorum cum Juliis & Paulis commutantur? Et tamen certum est, to„ tidem granis leviores esse Julios Regalibus, quot denarii drachmales con„ sularibus. Num ideo dicemus, Julios multo defæcatioris argenti esse quam „ Regales? Non ita sollicite populus in nummulos istos argenteos inquirit, „ ut eos sexta vel septima sui parte justo leviores rejiciat. Sic ille, cui tamen adsentiri non possum, eos nummos argenteos, qui septuaginta duobus vel quatuor granis amplius pendunt, non esse habendos inter denarios. Quæ res coegit eum propemodum *sextulam* facere nummum exemplo cujusdam LXXXIV grana pendentis, cujus alteri faciei VIC. CIM. alteri COS. VII

N inscri-

inscriptum fuerit. Sed hic quoque denarius fuit, &, ne miretur vir doctus victoriam Cimbricam, quæ quinto consulatu Marii accidit, hic cum septimo conjungi, credibile est factum illum post mortem Marii ab aliquo ex posteris vel studiosis ejus (forte C. Julio Cæsare) qui renovarit memoriam vel *victoriæ Cimbricæ*, quod præcipuum illius viri monumentum in republica erat, vel *Victoris Cimbrorum, consulis septies*. Quod si, ut quidam volunt, nummi denarii, qui supersunt hodie, magnam partem sint extraordinarii & triumphales, minus est mirandum, si quando justum pondus excedunt: potest enim intelligi, comparatum id esse data opera a quibusdam magnanimis ducibus, ut nobilius esset congiarium. Quum vero Celsus & Scribonius Largus dicant cum Plinio, *denarios octoginta in libram incurrere*, & tamen adfirment *tot drachmas esse in libra quot denarios*; mirum est neminem illorum auctoritate persuasum etiam drachmarum in mina numerum in controversiam vocare, omnes vero allidi & offendi ad denariorum in libra numerum. Illi accipiunt quatuor & octoginta denarios esse in libra, septem denarios in uncia; omittunt & transsiliunt totidem drachmas poni in libra totidemque in uncia, quum omnes alii tradant octo drachmas in uncia, & pro portione etiam plures drachmas in libra esse; & res notissima sit. Si licet illis partem dissimulatam transmittere, & acquiescere illi, qua numerus denariorum in libra coarctatur, unius Plinii testimonio suffultæ: qui minus liceat nobis nihil morari partem nobis diversam, & accipere illam, qua tot dicuntur esse denarii in libra quot drachmæ, ejusdem Plinii testimonio non uno & tot aliorum comprobatum. Hoc illi non facile excusabunt, quin dicant aliquid rationi nostræ consentaneum. Licet autem, opinor, nobis in re tam intricata & implicita conjicere, dum certius aliquid ab aliis exspectamus. Videtur communis libra ponderalis Romæ habuisse LXXXIV denarios vel drachmas: quippe cujus unciæ pars septima esset drachma vel denarius. Hinc Celsus & Scribonius aiunt, in uncia denarios esse septem, & nihilominus in libram incurrere tot drachmas quot denarios: quod fieri non potest, nisi & septimam unciæ partem statuamus drachmam. Hinc etiam Plinius lib. XII cap. XIV de thure: *Etiamnum tamen inveniuntur guttæ, quæ tertiam partem minæ, hoc est*, XXVIII *denariorum pondus æquent*. Nam ita sibi inventum in MSS. nonnullis attestatur Budæus: etsi alii XXIX, quod Agricola & Ciacconius arripiunt: vulgati XXXIX. Porcius ex cod. MS. XXXIII pag. 41. Hotomannus, XXXIII *scrupuli*, adversus sibi ipse. Scaliger probat lectionem quam posuimus, & recte conjectat, Græcum auctorem, unde hæc Plinius exscripserit, μνᾶν dixisse, quod ita retinuisse Plinium, ut ad pondus communis libræ Romanæ accommodarit. Græcus ille Theophrastus est lib. IX περὶ φυτῶν. Εἰσί δέ τινες λιβανωτοὶ καὶ μεγάλοι σφόδρα τῷ χόνδρῳ, ὥστε εἶναι τῷ μὲν ὄγκῳ χειροπληθιαίους, σταθμῷ δὲ πλεῖον ἢ τρίτον μέρος μνᾶς. Alia erat libra medica Græca & Romana: quippe quæ XCVI habebat denarios vel drachmas,

utpote

utpote cujus unciæ drachma vel denarius esset octava pars. Hinc Galenus: ἡ μὲν λίτρα δραχμὰς ἐξ ἔχει πρὸς τοῖς ἐννενήκοντα. Et Priscianus, si minæ detraxeris quatuor drachmas, effectum iri *libram nostram*. Id est medicam, quia præmiserat se *Pæoniis libellis memorata pondera* exsequuturum. In utraque denarius, non ut nummus, sed ut pondus consideratur. At præter has alia fuit mina sive libra nummaria, utrisque constans centum denariis vel drachmis. Hinc Livii argenti *pondo bina* & *selibram* Plutarchus interpretatur δραχμὰς πεντήκοντα καὶ διακοσίας. In omnibus autem pondus idem denarii quod drachmæ. Hæ centum drachmæ ex instituto Solonis non plus habebant argenti, quam ante illum habuerant LXXV: inde Priscianus singulas minas habere ait septuaginta quinque drachmas, veteres nimirum. Scaligero memoria imposuit, vel Agricola (nam ab illo habet lib IV de pond. Rom. pag. 105) quum notat Appianum scribere, Cæsarem singulis de populo minam Atticam testamento donasse, quas Plutarchus δραχμὰς ἑβδομήκοντα πέντε, Suetonius *sestertia trecenta* (*trecenos sestertios* habet Suetonius, & hoc ille voluit) dixerint, id est denarios LXXV, quot drachmas ponat Plutarchus. Nam & Appianus: τῷ δήμῳ δὲ ἦσαν οἱ κῆποι ἐνδιαίτημα δεδομένοι, καὶ κατ' ἄνδρα Ῥωμαίων τῶν ὄντων ἔτι ἐν ἄστει πέντε καὶ ἑβδομήκοντα Ἀττικαὶ δραχμαί. Minæ nulla mentio. Jam & hæc & sequentia digesseram, quum incidi in Ludovici Savoti scripturam, lectione dignissimam, & studii, quod ille in monetam priscam & præsentem intelligendam contulit, testem locupletem. Sestertios tamen pondere denarii majores, quippe quorum quinque unciam compleverint, victoriatos didrachmos, denarios unciales primum, hoc est, septem vel octo denariorum pondus æquantes, dein semunciales, postea trientis, hinc quadrantis unciæ, tum quintæ partis, rursum sextæ, quin & septimæ, & si diis placet, septimæ semis, priusquam ad octavam perveniretur; atque hos non singulares & paucos ex libito paucorum, sed vulgares, & usu diversorum temporum receptos, & solos certo tempore receptos, lib. III cap. VII, cui probabit? Locis Plinii, Varronis, Prisciani nititur, tam dubiis, ut in omnem partem plus offensionis quam certæ doctrinæ præbeant: accedunt duo aut summum tres nummi, ut satis apparet, extraordinarii & singulares: dicitur libellam, sembellam, teruncium ad nimias minutias redigi, si fuerint partes denarii drachmalis: eadem prudentia, qua lib. III cap. XVIII negatur chalcum octavam partem oboli, esse potuisse nummum: quasi delirassent omnes Græci, & Pollux inprimis atque Aristophanes, quum ait: τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις χθές τε καὶ πρώην κόπεισι τῷ κακίστῳ κόμματι. Hæc sunt argumenta, quibus rem cum historiarum fide pugnantem, & a Romana, ut recte judicat Villalpandus contra Agricolæ graviorem illum denarium, elegantia alienam, quæque æstimationem omnem pecuniæ Romanæ incertam irritamque reddit, persuadere se postulat. Desiderat in hominibus doctis, qui de re nummaria scripserunt, frequentiorem tractationem veterum nummorum: sed est,

quam viciſſim illi in judice ſuo deſideraturi ſunt, diligentior veterum auctorum tractatio: ut ſic quoque verum ſit, τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ.

CAPUT VII.

Exempla aliquot, quibus oſtenditur veteres denarium drachma æſtimaſſe, etiam ante illos, quos vocant denarios imperatorios. Priſciani locus confirmatus. Talentum viginti quatuor ſeſtertia M. Senecæ, Aſinio Pollioni, Auguſto. Decem millia talentum, bis millies quadringenties Ciceroni. Centum talenta, ſex millia denarium, & ſex millia pondo auri ducenties quadragies Livio. Rotundi numeri in ſummis concipiendis quædam exempla. Cicero emendatus. Talenta quadraginta, nongenta ſeſtertia. Auri ad argentum proportio decupla. Centies laxum. Liberum rei familiaris. Τῶν οἰκείων ἐλεύθερον. *Æliano lux. Liberare locum. Cicero illuſtratus. Impendia liberare laboribus. Scholiaſtes Arateorum Germanici defenſus. Sectari vitam. Juſtinus a correctione vindicatus. Uti. Habere qui utare. Dare unde utatur. Utenſilia. Cicero, Terentius, Plautus luce perfuſi. Utilia. Aurelius Victor defenſus.*

Quamvis autem ipſe concedat Hotomannus, perſæpe centum denariis libram æſtimatam, idque alii multis jam demonſtrarint, non pigebit tamen & nos, ne quid dubii lectoribus relinquamus, repetere exempla nonnulla æſtimationis ab ipſis veteribus Romanæ ad Græcam pecuniam initæ, & quidem ante tempora, quibus ab imperatoribus denarium imminutum volunt. Seneca productus Priſciano ex lib. x epiſtolarum ad Novatum: *Viginti quatuor ſeſtertia, id eſt, talentum Atticum parvum: viginti quatuor enim ſeſtertia ſexaginta libras habent.* Non intelligere ſe ait Hotomannus, quid ſit, quod decimum Epiſtolarum ad Novatum appellat Priſcianus. Videtur error memoriæ Priſciani, aut certe librariorum, qui ex decimo epiſtolarum L. Senecæ peticre, quod petitum ex lib. x Controverſiarum Marci. Illic enim in Controverſia, quæ inſcribitur, *Parrhaſii Prometheus*, hæc leguntur: *Aſinius, qui bellum cum omnibus Atticis gerebat, cum donaret illi Cæſar talentum, in quo viginti quatuor ſeſtertia ſunt, Athenienſium more,* ἢ πρόσθες, φησὶν, ἢ ἄφελε, ἵνα μὴ Ἀττικὸν ᾖ. Nam quod additur *ad Novatum*, præfatio libri eſt ad Novatum, Senecam, Melam, filios directa. Cæterum ſi viginti quatuor ſeſtertia occupant ſexaginta libras, haud dubie ſingula ſeſtertia duas libras habent & ſelibram: nam ſexaginta ſunt bis viginti quatuor & duodecim ſeu alterius dimidium. Sunt autem & ſeſtertia eadem ſumma, quæ mille nummum ſeſtertium: duæ igitur argenti libræ & ſelibra valuerunt mille nummum ſeſtertium. Jam viginti quatuor ſeſtertia, ſunt ſex millia denariorum: quatuor enim ſeſtertii denarius: atque eandem ſummam efficere talentum, Cæſar, Aſinius, Seneca teſtantur: in quo Græci numerant ſex millia drachmarum: drachmam igitur iidem duxerunt denarium. Quid evidentius? Nunc audiamus virum præſtantiſſimum ad verba ſive Senecæ ſive Priſciani: „Hæc Priſcianus & recte, dum tamen libras intelliga-

„mus

„ mus ſeptuaginta quinque drachmarum: quia ſicut quatuor ſeſtertii de-„ narium explent, ita viginti quatuor ſeſtertium millia denariorum ſex mil-„ lia conficiunt: quæ ſi ſeptuaginta quinque drachmas in libram impute-„ mus, ſexaginta libras explebunt. Sic ille aliud nobis expediens argumentum. Sex millia denarium ſunt ſexaginta libræ. Ergo mille denarium eſt decem librarum. Ergo una libra centum habet nummos denarios: nam mille nihil habet decies præter centum. Rurſum: Centum denarii habent ſeſtertios quadringentos: quadringenti igitur ſeſtertii ſunt una libra: & duæ libræ ſelibra, ſicut ducentos quinquaginta denarios, ita mille ſeſtertios habent. Hæc palpari poſſunt. Hinc & Didymus apud Priſcianum: Τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ. Græci enim non obſervant perpetuo differentiam ſeſtertii maſculini & neutrius. Et Plutarchus in Sulla χιλίους νούμμους nominat, οἵ, pergit, πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμὰς Ἀττικὰς δύνανται. Quid igitur interponit de libra ſeptuaginta quinque drachmarum? Etenim, ſi viginti quatuor millia ſeſtertium explent ſexaginta libras, libra autem drachmarum vel denariorum eſt ſeptuaginta quinque; ſingula millia nummum oportet habeant bis ſeptuaginta quinque & dimidium eorundem ſeptuaginta quinque, quod eſt triginta ſeptem & dimidiatus. Nam ſexaginta τῶν viginti quatuor duplum & dimidium ſunt. Sic ſingula millia nummum non efficient niſi centum octoginta ſeptem & dimidiatum denarios. Sic viginti quatuor ſeſtertium millia non facient denarium ſena millia, quod tamen ipſe adfirmat, ſed tantummodo quatuor millia quingentos. Sic denique denarius non quatuor, ſed quinque circiter, & aliquid ultra, habebit nummos ſeſtertios. Mirificas ſalebras, ex quibus haud ſcio quomodo poſſit evadere. Cicero pro Rabirio Poſtumo: *Quid vociferabare decem millia talentum Gabinio eſſe promiſſa? Huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu vis, avariſſimum exoraret, ſeſtertium bis millies & quadringenties ne magnopere contemneret.* Nimirum mille talentum Romana computatione eſt ducenties quadragies, & facit utrumque nobis ſexcenta millia Philippeum: decem millia talentum bis millies quadringenties, & utraque ſumma nobis ſexagies centena millia Philippeum ſeu ſex milliones Italicos conficit. Fac libras ſeptuaginta quinque drachmarum: immaniter erraſſe aut Ciceronem ſtulte putabis, aut te deprehendes. Nam mille talentum ſic erit centies octogies, ſeu quadringenta quinquaginta millia Philippeum, decem millia erunt millies octingenties, ſeu quadragies quinquies centena millia. Ita ſexcenties ſeſtertium amplius quam debuit dixerit Cicero. Recte vero ille, ſi ante imperatores licuit ei *drachmam* reddere *denarium.* Nam decem millia talentum ſunt ἑξακισχίλιαι μυριάδες δραχμῶν, ſeu ſexcenties centena millia drachmarum: bis millies quadringenties ſeſtertium, ſexcenties centena millia denariorum: quater enim ſexcenties eſt bis millies quadringenties. Livius lib. XXXIV. *Multitudinis eorum*

argumentum ſit, quod Polybius ſcribit centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe, quum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, ſtatuiſſent. Mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit. Qua ratione oſtenditur, inquit Priſcianus, *ſex millia denariorum habuiſſe talentum: nam quum quingeni denarii pro mille ducentis captivis dati colligantur, ſexcenta millia denariorum, centum ea oſtendit fuiſſe talenta. Centeſima autem pars ſexcentorum millium, ſex millia inveniuntur.* Centum talenta ſunt ἑξήκοντα μυριάδες δραχμῶν, ſexcenta millia drachmarum. At ſi in capita ſunt expenſi quingeni denarii, ſequitur ut in decem capita quinque millia denarium; in centum, quinquaginta millia; in ducenta, centum millia; in mille, quingenta millia. In mille igitur ducentos, ſexcenta millia denarium. Idem Livius lib. XXXVIII ex ſententia Valerii Antiatis tradit, judicatum Scipionem, quo commodior pax Antiocho daretur, *ſex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti* plus accepiſſe, quam in ærarium retulerit. Eam ſummam brevius poſtea complexus *ducenties quadragies* ei litem æſtimatam ex Antiatis ſententia dicit. Quæ nunquam conciliabis, niſi præſtruas libram argenti centum denariis, vel quadringentis ſeſtertiis cenſuiſſe. Age, ponamus calculos: libra argenti quadringentos habet nummos ſeſtertios: ergo decem pondo quatuor millia nummum, viginti pondo octo millia, quadraginta pondo ſedecim millia, octoginta pondo triginta duo millia, centum pondo quadraginta millia. Ergo etiam quadringenta pondo argenti centum & ſexaginta millia nummum. Quibus ſi addas, quæ in octoginta pondo ſunt, triginta duo millia, fient centum & nonaginta duo millia nummum. Jam aurum ad argentum habuiſſe proportionem decuplam, illis temporibus & Pollux ex Menandro probat, & confirmat ipſe Livius hoc libro ſuperius: *pro argento ſi aurum dare mallent, darent, convenit: dum pro argenteis decem aureus unus valeret.* Una igitur libra auri valebat decem pondo argenti: centum libræ auri conficiunt mille pondo argenti: mille auri decem millia argenti: ſena denique millia librarum auri valent ſexaginta millia pondo argenti. Porro ſexaginta millia pondo argenti æſtimantur ducenties quadragies centenis millibus nummum. Sena igitur millia pondo auri ſunt ducenties quadragies. Cui ſi addas CXCII millia, fient exacte ducenties quadragies ſemel & nonaginta duo millia, noſtrorum ſexcenta & quatuor millia Philippeum & præterea octingenti. Hinc Livius, quæ prius dixerat *ſex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti,* id poſtea reddit *ducenties quadragies,* numero rotundo. Sic Plinius ſolum fori Cæſarei conſtitiſſe millies ducenties tradit: Suetonius plus millies, minorem illam ſummam abſorbens. Brutus ad Ciceronem: *Cum ad liberandam rempublicam acceſſi, ſeſtertio mihi fuit quadringenties amplius.* Id eſt quadringenties ſemel aut bis. Auguſtus legavit populo & tribubus quadringenties & tricies quinquies, teſte Tacito: Dio χιλίας μυριάδας, quæ non ſunt ultra quadringenties, legaſſe ait: ſic ad octoginta

ſeptem

ſeptem myriadas reticet. Cicero pro Valerio Flacco cap. XXXVI. *At Falcidianum crimen eſt ingens. Talenta quinquaginta ſe Flacco dicit dediſſe.* Hanc ſummam *nongenta ſeſtertia* vocat cap. ſequenti: *At fructus iſti Trallianorum, Globulo prætore, venierunt; Falcidius emerat HS. nongentis millibus. Si dat tantam pecuniam Flacco, nempe idcirco dat, ut rata ſit emptio.* Ergo Manucius, *Talenta*, inquit, *quinquaginta*, ſcutatorum triginta ſex millia, id eſt, ſeſtertium nongenta millia, ut infra; ſtatimque: HS. DCCCC talenta quinquaginta ſupra nominata. Sed iſtæ ſummæ nequaquam conveniunt. Nam talenta quinquaginta ſunt ſeſtertium duodecies, ſcutatorum triginta millia: nongenta vero ſeſtertia ſunt talenta triginta ſeptem cum triginta minis, ſcutati viginti duo millia quingenti. Ergo apud Ciceronem ſcribendum eſt, *talenta quadraginta.* Ea ſeſtertium ſunt nongenta ſexaginta millia, ſcutatorum viginti quatuor millia. Sed ſexaginta millia ſilentur, ut ſumma ſit rotunda. Lyſias ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων, a Conone relictas opes, πεντακισχιλίους στατῆρας, & μυρίας δραχμὰς & τρία τάλαντα & ἑπτακαίδεκα τάλαντα, in ſummam colligens γίνεται ait περὶ τεσσαράκοντα τάλαντα. At ſunt præciſe triginta octo talenta viginti minæ: deſunt ad illam ſummam talentum & quadraginta minæ. Eodem modo Martialis, cum dixiſſet Apicium nongenties dediſſe ventri, ſuperfuiſſe illi ait *centies laxum*, id eſt, centies & ſemel centena millia nummum, lib. III, epig. XXII. Nam Seneca poſt *millies* abſumtum, reliquum fuiſſe ſcribit *centies.* Probabile eſt igitur cenſum lurconis illius fuiſſe millies & centies, abſumptum ab eo plus nongenties, ſuperfuiſſe ſuper centies. Niſi tamen *laxum* vocat, quod alias *liberum* dicunt, hoc eſt, debitis nullis gravatum, creditoribus non obligatum. Ut Brutus ad Ciceronem: *tantum abeſt, ut meæ rei familiaris liberum ſit quicquam, ut meos jam omnes amicos ære alieno obſtrinxerim.* Quintilianus decl. CCLXXIII. *Bona mea, id eſt, quod liberum in patrimonio meo eſt, & quod proprie meum, ad te tranſire debet.* Plinius lib. III epiſt. IX. *Io, io, liber ad te venio: jam ſeſtertium quadragies redegi, parte vendita Bæticorum.* Appuleius in Apolog. *Reliquit Rufino huic, non mentior, ſeſtertium tricies devorandum. Tantum enim ad eum de bonis matris liberum venit.* Ælianus lib. X cap. XVII. Ὁμοίως δὲ καὶ Κλέωνα πρὸ τοῦ παρελθεῖν ἐπὶ τὰ κοινά, μηδὲν τῶν οἰκείων ἐλεύθερον εἶναι· μετὰ δέ, πεντήκοντα ταλάντων τὸν οἶκον ἀπέλιπε. Ubi tamen accipiunt vulgo: non habuiſſe dignam libero homine ſubſtantiam. Videtur, nihil domi ſive in patrimonio liberum habuiſſe, dicere. Λείπει ἡ κατὰ πρὸς τὸ μηδέν. Nam ἐλεύθερος μηδὲν τῶν οἰκείων eſt, quod ad rem familiarem, nulla parte liber: ſive nobiſcum, ſive cum interprete accipias. Demoſthenes adverſus Lacritum: ἐκεῖνόν τε τὸν νεανίσκον τὸν δανείσαντα ἐξηπάτησαν, οὐκ ἐπ' ἐλευθέροις τοῖς χρήμασι δανειζόμενοι. Adverſus Phænippum: ἐάν μοι τὴν ἐσχατιὰν μόνην ἐλευθέραν παραδῷ. Sic *liberare.* Cicero ad Atticum lib. IV epiſt. IV. *Medius-fidius, næ tu emiſti locum præclarum. Gladiatores audio pugnare mirifice. ſi locare voluiſſes, duobus his muneribus liberaſſes.* Ubi

Manutius,

Manutius, locum, inquit, Atticus emerat, & ſimul gladiatores: eos laniſtæ in eo loco exercebant: eos pugnaſſe mirifice, cum exercerentur in ludo: *liberaſſes*, tanti locaſſes quanti emeras: ita eos libertate donare potuiſſes recepta pecunia in eos impenſa. At Boſius vult, *emiſti* λόχον: quæ ſint octo paria gladiatorum. Popma retinet *locum* pro ludo: & ſimiliter pecuniam in eos impenſam recepiſſes, ut eos ſine tuo damno libertate donare potuiſſes. At non video, cur emeret gladiatores Atticus, qui cum honores populi non adfectaret, nec delinire populum muneribus neceſſe habuit. *Locum* igitur intelligo ad ſpectandum gladiatoribus. Sic lib. II epiſt. I. *Num conſueſſem Siculis locum gladiatoribus dare.* Sic inter honores legatorum *ædes liberæ, loca, lautia.* Talem locum emerat, opinor, Atticus in diem: ideoque nondum liberum eum habebat, ſed vel pro omni pecunia, quæ convenerat, quamque pro illo etiam tum debebat, vel pro parte ejus obligatum obnoxiumque venditori. Quum autem proximis diebus à neſcio quo muneratore dati eſſent gladiatores eximii, qui magno concurſu & voluptate hominum ſpectarentur; ſcribit Attico Cicero, ſi locum illum locare voluiſſet, potuiſſe ex lucari tantum reficere, quantum pro eo adhuc debebat, quantum ſolvendæ pecuniæ nondum liberum illum Attico eſſe patiebatur. Ad quem morem pertinet, quod in Gracchis ſcribit Plutarchus; ἔμελλεν ὁ δῆμος θεᾶσθαι μονομάχους ἐν ἀγορᾷ, καὶ τῶν ἀρχόντων οἱ πλεῖστοι θεωρητήρια κύκλῳ κατασκευάσαντες ἐξεμίσθουν. Sic prima agraria: *Jubet decemviros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, ut iidem poſſint & liberare agros, quos commodum ſit, & quos ipſis libeat, publicare.* Ne ſcilicet vectigal pendant. Seneca epiſt. XXIII. *Hic eſt locus ſolvendi æris alieni. Poſſum enim vocem tibi Epicuri reddere, & hanc epiſtolam liberare.* Philoſtratus in Proclo Sophiſta: Μαθὼν δὲ αὐτὸν εἶναί τε καὶ ζῆν, ἐκπεσεῖσθαι δὲ αὐτίκα τῆς οἰκίας, διακηρυττομένης ἐπ᾽ ἀγορᾶς πρὸς δραχμὰς μυρίας, ἃς ἐπ᾽ αὐτῇ ἐδεδάνειστο, ἔπεμψεν αὐτῷ τὰς μυρίας, μηδὲ ἀνελθών πως ἐς τὸ ἄστυ, εἰπών· ἐλευθέρωσον τὴν οἰκίαν, ἵνα μή σε κατηφῆ ἴδω. Sic in libris juris *liberare prædia* & *liberatio legata* debitori. Scholiaſtes Arateorum Germanici ex Nigidio de Geminis Caſtore & Polluce: *multis laboribus tempeſtatibuſque conflicti, periculorum atque armorum experti, impendia laboribus liberare ſtuduerunt.* Sic lego, non *animorum*: & videtur elegantiſſime dictum, *impendia liberare laboribus*, hoc eſt, vitæ neceſſaria parare & ſibi debere laboribus ſuſcipiendis, non ullius alterius beneficio obnoxia habere: non ad tumidos reges ſeſe applicando, multo minus *in eripiendis alienis accipitris ritu vitam ſectari*, ut loquitur Juſtinus lib. XXVII. ſed opere & labore. Nam, ne quis cum doctiſſimis viris de ſinceritate illorum verborum dubitet, *vita* ibi ponitur pro victu, & *vitam ſectari*, ut *vitam quærere* Ennio: *nautiſque mari quærentibus vitam.* Sic Plautus Sticho de muſtela, quæ murem cepit: *ut illa vitam repperit hodie ſibi.* Ut Græcis βίος. Salluſtio eſt *tolerare ſumtus* in Catilin. *quæ primo ingentis ſumptus ſtupro corporis toleraverant.* Suetonius Julio: *eviden-*

Evidentissimis rapinis ac sacrilegiis & onera bellorum civilium & triumphorum ac munerum sustinuit impendia. D. Hadrianus ad Gabinium L. III D. de Testibus: *Tecum ergo delibera, ut si retinere eos velis, des eis impendia.* Perperam vir magnus apud Scholiasten legit: *impendio à laboribus liberari.* Non absurde hîc eodem pertinens, aliud loquendi genus scitum & antiquum, paucis utique observatum, patefaciemus. Cicero in Lælio: *Denique cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus fere singulis: divitiæ, ut utare; opes, ut colare; honores, ut laudere.* Hæc quotusquisque legit adhuc, qui intelligeret, quid esset; *ut utare:* nimirum, ut sustineas impendia, ut sufficias sumptibus, ut habeas in sumptum. Hoc me docuit Plautus in Trinummo a. II sc. II, ubi æque parum animadverterunt: *Deum virtute habemus, & qui nosmet utamur, pater, & qui comitati simus benevolentibus.* Hoc est, unde ipsi vivamus, victum & cultum habeamus. Terentius Adelphis a. V sc. IX. *Siquidem porro, Micio, Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paullulum præ manu dederis, unde utatur, reddet tibi cito.* Donatus recte: *utatur, vivat: unde usura vitæ dicitur: unius usuram horæ gladiatori isti non dedisset. An unde alatur, de quo usumfructum capiat, & cujus tibi sortem reddat?* Etsi exemplum de usura parum convenit. Accommodatiora hic habes. Cicero lib. XI ad Attic. ep. XI. *P. Sallustio curanda sunt sestertia octoginta, quæ accepi a Cn. Sallustio. Velim videas, ut sine mora curentur. De ea re scripsi ad Terentiam: atque hoc ipsum jam prope consumptum est. Quare id quoque velim cum illa videas, ut sit qui utamur.* Lib. XIII epist. XXIII. *Omni tibi adseveratione confirmo, mihi majori offensioni esse quam delectationi possessiunculas meas. Magis enim doleo, me non habere cui tradam, quam habere qui utar.* Lib. XIV ep. XI. *De Cicerone quæ scribis, jucunda mihi sunt: velim sint prospera. Quod vero curæ tibi est, ut ei suppeditetur in usum & cultum copiose, per mihi gratum est.* Seneca controv. XIV. *Naviga, milita, peregrinare adolescens, utere senex.* Ambrosius de Nabuthe cap. IV. *Et pauperes quidem non habent, quo utantur: vos autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis.* Idem de Tobia cap. XXI. *Sed possessionem meam vendo. Et unde fructus, quibus utaris ad sumptum.* Hinc *utensilia* pro necessariis victui. Varro lib. I de r. r. cap. II. *Quod in Italia utensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafrano?* Cicero lib. I Oeconom. *Nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur genus hominum, aut etiam excolitur.* Livius lib. III. *Castra quoque amissa, exutusque omnibus utensilibus miles Tusculum se fide misericordiaque victurus hospitum contulerat.* Quem locum imitatur Tacitus lib. I annal. cap. LXX. *Pernoctavere sine utensilibus, sine igni.* hoc est, non tam supellectile quæ admodum circumcisa & æstiva militantibus, quam sine cibo & copiis victus: nam si quid superfuit, aqua haud dubie maritima corruptum fuit. Ut eidem lib. II initio: *Vilissima utensilium annulo clausa.* Non utique supel-

lectilis, ſed penus. Quaſi diceret ex Plauto: *allium obſignatum cum ſale.* Et idem alibi. Sic Columella lib. I cap. III multum conferre ait agris iter commodum *ad vehenda & exportanda utenſilia.* Idem lib. IX cap. V. *Ut vacuæ cum prodeunt pabulatum apes, facilius editioribus advolent, & collectis utenſilibus cum onere per proclivia non ægre devolent.* Rufinus de bello Judaico lib. VI cap. I. *Ædes frumenti plenas omniumque utenſilium incendebat.* Quod Joſephus dixerat: Τὰς οἰκίας σίτου μεστὰς καὶ παντοδαπῶν ἐπιτηδείων. Ut Græcis τὰ ἐπιτήδεια pro victu. Rurſum Joſephus lib. VII cap. XXVIII. Ἄλλως δὲ πρὸς ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων δύσκολον. Rufinus, *cæterum difficilem ad copias utenſilium.* Apollonius Rhodius ſic appellat ὀνείατα lib. II verſ. 185. Οὐδὲ χάνυ δῆτα Εἴα ἀπηρεσίοισιν ὀνείασι, quæ ſcholiaſtes exponit τὰ σιτία καὶ βρώματα. Quin etiam ſic *utilia* uſurpavit Aurelius Victor in Poſtumo, de actuariis. *Genus hominum nequam, venale, callidum, ſeditioſum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandaſque quaſi ab natura factum; annonæ dominans, eoque utilia curantibus, & fortunis aratorum infeſtum.* Quam locutionem concoquere non potuit vir doctiſſimus ad Ammianum Marcellinum, ideoque tentans *futilia*, quod hinc alienum eſt. Certe enim non erant futilia, quæ ibi curaſſe dicuntur.

CAPUT VIII.

Decuplam proportionem inter aurum & argentum Romæ, perinde ut Athenis, melioribus temporibus fuiſſe, uberius diſputatum. Nummus Plauti, didrachmum. Χρυσοῦς, *aureus didrachmus.* Ἡμίχρυσος, *denarius aureus. Livii locus à reprehenſione & correctione defenſus. Aureus Romanus ex inſtituto major didrachmo fuit neceſſario, cum ſtater Atticus didrachmus viginti, ille* XXV *denariis mutaretur. Plinii locus expenſus. Attica Moneta defenſa.* Ἡμίεκτον, ὀκτὼ ὀβολοί. *Cratetis Comici apud Pollucem verba illuſtrata.*

Quod ſuperiori capite in auri proportione ad argentum definienda Livii verbis uſi ſumus, Car. Molinæus quoſdam ait parum caute citare, quod Livius ſcribit, in conditionibus pacis Ætolis conceſſum eſſe, ut ſi pro argento aurum dare mallent, id eis liceret, dum pro argenteis decem unus aureus valeret: non enim eum ibi loqui de certa auri vel argenti maſſa, ſed de nummis argenteis & aureis illius temporis, quorum proportio nobis incerta ſit, cum multa eorum eſſent genera. Certe oportet incerta ſit illis, quibus curæ non fuit inquirere. Secus conſtat inter eruditos *nummi* vocabulum apud Plautum, quaſi in Græca ſcena loquentem, ubique fere poni pro didrachmo: hoc olim Turnebus & Ciacconius animadverterunt: hoc nuper in libro de M. Vs. contra Scaligerum adſeruit Salmaſius. Sic igitur nummus aureus cenſetur pondere duarum drachmarum auri; nummus argenteus duarum drachmarum argenti. Uni autem drachmæ auri decem drachmæ reſpondebant argenti. Heſychius in χρυσοῦς. Πολέμαρχός φησι δυνάσθαι τὸν χρυ-

τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς δραχμὰς δύο· τὴν δὲ τοῦ χρυσοῦ δραχμιαῖον νομίσματος ἀργυρίου δραχμὰς δέκα. Ergo nummus aureus ſive *δίδραχμον* pro argenti valet drachmis viginti: totidem plane drachmas faciunt decem argentei nummi didrachmi. At ſi *ἡμιχρύσους* capias, & ſic conſtabit ratio. illi enim pendebant drachmam auri, valebantque decem argenti drachmas ſeu decem nummos argenteos drachmæ pondere: quales *denarios aureos* vocat Plinius. Polybius non drachmarum, non nummorum, ſed minarum mentionem facit, quod magis confirmat proportionem iſtam quaſi per articulos ſcandentem: Ἀντὶ τρίτου μέρους τοῦ ἀργυρίου χρυσίον, ἐὰν βούλωνται, διδόντες, τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου, χρυσίου μνᾶν διδόντες. Potuiſſet igitur hanc cenſuram facere compendii Molinæus. In eadem re Hotomanni non unum eſt peccatum. Primum tanquam rem novam diſputat, proportionem & pretium metallorum non a natura, ſed a lege & inſtitutis populorum proficiſci: neque nos moveri oportere Herodoti, Platonis, Livii & Pollucis auctoritate, qua pleroſque omnes abuti. At non agitur id, an detur aliqua proportio natura: neque quiſquam negavit eam variari ex varietate temporum & locorum. Hoc quæritur, an aliqua & quænam proportio inter aurum argentumque ſive uſu ſive lege introducta fuerit apud Græcos & Romanos, melioribus illorum temporibus: quæ diverſis ſeculis potuit eſſe varia; certis tamen temporum velut articulis per exorientes cauſas ſtatam & unam reddunt conſenſus hominum & mutua commercia. Jam cujus conſtantiæ eſt, apud Platonem, ubi videtur ſtatui duodecupla, corrigere τὸ δωδεκαπλάσιον in δεκαπλάσιον, ſtatimque auctores illos, quibus iſta emendatio nititur, auctoritate privare? Ad Livii locum reſpondet, factum illud imperio arbitrioque victoris conſulis, cui æque licuerit unum nummum aureum pro decem argenteis, ut pro novem aut octo, exigere: ut jam abſurdiſſimum ſit ſtatuere ex eo decuplam fuiſſe per illa tempora auri proportionem ad argentum. Quaſi Brennus Capitolii obſeſſor leges illas & regia verba ſcripſerit, & intonuerit ſimul, væ victis. At erat ille imperator populi juris & æqui obſervantiſſimi, qui etiam tum certe ſe imperatorem quam portitorem orbis terrarum eſſe malebat: publicoque agebat nomine, & non ſibi æruſcabat, ſed ad ærarium deferendam, jure belli victis hoſtibus imperatam pecuniam ita exigebat, ut ſervaret æſtimationem, quam victrix victaque gens formis vel nummis jamdudum attribuerat. Immo non cum conſule convenerunt hæ pacis conditiones Ætolis, ſed Romæ, atque adeo cum univerſo ſenatu, quo ablegavit eos conſul. An autem Polybius vel Livius erant tacituri, ſi ulla fuiſſet illa in re malignitas? In privatorum commerciis accidit plerumque, ut homines cupidine pecuniæ patiantur obtrudi ſibi nummos aureos majore pretio quam auctoritate publica taxati ſunt, præſertim turbidis temporibus & anguſta fide: quin immo jactatur interdum nummus, & immodice creſcit pretio, ut neceſſe ſit edictis hanc graſſantem tabem refrenari. Id potuit tum quoque

evenisse in nonnullis Græciæ urbibus, eoque cautum de illa re voluerunt Romani, & eum modum auri pretio finierunt, qui multis ætatibus & Romæ & in Græcia justus fuerat, & postea fuit. An sena millia pondo auri erunt Antiati Valerio & Livio circa eadem tempora ducenties quadragies alia quam decupla proportione? Non posse esse agnoscit Budæus, qui etiamsi quindecuplam antiquissimis Romanis auri ad argentum proportionem fuisse paullo ante scripsisset tum, cum aureus nummus primum Romæ percussus est, ex Plinii loco collectam; tamen in lite Scipioni æstimanda judices fatetur decuplicem æstimationem secutos, quæ communis fuerit. Annon Hotomannus ipse fatetur libram auri quatuor millibus sestertium æstimatam? Quaterna autem sestertia, an non sunt decem libræ argenti? Hoc quidem oppugnavit, sed nequicquam, ut satis demonstratum est. *Centenos nummos* Taciti an oblitus est *aureum* dici Suetonio? Atqui centeni nummi quarta pars libræ argenti, cum quadringenti libram implerent; aureus quadragesima libræ auri, cum placuisset quadraginta aureos è libra signari, ut ait Plinius. Inter quartam autem & quadragesimam partem quid interest, nisi quod decies tanto pluris in suo genere est quarta, quam in suo quadragesima? *Decem aureos* nonne *mille nummos* interpretatur Didymus apud Priscianum: illi libræ auri sunt quadrans, hi duarum & semis, hoc est, decem quadrantes librarum argenti. *Dena sestertia* Tacito non sunt *centum aurei* Ulpiano? At illa viginti quinque libras argenti, hi duas dimidiatam auri implebant. Illud vero quam doctum, Livium illo loco, quem ex Polybio expressit, pro auro argentoque infecto, signatum numeratumque Latine posuisse. Quasi cum apud Græcos scriptores, aut etiam apud Plautum Terentiumque, cum appellantur *minæ* auri vel argenti, non numeratum signatumque, sed infectum intelligatur. Hæc quidem verba tanto viro indignissima. Melius tamen ac certius multo Polybius, τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου, χρυσίου μνᾶν, quam Livius, *pro argenteis decem aureus unus.* Qui quæso? Numquid aliud hic est auri mina quantitate argenti quam centum drachmæ, atque adeo centum ἡμίχρυσοι, quinquaginta χρυσοῖ, qui aurei erant Græcorum nummi? Argenti vero mina numquid aliud quam centum denarii aut quinquaginta didrachma ex argento? Qui dicit ergo minam auri valere decem minas argenti, idem dicit drachmam auri valere decem drachmas argenti, idem nummum denarium aureum valere decem denarios argenteos, nummum aureum didrachmum decem didrachma argentea, vel viginti denarios argenteos. Et vicissim qui aureum Græcum unum valere dicit argenteos decem, idem dicit drachmam auri & minam unam valere argenti drachmas & minas decem. Hinc intelligas, quo jure suspicetur Livium scripsisse: *dum pro argenteis decem una auri libra valeret.* Sed
„ ne Menandrum quidem & Pollucem relinquit intactos. Non enim, ait,
„ si aurum per id tempus fuit apud Athenienses decuplum ad argentum,

„ con-

„ continuo ejus proportionis regulam ubique in omnia tempora constitue-„ re possumus. Quis autem hoc desiderat? quis constituit? Hoc agitur, quæ, quo tempore optimi, qui supersunt, Græcarum & Latinarum rerum scriptores vixere, proportio fuerit: & ideo potissimum, ut lectio proficiat, & pecuniæ, cum commemoratur, utriusvis modus altera possit colligi. Itaque ne quidem, quæ sub imperio Constantinopolitano fuit, huc pertinet: eam quippe certum est aliam fuisse, & libram auri tum quatuordecim amplius libris argenti æstimatam. Quo si respexit Salmasius in Disq. de M. cum decuplam proportionem olim auri ad argentum apud Græcos servatam, aliam apud Romanos scribit, excusari potest. Secus rectius cap. 11 de M. V. ex dicto Livii loco & ipse annotat, auri rationem ad argentum tunc fuisse decuplam. Unum vehementer his adversatur, quod plerosque omnes consensisse & sumere, non probare, video, aureum Romanum fuisse didrachmum vel pondere duorum denariorum, & hoc Græcorum exemplo: ita Budæus, Agricola, Hotomannus, Scaliger, Ciacconius, Cappellus, Snellius, Rualdus, Salmasius: unde colligunt eo tempore apud Romanos auri ad argentum fuisse analogiam, quæ duodecim & dimidiati ad unum, seu unam partem auri partibus argenti duodecim & dimidia æstimatam. Ego vero, ut concedam, qui hodie reperiuntur aurei, plerosque pondus illud non excedere, vel monetæ vel aliorum fraudatorum vel temporis vitio: ita his oppono fieri non potuisse, ut stater Atticus didrachmus viginti tantum denariis vel drachmis censeretur, aureus Romanus eodem pondere, nec meliori temperatione, viginti quinque. Nam ita Zonaras: Παρὰ Ῥωμαίοις αἱ εἴκοσι καὶ πέντε δραχμαὶ χρυσοῦν νόμισμα ἕν· παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν εἴκοσι δραχμῶν, ὡς Δίων φασὶ, τὸ χρυσοῦν ἀλλάττεται νόμισμα. Quis dubitet, istud si fuisset, nullum aureum in Græcia mansurum, omnes Romam commeaturos fuisse, ubi in singulis quinque denarii fierent lucri? ut hodieque fieri videmus, imminuto edictis aureæ monetæ pretio mox omnem pecuniam, quæ versatur inter manus, esse argenteam, auream vero transportari in eas regiones, ubi plus valet. Hic illi quidem, qui subtiliter denarium a drachma distinguunt, habent aliquam latebram: Budæus vero & Cappellus, qui promiscuos denarios & drachmas dumtaxat in usu fuisse, nec vulgus discrimen illud in permutandis nummis attendisse concedunt, quid dicent? Immo quum tandem sub principibus pondus denarii, ut illi volunt, imminuentibus drachmales ferirentur, potuit tum quoque manere sine insigni injustitia minus pretium stateribus Atticis quam Romanis aureis? & hi viginti quinque, illi tantum viginti nummis argenteis eodem pondere æstimari? Itaque omnino statuendum videtur, aureum Romanum, ex constituto, pondere duorum denariorum & victoriati non multo minorem fuisse, semper autem graviorem Attico statere, quicquid avaritia & malæ artes vel his vel illis detererent. Quærenti autem mihi causam consensus hujus docto-

rum virorum in aureo Romano didrachmo faciendo & proportione duodecupla, nihil succurrit præter locum Plinii lib. XIX cap. I. *Proximus byssino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaia genito: quaternis denariis scriptula ejus permutata quondam, ut auri, reperio.* Etenim ubi scriptulum auri quaternis denariis permutatur, drachmam, quæ tribus scriptulis constat, duodenis, didrachmum aureum vicenis quaternis rependi necesse est. Rursum tamen hic nodus: unde igitur quintus & vicesimus aureo Romano denarius accesserit. Agricola Georgius, Vespasiani temporibus auri portionem non plus minusve duodecim portionibus argenti æstimasse Romanos, probaturum se fuisse ait, si aureus Romanorum nummus, ut Daricus stater, ex auro puro signatus fuisset, ac denarius argenteus, ut Aryandicus argenteus nummus, ex argento puro: verum quia uterque fuerit mixtus, unam auri partem Othonis temporibus plus quam duodecim & dimidia argenti portionibus fuisse æstimatam, Vespasiani plusquam duodecim, ariolatur. Hotomannus eo confugit, ut aliud laminæ rudis aureæ, aliud pecuniæ signatæ pretium faciat; mercedis loco propter operarum manupretium accessisse quintum & vicesimum. Cappellus a Neronis dumtaxat temporibus ad Constantinum didrachmales fuisse aureos Romanos, perinde ut Atticos, sciscit: suum Romanos viginti quinque drachmis æstimasse: Græcos suum ejusdem ponderis, sed non ejusdem indicaturæ & minus probum, viginti tantum drachmis commutasse. Adeo inter ipsos quoque male convenit: quum constet interim, & Romanos & Atticos aureos, Atticæ utrosque, hoc est, optimæ fidei, & quantum potuit fieri, sinceræ venæ ex lege fuisse; adeo ut Romæ atque Athenis idem pondus idemque pretium auri & signati & ἀσήμου haberetur, & nummi, ubi pro nummis valere non poterant, pro merce generis illius optima venirent. Agricola ad monetam Cecropidarum reprehendendam specioso & acuto, ut vir haudquaquam vulgaris, utitur argumento. Locus est apud Pollucem lib. IX. Οἱ μέντοι ὀκτὼ ὀβολοὶ, ἡμίεκτον ὠνομάζοντο, ὡς φησὶν ἐν Λαμίᾳ Κράτης· Ἡμίεκτόν ἐστι χρυσοῦ, μανθάνης, ὀκτὼ ὀβολοί.
„ Ergo, inquit ille, in aureis Atticis aliquando infuisse, ut minimum, quin„tam vilioris metalli partem, ex Crate comico Atheniense, qui scripsit, se„misextam aurei partem octo obolos esse, videtur percipi posse. Quia „enim octo oboli sunt dimidia sextæ pars, sedecim sunt ipsa sexta. sex er„go & nonaginta integer aureus. tot vero oboli sedecim drachmas effi„ciunt. quoniam autem aureus Atheniensium fuit duarum drachmarum, „sequitur ut æris quinta in eo fuerit portio. nam si ex auro puro fuisset, „valuisset ut Daricus drachmas viginti. Et valuit utique, & ejusdem temperaturæ fuit. Itaque sane primo adspectu mirum est, centum & viginti obolorum (tot enim sunt in viginti drachmis) unciam dici obolos octo. Veruntamen si consideres, illud tam subtile argumentum perinde agit, ac si ex eo, quod Romani sedecim asses vocarunt denarium, octo quinarium,

quatuor sestertium, colligam in his nummis fuisse plus tertia parte æris; argentum autem proprie tantummodo denum, quinum, binum & dimidiati assium semuncialium. Quin potius, ut hi nummi inde, quod initio denas, & quinas & binas selibram æris pensarent, appellati retinuerunt nomina quamvis ære signato reciso, ita suspicamur ex hoc ἡμιέκτου vocabulo, fuisse, quum aureus Atticus viginti octo paullo plus siliquarum esset, (qualis in argento postea milliarensis fuit) atque adeo drachmis argenteis sedecim responderet: quarum quia sextans sive ἕκτον sedecim, uncia sive ἡμίεκτον octo erant oboli, quamvis postea statere triginta sex siliquarum (hoc est, duarum auri, vicenum argenti drachmarum) facto, mansisse in usu vulgari, ut tum quoque ἡμίεκτον pro summula octo obolorum diceretur. Secus non sedecim oboli ἕκτον, sed viginti, neque octo ἡμίεκτον, sed decem sunt stateris Attici, quem solum, quos habemus, norunt, & duabus auri drachmis constare, viginti argenteas valere omnes omnino consentiunt scriptores. Hanc nostram de ἡμιέκτῳ in pecunia (nam aliud est in mensuris) conjecturam veriorem puto, quam quod Scaliger fingit, eum qui apud comicum hæc verba pronunciat, sedecim drachmas habuisse in manu: eas στατῆρα vocasse, quia quatuor tantum drachmis distent a statere: atque ut ὁλοσχερῶς, non ἀπαρτιλόγως sedecim drachmas vocaverit staterem, ita octo obolos dimidium sextæ partis dixisse, ut solebat in summis, quæ propius abessent a justo modo talenti, minæ, stateris, aut exiguo illum excederent: & errasse Pollucem, qui octo obolos putet esse ἡμίεκτον τοῦ στατῆρος, quum ex occasione, non ex usu, pronunciatum sit. Multo tamen hoc tolerabilius quam illud Agricolæ, quod prorsus locum nullum habet. Sed, pergit ille, æs „ cum auro permiscuisse Athenienses significat Aristophanes. Sic breviter jubens sibi credi quamvis non interrogatis testibus. Respicit autem opinor locum in Ranis:

Εἴς τε τἀρχαῖον νόμισμα, καὶ τὸ καινὸν χρυσίον.
Οὔτε γὰρ τούτοισιν, οὖσιν οὐ κεκιβδηλευμένοις,
Ἀλλὰ καλλίστοις ἁπάντων, ὡς δοκεῖ, νομισμάτων,
Καὶ μόνοις ὀρθῶς κοπεῖσι, καὶ κεκωδωνισμένοις,
Ἔν τε τοῖς Ἕλλησι καὶ τοῖς βαρβάροισι πανταχοῦ,
Χρώμεθ' οὐδὲν, ἀλλὰ τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις
Χθές τε καὶ πρώην κοπεῖσι τῷ κακίστῳ κόμματι.

Merito verba omisit, quæ vel sola præclarum & verissimum monetæ Atticæ præbent testimonium, cujus nomismata οὐ κεκιβδηλευμένα ὄντα, ἀλλὰ κάλλιστα πάντων, καὶ μόνα ὀρθῶς κοπέντα, καὶ κεκωδωνισμένα & inter Græcos & inter barbaros, dicit. Sed quod hæret de illis χθὲς καὶ πρώην κοπεῖσι, sciendum non Athenarum, sed hujus temporis Athenarum id vitium fuisse. Docuit enim, ut ex Scholiaste ad hunc ipsum locum discimus, hanc fabulam Aristophanes anno tertio Olympiadis XCIII, magistratu Callia, inter Antigenem,

quo rempublicam regente Lacedæmonii duce Callicratide Delphinium in Chiorum agro Athenienſium juris everterant, Teïos diripuerant, Methymnam ceperant, & duplici clade ad Methymnam & Mytilenen claſſem illorum adfecerant, ut eſt apud Diodorum lib. XIII, & Alexiam, cujus annum feralem ac funeſtum Atticæ reddiderunt Lyſander & Ægoſpotami. Eo labantium rerum ſtatu ſi quid imperavit neceſſitas, non debet Athenienſibus opprobrari: præſertim quando mox reſumptis viribus id emendarunt. Idem Ariſtophanes Ἐκκλησιαζούσαις:

> Ἀνέκραγ' ὁ κῆρυξ, μὴ δέχεσθαι μηδένα
> Χαλκοῦν τὸ λοιπόν· ἀργύρῳ γὰρ χρώμεθα.

At Agricolæ adeo placuit illud ex Cratete extortum commentum, ut abſ„tinere non potuerit, quin ſua ipſius vineta cæderet. Sed, inquit, quia „ Arpocratio & Ariſtophanis interpres ſcribunt ſtateres Daricos valere au„reos Atticos, intelligimus in eis aliquando, ut in aliis aureis Græcis, qui „ exſtant, & item externis, fere fuiſſe quinquageſimam argenti portionem. Qui paullo ante dixerat, Darium regem Perſarum, ut ſcribit Herodotus, omne argentum, quantum ejus fieri potuit, auro excoxiſſe; itaque aureos Daricos longe omnibus præſtare. Ad Plinii locum duo videntur reponi poſſe: alterum, non dicere Plinium, *ut nunc auri*, ſed, *permutata quondam, ut auri*; & ſic videri reſpicere ſuperiora in utroque tempora, ſignificantem fuiſſe aliquando, quum hæc ita ſeſe haberent, nempe cum copia minor auri majus ejuſdem pretium faceret: quando & Herodotus teſtis Darium in tributis exigendis unum auri talentum tredecim argenti talentis æſtimaſſe. Nam qui conveniet alioquin his, quod alibi Plinius tradit, aliquando ſcriptulum auri valuiſſe *ſeſtertios vicenos*, hoc eſt, denarios quinos? Quod ſi hoc diſpliceat, cogitemus Plinium dicere rotunde, *quaternis denariis*, pro ternis, quincunce & quatuor ſextulis denarii: tantum enim facit ſcriptulum, quando libra, ut quatuor millibus nummum, ita mille denariis æſtimatur. Sic enim ſelibra denariis quingentis venit, quadrans ducentis quinquaginta, uncia octoginta tribus triente, ſemuncia uno & quadraginta beſſeque, ſicilicus viginti dextante, drachma denis quincunce, ſcriptulum denique, ut dicebamus, ternis triente & uncia, ſive quincunce, & quatuor ſextulis. Utcumque ſit, ſi quid Græcorum in ſuo auro imitati ſunt Romani, ante omnia cenſendum eſt, eos adamaviſſe, quod aurum illic ad argentum eſſet decuplum. Ipſum adeo frequens utrorumque commercium neceſſario id requiſivit: aut coacti fuiſſent Græci, ne omni auro ſpoliarentur, domi eandem inter duodecim dimidiatumque & unum proportionem introducere. Ne tamen ſoli ſic cenſere videamur, & Leon. Portius tres partes unciæ, id eſt, duas drachmas & dimidiatam dimidiatæque trientem, aliquando occupaviſſe aureum Romanum putat, & Villalpandum plane duas & unius dimidium ei tribuere teſtis Savotus. Quod quamvis ille impro-

improbet, & ex adducto superius Plinii loco duodecuplam tum fuisse proportionem auri ad argentum statuat, concedit tamen decuplam fuisse aliquando & Romanis ex Polybii & Livii locis: & fatetur sese omnes Romanos aureos ante Alexandri Severi tempora percussos multo graviores binis drachmis reperisse. Vellem autem apud Martialem lib. x epigr. xxiv legisset: *Sed vitæ tribus areis peractis:* & *aureum vitæ* pro viginti quinque annis, ineptum & κακόζηλον, jussisset habere auctores suos. Quum ista scriberem, nondum videram Villalpandum: in quo, quod posui, scriptum quidem non invenio, sed sumere hoc illum ait Savotus. Cæterum Villalpandus primum ex libra percussos vult aureos xxxviii cum binis quintis partibus, dein xl, post xlv, tum xlviii, denique quinquaginta, illapsus imprudens in illam ipsam reprehensionem, qua Agricolæ sententiam de gravi denario antea notaverat: id cum historiarum fide & Romanorum, ut loquitur, politia ex æquo pugnare. Primum struit ex Plinii verbis ab se interpolatis: nam pro eo, quod legitur, *quod efficit in libras*, substituit, *quod efficit in senos*. Hæc mera conjectura est, quales homini mediocriter acuto decem facile nascantur in hora; citius tamen evanescant quam exstiterint. Secundum & tertium in Plinio agnosco: sed secundum justum atque ex lege monetæ, itaque hujus solius habenda ratio: tertium ex monetæ depravatione, quæ ut incerta est & vaga variaque, ac modo plus, modo minus audet; nunc severius, nunc lenius corrigitur; ita non debet statui principium & fons justæ æstimationis, neque inde eliciendæ statæ proportiones inter hæc & alia metalla. Quartus exoritur ex eo, quod quidam hodie inveniuntur didrachmi. At Savotus tot visis adpensisque adseverat non semel, se omnes expertum graviores ante tempora Severi Alexandri . Dein hoc argumentum quam sit lubricum, ex solo Villalpando discendum est. Testatur, quum duos pluresve denarios appenderet, ejusdem formæ, inscriptionis, ac pæne magnitudinis, atque ita similes, ut non eodem tempore, sed eodem prorsus die percussos fuisse conjiceres, se tamen deprehendisse, illos quinis aut novenis aut denis granis pondere ab se invicem distare, quum alii ab his plus nimio differrent. Addit Lælium Pasqualinum ex multis nomismatum aureorum, argenteorum, æreorum millibus, quæ domi haberet, vix duo ejusdem ponderis invenire nomismata potuisse. Quintum denique eduxit ex male intellectis centenariis formis Heliogabali, de quibus alibi egimus.

LIBER III.

CAPUT I.

Transitus ad tertiam partem hujus tractationis. Scaligeri quædam definitio probata. Ciceroni & A. Gellio reddita vetus scriptura. Mutuum vicies. Mutua fit pecunia, non eo quod redditur, sed quod datur, ut reddatur. Mutuum aliter alternum, aliter creditum. Non eodem modo pecunia mutua, quo voluntas mutua dicitur. Dare mutuum proprie, qui dat utendum pacto recipiendi; non qui post usum restituit. Mutuum vel mutuam pecuniam dare, sumere, accipere, non mutuo, castiores Latini. Plautus & Paullus JC. vindicati. Mutuum a mutando, non modo quia datur & redditur, sed etiam quia redditur specie mutata. Ut sumere fœnore, ita non possumus dicere sumere mutuo. Auctor vitæ Persii correctus. Modia, medimna, non dici pro mille modiis vel medimnis. Medimna singula jugerum felicium decumæ. Septies medimnum rejicitur. Cicero tentatus.

Athla desudavimus, restant parerga; dicta & sententiæ complurium auctorum veterum, in quibus aliqua pecuniæ mentio & adhuc difficultas, si qua possint nostra opera enitescere: quæque alia, tamquam postera & consequentia, huic disputationi solent subnecti. In superioribus aperuimus arcanum illud, quod dudum tanta contentione maximi viri, Budæus, Agricola, Hotomannus, Scaliger, aliique plurimi sunt persequuti: & rationibus, quas illis, quibus aceto cor acre est in pectore, credo satisfacturas, confirmavimus. Nihil mirari subit magis divino ingenio Scaligeri, qui ad veram in præcipua quæstione sententiam, quum per devia & errores, per scrupos, ut sic dicam, muricumque eminentia acumina diu traxisset cruentos pedes, tamen delatus arripuit eam tenuitque constantissime. Certissima hæc ejus regula: numquam genitivum cum solis adverbiis, quæ amplificativa vocat, jungi; non enim dicimus, *centies nummum*: præterea, numquam eadem adverbia pluraliter enuntiari; non enim dicimus, *hæc decies, hæc centies*. Rationem primi nos dedimus. Bene igitur consultum omnibus illis locis, in quibus *sestertii* vel *sestertio* apud Ciceronem, Livium, Valerium Maximum, Vellejum, Senecam, Suetonium reponit. Haud ambiguum, scripseritne Cicero lib. I in Verrem cap. XXXIX. *Hinc quaterdecies P. Tadio numeratum Athenis:* etsi vulgo habeatur *numerata:* quæ auctoritas omni refutatione major est visa Budæo. Non potuit dicere *numerata:* fuisset enim solœcismus puerilis: & vel cætera, quæ ex eisdem libris advocavimus, id persuadent. Nec parcendum vulgatis A. Gellii codicibus lib. XII cap. XII, sed scribendum: *mutuum sestertium vicies tacite accepit*. In vett. quibusdam libris & apud Saresberiensem lib. V cap. XXV legitur *mutuo:* quod in A. Gellio non fero: est enim sequioris ævi. Sanctior vetustas omnis *sumere, accipere, dare mutuum* vel *mutuam pecuniam* dixit, non *mutuo*. In quo

„ mire

„ mire philoſophatur vir ſummus in libro de Uſuris. Ex parte, inquit, red- „ dentis ſic dictum docuimus *mutuum*, ut niſi ſit, qui reddat, quod accepit, „ non fiat mutuum. Vicis igitur habet ſignificationem. Nec enim qui dat „ aut credit alteri pecuniam ſuam, ut eam recipiat, *mutuam* eam *dare* pro- „ prie dicendus eſt, ſed qui reddit. Mirum ſane hoc & novum. *Si datur, quod reddatur, mutuum*, inquit Varro: quam veriſſimam vocat ipſe mutui definitionem. Non dicit, *ſi redditur, quod datum erat.* Paullus jureconſultus: *Mutuum damus recepturi.* At qui reddit, non dat, quod reddatur, non dat recepturus: non ergo mutuum dat, qui reddit. Hoc & alio loco inge- „ rit; Niſi reddatur, ait, non fit mutuum, nec mutuum dici poteſt. Quod perinde eſt ac ſi vincere velim, ſi, qui beneficium accepit, ingratus ſit, non eſſe datum beneficium a datore; ſi cui creditur decoxerit, nummos non fuiſſe creditos. Peccavit ergo Cicero, quum ad Atticum ſcripſit lib. x. *Q. Axius in hac mea fuga* HS. XIII *non reddit, quæ dedi ejus filio mutua, & utitur excuſatione temporis.* Nondum enim erant mutua, quia nondum reddita. Et Ovidius in remedio amoris:

Qui puteal Ianumque timet celereſque Calendas,
Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.

Fruſtra dicitur torquere illum mutua ſumma, quæ nondum eſt mutua. At illi haud dubie ſic intellexerunt, mutuum eſſe, ſimul numeratum, expenſum, admenſum eſt, quicum in creditum itur; ſimul traditum eſt hoc fine ut par reddatur. Si non reddit, qui accepit, non facit ille quidem mutuum, ſed non officit, quo minus mutuum ſit, quod accepit, aut quo minus mutuum dederit, qui illi credidit. Luſus eſt merus in duplici ſignificatione *mutui*, quas male diſtinxit ὁ πάνυ. *Dare mutuum* eſt inire contractum numerato vel adpenſo vel demenſo, quod reddatur. Aliter dicitur *facere mutuum*. Sane & *factam mutuam pecuniam* dicit lex XI D. de reb. cred. quæ redacta eſt ex re, quam quis alteri dedit vendendam, ut nummis uteretur: ſed & *facere mutuum* extra illas cauſas eſt reddere vicem: ubi *mutuum* non ſignificat contractum juris civilis, ſed redhoſtimentum. Sic *facere mutuum* Terentio & Plauto dicitur, qui amantem redamat. Sed alia ratio eſt amoris mutui, alia pecuniæ mutuæ. In amore, voluntate, officio *mutuum* idem eſt quod alternum; nec *mutuum* eſt, niſi par accipitur & redditur: pecunia *mutua* eſt, ex quo utenda data eſt ea lege, ut reddatur; & in ea *mutuum* idem eſt quod creditum & collocatum. In amore, in beneficio reddendo novæ incipiunt vices: in pecunia, re ſoluta, finitur contractus. Qui beneficium reddit aut amorem, non modo ſeſe liberat, ſed ultro eum, cui reddit, obligat: at qui pecuniam renumerat, non obligat, neque init gratiam, niſi malis moribus, ſi quando ſcilicet eo res rediit, ſi quis quid reddit, magna „ ut ſit habenda gratia: de quo queritur Terentianus Geta. Pergit: Abuſiva „ itaque illa locutio, qua paſſim *dari pecuniam mutuam* legimus apud aucto-

„res Latinos. Purius ac melius loquutos veteres constat, qui dicebant *mu-* „*tuo dare pecuniam* & *sumere*. Ut principia, sic se habent & post-principia: sumpsit falsum, falsum igitur & colligit. Si verbo abusi sunt, qui istud dixerunt, numquam hac quidem in re optimi veterum proprie ac recte sunt loquuti: numquam enim purius ac melius locutos aliter dixisse constat. Plautum apponit Asinar. a. I. sc. III. *Nam si mutuo non potero, certum est, sumam fœnore*. Sed hæc scriptura est Guilelmii ex corrupto Nonii codice adnotata, & male ab eodem probata, quasi sic potius pervenuste *mutuum* opponatur *fœnori*. Nam scripti omnes editique Plauti, nec minus Nonii scripti, quorum unum domi habeo, atque ex illis editus Jos. Merceri, hi, inquam, omnes consensu *mutuas*. nempe viginti minas, de quibus agitur. Sic alibi advocat ex l. XVI de reb. cred. *si socius propriam pecuniam mutuo dedit*. Sed editiones *mutuam*: nec aliter jurisconsulti toto illo titulo. Terentius: *huic drachmarum argenti hæc mille dedit mutuum*. Cicero ad Brutum: *Tibi ex S. C. imperandum mutuumque sumendum censeo*. Cæsar: *in singulos conventus singulasque civitates certæ pecuniæ imperabantur, mutuasque illas ex SC. exigi dictitabant*. Et quis non? Explicat deinde suum *mutuo dare*: hoc est, ad mutuum, vel ea conditione, ut redderetur mutua. Video veriloquium τȣ̃ *mutui*, quod proprium domicilium habet in illis rebus, quibus in creditum imus, ipsi quidem nondum satis explicatum. Est sane a *muto*, quod ab Siculo μοῖτον: ut a *pasco pascuus*, *rigo riguus*, *cædo cæduus*, *vaco vacuus*, *accubo accubuus*, *ambigo ambiguus*: sed mutatio illa non tantummodo respicit vices dandi & reddendi. nam hæ vices in omnibus pæne contractibus, in permutatione, in emptione, locatione, commodato, deposito, datur & redditur; alibi aliud, alibi idem. Quid igitur amplius? nempe hoc quoque, quod specie mutatum ejusdem materiæ redditur. Mutui enim datio est earum rerum, quarum vice in reddendo aliæ fungantur, quæ functionem recipiant, quæ speciei mutationem in eodem genere eademque qualitate. *Mutuum damus*, inquit Paullus, *recepturi non eandem speciem quam dedimus (alioqui commodatum erit aut depositum) sed idem genus*. Est ergo *mutuum* ex eo appellatum, quod datur ut recipiatur in eodem genere, parique bonitate, substantia mutata. *Dare mutuum*, quasi dare mutabile, pro quo aliud specie generis ejusdem post certum tempus præstetur. In istis contractibus specie idem aut & genere diversum versatur ac redditur. Ex quo autem convenit, & res tradita est, mutuum est, vel si nunquam reddatur; vel si fraudator sit, qui accipit, & clanculum apud animum suum constituerit ab initio ipso non reddere. Mutuum tamen est, & mutuum dedit alter, etsi hic alia jam verbi significatione mutuum non faciat. Quamvis sortiatur nomen ex fine & eventu sperato, & illo postea careat, infectum tamen non est quod factum est. Nec comparandum huic, quod etiam profert homo doctissimus, *sumere fœnore*. id enim est *sumere* utendum & reddendum cum *fœnore*. At non

potes

potes supplere, *sumere* utendum & reddendum cum *mutuo:* quia fœnus est merces sumpti, & super sumptum additur: mutuum ipsum est genere & numero, quod sumpsimus quove tantisper usi sumus alieno, quodque ideo sine additione redditur. Commode autem dices plenius: *sumere* utendum atque etiam abutendum & reddendum *mutuum*, hoc est, alia specie, in genere eodem specie mutatum, aliquid ex eodem genere accepti vicarium, quod vice ejus, quo dato contractus est initus mutui, fungatur. Malo igitur & apud Gellium, *mutuum vicies*, quippe qui non potuerit ignorare, ut partim Nævius Catoque apud ipsum, partim ipse locutus sit, lib. II cap. XIX, & lib. XVII cap. VI. Auctor vitæ Persii: *Reliquit circa sestertium vicies matri & sorori. Scriptis tantum ad matrem codicillis rogavit eam, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centies; ut alii volunt, plus, & argenti facti pondera viginti.* Nemo non videt legendum esse *sestertium*, inquit Scaliger. Sane, si res pateretur eam summam. Sed qui universum reliquerat vicies, qui potuit rogare hæredem, ut de illo det centies? Scribendum igitur: *sestertia, ut quidam dicunt, centum:* dein, *argenti facti pondo viginti.* Cæterum *millia* illa subintellecta ad vocem *sestertia*, quæ sibi vir illustris finxerat, illum ad aliud gravius offendiculum impegerunt. Putat enim eodem modo *septem modia*, *triginta sex modia*, *medimna septingenta*, pro septem & triginta sex & septingentis millibus dici Ciceroni. *Millia* igitur in Frumentaria Verrina ubique delet, & vice *modium, medimnum*, scribit *modia, medimna*. Quod nemo est tam tiro, quin ex dictis facile colligat, cur tolerari non possit. Nec *sestertia* cum dicuntur, intelligitur vox *millia*, nec *sestertia millia* Latinum est. Quum autem *modii* & *modia*, *medimni* & *medimna* dicantur, ut *loci* & *loca*, & similia; non magis *modia* & *medimna* significant mille modium aut medimnum, quam *loca* mille locorum. Evidentissimus est error in his cap. XXIII. *Is cum pro jugeribus quinquaginta medimna* DCC *decumæ imperarentur, quod recusabat, domum ad istum in jus adductus est. Medimna septingenta*, inquit Scaliger, id est, septingenta millia medimnum. Videamus quæ subjicit Cicero: *Ibi cum pugnis & calcibus concisus esset, qui* DCC *medimnis decidere noluerat, mille promisit.* An credemus hanc pugnorum & calcium patientiam misero Polemarcho tantum profuisse, ut pro septingentis millibus daret mille? Vix hoc sub clementissimo prætore, desperato prorsus anni proventu, cuiquam evenisse crediderim. Potius acceptum credo apud Verrem, perinde ut narrat Livius ab X viris habitos e plebe Romana: *si quis ad collegam appellasset, ab eo, ad quem venerat, ita discedebat, ut pœniteret non prioris decreto stetisse.* Plus est ergo *mille* numero priori, nempe *septingentis*, non DCC *millibus*. Nisi & *mille millia* dici putavit. Cogitemus & summam. Si simpliciter intelligimus, in quinquaginta jugera fuisse imperata medimna septingenta, in singula jugera jussus est dare medimna quatuordecim: exactio improba, cum tantum singula plus minus deberet. At si septingenta millia, debuit in singula jugera

dare mille quadringenta. Quotus autem quisque ager cum millesimo reficit? Præcidit rem, quod exstat cap. XLVI. *In jugere agri Leontini medimnum fere tritici seritur, perpetua atque æquabili satione: ager reficit cum octavo, ut bene agatur: verum, ut omnes dii adjuvent, cum decimo. Quod si quando accidit, tum fit, ut tantum decumæ sit, quantum severis: hoc est, ut quot jugera sunt sata, totidem medimna decumæ debeantur.* Inde graviter increpat, pluribus millibus medimnum venisse decumas istius agri, quam quot millia jugerum sata essent: in beneficio datum esse, ut in singula jugera ternis medimnis decidere liceret. Quæ cum considero, propemodum adigor, ut istic pro *quinquaginta jugeribus* reponam *quingentis*. Priscianus, inquit Scaliger, l. VII „ agnoscit *medimnum* (cap. XXI ejusdem orationis) non *medimna*. quare „ menda est vetustissima. Priscianus legit *septies medimnum*. quod & ipsum est adjectivum. Immo non est mendosum τὸ *medimnum*, sed τὸ *septies* pro τῷ *septem millia*, quod constanter habent editi, & scripti. Scioppius cum insultat Scaligero, quod fateatur subaudiri *centum millia*, & nihilominus *medimnum* adjectivum esse pugnet, aut non cepit mentem ejus, aut invertit. Non enim fatetur Scaliger *centena millia* subaudiri, ut nec in *decies sestertio*, sed *septies medimnum* ait esse septies centena millia medimnum, ut *decies sestertium* est decies centena millia nummum: conceptum autem & formatum utrumque ea ratione, quam ipse diversam a cæteris invenerat, alterius adjectivi, alterius substantivi. At ipse Scioppius egregie fallitur, cum Prisciani vitiosam in Cicerone lectionem amplexatur. Atque ideo videat, quam sententiam in se dixerit, cum, postquam stolidos ac dementes concinnavit Grammaticos, haud dubie majorem ejus esse stultitiam decernit, qui quod alteri stulte in mentem venit, comprobat, quam qui ipse stulte quid comminiscitur. Septies centena millia medimnum nemo unus aratorum ex agro decumano unquam collegit, si maxime hæc intelligi sermo pateretur. Venibat eo tempore medimnus quindecim nummis. Facerent igitur septies centena millia medimnum, centies & quingenta millia sestertium, quod non erat aratoris decumani patrimonium.

CAPUT II.

Aldi Manucii æstimatio pecuniæ veteris ad nostram examinatur. Denarius nunquam duodecim assium. Ἡμιασσάριον *quomodo* τέταρτον μέρος ὀβολοῦ *Polybio: quomodo quinque asses* δύο ὀβολοί. *Semissis sextans quarta pars oboli. Victoriati, sestertii, dupondii, cum obolo & chalco collatio. De stipendio militum Romanorum excursus. Zonaræ* LXXV *drachmas, quas habebant ante Domitianum, videri pensionem quadrimestrem. Domitianus quartum addidisse stipendium qui dicatur Suetonio. Articuli & gradus aucti militibus stipendii. Tres nummi apud Plautum non significant tres asses primi stipendii. Colligitur illud probabiliter ex Livio, as duo trientes in diem. Bina millia æris à Servio Tullio equiti adsignata. Varroni ut equus publicus mille assarium. Equites plures censu quam equo publico. Livii duo loca,*

quæ

*quæ pugnare videntur, conciliata. Catonis duo millia ærum equeſtrium quæ. **Stipendium** militare ante Julium, quini aſſes in diem: qui videntur primum dati bello Punico ſecundo, mutato ære ſignato. Ab Julio deni aſſes diurni, annui novem aurei, cujus ſummæ pars tertia quarto quoque menſe numerabatur. Domitianus fecit aureorum duodecim annuorum diurnos tredecim aſſes trientem. Auguſtum non minuiſſe beneficium Julii. Stipendiorum formula, quid apud Suetonium. Stipendium prætorianorum. Dio cum Tacito conciliatus. Tribunorum militarium ſalaria. Sub primis imperatoribus ſtipendium non niſi in ære perſolutum.*

Quoniam autem tot diverſæ atque inter ſe repugnantes exſtant à doctis viris initæ pecuniæ veteris æſtimationes, non pigebit, ut ſtudioſi tirones minus hac diſſenſione turbentur, quarundam vitia detegere. Aldus Manucius in Quæſitis per epiſtolam redigit ſeſtertios ad æream pecuniam partemque aſſium quadrantes: & ex numero quadrantum, qui ſint in ſcutato, colligit numerum ſeſtertium nummum, qui eundem ſcutatum adæquent, mediis & interpretibus quaſi quadrantibus. Scutatum facit quadringenum (ita enim voluit, etſi liber, quo utor, quadragenum) quadrantum, ut bajoccum Romæ, quæ nunc eſt, quadrantum quatuor: centum nempe bajoccos habet ſcutatus: ſeſtertium exiſtimat quadrantum duodenum ſeu aſſium trium: ergo ſeſtertiis nummis triginta tribus cum aſſe definit ſcutatum. Primum confundit æs grave cum eo, cui poſtea in pecunia tantum ponderis detractum eſt. Nam hujuſmodi quadrantes, quales putantur quatuor in bajocco, non ſunt duodecim in ſeſtertio nummo, ſed tantummodo decem: bajoccos enim duos dimidium habet ſeſtertius: itaque tot bajocci hodierni denarium faciunt, quot olim libræ æris, & duo dimidiatus tanquam dupondius ſemis pro ſeſtertio cenſentur. Ergo quadringeni iſti quadrantes reſpondent quadraginta ſeſtertiis, non tantum tricenis ternis. Alterius generis aſſes (quales quatuor, non tantum tres, ſeſtertius valuit) in ſcutatum incurrunt, haud centeni modo, ſed centeni ſexageni, & propterea ejuſdem generis quadrantes ſexceni quadrageni: qui & ipſi tam decem denariis quam quadraginta ſeſtertiis continentur. Jam ſi quæras, quid ſpectaverit, quum ſeſtertium nummum fecit trium aſſium, palam fit tertius error, quia denarium, quamvis de illo ſileat, duodecim aſſibus contra Vitruvii, Plinii, Voluſii Mæciani, (quos juvat lex ult. Cod. de donationibus) traditionem liquidam & manifeſtam definivit. At hæc illi ſuſpicio nata eſt ex Polybii loco, (quem citat quoque Alciatus IV Parerg. II,) ubi ſcribens de commoda Italiæ annona, ἡμιασσάριον ait eſſe τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. Lib. II. Ποιοῦνται τὰς καταλύσεις οἱ διοδεύοντες τὴν χώραν ἐν τοῖς πανδοχείοις, οὐ συμφωνοῦντες περὶ τῶν κατὰ μέρος ἐπιτηδείων, ἀλλ' ἐρωτῶντες πόσου τὸν ἄνδρα δέχονται. ὡς μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πολὺ παρίενται τοὺς καταλύτας οἱ πανδοχεῖς, ὡς ἱκανὰ πάντ' ἔχειν τὰ πρὸς χρείαν ἡμιασσαρίου. τοῦτο δ' ἔστι τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. σπανίως δὲ τοῦθ' ὑπερβαίνουσιν. Obolus ſexta pars drachmæ: ſi ſemiſſis quarta pars oboli, & oboli binorum aſſium ſinguli, in ſex obolis, qui drachmam ſeu denarium faciunt, non poſſunt

possunt esse præter duodecim asses. Budæo & Hotomanno monstrum videtur, tantillo sumptu quemquam posse in diversorio se procurare: sed longe magis offensus Hotomannus illa drachmæ seu denarii æstimatione duodecim assium, reponit, τρίτου ἡμιασσαρίου, & dein, τέταρτον μέρος δραχμῆς: quasi non Polybii ævo sestertius quatuor assium jam fuisset. Sed cum hoc sub titulo se parem composuit Henr. Savilius, vir eruditione & animo excellens, (quapropter ob unam infelicem Hotomanni conjecturam derisisse sacram, ut vocat, Criticorum artem, qui tantus ipse fuit Criticus, indignor) & probat quidem, non abhorrentem a vero, utcumque miram, esse Polybii narrationem: sed ubi ad alterum incommodum de denario duodecim assium ventum est, delinquit, ostentando hæc ipsa verba, de quibus ambigimus. Etiam Snellius de hoc Polybii loco, Budæum imitatus, ἐπέχει, nisi forte quis dicat obolum majorem (qui nunquam fuit) ab eo intelligi ratione talenti Attici majoris minarum octoginta: quæ computatio ad amussim cum denario decussissexi congruat. Verum enimvero Polybius vulgato more rotundandi numerum usus, pro semisse sextante, vel duobus trientibus, qui faciunt octo uncias, ipsam quartam partem oboli, semissem sive ἡμιασσάριον dixit. Drachmam concepit pro denario sedecim assium. Quum autem drachma sedecim æstimatur assibus, obolus æstimetur oportet duobus assibus cum semisse & sextante, sive octo unciis vel besse: nam bis sex duodecim; restant asses quatuor ad implendos sedecim, qui habent quadraginta octo uncias, quæ in sex partes, ut sex oboli sunt in drachma, dispensatæ, cuique bessem sive octo uncias, in nummis semissem & sextantem, aut duos trientes, relinquunt: ἡμιωβόλιον igitur assem & trientem sive quatuor uncias æquat: quadrans oboli semis sextans, vel duo trientes, octo scilicet unciæ. Vel sic. Drachma sex habet obolos, obolus octo chalcos, ergo drachma XLVIII chalcos. Denarius habet duos victoriatos, quatuor sestertios, octo dupondios, asses sedecim. Ergo victoriatus tres obolos, viginti quatuor chalcos; sestertius obolum & hemiobolion, chalcos duodecim; dupondius chalcos sex dodrantem oboli; as tres chalcos, oboli quadrantem & sescunciam, quasi sit ipsum τρίχαλκον Græcorum. Ergo semis chalcum & dimidiatum. At quarta pars oboli duo chalci. dimidium ergo chalci amplius quam debet rotundandæ summæ gratia semissi tribuit Polybius. Idem l. VI. Ὀψώνιον δ᾽ οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολούς· οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλοῦν· οἱ δὲ ἱππεῖς δραχμήν. Ubi δύο ὀβολοὶ, quinque asses, quod stipendium fuit militum usq; ad Julium Cæsarem. Exacte quidem sunt quinque asses cum triente, sed propius quinque assibus Græce nihil potuit rotunde dicere: ut παρατημόριον ὀβολοῦ dixit ἡμιασσάριον pro semisse sextante. Nam quod Savilius Lipsium advocat in stipendii militaris taxatione, συχνὴ ἐπικουρία. Queruntur apud Tacitum milites, *denis in diem assibus animam suam & corpus æstimari:* testatur Plinius decem asses in stipendio militari denarii nomen retinuisse: sed confidentius

quam

quam verius hinc præcipit Lipſius, ſub Auguſto aureum ſeu viginti quinque denarios menſtruum ſtipendium militi fuiſſe: ad quos viginti quinque denarios denis in diem aſſibus redactis neceſſe ſit denarium fuiſſe duodecim aſſium. Cur enim menſtruum illud non poteſt octodecim denariorum, qui ſinguli ſedecim aſſium eſſent, cum dodrante ſeu duodecim aſſibus fuiſſe, quos faciunt deni aſſes in diem triginta diebus? Unde ſcimus neceſſario menſtruum illis veniſſe aureum, ſeu denarios quinque & viginti? Claro quidem, inquit ille ad Tacitum, e loco Suetonii in Domitiano c. VII. *Addidit & quartum ſtipendium militi, aureos ternos.* At quanto verius de eodem dixerat in Electis: paucis, ſed, dii boni, turbulentis verbis. Quid enim ad correctionem decurrendum fuit, ſi omnia clara erant? Ipſe facit, *aureis ternis*; ſubſcribit Torrentius, ſed & malit, *militare:* Caſaubonus, *ad aureos ternos*, ita tamen, ut rem totam differat. In ipſo ſtipendio definiendo ut natant! ut ſparguntur diverſi! Fuere, qui duodecim aureos menſtruos hinc militi efficerent. Lipſius, Torrentius, Salmaſius quatuor cudunt in menſem, quadraginta octo annuos. Vinc. Contarenus ternos menſtruos, annuos triginta ſex, cujus non leves rationes agnoſcit Caſaubonus. Puteanus ſingulos menſtruos, annuos duodenos. Lipſius primum ſub Auguſto vult fuiſſe menſe quovis aureum, adjectum alterum a Caligula vel Claudio, tertium fortaſſe per bella civilia Othonis & Vitellii, quartum a Domitiano. Contareni primum ſtipendium ſub Auguſto denarii octonideni, aſſes duodeni: additum deinde alterum tantum, & tertium à neſcio quibus, & quartum tantundem a Domitiano. Puteanus primum facit annuum, & ſic ſimplex, dein ſemeſtre & ſic duplex, mox quadrimeſtre & ſic triplex, tandem trimeſtre, & ſic quadruplex. Tantæ quæſtionis pondus excipere his humeris, pæne temerarium, nobis eo, credo, excuſatum erit, quod non quæſitam, ultro media via occurrentem, obſtantem, procantem, nec honeſtum mihi declinare nec integrum. Quare abſint formidines pueriles: Photis illa tentetur. Ex verbis Zonaræ conjicimus Suetonium voluiſſe, ad tres aureos, ſive ſeptuagenos quinos denarios, quos accipiebant quarto quoque menſe milites, adjectum a Domitiano aureum unum, ſive quinque ac viginti denarios. Zonaræ verba ſunt: *τοῖς στρατιώταις ἐπηύξησε τὴν μισθοφορὰν, τάχα διὰ τὴν νίκην· πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάστου λαμβάνοντος, ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοσθαι.* Hoc ſtipendium quinque & ſeptuaginta denariorum fuiſſe quadrimeſtre ſatis probabiliter poteſt colligi. Deni in diem aſſes faciunt in menſem triginta dierum aſſes trecenos, denarios (quos non intelligimus niſi ſedecim aſſium) octodecim & denarii dodrantem ſeu duodecim aſſes. Binis menſibus fiebant triginta ſeptem denarii, octo aſſes: ternis quinquaginta ſex denarii, quatuor aſſes: quaternis igitur ſeptuaginta quinque denarii ipſi, qui ſunt etiam ipſi tres aurei. Quum dicit ergo Zonaras, militem ante Domitianum ſtipendii accepiſſe ſeptuaginta quinque denarios, id non poteſt accipi de ſtipendio menſtruo:

ſtruo: nunquam enim tantum menſtruum fuit, quod, quia diurni erant aſſes deni, non excedebat octodecim denarios dodrantem, ſeu trecentos aſſes ex inſtituto Julii Divi, quod manſit ad Domitianum uſque: neque poteſt eſſe annuum, quia iidem aſſes decem diurni faciunt tria millia ſexcentos aſſes annuos, qui ſunt ducenti viginti quinque denarii, aurei novem. Reſtat, ut quia ſeptuaginta illi quinque denarii ſunt tertia pars hujus, quam modo expreſſi, ſummæ aureorum novem, ea ſumma tribus penſionibus ſit ſoluta. Quod non poteſt intelligi aliter factum, quam ut quarto quoque menſe unam acceperint penſionem, tres aureos: neque enim annus in tres partes niſi quatuor ſingulas menſium tribui poteſt. Atque ita apparet ſeptuaginta illos quinque denarios fuiſſe ſtipendium quadrimeſtre. Illud autem quod addidit Domitianus, Zonaræ viginti quinque drachmas vel denarios aureum complentes unum, ſi ſingulis penſionibus ſua pars addita putetur, Suetonius vocat *ſtipendium quartum.* Intelligit ergo militem accepiſſe antea tria ſtipendia, quæ nihil aliud ſunt quam tres penſiones quadrimeſtres unius anni: ſignificat etiam hoc ipſo, loquendi genere aliam rem, quam, abſque illo eſſet, ex nemine alio ſciremus: nimirum, non modo penſionibus illis tribus addidiſſe aureos ſingulos Domitianum, ſed etiam pro tribus articulis & penſionibus numerandi militibus annui ſtipendii inſtituiſſe penſiones quatuor: quas oportet neceſſario fuiſſe trimeſtres: neque enim annus in quatuor æquas partes niſi trium menſium dividitur. Sic igitur miles ſub Domitiano *quartum* accepit *ſtipendium*, ſeu quater in anno accepit ſtipendium ſingulis vicibus trium aureorum: qui ſunt omnes aurei duodecim, ſeu denarii trecenti, quatuor autem millia octingenti aſſes: in menſem aureus, ſive denarii viceni quini, vel aſſes quadringeni; in diem tredecim aſſes cum triente. Hoc *quartum ſtipendium* eſſe Suetonio, ut & Zonaram de quadrimeſtri loqui, aliis & ſuis argumentis, quæ non repetimus, primus animadvertit Ericius Puteanus, vir diſertiſſimus, ejuſque perbellæ obſervationis potiſſimum gaudio commotus Syntagma de ſtipendio militari Romanorum conſcripſit, quod utiliter legitur. Nec tamen, ut probemus recte *quartum* appellari, numeremus iſta tria ſtipendii genera, neceſſe eſt, ut facit Puteanus, neque ſatis belle procedit. Etenim quum Varro dicit, *quod annuum aut ſemeſtre dabatur*; non intelligimus una penſione aut duabus datum, quod toto anno mererent, ſed quod pro annua aut ſemeſtri militia numerabatur ſive quot menſibus, ſive quarto quoque vel tertio æquales ejus portiones ſolutæ fuerint. At trimeſtre aut quadrimeſtre eſt pars tertia vel quarta annui: multoque magis conſtat annuum fuiſſe ſtipendium, hoc eſt, in totum annum meritaſſe milites æra, dum ſive quadrimeſtres ſive trimeſtres fuerunt eæ penſiones, quam ſuperioribus ſeculis. Mittamus iſta ſtipendii genera, nec metuamus Suetonio, tanquam, niſi eſſent iſta, non potuerit *quartum* vocare. Sufficit intelligi, præterquam quod *ſtipendium* ſignificat omne illud,

quod

quod annuum dabatur, inolevisse usu castrensi, ut quia illud annuum tribus numerabatur pensionibus, *stipendium* συνεκδοχικῶς interdum dicatur pro pensione quavis seu tertia parte stipendii: atque ita quum miles hoc sensu vocabuli *tria* quotannis *stipendia* acciperet, singula trium aureorum sive LXXV drachmarum, seu quum ter in anno ei solverentur singuli trientes stipendii annui, Domitianum instituisse, ut quater hujusmodi *stipendia* συνεκδοχικῶς accepta numerarentur, atque ex triente annui fieret quadrans, totumque annuum constaret expenso quater illo quadrante partibus anni trimestribus. At Zonaras tradit tantummodo, in quantum temporis acciperet prius miles LXXV, in tantundem Domitianum ei adsignasse centenos denarios, sine mentione mutatarum pensionum. Sane non dicit mutatas: sed nec negat. Juxta enim verum est quarto quoque mense accepisse centenos, etsi non expenderentur nisi trimestres terni aurei. Secus & mihi si exhibenda essent tria diversa ante Domitianum stipendii genera, alia via progrediar: etsi magis hoc συζυγίᾳ quadam videatur contingere, quam ad illa respexisse Suetonium. Zonaræ illud commemoratum pristinum trium aureorum stipendium fuisse quadrimestre non possumus ambigere. Quod quum a Cæsare Julio introductum sit, duplicante quod prius fuerat, necesse est ante illum fuisse quinos asses in diem, qui menstruos faciunt asses CL, denarios novem cum sex assibus; atque iidem annui sunt asses MDCCC, denarii CXII & victoriatus, seu octo asses, aurei quatuor & unius dimidium, nostri coronati XI cum quadrante. Hi quini asses diurni sunt, quos τῆς ἡμέρας δύο ὀβολοὺς appellat Polybius. Ante hæc omnia tres asses diurnos militantibus datos colligunt Lipsius & Puteanus ex Plauti Mostellariæ verbis: *ferritribaces viri, Isti, qui trium nummorum causa subeunt sub falas.* Quod etsi parum certum, satis tamen credibile est alium fuisse modum stipendii, quum assibus libralibus uterentur, alium postquam tanto circumcisis contenti fuerunt. Asses illos tres Lipsius facit e denis explentibus denarium, a Contareno confutatus ætate Plauti: Puteanus e senis denis, nihilo cautius, quum in toto Plauto nuspiam *nummus* pro asse ponatur. Dein si tales sunt, non possunt esse stipendium primum: illud dico, quod obsidenti Vejos militi decretum est: tunc enim ejusmodi asses nulli fuerunt. Sed nec potest sic probabiliter statui, quando & quî stipendium a tribus assibus ad quinos pervenerit. Dicit quidem Puteanus, crevisse stipendium urgente jam Italiam Hannibale, tanquam majori præmio defendi respublica debuerit, quum discrimen immineret. Fortasse; si modo potuit. At non potuisse arguunt angustiæ ærarii temporis illius. Nec tunc mutatum stipendium, ut majore præmio invitaretur miles, sed quia mutatum erat æs signatum. Videamus an aliunde quid plausibilius eruere possimus. Livius lib. I. *Ad equos emendos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.* Servius igitur Tullius equo publico adsignavit annua *bina millia æris*, hoc est, viginti

 coro-

„ coronatos, ducentas drachmas. Sed si hujus initium rei a Servio, inquit Salmasius in inchoato de militia Rom. opere, quid plus tunc præstitum est, „ quum accepta clade ad Vejos voluntarii equites operam suam gratuitam „ obtulere reipublicæ? *Placere omnibus* (verba Livii lib. v.) *his voluntariam* „ *extra ordinem professis militiam æra procedere: & equiti certus numerus æris* „ *est adsignatus. tunc primum equis merere equites cœperunt.* Hoc falsum, si „ vera sunt, quæ de Servio scripsit. Nisi quis dicat, ait, non æra ex ærario „ eos accepisse, quod postea factum, sed viduas eis attributas, quæ summam „ eam illis penderent. Quasi vero non hoc quoque a viduis erogaret ærarium: etenim nisi adsignatum equitibus esset, idem ab illis pro censu & munere militiæ, quam tanquam mulieres præstare non poterant, ærarium exegisset. Sic & militi petenda a privatis attributa interdum pecunia, de qua Plautus Aul. a. III sc. V ver. IV, & Varro lib. IV de L. L. alluditque eodem Plautus Pœn. a. V sc. V ver. VII. utique ea ipsa, quam ex ærario consequebatur miles. Dicendum potius, *bina* illa *millia*, quæ Servius adsignavit, non fuisse stipendium, sed sumptum alendi equi. Sic anno MCCCXCV placuisse Daventriæ, ut singuli senatores equum alerent, & ad hoc quotannis acciperent ex ærario quindecim florenos, testantur urbis ejus annales. Itaque id *impendium* vocat, & a *stipendio* separat Valerius Max. lib. V cap. VI. *In castris non eques impendium, non centurio stipendium dari sibi desideravit.* Sic enim in MS. bonæ notæ repertum nobis. Plerique alii codices: *non eques, non centurio impendium.* Quod poteram firmare L. XVI D. de re milit. *Ex causa desertionis notatus & restitutus, temporis, quo in desertione fuerit, impendiis expungitur.* Sed longe magis alterum placet, quo utrique aliquid proprium ac singulare tribuitur. Eques ita bonus reip. fuit, ut quum & *impendium* & *stipendium* ei deberetur, non modo stipendio, sed & impendio æquo animo caruerit; centuriones, quibus solis stipendium debebatur, ut id quoque poscere cessarint. Ergo a Servio hoc *impendium* est equi publici: bello Vejenti accessit etiam *stipendium.* Solebat eques in stipendiis ac donativis fere accipere triplex, quod pedes accipiebat simplum, centurio duplum. Quod probabiliter censet Lipsius inde originem habuisse, quia simplum equiti daretur pro equo, alterum simplum pro servo equisone, tertium in sumptum ipsius. Hinc videtur explicandus Varro lib. VII de L. L: *Debet igitur dici, ut Vatiniorum, Manliorum, sic denariorum: & non, equum publicum mille assarium esse, sed mille assariorum.* Duo summi viri hæc accipiunt de pecunia ad emendum equum: sed & sic inveniunt difficultatem. Itaque Lipsius scribit immissa numerali nota: *equum publicum* X *mille assarium esse.* Salmasio nulla suspicio mendi videtur in Varronis verba cadere: Livium potius hinc corrigendum: *Ad equos emendos una millia æris.* Si voluisset hoc Livius, sine *unis* istis, *mille* vel *millia æris singulis* vel *singula*, dixisset: ut lib. XXIX cap. XV. *in millia æris asses singulos.* Partitivum requiritur: at *una*

at *una* non est unum cuique, ut *dena* decem cuique. Cui autem non ridiculum videatur, Varronis utique seculo, sex coronatis & tribus denariis (tantum enim faciunt mille asses, qui sedecim denarium complent) emi equum, & quidem, qui conspici deberet in transvectione sub sessore trabeato? At nihil est pugnæ inter Livium & Varronem, si statuamus proprie millenos æris contulisse ærarium in equi publici impensam, altera millia addita ad exhibendum curatorem equi servum. Ideo recte notat Livius *bina millia* constituisse Tullium ad equos alendos; non possunt enim bene ali sine curatore: recte Varro *equum publicum esse mille assarium*, quia in solius equi sumptum proprie tantum mille æris cedebat. Etsi autem ætate Varronis *mille assarium* minus esset quam Servii *mille æris*; tamen non est absurdum, mutata pecunia inopi ærario & difficili tempore reipubl. quamvis stipendia augerentur, hunc modum impendii mansisse, quod creverant interim privatorum patrimonia, & militiæ tempore tanto largiore stipendio fruebantur equites, in quibus non nisi divites. Et sane oneri equum publicum, non minus quam honori, fuisse constat ex præmiis decretis P. Æbutio apud Livium lib. XXXIX. His igitur binis millibus pro stipendio credibile est accessisse tertium mille æris. Rursus hic obex Priscus Cato, ex quo colligunt, ipsius etiam ætate non ultra bina millia equites in universum cepisse. Priscianus (non enim Charisius) lib. II. *Cato in oratione, qua in senatu suasit, ut plura æra equestria fierent: Nunc ego arbitror oportere institui, ne quo minus duobus millibus ducentis sit ærum equestrium.* In eadem: *de æribus equestribus, de duobus millibus actum.* Lipsius concordare cum Livio ait Catonem: nisi quis malit ad numerum ipsum equitum referre, ut suaserit, tot æra institui, totidemque capita, qui haberent. Hoc posterius longe rejicit Salmasius, quod non sit credibile, non plus duobus millibus equitum in equestri ordine tum fuisse, quum multo plures ætate Servii fuerint. Ante id tempus, ait, æra equestria duum millium fuere: ducentos asses adjiciendos esse ad stipendium suasit tum Cato. Sed hanc interpretationem contemnit contunditque Polybius, qui seni Catoni ætatis mediæ æqualis fuit: ex eo scimus equitum stipendium annuum longe quina millia æris excessisse, quum denarium diurnum, certe non infra quindecim asses, haberent. Aut detur ratio, qui a binis millibus, quibus jam trecentos per annos continebatur, ut volunt, intra ejusdem hominis, qui pro magna re suasit asses CC adjici, ætatem ad sena pæne millia pervenerit. Sed nec moribus Catonis, viri frugalissimi & severissimi, minimeque largitoris, minime ambitiosi, convenit hujusmodi suasio, in nullum reipubl. usum gravis ærario futura. Præterea, ne sermo quidem istum sensum pati videtur, ut *duo millia sunt ærum equestrium*, significet, æs equestre vel stipendium equitum est duo millia: nam quum *æs equestre* vel *æra equestria* dicimus, non singulos asses intelligimus, sed singula vel singularum personarum stipendia. Hinc in lapide antiquo

ille *L. Valerius L. F. Vol. Maternus, Toletanus genere, miles legionis* x *Geminæ, ann.* XXXV, *ærum duodecim:* hinc *procedere æra, ære diruti,* & ſimilia. Ita, *tot ſunt æra equeſtria,* multo ſuavius auribus quidem accidit meis hac ſententia: tot ſunt, qui æs equeſtre trahant: tot ſunt loca vel numeri equum publicum habentium: quam iſta: tot ſunt aſſes, qui cuique equiti dantur. Nam numerum Servianum Catonis ſeculo conſtitiſſe cur neceſſarium ſit inter tot varios reipublicæ caſus? quum vel Punico ſecundo bello & ob Cannenſem cladem & ob ærarii anguſtias eum imminutum fuiſſe, prope certum, non arbitrarium ſit: eoque non extra fidem, verſa in meliorem ſtatum republica primulum ducentis eum augeri voluiſſe Catonem; ſequentibus ætatibus paullatim creviſſe adeo, ut ſub Auguſto Idibus Quintilibus ad quinque millia tranſvehentium conſpicerentur, ut teſtatur Dionyſius. Vult ille recordari, quod non ignorabat, multo plures equites fuiſſe cenſu quam eſſent equo publico? *Quum repente,* inquit Livius, *quibus cenſus equeſtris erat, equi publici non erant adſignati.* Itaque etſi multis partibus plures in equeſtri ordine fuerint ætate Catonis, non tamen neceſſe eſt plus duobus millibus fuiſſe ærum equeſtrium, ſeu plures duobus millibus equo publico fuiſſe. Mira hic quoque hallucinatio ſummi viri, qui non niſi ter tradit, *equum publicum* ſæpe occurrere in vett. monumentis pro eo, qui equo publico meret: & addit miram quidem, ſed Romanis ſolitam locutionem, ut *ordo* pro ordinis ductore, *cura* pro curatore. Nuſpiam, quod meminerim, *equus publicus* dicitur, qui habet equum publicum, ſed perſæpe ea perſona dicitur *equo publico,* nempe fruens eques. Ut aliquis dicitur *Proconſule* vel *Proprætore,* nempe legatus vel præfectus: ut imperator *tribunitiæ poteſtatis* dicitur, nempe conſors vel compos: ut denique aliquem dicimus frugi. Sic invenio: *Ti. Claudio. Tib. Fil. Pal. Rufino. Equo. Publico. Praef. fabr.* At ſi prima nominis forma hunc appellarem, pariter eſſet *Ti. Claudius equo publico.* non profecto: *Ti. Claudius equus publicus.* Iterum: *C. Claudio L. F. Fab. Sabiniano. Equo. Public.* Mulum, credo, appellaſſet ille Claudius, qui ſe vocaſſet *publicum equum.* Sed non ægre ferebat ſe ſcribi *C. Claudium equo publico.* nempe fruentem equitem. Has igitur ſalebras utcumque eluctati, videmur non incommode poſſe ſtatuere, equiti poſt ſtipendia primum militantibus conſtituta veniſſe annua tria millia æris, triginta coronatos: & ex eadem ratione pediti mille æris annuum collatum: quod ſi ad dies revocetur, efficiet diurnos aſſes duos dodrantem circiter. Etenim externis millibus quarto quoque menſe merebat eques mille: ergo ſingulis menſibus ducentos quinquaginta: ergo diurnos aſſes octo trientem: nam tricies octo ſunt CCXL; triginta trientes, decem aſſes. Horum octo aſſium tertia pars, bini aſſes dodrans. Sic igitur primum ſtipendium fuerit, quod bello Vejenti arctis etiam publicis privatiſque opibus ſive hoc, quod ſuſpicamur, ſive qualecumque conſtitutum eſt. Secundum obtinuit

quino-

quinorum assium, quod Polybius agnoscit, & Julius duplicavit. Hoc in ære multo recisius est priore: binas enim libras & novem uncias æris prius continebat diurnas, sed amplius ratione formarum signatarum, quæ tunc valebant, & argenti, cui exæquabatur: sestertium enim faciebat & assem, quum prius sestertium & quadrantem. Ita nec miles querebatur, qui cum accipere solitus esset undecim quadrantes, denarii partem quartam & quadragesimam, nunc accipiebat quadrantes viginti, denarii propemodum tertiam: & respublica lucrabatur, quæ, quod fuerat stipendium militis unius, eo jam undecim tuebatur, assibus ad semuncias redactis. Tertium quod Julio debuerunt dominationis auctores, quini alii ad pristinos quinos asses adjecti. *Quartum addidit* Domitianus *stipendium militi, aureos ternos*, super novem, quos habebat annuos, sive singuli sint additi pensionibus quadrimestribus, sive terni fuerunt quater dati trimestres. Ex his videre est, quanto errore Snellius, quod est apud Suet. c. XLIX, *quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxisse* Octavianum, interpretetur, eum legem, ut loquitur, Juliam revocasse (quod tamen & Torrentio excidisse video ad Julii c. XXVI, juxta falsum atque quod subjungit, successores Augusti pro sua quemque libidine iterum auxisse) præterquam in cohorte prætoria, quibus binos denarios in diem adsignarit. Non pendebat ea res ex libidine cujusque imperantis, neque in augendum, neque in minuendum: illud ob immanem sumptum, quod expertus Domitianus; hoc ob iram legionum. Non nisi Mutinensis corde Vagelli dignum erat offendere tot caligas, tot millia clavorum. Octavianus ob industriam cavit, ne alios milites tam viles, quum prætorianos tam pretiosos haberet. Allisus ad eundem scopulum Lipsius in Mil. Rom. rem a Julio motam hic ait non stetisse, sed auxisse Augustum, & e productis Suetonii verbis interpretaturus illam *certam stipendiorum præmiorumque formulam*, eum modum, subjicit, fuisse denos asses diurnos ex Tacito liquere. At hi a Julio sunt, neque ab Augusto aucti, nisi in cohortibus prætoriis & urbanis, ab ipso institutis. *Stipendia* autem hic Suetonio non sunt militum mercedes, sed ipsæ militiæ sive anni militiæ. Dio eandem rem sic refert l. LIV. per quæstorem recitasse in senatu libellum, in quo διέταξε τά τε ἔτη (hæc *stipendia* Suetonio) ὅσα οἱ πολῖται στρατεύσοιντο, καὶ τὰ χρήματα (hæc *præmia*) ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας ἀντὶ τῆς χώρας, ἣν ἀεί ποτε ᾔτουν, λήψοιντο. Immo ipse Suetonius sese proximis verbis interpretatur: *definitis, pro gradu cujusque & temporibus militiæ* (hæc quam dixerat *formulam stipendiorum*) *& commodis missionum.* hæc *præmia*. Quo magis mirum, repetere hunc errorem Lips. Admir. l. II c. IV. Sed & sic errat quoque Contarenus de stipendio pag. V. At bonus Snellius, qui paullo ante limitaneis militibus adsignaverat denarios menstruos vicenos, prætorianis sexagenos, id est tres aureos, quindecim denariis minus, mox immemor superiorum in Domitiano Suetonii sequitur

Lipsii

Lipſii correctionem, *aureis ternis*, & nullo diſcrimine militi ad aureos ternos, quod ante ſub imperatoribus ſortiti fuerint menſtruum, a Domitiano eſſe quartum additum autumat. Quis ergo medio tempore alteris quindecim, alteris LV menſtruos denarios adjecit? An ſolis prætorianis benignum putavit Domitianum fuiſſe? At ea non tam damnoſa largitio, ut referri deberet inter ſumptus, quibus exhauſtus ad manubias ſe convertit; quod facit Suetonius. Sed & huic liberalitati longinqua expeditio, ut ex Zonara colligere eſt, atque adeo non prætorianus modo, ſed vel maxime legionarius, occaſionem dedit. De prætorianis nihil eximii Suetonius & Zonaras: & palam eſt, in omnia militum genera pertinuiſſe hanc ſtipendii acceſſionem. Illorum ſtipendium eruimus ex Suetonio & Tacito. Alter de legatis Auguſti: *Prætorianis militibus ſingula millia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecenos nummos.* Servavit eundem Tiberius modum in ſuo teſtamento: τοῖς δορυφόροις πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμὰς, τοῖς ἀστικοῖς ἀνὰ πέντε καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν δραχμὰς, τοῖς δ' ἄλλοις ἅπασι πέντε καὶ ἑβδομήκοντα, uti teſtis Dio l. LIX. Hi trecenti ſeſtertii, quos viritim legionariis legaverunt Octavianus & Tiberius, ſunt quinque & ſeptuaginta denarii, velut a Dione redduntur, ſive aurei Romani terni, ſtipendium quadrimeſtre, uti diximus. Credibile eſt igitur, mille nummos, hoc eſt, ducentos quinquaginta denarios, ſive decem aureos, fuiſſe quoque prætoriani militis quadrimeſtre ſtipendium. Sane fuerint hi menſtrui denarii ſexageni bini, cum unius dimidio, in diem bini denarii ac triens: congruuntque mirifice querelæ Pannonicorum apud Tac. l. I ann. c. XVII: *An prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, plus periculorum ſuſcipere?* Ubi, præter aliorum infeliciter tentata, etiam Hotomannus *bis denos,* ut intelligantur aſſes. Inductus nimirum verbis Dionis l. LIII, ubi ait in VI Auguſti conſulatu, τοῖς δορυφορήσουσιν αὐτὸν διπλάσιον τὸν μισθὸν τοῖς ἄλλοις στρατιώταις διδόμενον ψηφισθῆναι. Unde Lipſius quoque putavit de duobus denariis invidioſam eſſe orationem, & augendæ rei, quum tantum viceni aſſes forent. Sed nihil vetat credi utrumque verum eſſe, & ipſum Auguſtum poſtea triplum feciſſe, quemadmodum etiam de militiæ annis & præmiis bis conſtitutum eſt: prius, ut prætoriis cohortibus duodecim poſt annos, aliis ſedecim emeritum eſſet, Dionis l. LIV: dein, ut illis ſedecim, his viginti, ejuſdem l. LV. Jam ſimiliter credibile eſt urbanarum cohortium militem quadrimeſtria ſtipendia habuiſſe nummos quingentos, qui centeni viceni quini denarii, vel quini aurei; in menſem triginta unus denarii cum quadrante, hoc eſt, ſeſtertio vel quatuor aſſibus; diurni denarii ſinguli binique trientes, Græce δραχμὴ δύο χαλκοῖ ἡμερήσιον. Annuos igitur prætoriani ab Auguſto triginta aureos, ſive tria millia nummum, vel ſeptingentos quinquaginta denarios, coronatos ſeptuaginta quinque; urbani quindecim aureos, ſive mille quingentos ſeſtertios, denarios trecentos & quinque ſupra ſeptuaginta, coronatos triginta ſeptem & dimidiatum

diatum habuere. Domitiani augmentum in prætorianis & urbanis dupliciter potest intelligi: ut vel ipsos tres aureos acceperint & illi plus solito, vel pro portione auctum tertia parte perceperint stipendium. Si prius, ad triginta tres aureos, qui sestertii tria millia trecenti, denarii octingenti viginti quinque, coronati octoginta duo cum dimidiato, prætoriani; urbani ad octodecim aureos, qui mille octingenti nummi, denarii quadringenti quinquaginta, coronati quadraginta quinque, provecti sunt: si posterius, ad quadraginta aureos, id est, mille denarios, quatuor millia nummum, coronatos centum, prætoriani; urbani ad viginti aureos, hoc est, denarios quingentos, bina millia nummum, coronatos quinquaginta annuos pervenere. Cl. Salmasius ad Fl. Vopiscum, & ipse Domitianum militaris stipendii modum quaternos in mensem aureos statuisse pro certo habet, ita ut miles octo & quadraginta aureos annuos acciperet: hoc est, quatuor millia & octingentos nummos, vel mille ducentos denarios, nostros scutatos vel coronatos centum viginti. Et hinc corrigit locum, ut ait, vulgo corruptissimum: *Addidit quartum stipendii militi in aureos ternos:* quod sit, addidit militi quartum aureum in ternos aureos stipendii: vel, *Addidit & quartum, stipendium militi, in aureos ternos:* quod sit, quartum, subaudi aureum, addidit in aureos ternos, militi stipendium. quæ posterior illi omnino vera lectio est. Hæc jam collapsa & eversa illis, quæ exsecuti sumus, non est operæ propriis argumentis vel ob numerum stipendii, vel ob genera loquendi dura & a facilitate ac nitore Suetonii abhorrentia, jugulare. XLVIII aurei stipendium tribuni legionarii erat, siquidem quod acciperet pedes, id duplex centurioni, triplex equiti, quadruplex tribuno conferebatur. Itaque miror, unde hauserint Dalecampius ad Plinii l. XXXIV c. III, & Meursius de luxu c. VIII, tribunorum militarium salaria fuisse L sestertia: qui sunt aurei D. Peccat uterque amplius, quum sestertia illa L talentum dicit Dalecampius; id enim non ultra XXIV sestertia procedit: quum eadem MMD Carolinos facit Meursius, quæ sint MMM D CC L. Videntur in communi errore decepti narratiuncula proxime sequenti mentionem salarii tribunicii apud Plinium, ubi candelabrum quinquaginta millibus emptum dicitur: sed nihil hæc illo pertinet. Salmasius militem meruisse vult menstruos aureos quaternos, duplum centuriones, hoc est, octonos, triplex equitem, nempe duodenos, quincuplum tribunos, nempe vicenos, ducem centenos. Quæ ut fuerint Valeriano imperante (& tamen fuisse parum liquido videtur adfirmari) haudquaquam possunt porrigi ad frugalitatem, hac quidem in re, superiorum temporum. Magis hoc censeas, si memineris, quod ipse scribit c. VI de M. Usur. sub primis imperatoribus stipendia soluta in assibus constare: sed & munera data fuisse multis tum in nummis sestertiis, æreis tamen, non argenteis, qui *æris gravis* nomine appellarentur. De sestertiis illis & gravi ære videbimus: sed illud haud gravatim admittimus, non nisi in ære istis principibus numerata stipendia, propter

auctorem incertum De Rebus bellicis, qui adjungitur Noticiæ Imperii. Ejus hæc sunt verba: *Potentia regalis pro licentia speciem suam tantum in auro argentoque signavit, quæ pro reverentia figuræ, nullis usibus proficiens, ad honorem regium sacrata permansit. Aeris autem materia, quæ jam præ copia vilior erat, ad dona militaria & varia populorum commercia signabatur.* Addit deinde, *Constantini demum temporibus profusam largitionem aurum pro ære, quod antea magni pretii habebatur, vilibus commerciis adsignasse.* Qui locus notabilis ac singularis. Quum igitur tot aureos, tot nummos, tot denarios militibus datos legimus, ut plurimum summam potius in ære, quam formas in auro & argento depensi stipendii & largitionis erogatæ nos jubet intelligere iste auctor. Quo autem major numerus æris quamvis parvo auri & argenti ponderi respondet, eo minoris in auro & argento collectæ summæ fuisse credibile est id, quod in ære dabatur. Et sic stipendio veteri partim renato, partim constituto, decolavit etiam ille κίβδηλος, quem primus sibi Manucius finxit, duodecim assium denarius. Neve putes obliteratos dudum errores nos sine necessitate & sero reprehendere, retulit eundem nuper Rualdus, tanti supercilii, ut se Romanam & Græcam pecuniam melius, quam Plutarchus & Budæus nosse postulet, anim. IX in Plutarchum. Retulit Lud. Savotus l. III c. XX, testatus se reperisse veram opinionem Lipsii, paucis licet probatam, de denario duodenum æris. quid ita? quia aureo menstruo stipendio decem asses diurni id volunt: quia Polybius semissem dixit quartam oboli partem. At hæc vetera sunt. Adeo difficile est, quem bonum ducem esse certum habeas, ejus etiam in devium, qui tamen contingunt, flexus & vestigia non sequi. Cæterum Manucius ab hoc principio profectus, non potuit non, quicquid procedit, a recta æstimatione longius deerrare. Sic *mille sestertium* facit XXX scutatorum, quum tantum sint XXV: sic *decem millia* trecentorum, qui sunt CCL: sic *centum millia nummum* tria millia scutatorum, quæ valent duo millia quingentos: & sic deinceps. Videtur autem Aldus Paulli patris abacum secutus: nam hic quoque doctos suos in Ciceronem commentarios hoc perpetuo calculorum errore deformavit. Ad Divinationem in Q. Cæcilium *bina sestertia* ei sunt scutati LX: in Cæliana *triginta millia* nongentos facit, qui sunt DCCL: in Verrinis *decies* triginta millia, quod est viginti quinque millium: atque ita passim. Quæ præterea in Manuciana computatione desideramus, alibi locum jam invenere.

CAPUT III.

Alexandri Sardi æstimatio veteris pecuniæ sub censuram revocata. Denarius sedecim assium non fuit gravior eo qui decem valuit. Mille quingentæ drachmæ non magis quindecim millia priscorum assium quam mille quingenti denarii. Denarius argenteus decima pars scutati aurei. Viginti quatuor sestertia, sexaginta libræ argenti, & sic talentum Atticum. Sestertius assium quatuor idem qui duum semis, nec differunt nisi tempore. Festus & Gellius defensi.

Achaicum talentum, quod fingunt viri docti, explosum. Talentum Alexandrinum, non duodecim, sed duodecim millium denarium. Polybii, Livii, Prisciani loca ab interpretatione prava vindicata. Talentum sine adjectione, scriptoribus antiquis passim pro Attico. Plauti duo loca illustrata. Mille centum nummi, apud eum, non undecim millia drachmarum, sed duo millia ducenta. Talentum magnum, trium millium nummorum Plautinorum. Dividuum talentum, mille quingenti nummi. Talentum Syracusanum, trium denarium. Talentum idem Corinthi, quod Æginæ, decem millium drachmarum Atticarum, vel denariorum. Δεκάλιτρον *Æginæum, Corinthiacum, Syracusanum.* Παχεῖα δραχμή. *Hesychius correctus. Stater Corinthius vel decalitron male dicitur* δίδραχμον. *Decalitron obolorum Atticorum sedecim cum besse, non triente solo oboli. Obolus Siculis* λίτρα, *cujus duodecim* χαλκοὶ, *qui & οὐγκίαι· duæ & dimidia* λίτραι, νοῦμμος· *decem oboli,* δεκάλιτρον. *Inde Romanis as cum suis unciis, sestertius nummus, denarius.* Δεκάλιτρον *non nisi per abusum vocis drachma dicitur. Gellius rursum explicatus. Livius tentatus. Prisciano parvum, quod Plauto magnum Atticum talentum. Rhodium & Cistophorum talentum. Patera octoginta pondo. Varro apud Plinium defensus. Talentum Romanum nullum. Talentum magnum quod. non* LXXX *minarum, non* παχύ· *non argenti tantum. Livius iterum tentatus. Argentum Atticum. Commodum talentum magnum.* Βραχὺ, μικρὸν, *modicum,* σύμμετρον. *Virgilius & Xenophon vindicati. Talentum magnum non appellatur Græcis. Neapolitanum, Rheginum, Siculum talenta.*

Alexander Sardus splendide quidem ille promitit: Gallos, Italos, Germanos, ut palæstrice spatiasse in hoc xysto (hæc verborum ejus elegantia) neminem ab Olympiis coronam petivisse: quasi id sibi sponderet: sed tanto hiatu nihil dat dignius quam promissor Horatianus. Denarius ei continet drachmam & scriptulum: quum Plinius drachmam Atticam denarii pondus habere dicit, & Gellius μυριάς δραχμὰς intrepretatur decem millia denarium, intellexisse illos de denario decussis. Quasi denarius decussexis majoris ponderis fuerit, in tantis ærarii angustiis introductus: quasi non constet, quod denarius asses senos denos valuit, non eo factum, quia denarius argento gravior, sed quia as ære levior exstitit: quasi denique Plinii & Gellii temporibus denarium in usu quisquam nominarit, quem non sedecim assibus censeri putaret. Drachmam ait assibus decem permutatam disci ex Plutarcho, quindecim millibus assium mille quingentas æstimante drachmas. At si quis Latinus scriptor per denarios reddere voluisset ea quindecim assium millia, quæ nempe mulcta dicta est Furio Camillo, eodem numero mille quingentos denarios dixisset: nam hujus generis asses, libram pondo nempe, decem omnino valebat denarius, atque exinde nomen sortitus est. Ex proportione auri ad argentum, quæ apud Romanos temporibus dumtaxat, intra quæ nunc nos sistimus, fuit omnino decupla, quum drachma argentea sit eodem pondere quo scutatus aureus, colligit drachmam esse decimam scutati partem. Placet inventum: certe θάτερον τῶν κριμάτων verum est, quicquid sit de τοῖς πιθανοῖς. Hic acquiescendum erat, eaque drachma cum omnibus antiquis denario comparanda: & patuisset illi via facilis & expedita, quam saniores triverunt: sed, dum veretur, ne parum sit subtilis, in spinas & ve-

pres incidit. Ergo drachma, tanquam decima pars ſcutati, ſolidis ei cenſetur ſeptem: ſed quia vetus aurum bonitate præſtitit, deſinit eſſe pars decima ſcutati, & venit octo ſolidis, minus tribus ex denis partibus quatreni: itaque ex centum drachmis non decem, ſed undecim gignit ſcutatos, & præterea libram & ſolidos quinque. Nam ſcutatum æſtimat libris tribus ac dimidia ſeptuaginta ſolidis, quadringentis viginti quatrenis; libram ſolidis viginti; ſolidum ſex quatrenis. Quid exſpectemus de denario? hunc decem ſolidorum, quatrenorum trium, cum ſenis ex decem partibus quatreni futurum fuiſſe, ſi libra Attica & Romana fuiſſent pares: ſed quia Latina Atticam excedat ſextante ſemuncia cum drachma, jam duodecim ſolidorum, duum quatrenorum & quatuor quinarum partium quatreni eſſe. Ad nummularios, qui decoloratas collybo manus habent, & monetales atque aurifices iſta. Vulgo homines, quum argentum auro, aurum argento permutant, ſi in ſingulis nummis tam acerbe materiam æſtimarent, quis finis erat futurus? aut quando res conveniret? Illi vero aurum putant aurum, argentum ducunt pro argento: ſi nummi pondus juſtum & notam legitimam habeant, utcumque alius alio ſit auro argentove excoctiore: prout qui percuſſere aut percutiendos curavere, fidem adhibuerunt, non morantur, neque receptum conſuetudine & conſtitutione imperantis pretium ea propter variat. Idem in æſtimatione, qua veteris pecuniæ modum noſtra definimus & deprehendimus, faciendum: ſecus nihil unquam erit certi aut in univerſum veri, & ſingulæ propemodum exercitæ monetæ vices novam requirunt nummorum æſtimationem. Super hæc ſæpius dictum eſt, in re nummaria libram Romanam & minam Atticam pares haberi: idque ipſe confitetur, cum inferius talentum Atticum ſex millibus drachmarum vel ſexaginta minis ait conſtare, & in eodem collocat quatuor & viginti ſeſtertia, quæ Priſciano ipſo (qui toties ſibi contrarius, illi tamen unus eſt pro omnibus antiquis) interprete, Romanæ ſint libræ ſexaginta. Sed addit, ex primo ſeſtertio duarum librarum ſemis: perinde ut ſuperius ingeſſit de denario decem aſſium: quaſi poſtquam ſeſtertius fuit aſſium quatuor uncialium aut ſemuncialium, in argento ejus quidquam fuerit mutatum. Quæ eſt ergo inſania dicere ex quatuor millibus quingentis denariis, quæ ſint ſex millia drachmarum, Feſtum conſtituere Rhodium talentum? Drachmas Atticas utique *denarios* vertit Feſtus, idemque talentum eſt quatuor millium quingentarum drachmarum Atticarum: at Rhodiarum ſex millium: nam talentum quodvis ſex millia drachmarum ſui generis habet, quæ ad Atticas reductæ variant. Priſcianum ait componere Atticum talentum majus ex centum Atticis minis, quæ ſint drachmarum ſeptem millia quingentæ: ſed omittit, quod apponit Priſcianus: *quarum minarum ſingulæ ſeptuaginta quinque drachmas habent.* Sunt igitur illæ minæ, quales fuerunt ante Solonem; ſecus centum minæ facerent decem millia drachmarum. Porro libram & minam hic quoque pares agno-

ſcit

ſcit Priſcianus. Verba ejus: *Talentum Athenienſe parvum minæ ſexaginta; magnum minæ octoginta tres & unciæ quatuor.* Deinde: *Hac igitur computatione octoginta tres libræ Romanæ & quatuor unciæ, quod eſt magnum talentum, centum minas Atticas* (puta veteres drachmarum LXXV) *faciunt.* Illud eximium, quod apud Feſtum, ubi *Atticum talentum* dicitur *ſex millium denarium,* & A. Gellium, ubi *tria talenta Attica* explicantur *ſeptuaginta duo millia ſeſtertium,* refingit, *Achaicum,* & *Achaica:* id enim talentum ſex millium denariorum eſſe ex Polybio & Livio liquere. Cur non & corrigit M. Senecam Priſcianumque dicentes, talentum Atticum eſſe viginti quatuor ſeſtertia? hæc enim ſine dubio ſunt denarium ſex millia, & ter ducta eadem ſeptuaginta duo ſeſtertia. Cur patitur Alexandrinum talentum dici duodecim millium denarium? quod conſtat duplum ad Atticum fuiſſe, & proinde duodecim millium drachmarum. Sed ille corrupto, credo, Feſti codice deceptus ingenti errore Alexandrinum talentum facit duodecim denarium, vel quales apud illum ſunt, ſcutatorum duum, aut ſeptem librarum, novem ſolidorum, quatrenorum trium, triumque quinarum partium unius quatreni. Video in eadem de Achaico iſto talento ſententia eſſe Sam. Petitum lib. I Obſerv. cap. IV: quæ ſi vera eſt, fruſtra ex Livio probat Priſcianus Athenienſe talentum fuiſſe ſenum millium denarium, fruſtraque nos Polybium Liviumque putamus nobis ſuffragari. Verba Priſciani: *Livius in* XXXIV *ab urbe condita: Multitudinis illorum argumentum ſit, quod Polybius ſcribit, centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe, quum quingentos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, ſtatuiſſent. Mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit captivos Italicos. Qua ratione oſtenditur ſex millia denariorum habere talentum. Nam cum quingeni denarii pro mille ducentis captivis dati, colligantur ſexcenta millia denariorum, centum ea oſtendit fuiſſe talenta.* Achæorum, ait Petitus, intelligi talenta, cum de Achæis agatur: hæc centum talenta facere DC millia denarium, quot millibus denarium non poſſe cenſeri totidem talenta Attica, ex Livii utique calculo, ſed multo paucioribus: quandoquidem ſcribat alibi in tetradrachmo eſſe fere trium denariorum pondus: Achaicum, quod & Corinthiacum, talentum conſtare octo millibus trecentis triginta tribus drachmis Atticis & obolis duobus: his paria eſſe denariorum ſex millia. Polybius ſæpenumero talenti meminit, quod omnes accepiſſe adhuc exiſtimo, ut ſolet fieri, quotieſcumque alia ei finitio deeſt, pro ſexaginta minis, ſeu ſex millibus vel drachmarum vel denariorum. Poetæ Comici, ut Plautus, quando non ex ſua loquuntur perſona, ſed ſerviunt loco, ubi ſcenam eſſe fingunt, mirum non eſſet, ſi talenta nominando non intelligerent ſemper eadem. Hiſtoricorum alia ratio eſt. Sed ne quidem in Plauto emolitur, quod molitur Petitus. In Rudente a. V. ſc. II. piſcatori offeruntur a lenone *mille centum nummi,* quibus ille ſpretis, poſtulat *magnum talentum.* Mille centum nummi, inquit, ſunt undecim millia

drachmarum Atticarum: desunt centum alteri nummi, id est, drachmæ mille, conficiendo talento: ut *talentum magnum* sit duodecim millium drachmarum, seu centum viginti minarum. Plane sic & Scaliger subduxerat, miraturque Plautum in Mostellaria talentum facere sexaginta minarum, hic cxx, hunc nodum aliis solvendum commendaverat. Petitus solutum putat, si cogitemus Mostellariæ Athenis, Rudentis scenam esse Cyrenis: itaque Cyrenaicum vel Ptolemaicum hoc talentum esse, quod erat duplex ad Atticum. Sed qui isti *nummi*, qui centum faciunt mille drachmas, mille decem millia drachmarum? Scaliger esse vult ἡμιχρύσους sive aureos denarios: quod pro indubitato transiit Petitus. At hic error est illustris viri confutatus Salmasio: nam Plautus *nummum* sine adjectione *auri* nunquam dixit pro aureo: & quoties dixit, pro statere dixit sive didrachmo. Quare hic quoque *nummos* accipimus pro argenti didrachmis. Quæ enim necessitas ad absolvendum talentum magnum solos requiri centum nummos? Immo quæ fides, cui *mille nummi* res tam vana quam *somnium*, cui *mille centum sopor*, eum centum additis contentum fore? *Talentum* vero *magnum* quum appellant illi, intelligunt tria millia nummorum, hoc est, sex millia drachmarum. Nam & illud considerandum est, utcumque scena sit Cyrenis, personas tamen esse Atticas. Sic scena sequenti Grypus ex pacto pro monstrato vidulo petit ab lenone talentum: vellet ille abjurare, sed videns sibi negotium fore cum hero ejus, acquiescit. Senex cupiebat liberare participem periculorum filiæ suæ alteram ancillam: rogat, quanti emerit illam leno: ut audiit, *mille nummis*, homo bonus & liberalis de illo quod insperatum evenerat, pari facilitate lenonis facilitatem prosequitur: promittit ei *dimidiatum talentum*, hoc est, mille quingentos nummos, seu tria millia drachmarum: ut pro altero dimidio ejusdem talenti Grypum emittat manu, cujus ergo totum jam talentum illi Grypus promiserat. Et eodem pretio destinaverat Palæstram Pleusidippus, videlicet triginta minis, ut est in prologo. Ex ratione Scaligeri & Petiti *dividuum* illud *talentum* essent sexcenti nummi. Quomodo diceret ergo senex: *Vin tibi conditionem luculentam ferre me?* Quomodo acciperet illam leno quadringentis nummis auri defraudatus? Jam si Polybius in narratione de Achæis, talento appellato, necessario Achaicum intelligit, sequitur, ut in narratione de regibus Ægypti, si ejusdem occurrat mentio, intelligat Ptolemaicum vel Alexandrinum, de regibus Syriæ Syriacum, de Rhodiis Rhodium, de aliis alia: quod haud scio an cuiquam fieri verisimile possit. Gelonem & Hieronem Siculorum tyrannos Rhodiis testatur dedisse ἑβδομήκοντα καὶ πέντε τάλαντα. An intelligit Syracusana trium denariorum? Pulchra & regia donatio ducentorum viginti quinque denarium. At ipse mox deridet reges, qui ubi quatuor aut quinque talenta alterius haud dubie generis civitatibus Græcis donassent, honores sibi ab illis vellent decerni. An potius ubique Achaica intelligit? Peccavit ergo Livius, cum

cum in pace Philippo data *χίλια τάλαντα* vertit *mille talentum:* debuisset enim adjicere Achaicorum, qualia scilicet intellexerat Polybius. Nam quod in fœderibus nonnullis Euboïcorum meminit, non facit ad distinctionem eorum a suis Achaicis, sed quod in ipsis illorum formulis mutare quidquam religioni duceret. Sed & de Achaico isto talento, octo millium trecentarum triginta trium drachmarum Atticarum trientis sive duorum obolorum, somnium est merum. Gellius clare ostendit Corinthi talentum fuisse idem quod Æginæ, *μυρίων δραχμῶν*. Ille tamen hoc sic probare contendit. Pollux ex Aristotele docet *τὸ δεκάλιτρον δύνασθαι δέκα ὀβολοὺς, εἶναι δὲ στατῆρα Κορίνθιον*. Hi oboli sunt, inquit, Æginetici, stater vero idem quod didrachmum. Æstimatur igitur didrachmum Corinthiacum sive Achaïcum obolis Æginеticis decem. Quare drachma Corinthiaca est obolorum Ægineticorum quinque. Sunt autem oboli Æginetici quinque in Attica pecunia oboli octo, æreus sive chalcus unus & præterea quinque sextæ duorum æreorum: ac proinde tres drachmæ Corinthiacæ faciunt quatuor Attica tetradrachma, & paullo plus. Unde, pergit, fides veritasque constat iis, quæ dixit Livius, in singulis tetradrachmis Atticis paullo minus trium denariorum argenti esse pondus: nam denarius paria facit cum drachma Achaica sive Corinthiaca. Hæc omnia fucata & adumbrata esse apparebit, si *δεκάλιτρον* illud, illum *στατῆρα Κορίνθιον* duarum esse Corinthiacarum drachmarum falso sibi finxisse virum doctissimum animadverterimus. Unico nititur Hesychii glossemate: *Παχείη δραχμή· τὸ δίδραχμον· Ἀχαιοί.* Quid sit *παχεῖα δραχμὴ*, quique eam dixerint, scimus ex Polluce: *Ἀλλὰ μὴν τὴν μὲν Αἰγιναίαν δραχμὴν μείζω τῆς Ἀττικῆς· δέκα γὰρ ὀβολοὺς Ἀττικοὺς ἴσχυεν, ἣν οἱ Ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλουν, μίσει τῶν Αἰγινητῶν Αἰγιναίαν καλεῖν μὴ θέλοντες.* Cui non videre liceat hinc apud Hesychium legendum esse: *Ἀττικοί.* Sed hoc duo magni viri, Scaliger & Petitus videre noluerunt: ille, ut hinc talentum Achaicum magnum duodecim millium drachmarum, alter ut staterem Corinthium didrachmum & deinde talentum octo millium cuderet. Hesychius cur *παχεῖαν δραχμὴν* interpretatus sit *δίδραχμον*, ipse viderit, neque necesse est nos erroris alieni rationem reddere. Rursum Hesychius: *Λεπτὰς καὶ παχείας, Ζάλευκος ἐν νόμοις, τὰς δραχμάς· λεπτὰς μὲν τὰς ἑξοβόλους, παχείας δὲ τὰς πλέον ἐχούσας.* Pollux *δεκάλιτρον* esse *στατῆρα Κορίνθιον* dicit: eum staterem Corinthi didrachmum fuisse non dicit. Oboli isti, quos decem habet *δεκάλιτρον*, sane videntur esse Æginæi. nam idem Pollux lib. IV. *περὶ σταθμικῆς· ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖον.* Corinthius igitur stater, Æginæum decalitron, Atticorum obolorum est sexdecim cum besse seu duobus trientibus ejusdem Attici oboli: non solum cum triente uno, ut vult Salmasius cap. VI de M. Usurarum p. 247. quippe cum sex oboli Æginæi decem Atticos æquarent, unus obolus Æginæus continebat Atticum unum & præterea ejus bessem seu duos trientes. Excedit igitur stater Corinthius duas drachmas Atticas, quæ duodecim

tantum obolos Atticos haberent. Didrachmon habet ſcriptula ſex, ſiliquas ſex & triginta: Decalitron ſcriptula octo & ſextam partem ſcriptuli, ſiliquas quadraginta novem: παχεῖα δραχμή, ſive Æginæa, ſcriptula quinque, ſiliquas triginta. Itaque hæc miſceri non poſſunt. Cæterum hoc ipſum, quod Æginæis, non Corinthiorum propriis diverſis vel Achaicis, ille ſtater obolis explicatur a Polluce, indicio eſt Corinthiis alios quam Æginetis obolos non fuiſſe, ut nec drachmæ nec minæ nec talenta fuerunt. Quod adeo verum, ut & Syracuſani, Corinthiorum coloni, etſi *talenti* vocabulo abuterentur, δεκάλιτρον Æginæum tamen decem obolorum, (ſive λιτρῶν, cujus quarta pars, τρίαντα ἡμιωβόλιον, νοῦμμος, ad quorum imitationem Romani *denarium* decem librarum æris, *ſeſtertium nummum* duarum ſelibræ fecerunt: obolus autem ſive λίτρα duodecim habebat χαλκοῦς, quos iidem οὐγκίας dicebant, unde libra & aſſis partes Romanis:) & ipſi habuerint, cujuſmodi decalitra Syracuſana & Agrigentina pondere ſupra didrachmum & ſemidrachmam atque aliquid amplius excurrentia, reperiri hodieque in capſis antiquariorum, teſtis dicto loco Salmaſius. Drachmas autem has vir illuſtris forſan ſine exemplo vocat: certe ego vocare non auſim, memor talentum Corinthiacum παχειῶν ſeu ſui generis δραχμῶν habuiſſe ſex millia, quæ Atticarum μυριάδι reſponderent, quum idem contineret minus quatuor millibus iſtorum ſtaterum ſive decalitrorum. Nam quid poteſt evidentius eſſe Gellii verbis, ex Sotione Peripatetico narrantis, Laida Demoſthenem μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον popoſciſſe: *hoc facit*, addit, *nummi noſtratis denarium decem millia*, lib. I c. VIII. Vide tamen, quo acumen præjudicio corruptum non perveniat: tantum abeſt, inquit argutus Petitus, ut poſſit inde colligi, talentum Corinthiacum fuiſſe ejuſdem pretii, cujus Ægineticum, hoc eſt, decem millium drachmarum Atticarum, ut contra inde liqueat, talentum Corinthiacum minus eſſe decem millibus drachmarum Atticarum. Magna mira. ſed quemadmodum? non videtur idem poſcere, ſed quanto minore pretio ſui copiam faciat, indicat: poſcit igitur decem millia drachmarum Atticarum, aut, ut minimum, talentum, quod Corinthiacum eſſe Corinthia Lais nos non ſinit dubitare. At non accepit ita Gellius, cum una utriuſque ſummæ interpretatione defungitur. Sed nec accepit ita Demoſthenes: nam ſi talentum ejus loci putaſſet eſſe minus decem millibus drachmarum, non reſpondiſſet: οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, ſed οὐκ ὠνοῦμαι ταλάντου. fruſtra enim majorem ſummam appellaret, cum ipſa jam pæne duo millia drachmarum remiſiſſet. Quodſi hinc interpretandus eſt Livius, ubi tetradrachmis ſingulis ait eſſe trium fere denariorum pondus, fruſtra appoſuit τὸ *fere:* quod juxta ſane licet explicare de paullo majore quam paullo minore pondere: nam ſi exſtitiſſet hujuſmodi imaginaria drachma quinque obolorum Æginæorum, quæ denarium Romanum Attica drachma, ut volunt, graviorem æquaret; non *fere* iſtiuſmodi trium erat in

tetra-

tetradrachmo pondus, sed αὐτόπαλον· quindecim enim oboli Æginæi, quot nempe constarent istæ bellæ Corinthiæ drachmæ tres, prorsus Attici sunt quatuor & viginti oboli, quot habet tetradrachmum, non plus, non minus, si quidem drachma sex obolorum est. Male igitur subduxit rationem Petitus, cum ait tres drachmas Corinthiacas, quales fingit, puta quinque obolorum Æginæorum, facere quatuor tetradrachma Attica, & paullo plus. Unum immo tetradrachmum fecissent, si exstitissent. Equidem & ipse in hoc Livii loco scrupulum sentio: & potuit scripsisse, IV *fere denariorum*, quod in III degenerarit: potuitque Priscianus corrupto codice, ut alias quoque, deceptus esse: sed utcumque maneat cum scrupulo illud *trium*, tamen in illius gratiam universæ antiquitati oppedere & a tam commoda tamque bene constanti æstimatione recedere non possum. Ipsumque adeo Livium neque ab aliis veteribus dissentire probavimus ex loco de L. Scipionis litibus æstimatis, quem superius adduximus. Exploso igitur in commune illo singulari Achaico talento (quod Sardus faciebat drachmarum octo millium, Scaliger duodecim millium, Petitus octo millium trecentarum triginta trium obolorum duorum: adeo fabris ejus male conveniebat) revertamur ad Sardum. Vult Achaicum suum talentum esse drachmarum octo millium, idemque denarium senum millium, & scutatorum nongentorum octo libræ unius. Hoc est capram & hircum & hædum miscere: nam octo millia drachmarum scutati sunt octingenti, sena millia denarium scutati sexcenti, nongenti scutati drachmarum vel denariorum novem millia. Tria ista fictitia talenta Achaica, quæ Gellio impingit, faciunt ei denarium octodecim millia, sestertium septuaginta duo millia: hæc ipsa trium talentorum Atticorum, quæ quocumque jure *parva* vocat Priscianus, minarum sexaginta singula, summa est. At illa, quæ eidem *magna* dicuntur, Attica octoginta trium minarum in denariis habent viginti quatuor millia nongentos, in sestertiis nonaginta novem millia sexcentos: singula quippe octo millium trecentorum denarium vel drachmum, sestertium triginta trium millium ducentorum, scutatorum octingentorum triginta. Ille singula facit scutatorum DCCCLI, librarum duarum, solidorum quindecim: (nunquam enim rotundam summam facere potest) hæ sunt octoginta quinque minæ & octodecim fere denarii, seu octo millia sexaginta octo denarii vel drachmæ. Tria vero ejusmodi magna talenta Attica in sestertiis ait facere sexaginta sex millia septuaginta tantum nummos: hi sunt scutati mille sexcenti quinquaginta duo fere: cum debuisset secundum suam ipsius æstimationem efficere scutatorum duo millia quadringentos quinquaginta tres, HS. nonaginta octo millia centum decem nummos, & aliquid amplius. Jam tria talenta parva (quæ tamen Plauto *magna*) Attica sexaginta minarum constare ait ex quinquaginta quatuor milliibus sestertium, qui sunt mille trecenti quinquaginta scutati: sic igitur ipsum talentum facit octodecim millium;

lium; Senecam & Priscianum, qui viginti quatuor millium HS. fecerant, jubet plorare: & tamen nostra pecunia idem facit scutatos sexcentos octoginta unum, libram, solidos decem: quæ sunt sestertium viginti septem millia ducenti sexaginta sex nummi. Rhodium & Cistophorum talentum idem vult esse quod Atticum parvum, cum diserte distinguat Festus, & illa singula quatuor millium quingentorum, hoc sex millium denarium faciat. Ægyptium talentum *patere octoginta pondo* ex Varrone refert Plinius lib. XXXIII cap. III, ubi male *capere* substituit Budæus, & cætera discors statim arripuit Sardus: est enim eleganter dictum, & sæpe apud Senecam, *tantum patere, multum patere.* Quæ octoginta pondo sunt, inquit Sardus, drachmarum septem millia sexcentæ octoginta. Immo drachmarum vel denarium octo millia: nam in libram imputantur centum, in decem libras mille. Quam acute vero talentum nobis facit etiam Romanum ex Plauti Mostellaria? Sed stupor alicujus, qui Servium interpolavit, (nolim enim Servii ipsius dicere) eum decepit. Aureum Romanum, quem vocat Dionis, scutatorum facit quatuor, libræ, undecim solidorum, octo denariorum: qui tantum duos scutatos dimidiatum habet. Libra auri effecerit ipsi sestertios nongentos, scutatos quadraginta, solidos sedecim, quatrenos quatuor. Pari subtilitate. Romani libram auri æstimabant quatuor millibus sestertium, seu mille denariis: nongenti vero sestertii scutatos faciunt viginti duos dimidiatum: quadraginta scutati sestertios mille sexcentos. Cæterum in superioribus *magnum* & *parvum* talentum nuncupavimus de sententia Prisciani, qui cum videret Attico talento minas sexaginta vulgo statui, passim autem *magnum talentum* appellari meminisset, inventum Livii locum lib. & cap. XXXVIII, ubi Atticorum talentorum duodecim millia, quæ sint octoginta librarum, Antiocho imperantur, arripuit avide, hoc esse ratus illud talentum Atticum *magnum*, finxitque, quod nusquam apparet, *parvum* talentum minarum sexaginta. Sed hoc eliditur partim eo, quod *parvum* illud talentum omnibus antiquis est ignotum; partim quod *magnum* non octoginta, sed sexaginta minarum facit Plautus. Livius sane turbat, siquidem ita scripsit, ut vulgo habetur. Duæ sunt apud illum formulæ fœderis cum Antiocho, ambæ ex Polybio translatæ. Prior utrobique Euboicorum talentorum habet mentionem; minas vel libras non definit. Alterius hæc Polybius: Ἀργυρίου δὲ δότω Ἀντίοχος Ἀττικοῦ Ῥωμαίοις ἀρίστου τάλαντα μύρια δισχίλια ἐν ἔτεσιν ιβ΄, διδοὺς καθ᾽ ἕκαστον ἔτος χίλια· μὴ ἔλαττον δ᾽ ἑλκέτω τὸ τάλαντον λιτρῶν Ῥωμαϊκῶν π΄. Auctor igitur Livii Polybius talenta quidem octoginta librarum facit; non tamen ea dicit *Attica*, sed *Attici argenti.* Unde & apud Livium scribendum videtur: *Argenti probi Attici duodecim millia talentum dato intra duodecim annos. talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat.* Is modus non Atticorum, sed Ægyptiorum talentorum, ut testatur apud Plinium Varro. Scaliger *magnum talentum* dici censet Latinis, quod Græcis ἁδρὸν καὶ παχὺ,

quum necesse sit, si mina quædam fuerit παχεῖα, etiam talentum fuisse; non ideo tamen consequi, ullum talentum *parvum* dici debere. Et sane sic *masculum thus*, quum fœmineum non dicatur, apud Plinium XII, 14. Sic *tempestiva convivia*, cum intempestiva non dicantur. Sed illud Scaligeri ἁδρὸν ἢ παχὺ talentum item in quæstione est apud veteres, ut Prisciani *parvum*: nec si μισθὸς ἁδρὸς & παχεῖα δραχμὴ alicubi reperitur, necesse est hæc & talentis tributa fuisse. Non enim quævis Atticam excedens vocabatur παχεῖα δραχμὴ, ut vult Scaliger, qui & Achivam singularem cudit ex corrupto Hesychii loco, sed κατ' ἐξοχὴν Æginæa, idque Athenis. Præterea destruit hanc interpretationem Plautus in Rudente: *Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena*. Si *magnum* παχὺ, junguntur dissociabilia: nam *commodum*, ut ipse interpretatur ἄρτιον, justum, modicum, & nihil ultra. Sic *commodum* particula, quod aliis *tantum quod*. Petitus *magnum* putat argenti talentum, *parvum* auri, quum illud sexaginta minarum sit, hoc sexaginta drachmarum, tres stateras complectens. Huic valide obstat Virgilii

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.

Quicquid autem ille cornicetur, distinctionem mutando, Virgilius expressit Homericum,

Ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα.

Nec vero si tripodas aureos voluisset, *auri*, sed *auro* dixisset: ut lib. I. *Ære trabes*. Præterea cur Virgilius: *argenti magnum dat ferre talentum?* cur Plautus, *talentum argenti commodum magnum*, &, *sex talenta magna argenti*, si nullum erat *magnum*, nisi argenti? Vult Petitus illud auri talentum *parvum* etiam Diphilo appellari βραχύ τι τάλαντον, & Xenophonti μικρόν τι τάλαντον. Sed utroque loco, non necessario auri, sed argenti talentum intelligendum est vel cum Scaligero, cui aliquid deest, ut *curto centusse* Persio: vel cum Salmasio ipsum commodum, strictum, cui si nihil deest, certe nihil superest. Sic μέτριοι Hesychio μικροί. Sic idem: Ἡμιδιπλοΐδιον, ἱμάτιον μικρόν· οἱ δὲ ἀναβόλαιον γυναικεῖον σύμμετρον. Idem dicit σύμμετρον & μικρόν. Sic *modicum* & *mediocre* pro parvo. Virgilius: *laudato ingentia rura, Exiguum colito.* qui Horatio *modus agri non ita magnus*. Verba Seuthæ apud Xenophontem lib. VII ἀναβάσ. Ἀργύριον μὲν οὐκ ἔχω, ἀλλ' ἢ μικρόν τι, καὶ τοῦτό σοι δίδωμι, τάλαντον. Quæ depravat vir doctissimus scribendo: ἀργυρίου. quasi neget se habere argenti talentum, habere tantum breve quid talentum, scilicet talentum auri. Sic potuisset forte loqui, si antea talentum argenti rogatus esset: sed quum poscatur stipendia generatim, quis non videt ineptum esse sermonem: *argenti non habeo, sed parvum quid talentum?* Quo illud τι, si μικρὸν τάλαντον est quodvis auri? Recte vero: *argentum quidem* (id est, argenti copiam) *non habeo, præter commodum quoddam, quod tibi dono, talentum*. Emendationem suam putat probari responso Xenophontis: Γελάσας ὁ Ξενοφῶν εἶπεν· ἰοῦ οὖν μὴ ἐξαρκῇ ταῦτα εἰς τὸν μισθὸν, τίνος τάλαντον φήσω ἔχειν; Iocum, inquit, captat ex eo, quod

gignendi casu dixerat Thrax, ἀργυρίου τάλαντον. Sane frigidum, & nullius sententiæ. At τίνος dicitur intellectu τοῦ ἕνεκα ἢ χάριν. Si boves isti, oves, mancipia, obsides, non sufficient in stipendium, quo prætextu ego dicam me talentum accepisse? quomodo egentibus & iratis militibus purgatus ero talentum mihi auferens? Res ipsa clamat quod volumus. Quid igitur causæ fingemus justioris, cur talentum vocaretur *magnum?* Hactenus quidem nihil probabilius vidi, quam quod nunc ipsum mihi nascitur. Advertit me, *magna* illa *talenta* solos scriptores Latinos præferre; Græcis enim nec sunt ipsa, nec aliqua similis appellatio. Eo propius fidem est, Romanis id discrimen additum vocabulo, quod illis quam interiori & Asiaticæ reliquæque Europææ Græciæ viciniores Græcorum coloni id usurparent pro summa haudquaquam grandi: quibuscum quia frequens erat commercium, & consuessent nominare *talentum* pro pauculis nummis, ad significandam pensiorem illam summam, quod solum *talentum* noverant remotiores Græci sive auri sive argenti, *talentum magnum* dixere. Hi populi erant Neapolitani, Rhegini, Syracusani: quod ex Festo didicimus: *Talentum Neapolitanum sex denarium, Syracusanum trium denarium, Rheginum victoriati.* Et ne hoc miremur, accedit de mediis testis locuples Aristoteles apud Pollucem: τὸ μὲν τοι Σικελικὸν τάλαντον ἐλάχιστον ἴσχυε· τὸ μὲν ἀρχαῖον, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει, τέσσαρας καὶ εἴκοσι τοὺς νούμμους ἴσχυε, τὸ δὲ ὕστερον δυοκαίδεκα. Unde corrigendus Suidas: Τοῦτο ἦ τὸ τάλαντον τὸ νῦν λεγόμενον Ἀττικόν. Hic sistit oratio, significans, quod descripserat sexaginta minarum &c. esse, quod dicatur Atticum. Παρὰ Σικελιώταις τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν νούμμων κδ', νυνὶ ἦ ιβ'. Perperam editur: μνῶν κδ'. Quod & Scaliger vidit. Hoc primo noverunt Romani solum, utpote Italiæ aut proximis Italiæ incolis usitatum. At ubi cum aliis Græcis commercium esse cœpit, inveneruntque tanto majorem pecuniam ea nuncupatione finiri, ad vitandam ambiguitatem sexaginta minas Atticas *talentum magnum argenti*, sexaginta drachmas vel tres stateres *talentum magnum auri* appellarunt. Denique frequens usus horum & in vicinis locis cum potentia Romana recepta etiam pecunia mersit inque desuetudinem egit istam talenti pro minutiis usurpationem, mansitque ea vox sine alia adjectione pro amplioribus pecuniæ peregrinæ summis.

CAPUT IV.

Onuphrii Panvinii in Romana Græcaque & nostra pecunia æquanda calculi dispuncti. Denarius male statuitur XXIV *siliquarum & sexta pars unciæ. Prisciani locus intricatissimus explicatus & multorum errorum convictus. Non potest simul talentum sex millium denariorum & denarius quatuor scriptulorum esse. Tetradrachmum, quatuor, non trium denariorum pondere. Livii duobus corruptis locis deceptus Priscianus. Talentum magnum* LXXXIII *librarum & trientis explosum. Talentum, talentum Atticum, talentum magnum, eadem res, nempe* LX *minæ vel libræ argenti,* VI *millia drachmarum vel denariorum.*

Prisciani

Prisciani interpretatio verborum Livii rejecta. Minæ tempore Livii non nisi centum drachmis æstimatæ. Denarius decem, non quatuordecim; Sestertius binis & dimidio, non ternis cum dimidio bajoccis censendus. Appiani locus illustratus. Onuphrius & Panciro lus, quæ narrat Appianus de Ptolemæi Lagi thesauris & copiis, acceperunt de opibus Hadriani imperatoris. Τέσσαρες ἐπὶ ἑβδομήκοντα μυριάδες ταλάντων, *non septuaginta quatuor millia, sed septingenta quadraginta millia. Aliud Alexandrinum, aliud Ægyptium talentum.*

On. Panvinius, lib. III Comment. reipublicæ Romanæ, veteris pecuniæ summas interpretatur per easdem nostras, per quas Manucii. Denarium pependisse vult siliquas quatuor & viginti, hoc est, quatuor scriptula, ita ut sex denarii unciam complerent. Qualis si quando fuit, non fuit certe ex quo aureus primum percussus est Romæ, anno quasi sexagesimo postquam argenteus; atque adeo omni illo tempore, ad quod potissimum veteris nummi, quam tentamus, æstimatio pertinet. Testatur Plinius scriptulum auri tum *sestertiis vicenis* esse taxatum. Si denarius ejus ævi quatuor scriptulorum fuit, enorme hoc pretium est auri præ argento, quippe bis decuplum. nam sestertium ea ratione scriptulum argenti habuisse necesse est, quum quatuor sestertiorum pondere esset denarius. At si denarium, ut debemus, facimus trium scriptulorum, sestertio dabimus scriptuli dodrantem. Sic viceni sestertii confecerint quindecim argenti scriptula. Et ita proportio auri ad argentum fuit quindecupla: quæ brevi post majore copia auri Romam translata ad imitationem Græcæ facta est decupla. Panvinius sic tradere Priscianum ait, & semet ipsum expertum esse. Priscianus mirificas tricas nectit: itaque huic & loco ejus & libro jampridem subdiffidere cœpit Budæus. Sed necessarium videtur omnia illius loci vitia denudare, ut in posterum viri docti hoc auctore uti desinant. Primum ex Livio Polybium vertente probat talentum habere sex millia denariorum. Quod Festus, vel potius Verrius Flaccus, *Atticum* esse ostendit, non *Achaicum*, ut alii voluere. *Talentorum*, inquit, *non unum genus. Atticum est sex millium denarium.* Perinde nimirum, ut Atheniensibus dicebatur senum millium drachmarum. Mox subjicit Priscianus, denarium illo tempore fuisse XXIV *siliquarum.* Hoc si verum, concidit prius. nam XXIV siliquæ faciunt quatuor scriptula, & sunt sexta pars unciæ: at drachma siliquarum octodecim est, trium scriptulorum, & unciæ pars octava. Mina ut centum drachmis, ita trecentis scriptulis constat. At si denarius quatuor scriptulorum est, mina septuaginta quinque denariis censeatur oportet; sexaginta minæ, quot sunt talenti, quatuor millibus quingentis, non sex millibus denarium. Hæc nunquam conciliabit Priscianus; nunquam qui hæc ejus omnia approbant. Conatur tamen ex Livio confirmare denarium esse quatuor & viginti siliquarum: hoc est, Livium sibi contrarium reddere. Verba Livii: *Trium fere denariorum in singulis* tetradrachmis *argenti est pondus. Vide*, inquit Pri-

ſcianus, *quod quatuor drachmæ ſunt ſeptuaginta duæ ſiliquæ. Diximus enim ſuperius, quod tres ſcrupuli, quorum ſinguli ſex ſiliquas habeant, drachmam faciunt. tres autem denarii idem habebant, id eſt,* LXXII *ſiliquas.* Sic progreditur. Drachma trium ſcriptulorum, ergo duodeviginti ſiliquarum. quater duodeviginti ſunt ſeptuaginta duo. Eundem numerum efficiunt ter viginti quatuor. Si ergo denarius quatuor ſcriptulorum, tres denarii prorſus totidem ſiliquæ quot quatuor drachmæ. Cur ergo *fere* dixit Livius, ubi nec plus nec minus? Quicquid machinentur, non potuit ſcripſiſſe Livius aliter quam, IV *fere denariorum.* quod jam Budæus monuit. Omnis ſupputatio veterum hoc jubet, quæ drachmam denario, & ſic tetradrachmum quatuor denariis, comparat, negligens, quod nonnulli ſeptimam unciæ partem denarium facerent: quorum tamen aliqua cum reverentia Livius addidit hic *fere.* Cæſarienſis Grammaticus qui tot tam graves denarios commune talentum (quod Atticum ſive ſex millium drachmarum ſemper ſignificant Græci & Latini, quoties nullum ei alterius gentis cognomen apponunt) excedere videbat, confingit nobis talentum omni antiquitati ignoratum, octoginta trium librarum & trientis: quod etiam intelligi vult, quoties *talentum magnum* appellatur. *Idem Livius,* infit, *oſtendit magnum talentum Atticum octoginta habere libras, & paullo plus, quum ſupra dictorum computatio manifeſtet* LXXXIII *libras & quatuor uncias habere talentum, quod eſt ſex millia denariorum.* Hanc computationem ſic accipit Budæus, cum unumquodque talentum ſex millia denariorum penderet, octo quoque millia drachmarum pependiſſe ratione prædicta. Hæc octo millia ſi in centenarios partiaris, LXXX utique libras centenarias habebis. Atqui cum libra antiqua, quam Livius ſecutus eſt, drachmarum fuerit VI & XC, ſupererunt quater octoginta drachmæ, id eſt, trecentæ & viginti: ex quibus ratione dicta tres libræ conficiuntur, & inſuper tertia pars libræ, id eſt, duæ & triginta drachmæ. Ita in talenta ſingula ternæ libræ cum triente tribuuntur ultra LXXX libras. Sed libram illam XCVI drachmarum Livium ſecutum eſſe, aut id velle Priſcianum, nullum apud utrumvis veſtigium eſt: & ſimplicius ſic mens Priſciani colligitur. Denarium fecit quatuor ſcriptulorum: ſunt autem viginti quatuor ſcriptula unius unciæ: ergo ſex denarii ejuſdem unciæ: ergo unciarum duodecim, hoc eſt, libræ LXXII denarii. Porro octogies ter ſeptuaginta duo gignunt quinque millia nongenta ſeptuaginta ſex: cui numero ſi addas viginti quatuor denarios, qui exiſtunt hac ratione ex quatuor unciis libræ, completur numerus ſex millium denariorum. Miror ingenium ἐξ ἀπόρων invenientis πόρον, & falſum falſo accumulantis, ut ei ſpeciem & convenientiam veritatis addat. Primo *talentum magnum octoginta librarum & parvum ſexaginta minarum* ſomnium eſſe Priſciani, &, quem ille ſibi ſocium jungit, Dardani, oſtendimus. Plautus *ſexaginta minas* vocat *talentum magnum. Parvum* talentum non viſum eſt faciundum antiquis ut dice-

dicerent. Sed illud, quod interdum *talentum*, interdum *Atticum talentum*, interdum *talentum magnum* vocant, minarum ſexaginta, etiam ſex millium denariorum eſſe, manifeſtat non iſta nova & inſolentiſſima computatio LXXXIII librarum, ſed quod idem Græcis eſt ſex millium drachmarum. Livius ſcribit *quingenos denarios* in capita liberandorum publice qui ſervitutem in Græcia ſervirent, Romanorum ſtatutos: Plutarchus πέντε μνῶν ἕκαστον ἄνδρα redemtum: uterque haud dubie ex Polybio. Hi ergo ſic rationem ſubduxerunt, ut in quinque minis numerarent denarios quingenos, drachmas quingentas in quinque libris Romanis; atque adeo libram argenti agnoſcerent eandem quam minam, centum denariorum vel drachmarum; non alteram centum aut LXXV drachmarum, alteram LXXII denariorum. *Talentum* quoque quum indefinite & Livio & Polybio appellatum fuerit, finitum ſex millibus drachmarum vel denariorum accipere non dubitamus, & *centum talenta* Achæis expenſa, ſexcenta millia drachmarum vel denariorum. Tamen ad talentum illud octogenarium probandum in ſubſidium venit Livii lib. XXXVIII locus: ſed qui & ipſe magis Criticum quam Grammaticum requirebat: ita corruptus Priſciani ſententiam corrupit. Livius enim Polybii imitator & interpres *Atticum* illic non appellaverat *talentum*, ſed *argentum*; talenta autem octoginta librarum intellexit Ægyptia: cum Syris enim agebatur, & horum talentorum uſum in Syria tam vicina Ægypto frequentem fuiſſe omnia ſuadent. At ecce iterum acumen Cæſarienſe. Livius: *Talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. Id eſt*, ait, *ſic decrevit ſenatus, ut non plus quam ternæ libræ & quaternæ unciæ deſint ſingulis talentis.* Quis audivit unquam ſimile decretum? aut quæ ratio movebat ſenatum, ut in ſingula talenta pateretur ternarum librarum trientis, hoc eſt, mille CCCXXXIII ſeſtertium nummum, intertrimentum? Conceſſum hac conditione Antiocho, quemadmodum iſte vult, ut de ſingulis talentis liceret decerpere tres libras trientem, de binis ſex libras beſſem, de ternis decem pondo, de ſenis viginti, de duodenis quadraginta, de vicenis quaternis octoginta, hoc eſt, talentum ejuſmodi unum; de centenis talenta quatuor & tredecim libras cum triente: de millenis igitur quadraginta unum & XXX libras, de duodenis millibus quadringenta decem talenta & trecentas libras, quæ forent viginti libris minus talenta quatuor. Quam difficile erat pro duodenis millibus, cum tanto intertrimento in formula fœderis expreſſo, juſta ponere magna (ſi diis placet) talenta undecim millia ſexcenta? vel quingenta octoginta ſex? Pergit inſanire: *Et ſciendum eſt, quod ſecundum Livii computationem, centum minæ, quarum ſingulæ* LXXV *drachmas habent, faciunt talentum magnum.* Quod potuit eſſe futilius tot nugarum complementum? Evaneſcit hic, ut video, talentum magnum octoginta minarum, quod hinc acceptum paſſim inculcant, & fit minarum centum, quæ ſingulæ conſtent LXXV drachmis. At, o bone, *minas* nec Livius nec quiſ-

quam

quam Livio æqualis intellexit alias quam drachmarum centum. Præterea si tres denarii faciunt tetradrachmum, triginta denarii facient quadragenas drachmas, trecenti quadringenas, tria millia denarium quatuor millia drachmarum: ea duplicata, ut sint sex millia denariorum, requirunt octo millia drachmarum. Hæ sunt octoginta minæ, singulæ centenum, non septuagenum quinum drachmarum. At centum minæ, singulæ excurrentes non ultra drachmas LXXV, omnes faciunt septem millia quingentas drachmas. Ita hæc quoque superioribus repugnant. Hinc manifestum, quam malum hujus rei auctorem, tanquam unice audiendum sibi proposuerit Onuphrius. Quum igitur tam gravem fecisset denarium, quatuordecim illum bajoccis æstimavit, quem denis debuisset, sestertium tribus & dimidiato, quem binis cum dimidiato justum erat: sic sestertios triginta centum bajoccis composuit, qui quadraginta nummos trahunt, decem denarios: sic aureo scutato dat sestertios triginta tres trientem, hoc est, denarios octo & quadrantem paullo plus, qui decem denariis, XL sestertiis æquiparandus: sic centum sestertiis scutatos aureos tres comparat, qui non ultra duos dimidiatum producendi. Et idem tamen mox *sestertium* in neutro genere eandem proportionem ad libram Romanam, quæ & *mina* & *pondo* dicatur, habere adfirmat, quam nummus sestertius ad assem seu libram æris gravis: continere enim in se sestertia singula libram Romanam (voluit dicere, duas libras Romanas) & semissem, singulas libras autem drachmas vel denarios centum, sestertios quadringentos: ita ut duæ libræ & dimidia valuerint sestertios nummos mille: quod uno nomine *sestertium* neutro genere dictum sit. Hæc vera sunt: sed quam vera, tam discordantia cum illis, quæ cœperunt institui, ubi denarium sextam unciæ, & sic libræ septuagesimam secundam, non centesimam, partem esse decrevit. Thesaurum Romani imperii sub Hadriano Cæsare ait poni ab Appiano Ægyptiorum talentorum quatuor & septuaginta millia. *Talentum Ægyptium* putat idem esse quod *Alexandrinum* apud Festum duodecim millium denarium, (quamquam diversa hæc esse ostendant Varro & Plinius, Ægyptii numerum tertia parte minorem facientes) octo & quadraginta millium nummum sestertium, nostræ pecuniæ mille ducentos aureos sive scutatos. Ille mille CCCCXL facit, summam vero omnem XCI auri milliones, C & LX millia aureos coronatos, ut loquitur. Cujus summæ unum & nonaginta milliones antea reddiderat vicies septies millies sestertium, quum sit tricies sexies millies quadringenties. At Alexandrinorum talentorum LXXIV millia, in denariis ὀκτὼ μυριάδες μυριάδων, ὀκτακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι μυριάδες, octies millies octingenties octogies centena millia denarium, in nummis tricies quinquies millies quingenties vicies sestertium, sunt nostrorum octingenties octogies octies centena millia coronatorum, milliones octoginta octo cum dimidiato & insuper trecentis millibus. Peccat hic & alia,

alia, quæ quia cum Pancirollo habet communia, illius ſententiam referemus, priuſquam illa coarguamus. Appiani verba in procœmio ſunt: χρημάτων δὲ ἐν τοῖς θησαυροῖς τέσσαρες καὶ ἑβδομήκοντα μυριάδες ταλάντων Αἰγυπτίων. Ex quibus & Pancirollus ad Noticiam imperii annotat, in theſauris Hadriani Imp. fuiſſe talentum Ægyptiorum, quæ ſint octogenum pondo, ſeptuaginta quatuor millia: itaque ſtatuendo quinquaginta ejus temporis aureos pro libra, colligere hanc ſummam xxx, ut vocant, milliones. Sed error eſt ſtupendus & multiplex. Primum Appianus non loquitur de theſauris Imp. Hadriani, ſed Ptolemæi ejus, qui princeps hoc nomine poſt Alexandrum in Ægypto regnavit. Nam quum dixiſſet Macedonum imperium ſub Philippi filio florentiſſimum fuiſſe, ſed perbreve, ita tamen, ut ejus in plures dominatus diſtracti portiones retinuerint priſtinum ſplendorem, ſubjungit: Καὶ τοῖς ἐμοῖς βασιλεῦσι μόνοις ἦν στρατιά τε πεζῶν μυριάδες εἴκοσι, καὶ μυριάδες ἱππέων τέσσαρες. Quæ peſſime reddidit Onuphrius: *Noſtris temporibus, & quidem ſolis Romanis, copiæ ingentes adſunt, peditum ducenta, equitum quadraginta millia.* Καὶ τοῖς ἐμοῖς βασιλεῦσι, dicit Appianus: nam quum eſſet Alexandrinus, *ſuos* vocat, qui habuerant Alexandriam Ægypti regiam. Unde inferius: Ἐς γὰρ δὴ τοσοῦτο παρασκευῆς τε καὶ στρατιᾶς ἐκ τῶν βασιλικῶν ἀναγραφῶν φαίνεται προαγαγών τε καὶ καταλιπὼν ὁ δεύτερος Αἰγύπτου βασιλεὺς μετ᾽ Ἀλέξανδρον. Quam frigidum autem & inane apud Onuphrium illud, *& quidem ſolis.* At μόνοις addidit Appianus, ut illos ſepararet ab illis, qui Alexandro alibi, in Aſia, Thracia, Macedonia ſucceſſerunt. Hinc mox: Φαίνεται δὲ καὶ πολλὰ τῶν ἄλλων σατραπῶν οὐ πολὺ τούτων ἀποδέοντα. Deinde aurei tempore Hadriani non quinquaginta, ſed quadraginta Romani ſunt in libra ſtatuendi, longeque alia exoritur ſumma. Talentum Ægyptium ſane LXXX minas Varro facit, octingentos coronatos, ut Atticum eſt LX minarum, ſexcentorum coronatorum. Decem igitur talenta Ægyptia, DCCC minæ, octo millia coronatorum. Centum, octo millia minarum, coron. octoginta millia. Mille, LXXX millia minarum, cor. octingenta millia. Decem millia talentum, minarum octingenta, coron. octogies centena millia. Ergo LXX millia talentum Ægyptiorum, quinquagies ſexies centena millia minarum, (nam ſepties octo ſunt LVI) quingenties ſexagies centena millia coronatorum: LXXIV millia, quinquagies novies centena & viginti millia minarum, quingenties nonagies bis centena millia coronatorum. Qui ſunt LIX milliones & CC millia coronatorum, ſeſtertium vicies ſexies millies & octogies, aureorum Romanorum ducenties ſexagies centena & octoginta millia. Denique multis partibus majorem ſummam deſignat Appianus, quam Panvinius & Pancirollus conceperunt. Septuaginta quatuor millia talentum ſunt ἑπτὰ μυριάδες καὶ τετρακισχίλια. Ille vero ponit τέσσαρας καὶ ἑβδομήκοντα μυριάδας· hoc eſt, ſeptingenta quadraginta millia. nam δέκα μυριάδες, centum millia. Hi ſunt milliones quingenti nonaginta duo, coronatorum quinquies millies nongenties vicies centena millia,

sestertium ducenties tricies sexies millies & octingenties, aureorum Romanorum bis millies trecenties sexagies & octingenta millia. Illud Onuphrii laudare debeo, quod Varronis locum, de quo lib. I cap. III cum Hotomanno & Ciacconio nobis controversia fuit, recte accepit. Ita enim scribit: „Veteris consuetudinis fuit, ut semis in compositione anteponeretur, ut semis „quartus, semis quinctus, semis tertius, unde sublatis duabus literis dictus „est sestertius. Quod tamen ego non prius cognovi, quam ipsius libri mihi copia fuit, hoc est, quum duo priores libelli nostri jam typis descripti essent. Tum demum & hoc caput raptim interjecimus. Interea & idem, qui Pancirolli, fuit error Bodini & Degorei Wear method. legend. hist. sect. 18 pag. 98.

CAPUT V.

G. Agricolæ taxatio veteris nummi subtilitate peccans. Decem millia, decies sestertium, mina, libra Romana, quot unciales sive Thaleri. Stateres aurei in commune didrachmi. Budæus a Rualdi reprehensione defensus. Mina Æginetica CLXVI *drachmarum Atticarum. Denarium diurnum numquam habuit stipendii miles Romanus. Decem asses minus tetrobolo. In Ciacconio quædam notata. Neronem imminuisse pondus denarii dicitur confidentius quam probatur. Maravedis Hispanus, quadrans Romani assis, ratione æris, quod in Hispania valet argentum denarii, non quod olim Romæ fuit in asse: itaque denarius quadraginta maravedium etiam, cum sedecim assium. Talentum Atticum non* XXI, *sed* XXIV *sestertia.*

De G. Agricola hoc etiam loco dicendum aliquid, & anceps tamen est pronuntiare. Pæne Nemesin vereor: ita nemo istarum rerum peritior: nemo in metallorum, ponderum, mensurarum intellectu justius sibi regnum vindicarit. In nummis quoque antiquis pensitandis quamvis diligens & exactus est. Sed quo tam exactus? *Non amo nimium diligentes,* aiebat censor ille. At hujus est dicere cum Menæchmo Plauti: *conditiones tetuli tortas, confragosas.* Quippe qui nimia subtilitate eo rem perduxerit, ut in tot summis concipiendis ne unam quidem rotundam facere potuerit. Ubique pompa secutuleja uncialium, dein semuncialium, postea duodenariorum, tum duplorum, atque, ut nihil desit, etiam simplorum: vix uno spiritu enunties: singula æra hoc syrma ventilant æris excurrentis. Nolim dicere, hanc ostentationem esse: certe potius deterrere est atque ad desperationem adigere studiosos, ne quisquam, quid velint veteres, intelligere se postulet, quam ad intelligendam illorum pecuniam per nostram cuiquam animum ac disciplinam dare. Neque ad docendum aptæ sunt hæ subtilitates: acerbissimos forte collybistarum & monetalium juvare possint, ne in permutandis, si contingat, veteribus nummis quis lucri sinus illos effugiat. Nos tamen neminis industriam contemptam aut metis nostris circumscriptam volumus: dummodo hoc ab æquo lectore impetremus, ne specie illa curæ obstupefactus nostram illam simplicem crassamque, sed antiqui moris rationem improbet

aut ex

aut ex suspicione condemnet. Ille quidem, ut hanc viam, ærumnam mon-
„ stranti, fastidium discenti, insisteret, calumnia sibi imperavit. Ut licuerit,
„ inquit, oratoribus & historicis interdum non accurate aliquam pecuniæ
„ summam exponere, sed Græcis dicere ἔγγιστα, Latinis *fere* vel *ferme*, *ad* vel
„ *circiter*; nobis, qui pretia veterum monetarum æstimamus, non licebit. Quid ita? aut quis tam duram vobis legem imposuit? Immo ipse ab sese hoc exegit, quia se assequi posse putabat. An assequutus sit, ignoro: neque explorandi causa in crudissimum pistrinum me conjicere volo: hoc scio, neque in vorsanda mutandaque pecunia quemquam unquam rationem tam sollicitam iniisse, neque in ullo genere nummorum, si descendatur ad has atomos, generatim quid statui posse, quum vix duæ, utique grandiusculæ, ejusdem exempli formæ reperiantur omnibus minimis partibus ita pares. *Decem millia sestertium* taxat uncialibus CCCLXIII, uno semunciali, tribus duodenariis, uno duplo, uno simplo. At nobis sufficiebat unciales esse trecentos, ut CCL coronatos. *Decies sestertium* est illi triginta sex millium trecentorum sexaginta trium uncialium, semuncialis unius, duodenariorum trium, dupli unius, simpli unius. Illi minor labor, nobis minus tædium, si satis habuisset dicere esse triginta millia uncialium, ut XXV millia coronatorum. *Mina* argenti *Attica* in nostro signato illi facit duodecim unciales, unum semuncialem, octo duodenarios, octo duplos, unum simplum: *libra Romana* æstimatur drachmis Erphurdanis XCVII, ac quinque & viginti drachmæ quartis & tricesimis partibus, atque quinque unius quartæ & tricesimæ octavis, qui sint unciales duodecim & duodenarii quinque. At spem proficiendi reliquisset nobis, si dixisset utramque unciales duodecim, coronatos decem accedere. *Vetus stater aureus Atticus*, in quo fuerit argenti pars quinquagesima, illi taxatur aureo Hungarico & momentis LX, & quinque momenti octavis & quadragesimis partibus: *vilior stater* item *Atticus*, cum quinta portione argenti, aureo Hungarico atque octo & triginta aurei Hungarici momentis, & duabus momenti tertiis: super hoc tertius *stater Græcus & externus*, cum quinquagesima etiam argenti portione, pendens Atticas drachmas duas, obolos duos, siliquas duas, duobus aureis Hungaricis, & duobus ac viginti aurei Hungarici momentis & octava momenti parte. Hæc cuncta veteres ignorant, contenti docuisse nos stateres Atticos, Crœsios, Daricos, Philippeos fuisse didrachmos: nituntur autem potissimum fundamento valde lubrico, ἡμιέκτῳ puta Cratetis: de quo præcedenti libro egimus. Atque ejusdem modi sunt omnia: quæ singula si cui ad trutinam juxta morosam experiri vacet, næ ille multiplicem diffidendi ansam sit habiturus. Nam si vix error vitatur, quum de his quid παχυμερέστερον adfirmatur, quantæ est aleæ tam minutim & circumscripte per tantam caliginem visa definire? Sed tamen magnis viris indulgendum, ut interdum animo morem gerant, arduis obluctentur, Isthmos perfodiant, ultra spem conentur: præterea licuit Agricolæ, ut

 libero

libero cuivis, otio suo & consilio uti. Quis autem ferat Rualdum, Plutarcho quidem & Appiano & Dioni e Græcis, e Latinis Q. Curtio & A. Gellio ignoscentem, quod ad alia festinantes denarium & drachmam ἰσοδυνάμους fecere; Budæo vero apud graves rerum æstimatores nullam spem veniæ relinquentem, quod hoc ab illis discere, quam ob hoc cum illis vitilitigare maluerit? At venia petenda est ipsi, qui neget Plutarchum *sexagies sestertium* recte reddidisse ducenta quinquaginta talenta; qui in aureum solidum conferat duodecim drachmas Atticas, decem paullo minus denarios? quo loco cavere non potuit, quin scriberet ipse leves minutias ad computandi commoditatem negligi oportere. Budæo consilium fuit, quod & nostrum est, ea tradere, quæ facerent ad faciliorem tractationem veterum auctorum, & servirent potius Minervæ & Musarum quam Junonis Monetæ officinis. Quod quidem illi tam feliciter expetivit, ut nec ante illum quisquam ad hanc summam processerit, & nunc quoque potuisse tantam lucem e spississimis tenebris cujusquam opera existere sit miraculo. Ergo ille, in quod maximam partem, immo omnes, etiam illos, qui alicubi videbantur intercedere, in his rebus, quibus aut æquales fuerunt aut proximi, consensisse animadvertebat; quod vitam & usum populi Romani totque nationum Romani juris sanxisse cognorat; quod examine diligenti multorum omnis ævi nummorum, hoc est, quoniam in eo maxime exsultant, & ante Cæsares & post illos validiores multis tempestatibus percussorum, deprehenderat; quod denique tot genera loquendi, ab uno illo principio defluentia, eoque sublato omni ratione carentia, requirebant; secundum illud sententiam dedit, haud ignarus minutæ quorundam, & ob id ipsum ab hac ratione remotæ acerbitatis: & cum omnis operæ suæ, tum hujus judicii, non veniam, sed gratiam, apud graves rerum æstimatores vir gravissimus exspectat. Sed ne abeamus ab Agricola, illud quoque ejus probare non possumus, quod *minæ Æginetica* pretium facit duodecim unciales, unum semuncialem, quinque duodenarios, duos duplos, unum simplum: quod idem paullo ante Atticæ fecerat: & mox *talento Æginæo* attribuit unciales MCCLXXII, semuncialem unum, duodenarios quinque, duos duplos, simplum unum. nisi tamen hic librariæ operæ peccaverunt. Etenim mina Æginæa perinde differebat ab Attica, ut drachma & talentum. Itaque quia Æginæa drachma decem habet obolos Atticos, sex Ægineticæ drachmæ decem drachmas Atticas, decem drachmæ sedecim Atticas cum quatuor obolis, sexaginta centum; necesse est minam Æginæam fecisse CLXVI drachmas & quatuor obolos, qui respondent nostris uncialibus viginti: talentum vero decem millia drachmarum, hoc est, mille coronatorum, mille ducentos unciales. Romani peditis stipendium in universum fuisse statuit asses decem. pro quibus quamdiu denarium acceperint, quod ei pondus esset drachmæ Atticæ & dimidiæ primum, dein drachmæ unius & septimæ ejus

partis,

partis, diurnum militis Romani ſtipendium longe ſuperaviſſe ait id, quod vel Perſæ vel Græci dederunt. ſed ut tunc præſtitit aliis omnibus, ita poſteaquam aſſes facti ſunt ſemunciales, & XVI valebant denarium, nec amplius pro decem aſſibus dabatur denarius, non multum exceſſiſſe tetrobolum. At decem aſſes non fuere ſtipendium militis ante Julium Cæſarem. itaque nunquam miles ejuſmodi denarium diurnum habuit: non modo quia nunquam denarius eo pondere fuit, ſed etiam quia ante Julium quini tantum aſſes erant, ab Julio deni, ab Domitiano XIII triens. Quam veroſimile Romanos modica etiam tum & publica & privata pecunia militi ſtipendium amplius dediſſe quam Græcos & Perſas auro circumfluentes? Quam veroſimile opibus publicis & privatis creſcentibus ſoli, per quem maxime creverant, militi ſtipendium tam notabiliter decreviſſe? Nec vero poſtquam decem acceperunt aſſes, illud ſtipendium non multum exceſſit tetrobolon: ſed tetrobolo etiam minus fuit: nam quatuor oboli ſunt decem aſſes & duo trientes, quum, ut ſuperius demonſtratum eſt, obolus reſponderet duobus aſſibus cum ſemiſſe & ſextante. Porro ex illis, quorum oculos perſtrinxit Agricolæ ἀκριβολογία, facile princeps P. Ciacconius duo facit genera denarium, unum juſto pondere, qui ex argenti uncia fierent ſeptem, dum ſtabat reſpublica; alterum levius, qui octo fierent ex uncia, drachmis Atticis æquales, imperante Nerone percuſſos: ſcriptores autem, ait, quos habemus plures illo vixiſſe tempore, aut de illo locutos, quo ex puro argento & juſto pondere denarii eſſent. Sed de mutato denarii pondere ſub Nerone ſuſpicio eſt docti viri nullo veteri auctore nixa, exortaque partim ex Agricolæ hariolatione, qui modo ſub Claudio, modo ſub Veſpaſiano id accidiſſe opinabatur, partim ex Budæi conjectura ad verba Plinii lib. XXXIII cap. III. ubi enim vulgo habetur, *minutiſſimus vero ad* XLV: Budæus, *minutiſſime Nero ad* LV. Mihi omnem illum locum differre tutius viſum, donec in eo magis mihi ſatisfaciam. nam nec ad explicandum aut reſtituendum eum ab ullo alio veterum ſubſidia, & quæ nuper viri præſtantes ſunt conati, libentius rejicias, quam quidquam ex illis eliges. Interim ſi admitteremus Budæanum *Nero*, de ſolis aureis egit Plinius: adeoque his ipſis verbis ſuſpecta fit Ciacconii ſuſpicio: neque enim ſiluiſſet Plinius, cum pondus aureorum mutatum ſub Nerone narraret, de argenteis nummis, ſi detractum aliquid ejuſdem fraude illorum ponderi juſto eſſet. Quod ſubjicit Ciacconius, qui ſuperſunt complures veterum egiſſe aut illo aut de illo tempore, quo gravior obtinebat denarius, eo ipſo traducit antiquos omnes, tanquam ponderis pretiique pecuniæ ſuæ ignaros, qui denario uterentur drachmam excedente, & tamen ſemper δραχμὴν *denarium* & *denarium* δραχμὴν reddiderint, & ex hac credita falſo, ut ille velit, æquabilitate ſeſtertios etiam male ad Græcorum, talenta ad Latinam pecuniam redegerint. Porro denarii gravioris argentum, quod Romani æſtimabant decem libris æris, valere in

Hiſpania maravedes ait quadraginta, quemadmodum ab origine denarius idem quadraginta erat quadrantum gravis æris: ſic aſſi comparat quartonem Hiſpanicum continentem quatuor maravedes, dupondio octo, ſeſtertio decem, ſemiſſi duos, quadranti unum maravedes. Convenitque quod vulgo maravedem (morapetinum vocat Ciacconius) Italice interpretantur quattrinum: is enim quarta pars bajocci: & hi eodem numero Julium complent, quo primi aſſes denarium. At videtur oblitus ſui, cum ſtatim addit, poſtquam imminuere pondus aſſis Romani, feceruntque illum ſextantarium, ſic ut denario permutarentur unciæ viginti ſignati æris; ex eo tempore accreviſſe denario maravedes ad ſex & quinquaginta, ut aſſi paullo minus ſex maravedes veniſſe, dupondio quaſi duodenos, ſeſtertio quaſi quinos denos, ſemiſſi tres, trienti duos, quadranti unum cum dimidio, ſextanti unum. Quidni enim mirum ſit, pecuniam denum æris, quum aſſes libram penderent, fuiſſe maravedium quadraginta; rurſus eandem pecuniam denum æris, quum duas uncias penderent aſſes, fuiſſe maravedium ſex & quinquaginta? Si enim propterea denario adſignantur quadraginta maravedes, quod decem libras æris valeret, nunc tantum ſex maravedium & beſſis erit denarius: tanti enim æſtimarentur tum viginti unciæ, ſi ſinguli maravedes, perinde ut quadrantes, pro tribus unciis valerent. Sin autem non propter decem aſſes libriles denario conferuntur quadraginta maravedes, ſed quia argentum denarii Romani valet hodie in Caſtilia maravedes quadraginta, id quod ipſe in ſuperioribus proximis adfirmavit; iſte numerus, quæcumque demum in aſſibus mutatio contigerit, denario perpetuus eſt, neque augeri minuive poteſt aſſium pondere aut numero, quo denarium faciebant, variato. Non ſecus atque decem bajoccos Romanos hodiernos æquiparamus denario, quia totidem habet Julius, cui denarius congruit: & quicumque denarius, ſive dena æris ſive decem aſſes ſextantarios, ſive plus minuſve valuit, non ideo bajoccis amplius numero decem cenſetur. Pergit Ciacconius, poſtquam Q. Fabius Maximus dictator aſſes fecit unciales, & ſenis denis permutatus denarius, tum exſtitiſſe eandem fere inter æs & argentum proportionem, quæ ſit hodie in Caſtilia: quippe ſedecim uncias Romanas, quæ ſint Hiſpanæ quindecim, valuiſſe ab eo tempore quadraginta quinque maravedes. Atqui ne tum quidem plurium pauciorumve maravedium factus credi debet denarius: ſed maravedis, qui eſt manetque quadrageſima pars denarii, & in aſſe quadrantis rationem habuerat, dum pro decem aſſibus ambulat denarius, jam poſtquam ſenos denos valet denarius, triente & paullo plus tribus ſicilicis eſt cenſendus. Quadraginta enim trientes ſunt tredecim aſſes cum triente: reſtant octo trientes ad integros ſedecim aſſes, quæ ſunt unciæ duæ & triginta, ſemunciæ quatuor & ſexaginta, ſicilici centum viginti octo: nunc adde quadraginta trientibus ter quadragenos ſicilicos, habebis octo trientes, & ſic ſedecim aſſes, minus octo ſicilicis ſeu duabus unciis. Deni-

que

que lege Papiria ſemuncialibus aſſibus percuſſis, quum denario tantum octo permutarentur æris unciæ in ſedecim aſſes conflatæ, quæ tamen pecunia tantundem valebat, quam olim decem libræ; putat Ciacconius æs, quod tum comparabatur denario iſti juſto ac legitimo, in Hiſpania facere viginti duos maravedes cum dimidiato: ſic aſſem fuiſſe duorum maravedium paullo plus, dupondium quartonem, ſeſtertium quinque maravedium, ſemiſſem unius: ſin fuerit alterius generis denarius ex illis, qui tantum drachmam penderent, tum triginta quatuor ei maravedes attribuendos. Sed pari ratione aſſe ad ſemunciam redacto, ne tum quidem maravedium numerus in denario poteſt dici mutatus, quia quadraginta maravedes illi olim decem libris æris comparabantur, non quod proprie & perpetuo tantum eſſet libra æris quantum quatuor maravedes, ſed quod quatuor maravedes ſint decima pars denarii Romani in Caſtilia: eadem autem decima pars denarii in ære Romæ olim erat libra æris. Denarius igitur eſt menſura, ſecundum quam plus aut minus æris Romani ſignati habet maravedis: non æs Romanum menſura eſt, juxta quam plures paucioreſve maravedes habebat denarius. Maravedis, qui erat quadrans libræ æris, non qua libræ, ſed qua aſſis & decimæ partis denarii, quum as eſſet libram pondo; idem manſit quadrans aſſis ſextantarii, ſiquidem hi quoque decem, ut antea decem libræ, non plures, perfecerunt denarium: at uncialium ſemuncialiumque quia ſenos denos hos valebat aſſes denarius, maravedis tanquam denarii pars quadrageſima non potuit manere quadrans, ſed factus eſt triens tres ſicilici utriuſque generis. Hic illud poteſt mirum videri, quod denarii dicuntur eſſe quadraginta maravedes, & idem tamen comparatur Regali Caſtilienſi, qui tantum XXXIV dicitur valere maravedes. Ciacconius quidem duo genera denariorum faciendo alterum XL, alterum XXXIV maravedium rem ſibi expedire videtur. Sed nos non niſi unum agnoſcimus drachmæ æquale: ſi qui graviores fuerunt, neque diu id pondus ſervarunt, neque quo tempore mutatum ſit, ullum veſtigium in antiquis exſtat: eorum denique apud ſcriptores priſcos οὐ λόγος οὐδ᾽ ἀριθμός. Neceſſe eſt igitur aut Regalem Caſtulonenſem aliquando XL maravedium fuiſſe, idque poſtea quacumque ratione mutatum, ut minore numero in regalem incurrerent: aut minus accurate facere ſcriptores, qui maravedem docent ipſam eſſe denarii quadrageſimam partem, ut eorum aſſium, qui decem denario contra cari erant, quadranti componatur: quippe ſi triginta quatuor maravedes denario, ut regali pares ſunt, pareſque decem aſſibus, quibus olim æſtimatus ille, in quinario ſeu quinque aſſibus cenſebuntur ſeptendecim maravedes, in ſeſtertio octo ſemis; as tres maravedes & duas quintas unius habuit, ſemiſſis maravedem & dimidiatum & unius quintam, quadrans paullo plus dodrantem. Sed incertius etiam maravedium pretium reddit An. Schottus nobis, qui fere maravedem quadranti comparat, & ſubjicit: Dixi, fere, nam decem maravedes

vedes ſtuferum adæquant noſtrum, qui octo conſtat quadrantibus. Hoc ſi verum eſt, non quadraginta, non quatuor & triginta, ſed quinquaginta vel ſexaginta maravedium erit denarius. At idem tamen poſt paullo denarium Belgis quinque ſtuferorum, Hiſpanis regalem & XXXIV maravedium, rotunde ac late XL maravedium facit. Excedit magis Alexander Sardus, denarium faciens maravedium quinque & ſexaginta. Sed & Ciacconius teſtatur, aliis temporibus alio pretio maravedes in Caſtilia fuiſſe, donec deſierint eſſe nummi, & pro ſummula duas blancas continente ſint nuncupati. Illud autem quam novum, quam non decet elegantiam Ciacconii, talentum Atticum ſubtiliter facere viginti unum ſeſtertia? Profecto id ignoravit Aſinius Pollio, cui quum viginti quatuor ſeſtertia Cæſar Auguſtus pro talento donaſſet, ἢ πρόσθες, φησὶν, ἢ ἄφελε, ἵνα μὴ Ἀττικὸν ᾖ. Ignoravit Auguſtus Cæſar: aut enim reſpondiſſet, jam majus eſſe congiarium ſuum Attico talento, aut princeps frugalis merito urbanitatem Aſinii quatuor millibus nummum detractis ferire potuiſſet. Denique id ignoravit M. Seneca, qui dictum Aſinii, ut facetum, nobis ſervavit, & ex ſua etiam perſona explicando oſtendit occaſionem dediſſe joco, quod viginti quatuor ſeſtertia Romanis eſſent tantum quantum Athenienſibus talentum, Aſinius autem bellum cum omnibus Atticis, non hominibus modo, ſed rebus quoque & nominibus gereret. Hoc inde, quia æque arguta novitate drachmam Atticam facit trium ſemis ſeſtertium nummum, minam LXXXVII denarium & victoriati, ſeſtertium CCCL. Has ſentes in nemine alio ſtomachoſius fero quam in Ciacconio, uno, ſi quiſquam, ſubactiſſimi & amœniſſimi ingenii viro, qui nihil ſolebat inepte moliri, & noverat in pleriſque digniorem æmulatione veterum negligentiam quam horum nimis artificum diligentiam.

CAPUT VI.

De Savilii & Thomaſii æſtimatione antiquæ pecuniæ. Sterlingus vel Eſterlingus, denarius priſcorum Francorum. Solidus eorundem argenteus, duodecim denariis gentis, tribus Romanis, quales fuerunt, qui milliarenſes dicebantur, æſtimatus. Friſionum lex illuſtrata. Libra argenti Francis viginti ſolidorum πενταδράχμων. Ejus imago in hodierna Gallica, Britannica & Belgica moneta. Marca, bes libræ, tredecim ſolidi, quatuor ſterlingi ſive denarii. Matthæi Pariſii locus explicatus. Libræ partitio in ſolidos & denarios. Aureus Francorum ſolidus, XL *denariorum, trium ſolidorum & trientis. Solidus aureus trium denariorum nullus in Lege Salica, bis defenſa & explicata. Solidi aurei Romani & Franci differentia. Solidi aurei in mulctis & ſanctionibus Legis Salicæ Pipini, & Ludovici clementia in argenteos mutati. Libra ſterlingorum, Marcæ ſemis, Romanæ libræ triens. Libræ vox quomodo a duodecim unciis ad ſignificandum argentum ſignatum quatuor unciarum tranſierit. Ad libram ſterlingum revocatæ complures ſummæ Romanæ. Martialis, Catulli, Horatii, Juvenalis loca, ubi ſeſtertia pro mille nummis ponuntur, vindicata. Centum quadrantes non idem quod decem ſeſtertii. Dena ſeſtertia nummum quemadmodum dicantur. Schellingus vel ſolidus hodiernus Britannicus, drachma παχεῖα ſive Æginæa. Mille millia ſeſtertium, non dicebant veteres. Ut nec, decies æris.*

Ex

Ex Britannis literarum peritis, quos viderimus, nobilissimus Savilius ad lib. I Histor. Taciti, *bina millia nummum*, reddit sedecim libras esterlingorum, vel sterlingorum, quas vocant, quibusque omnem fere grandem pecuniam, ut per *sestertia* Romani, numerant. *Esterlingum* sive *Sterlingum* interpretantur denarium. Recte illi: modo intelligant denarium, non Romanum, sed Francorum; qui duodecimus erat in solido argenteo, vicesimus in uncia, CCXL in libra argenti. Nam ad similitudinem aurei solidi, qui sub Constantini Magni successoribus fuit, & duodecim milliarensibus vertebatur, percusserunt Franci & hæ nationes argenteum, quem duodecim æstimabant denariis sive sterlingis. Viginti solidi faciebant libram argenti, ut Romani sexaginta milliarenses: solidus igitur erat milliarensium trium & Romani quadrans solidi. Inde in legibus Frisionum tit. XVI. solidus, *qui tribus denariis constat* *: scilicet Romanis, qui proxima ætate fuerant milliarenses. Non, quasi solidus, qui antea duodecim valeret denarios, ad tres postea sit redactus, ut accepit illustris Scaliger. Etenim Francorum sunt illi duodecim denarii, quos habuisse solidum diximus: hi vero, quibus tribus eum constare dicit lex Frisionum, sunt Romanorum postremorum, iidem qui milliarenses: tres hi & illi duodecim pretio universo nihil differebant. Hinc in præcedente titulo appellantur *denarii veteres*. Quamquam fortasse Frisionum moneta nec Romanæ nec Francorum omnino par fuerit: quippe quibus in Additione Sapientum, ut vocatur, *solidus* dicatur *duo denarii dimidius ad novam monetam*; & alia parte, *solidus duo denarii novi*. Argenteus igitur ille Francorum, Galliæ potitorum, solidus ad vetustiorem pecuniam exactus erat πεντάδραχμος, eoque quindecim scriptulorum, nonaginta quasi siliquarum: denarius vero, qui & *sterlingus*, scriptulum siliquam cum dimidiata siliqua habebat: vel septem siliquas & dimidium siliquæ: sic ut duo semis facerent drachmam & semisiliquam & siliquæ quadrantem, vel drachmam & dodrantem siliquæ. Vides quam prope conveniant hæc illi, quod tradit Budæus lib. II de „ asse, ubi appellata drachma Attica, quam, inquit „ drachmam nostri „ *sterlinos* duos & dimidiatum esse dictitant. Auctor de limitibus agrorum: *Juxta Gallos vicesima pars unciæ denarius est: & duodecim denarii solidum reddunt: ideoque juxta numerum denariorum tres unciæ quinque solidos complent. Sic & quinque solidi in tres uncias redeunt: nam duodecim unciæ libram viginti solidos continentem efficiunt.* Hic *solidus* nostris potest triginta stuferis censeri, *denarius* vel *sterlingus* duobus semisse. *Uncia* libræ hujus, XX denarii vel sterlingi, solidus & solidi bes, id est, octo denarii. *Sextans*, denarii XL, tres solidi triens, sive quatuor denarii. Hoc pretium erat aurei

* Adscripsit pater: Tit. 80. XII *solidis, id est*, XXXVI *denariis*. Tit. 9. *Solidi* XX, *id est, denarii* LX, &, *solidi* IIII, *hoc est, denarii* XII.

Francorum solidi. Lex Salica: *Si quis porcellum furaverit, qui sine matre vivere potest,* XL *denariis, qui faciunt solidum unum, culpabilis judicetur.* Ita Hincmarus Remensis in testamento B. Remigii *solidorum quantitatem numero quadraginta denariorum computari* notat. Ne quis scilicet intelligat argenteos. Sunt nostri quasi quinque floreni. Lindenbrogius ad LL antiquas, etiam quatuor denariorum solidum fingit ex lege Salica, tit. XXVI. *Si quis fœminam gravidam occiderit, duorum millium octingentorum denariorum, qui faciunt solidos* DCC, *culpabilis judicetur.* Item: *Si quis puellam ingenuam infra annos, antequam infantes possit habere, occidat,* DCCC *denariorum, qui faciunt solidos* CC, *culpabilis judicetur.* Sic enim, inquit, si quis rationem inibit, quilibet solidus quatuor denarios habebit. Credo equidem: sed neutrum caput, ne in ipsius quidem editione illum denariorum numerum repræsentat: prius enim, XXVIII *den.* posterius, VIII *den.* Et recte: nam hic octo millia denariorum, illic viginti octo millia intelligenda. Ratio initur ad solidum XL denariorum. Quadragies septingenta, viginti octo millia: quadragies ducenta, octo millia. Sic eodem titulo: *Si quis puerum infra duodecim annos, sive crinitum, sive incrinitum occiderit,* XXIIII *den. qui faciunt sol.* DC, *culpabilis judicetur.* Passim ita lex Salica, quotiens denariorum minor est quam solidorum numerus, tamque frequenter, ut difficile sit non animadvertere. Sed & fallitur ibidem homo doctus, quum eundem auri solidum non una ubique aut semper eadem taxatione, sed aliquando XII denariis adpretiatum ait. Nempe hic argenteus, non aureus. Immo nec immunis ab hac culpa Scaliger. Solidum Francorum verum fuisse ipsum Solatum hodiernum ait: mox eundem solidum veterem fuisse denariorum duodecim. At hic argenteus, cujus mentionem nullam facit; non aureus, de quo inceperat loqui. Nec Marquardus Freherus, cum Francis ait libram per XX solidos computatam, solidum autem quadraginta denarios continuisse. Enim libra illa est argenti, hi vero denarii, non argenteorum, sed aureorum solidorum sunt. Carolus Magnus Capit. lib. III tit. XIV *triginta solidos libram & dimidiam* vere dicit: quod etiam ingerit Scaliger; sed libram argenti, non auri. Nam cum quinque aurei solidi Romani libram argenti facerent, sex Franci; (Hinc Flandris **ses gulden een pont**) nec credibile sit auri ad argentum proportionem aliam fuisse penes Francos, quam eodem tempore apud Romanos erat; quando libra auri Romanos habebat LXXII aureos solidos, Francos necesse est habuerit LXXXVI & tremissem. Romanus aureus solidus scriptulis quatuor, siliquis XXIV sine dubio censebatur: Francus videtur tria scriptula trientem, siliquas XX habuisse. Nam quinquies viginti quatuor & sexies viginti eundem numerum efficiunt, nempe CXX. Aureus igitur solidus XX siliquarum proportione, qualis tum erat, quatuordecupla respondebat CCLXXX siliquis argenti: vicies enim quatuordecim sunt ducenta octoginta. Idem numerus exit ex siliquis denariorum quadragenum septies

ductis:

ductis: septies enim quadraginta prorsus sunt & CCLXXX. Sed in singulis denariis excurrit semisiliqua: unde siliquæ argenti fiunt viginti. At siliqua auri super quatuordecim argenti siliquas tantummodo valebat siliquæ trientem & quatuor quintas unciæ, quæ faciunt octo asses sive siliquas: viginti enim trientes, sex asses duo trientes; vicies quatuor quintæ partes unciæ unius sunt unciæ sedecim. Sive mavis dicere, siliquam auri super quatuordecim siliquas argenti valuisse duas quintas: quinquies enim duæ quintæ faciunt asses sive siliquas duas: vicies igitur duæ quintæ, siliquas octo: sic aurum solidi faciebat argenti siliquas CCLXXXVIII. At in denariis quadraginta, cujus dixi, ponderis sunt CCC siliquæ, ita ut decem siliquis amplius sit in argento quam præcise esse debet. quod minime mirandum, cum propter præstantiam auri, tum quia noluerunt imparem denariorum numerum dare solido: denique potuerunt hoc, quicquid est, κερματισμῷ æquare, ut fieri solet in solutionibus. Carolus autem de argenti libra ipse se loqui probat Capit. lib. III tit. XXX: *ut omnia debita, quæ ad partem regis solvi debent, solidis* XII *den. solvantur,* (id est, argenteis) *excepta freda, quæ in lege Salica conscripta est: illa eodem solido, quo cæteræ compositiones solvi debent, componatur.* id est, aureo XL denariorum. Hos ubique designat lex Salica. Pipini clementia constituit, *ne solidi, qui in lege Salica habentur, per* XL *denarios discurrant*, ut legitur in Synodo Remensi. id est, ut pro aureis satisfacerent argentei. Quod cum parum valuisset, repetivit Ludovicus Caroli filius: *ut omnis solutio atque compositio, quæ in lege Salica continetur, inter Francos per* XII *denariorum solidos componatur: excepto, ubi contentio inter Saxones & Frisiones exorta fuerit. ibi volumus, ut quadraginta denariorum quantitatem solidus habeat: quem vel Saxo vel Frisio ad partem Salici Franci, cum eo litigantis, solvere debet*, tit. LXXV lib. IV Capitulorum. Hæc hactenus confusissime a doctis, quos vidimus, erant tradita. Præter illos, quos nominavi, Rualdum vide animadv. IX in Plutarchum. Ei vetus Francorum denarius fuit drachmæ Atticæ ἀντίῤῥοπος. At drachma Attica octava pars erat unciæ, denarius Francorum vicesima. Eorundem Francorum veterem aureum solidum fuisse didrachmum, qualis Romæ fuerit usque ad Principes Christianos. At Francorum reges percussisse aureum nummum, antequam Galliam subegissent, & Trevericam monetam suæ ditionis fecissent, credibile non est, rebus etiam tum omnibus inconditis. Deinde vult eum fuisse sextulæ pondere, quales in Cod. Justiniani & Theodosii sint intelligendi & apud Aimoinum in vita Clodovæi. Ostendimus autem, cum quatuor scriptulis constaret Romanus solidus, Francicum tria scriptula trientem habuisse. Hinc videtur explicandum illud in novella Majorani: *Nullus solidum integri ponderis calumniosæ adprobationis obtentu recuset exactor, excepto eo Gallico, cujus aurum minore æstimatione taxatur.* Savotus existimat, & Salmasius de Usur. pag. 452, improbatum hunc Gallicum solidum, quod esset ex auro mi-

ro mi-

ro minus puro quam Romanus. Et alibi addit suspicionem, quod Cæsar aurum ex Gallicis manubiis dederit ternis millibus nummum, factum ideo, quia fuerit pejoris venæ. At Majoranus reprobavit solidum Gallicum non simpliciter, sed pro solido Romano, quia minus auri habebat, non quia minus purum. De Cæsare ita Suetonius cap. LIV. *In Gallia fana templaque deûm donis referta expilavit: urbes diruit, sæpius ob prædam quam ob delictum: unde factum, ut auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale per Italiam provinciasque divideret.* Torrentius editum habet *divenderet*, sed magis ait placere, *divideret*, ut sit in quatuor MSS. Ergo hoc est antiquiss. codicum, secus atque adfirmat Salmasius cap. XVII de Usuris. Promercalia, inquit, divenduntur. Sane: sed quid est *promercale*, nisi venale? Quam belle autem *venale divendere?* Ait eum per Italiam & provinciarum diversa oppida missitasse, tradidisse, dispertivisse procuratoribus & aurifabris *promercale*, hoc est, venale habendum. Quum igitur diserte dicat Suetonius abundantiam istius vilitatis causam fuisse, quid aliam quærimus? Nunc revertimur ad libram argenti, secundum Francos, cujus *quadrans*, LX denarii, quinque solidi. *Triens*, LXXX *denarii*, sex solidi bes seu octo denarii. Tantum argenti est in illa, quæ vocatur hodie *libra sterlingum*, ut mox patebit. *Quincunx*, denarii centum, octo solidi triens vel quatuor denarii. *Semis*, denarii CXX, decem solidi. *Septunx*, denarii CXL, undecim solidi bes seu octo denarii. *Bes* libræ, CLX denarii, tredecim solidi triens, sive quatuor denarii. Hæc est, quam *Marcam* vocant id genus scriptores. Matthæus Parisius in Henrico III: *centum & quatuor marcas, bonorum & legalium esterlingorum, tredecim solidis & quatuor sterlingis pro marca qualibet computatis.* Agnoscis *denarium* & *sterlingum* eundem esse nummum. Inde & *libram denariorum* pro libra sterlingum dicit Notitia Angliæ apud Seldenum Mari clauso: *Consuetudo Warvvici est, si rex per mare contra hostes suos ibat, vel quatuor batsueins vel quatuor libras denariorum ei mittebant. Batsueins* remiges, qui Belgis **Bootsgesellen**/ quasi **Bootsvriende**. nam *Wine* socius, amicus, antiquis Germanis. Vide Cll. viros Jac. Revium lib. I Daventriæ illustratæ, & Fr. Junium ad Willeramum. *Dodrans*, CLXXX denarii, quindecim solidi. *Dextans*, denarii ducenti, sedecim solidi bes. *Deunx*, CCXX denarii, XVIII solidi triens. *As* sive libra ipsa, CCXL denarii, XX solidi. Hæ origines illius, quæ nunc quoque in Gallia & Anglia versatur, monetæ: hinc hodieque Galli *libram* vocant XX solidos, licet tanto minores, & solidum in duodecim *denariolos* dividunt: hinc Britanni viginti solidos sive schellingos, tertia parte, quam fuerant, recisiores, *libram esterlingorum* vel *sterlingorum* appellant, & schellingum pariter in duodecim penningos pro denariolis partiuntur. Sterlingum recte taxavimus. Eduardi

CVIII *libræ*, XIV *solidi*, VI *denarii. Matt. Paris. p.* 743.

primi

primi Edictum: *Denarius Angliæ, qui vocatur Sterlingus, rotundus sine tonsura, ponderabit* XXII *grana frumenti in medio spicæ, & viginti denarii faciunt unciam, at duodecim unciæ libram.* Observat Spelmannus, legem hanc non novam tulisse Eduardum, sed a primis Anglonormannicis regibus statutam renovasse: nam & tum XX denarios unciam ponderasse, libra pariter (quæ e XX solidis constaret, nomenque a pondere adepta sit) XII uncias, solido quolibet XII denarios continente. Vides Francos hanc monetam dedisse Galliæ, illorum posteros diu servasse, Normannos adscivisse & in Angliam propagasse. Vocabulum unde conflatum sit, haud facile decernas. A sturnis avibus vel stellis impressis, a Scotorum castello, a Saxonibus (qui Anglis *Esterlings*, Belgis Oosterlingen nunc quoque appellantur) serius in Angliam profectis & metalli pretiosi purgandi artem excolentibus, a starro, quæ vox apocham significaverit in Anglia fœnerantibus Judæis, alii atque alii dictum volunt. Postrema fuit docti viri sententia descendere a Saxonico *steore*, quod legem, canonem, regulam significet, ut *steoran* regere: tanquam nummus indicetur legi vel canoni nummario consentaneus, pondere legalis & regularis. Sane steuren Germanis hodieque est continere, compescere, & stieren gubernare, stier gubernaculum, stierman gubernator Saxonibus & Belgis. Sed non videtur vox significationis vel tam amplæ vel tam remotæ huc accommodari potuisse. Vicinius foret steur & stupr tributum, & ipse *stuferus* Belgicus, si sic agere sufficeret. Sed dubium non est, si Saxonibus Anglis deberetur ea vox, in monumentis illorum alicubi repertum iri: quod non eludit doctus ille vir, dicendo multa in usu esse Saxonica vocabula, quæ nuspiam in scriptis exstent. Eorum alia ratio est. Præterea Saxones aliter libram partitos, ita ut XLVIII solidos, quinum singulos denarium, haberet, tradit Spelmannus. Constat inter omnes, ante Normannorum ingressum in Angliam non reperiri mentionem hujus vocabuli: cum ipso Guilelmo eam primum legi: & *Sterilenses*, *Stellinosque*, dein *Sterlingos* & *Esterlingos* appellatos. Normannos a Francis mutuatos descriptionem libræ per solidos denariosque ex illis, quæ disputavimus, plus quam manifestum est: denariis autem nomen etiam *sterlingis* fuisse in continente, qua Normanni imperabant, ostendunt duo rescripta Pontificum Romanorum in Decreto Gregorii. Ergo his debetur ea vox in Anglia; utrum ab ipsis imposita, an & a Francis illius ævi accepta, incertum est: nam in Gallia quoque valere illam vocem, non quidem pro nummo, sed pro pondere, ostendunt verba Budæi. Hujusmodi sterlingum libras octo censet Savilius fuisse Romanorum *mille nummum*. Thomas Thomasius addit Nobilem sive sex schellingos, penningos octo. Sed potius aliquid demendum quam addendum summæ Savilianæ. Nam libra sterlingum solidos vel schellingos genticos continet viginti, ut olim: sed hic solidus vel schellingus illius vetusti Franco-

rum solidi triens: itaque unciam argenti quinque his schellingis (quum olim tres uncias quinque solidi occuparent) tam Savilius quam Thomasius æstimant. Ergo libra sterlingum, triens libræ Romanæ, Marcæ barbaricæ semis, quatuor argenti uncias complexa, æquanda est denariis reipublicæ & primorum Cæsarum XXXIII & tertiæ denarii parti, seu duobus obolis; sestertiis CXXXIII, assi, trienti: qui nostri sunt decem floreni, quibus etiam vulgo æstimatur: etsi nonnihil addunt alii propter nobilitatem metalli monetæ Anglicanæ: sed numero rotundo contenti erimus: collybistæ neque hinc instrui desiderant, & sine monitore officium faciunt. Tantundem faciebant sex solidi, octo denarii vel sterlingi, Francorum & Anglorum veterum. nam quum solidus florenum & dimidiatum, sex solidi novem florenos; quum denarius duos stuferos semissem, octo denarii stuferos viginti promittebant. Quæris jam, qui vocabulum *libra* a pondere argenti duodecim unciarum revocatum sit ad trientem ejus? Videtur eo valuisse numerus viginti solidorum, ex quibus quondam justa libra constabat. Quemadmodum *quadrantis*, *trientis*, *semissis* vocabula, propter locum & numerum, quem obtinebant in massa æris librali, transierunt ad numismata ærea, referentia eundem locum & numerum in partibus assis minuti, qui & ipse a libra æris rudis, ad sextantem, unciam, semunciam, sicilicum æris signati denotandum translatus est. Quemadmodum denarii partes decima, vicesima, quadragesima, *libella*, *sembella*, *teruncius*, postquam sedecim assium factus denarius, & ejus minutiæ excurrentes in rationibus æris partibus signari cœperunt, conversæ sunt ad sestertium, & in hoc easdem numero partes imaginarias significarunt. Sic etiam *libra*, quæ olim proprie accipiebatur de viginti solidis, qui, quod singuli quindecim scriptulorum essent, juncti complebant duodecim uncias; propter eundem numerum vicenarium applicata est solidis quinque scriptulorum, ut hi etiam, quamvis priorum trientes, viginti appellarentur *libra*, quot scilicet triplo graviores quondam justam argenti libram exhauserant. Et tamen non *solidorum*, sed *sterlingorum* hæc libra vocitata est, quia verisimile est tum illum nummum maxime frequentatum fuisse. qui, ubi in desuetudinem abiit, etsi proprie LXXX sterlingi essent libra sterlingum, quod hi facerent viginti solidos; hoc sui monumentum reliquit, ut XX solidi nominarentur *libra sterlingum*, etiam postquam sterlingus esse desiit. Eadem abusio vocis in Gallia Belgioque inolevit: quod illic *libra Turonensis*, hic in syngraphis cautionibusque quot intelliguntur floreni XX solidorum, pars hodie infra tricesimam libræ argenti, tot **ponden** sive *libræ* perscriptæ testantur. Tres igitur libræ sterlingum, libra Romana, centum denarii, quadringenti sestertii: septem & dimidiata, ducenti quinquaginta denarii, *mille sestertium*. Sic *bina millia sestertium*, libræ sterlingum quindecim, quinquaginta coronati, centum quinquaginta floreni. Sic *decem millia nummum sestertium*, Thomasio octoginta

ginta tres libræ & nobilis, sunt septuaginta quinque libræ, coronati ducenti quinquaginta, floreni septingenti quinquaginta. Sic *quindecim millia*, quæ centum viginti libras (sixe score pound sterling) interpretatur Savilius, sunt centum duodecim libræ cum selibra, coronati CCCLXXV, mille CXXV floreni. *Triginta millia* eidem CCXL libræ, quæ sunt CCXXV, coronati DCCL, florenorum duo millia ducenti quinquaginta. *Centum millia* Thomasio octingentæ triginta tres libræ & nobilis: quæ sunt DCCL libræ, duo millia quingenti coronati, septem millia quingenti floreni. *Decies* Thomasio octo millia CCCXXXIII libræ cum nobili, sunt septem millia quingentæ, viginti quinque millia coronatorum, septuaginta quinque millia florenorum. *Quadragies*, triginta millia librarum sterlingum, centum millia coronatorum, trecenta millia florenorum. *Centies*, LXXV millia librarum, CCL millia coronatorum, DCCL millia florenorum. *Quadringenties*, trecenta millia librarum, decies centena millia coronatorum, tricies centena millia florenorum. *Millies* DCCL millia librarum, vicies quinquies centena millia coronatorum, septuagies quinquies centena millia florenorum. *Novies millies* a Vitellio absumptum interpretatur Savilius *about seven thousand thousand pound*, hoc est, septuagies centena millia librarum: sunt autem sexagies septies centena quinquaginta millia, coronatorum ducenties vicies quinquies, florenorum sexcenties septuagies quinquies centena millia. *Bis & vicies millies* interpretatur septendecim milliones, CLXXXVII millia quingentas libras. hoc est 17187500, Latine centies septuagies semel centena octoginta septem millia quingentas. Ex nostra ratione sunt librarum centies sexagies quinquies, coronatorum quingenties quinquagies, florenorum millies sexcenties quinquagies centena millia. Thomasius quidem omnis ab Agricola pendet, adeo ut singulari disputatione convellere conetur loca, in quibus apud Poetas *sestertia* ponuntur pro mille nummis: quam partem secuti alioquin Agricolam, Cenalis & Hotomannus abjecerunt, Ciacconius præclare oppugnavit. Martialis lib. II epigr. LXIII.

Sola tibi fuerant sestertia, Miliche, centum:
Quæ tulit e Sacra Leda redemta via.
Miliche, luxuria est, si tanti dives amares.

„ Ad hoc Thomasius: Si Milichi *centum sestertia* CC & L libras pondere vale-
„ bant, erat dives, non, ut ex Martiale colligitur pauper. *Centum sestertia* sunt duo millia quingenti coronati: hæ ne nunc quidem sunt magnæ divitiæ, nedum Romæ tempore Martialis. Quæ vero luxuria est diviti, *centum nummis*, id est, aureo Romano uno, XXV denariis, redimere delicias suas? Lib. X epigr. LXXV.

Millia viginti quondam me Galla poposcit:
Et, fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit.

Poscere

Poscere plus visa est, quam prius, illa mihi.
Jam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam nummos: noluit accipere.

„ *Bis quina*, inquit, *sestertia* dicuntur minus esse quam *viginti*, majus quam „ *duo millia*, quod sensim de sui pretio Galla detraheret. Et sunt certe. At, „ pergit, a viginti ad decem millia primum, deinde ad duo millia recidisse „ pernego. Eadem opera perneges meridie lucere. Maximum & minimum „ pretium, ait, primis quatuor versibus exponi dicam, sequentibus imminu- „ tionem sensim factam: quia *decem sestertia* seu *sestertii* idem valent quod „ *centum quadrantes*, qui pro vilissimo pretio postea ponuntur. Falleris: non enim idem valent *decem sestertii* quod *centum quadrantes:* nam sestertius Martialis ævo non erat decem quadrantum, quot sunt in duobus assibus & semisse, sed sedecim, quot sunt in quatuor assibus: tot enim tum sestertius habebat asses. Itaque decem sestertii sunt CLX quadrantes. Ita non possunt hæ duæ summæ pro una censeri, & acumen Thomasii evanescit. Omnino autem transitus est Martiali a viginti millibus ad decem millia, ab his ad duo millia, inde ad mille, a singulis millibus ad quadringentos, tum centum sestertios, denique XXV asses, seu centum quadrantes. „ Nescio quid submurmurat, Martiali (qui si vere objectum sit, eam postea „ mille sestertiis æstimaverit) brevi temporis curriculo, detracto pretii di- „ midio, carius quam prius videri non debuisse. Puto autem, longe acutius, quid sibi videri debuerit, Martialem, quam quid sibi & illi, Thomasium vidisse. Nam ille, quod ei videri non debuisse sciscit Thomasius, id vel præcipue salsum & facetum censuit. Quod autem facile crediderit pauperrimum fuisse Martialem, eoque sex sestertios nummos, non sex sestertiorum millia, mutua petisse credendum, quum scriberet lib. VI epigram. XXX:

Sex sestertia si statim dedisses,
Quum dixti mihi: sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.

ego ut Crœsum non facio, ita nec Irum: *sex* autem *sestertios* cur quemquam rogans mutuos septem aut novem menses affectaretur, causæ nihil erat: quippe quos quoties vellet, officio mereri poterat: accedunt enim prope centum quadrantes, *Anteambulonis congiarium lassi.* Jam, *sume, tolle, dono*, verba plena liberalitatis, majorem summam requirunt. Nec mutua accepit illa sex millia nummum Martialis, ita enim nihil perdiderat Pætus, sed donum, sic tamen, ut beneficii gratiam exspectationis mora exstinxisset. Cujus autem ingenii est Quernos archipoetas, nugas maximas, ingenio Martialis comparare? Furio Catulli car. XXIII, satis magnum putat, *sestertios centum* precari; ego haudquaquam hos satisfacere voto ejus aut cupiditati existimo. Similiter satis ei probabile *decem sestertios* a Silone lusu & joco

joco repetiſſe Catullum car. CIV. At lenonum mercedes apud Comicos conſideranti, ſive iſte uxoris ſuæ, ſive proſtitutarum leno fuerit, non *decem nummos*, ſed *decem millia* eſſe oportuiſſe videbitur, quæ ſævum & indomitum mitigarent. Horatii loca agnoſcit difficiliora. Tamen lib. I epiſt. VII, quum Philippus Vultejo narratur *ſeptem* donaſſe *ſeſtertia*, *ſeptem mutua* promiſiſſe, interpretatur ſeptem nummos donatos, ſeptem millia mutua data. Donationem egregiam, & dignam quam prædicaret Horatius! At præconem facit Vultejum. At horum quoque quamvis parvæ mercedes & capturæ, non tamen mendicorum ſtipes. Catonis ævo præconium oleæ pendentis ſeſtertii quinquaginta & olei numerus. Quid quod facit tenui quidem cenſu, non ſine cenſu tamen? & quærentem & utentem? a Philippo ultro adſcitum? inductumque, ut mercaretur agrum his ipſis quatuordecim millibus, in quo ovium, capellarum greges, ſeges, vitis & ulmi, bos arator, caballus, totque alia, quæ vult intelligi? Hæc ſcilicet ille vult omnia com-,, parata, præſertim in ſuburbano, ſeptenis ſolis mutuis. *Septem*, inquit, ,, *millia*, quæ ſunt annui vectigalis Ciceroniani, ut e Paradoxis liquet, pars ,, fere decima, majus fuit quam ut daret Philippus, dum requiem ſibi, dum ,, riſus quærit. Immo minus quarta decima: illud enim centenum millium eſt: & quaterdecies ſeptem ſunt nonaginta octo. Nec nimia ſumma apparebit, ſi notas Romanorum procerum liberalitates in clientes gratiores perſequamur. Luculli militem lib. II epiſt. II procul dubio viginti quatuor millia ſeſtertium accepiſſe fatetur. Sed in tam inuſitata loquendi ratione poſtulat ſibi permitti, ut inſimulet librarii erratum. Oſtendat igitur, quod ſit illud erratum librarii, qua in voce, quomodo corrigendum in loco, qui ſuſpicionem nullam admittat. Hoc igitur mox miſſum facit: *bis dena ſuper ſeſtertia nummum* eſſe hypallagen, & *ſeſtertia* tanquam adjectivum fieri, & congruere cum ſubaudiendo *millia*, quod uſitate cum τῷ *nummum* concordare deberet. Hoc non diſſidet a ſententia Scaligeri, quam olim improbavimus: niſi quod Scaliger ubicumque *ſeſtertia* occurrunt, iſte hoc uno loco ſua *millia* intelligunt. Sed nihil iſtis opus. *Nummum accipit bis dena ſeſtertia*, dixit Horatius, ut Livius lib. XXVII. *Pecuniæ in ærarium tulerunt ſeſtertium tricies:* ut Gellius lib. I cap V. *Hoc facit nummi noſtratis denarium decem millia:* & lib. V cap. II. *Æris noſtri ſumma eſt ſeſtertia trecenta duodecim.* Sic Plutarchus urbem Tigranocerta, cum eam caperet Lucullus, μετ' ἄλλων χρημάτων ὀκτακισχίλια τάλαντα νομίσματος ἔχουσαν. Juvenalis locum de mullo ſex millibus empto, & æquante *paribus ſeſtertia libris* cum Agricola ſic eludit: non volunt tot ſeſtertia pretium fuiſſe, quot penderet libras, ſed tot libras pependiſſe, quot pendebant libras ſeſtertii, quibus emptus eſt: faciunt autem octodecim. At non ita Scholiaſtes vetus: *ſex librarum, qui tantum haberet in pondere, quantum in pretio.* Dein *ſex millia* quindecim libras argenti implent. Et ſi Senecæ & Martiali quatuor librarum mullus pro raro

prædicatur, unde octodecim? nam unicus ille Rubri maris incola LXXX librarum prodigium est. Villalpandus, & ipse circumventus ab Agricola, *sestertiaque* nihil aliud quam singulos notare nummos contendens, in hujus versus explicatione auctorem suum deserit. Insistendum potius, ait, Budæi „ vestigiis, qui senas libras pependisse ait sestertiorum totidem millibus emptum. Hactenus recte: & sic necessario *æquantem sestertia* est æquantem millia nummum. Ille vult perinde esse ac si dicatur, sex millibus emptum æquantem pondere sestertios: & tamen id pondus esse senum librarum. Erunt igitur in sex libris argenti sena millia sestertium: ergo in una libra mille sestertii, CCL denarii. Quod cum per se est a vero, tum ab ὑποθέσει Agricolæ longissime remotum. Omnis enim illius disputatio contra *sestertium*, pro libra sestertia acceptum, propterea suscipitur, quod centum denarios, quadringentos sestertios in argenti libram conjici nequit pati; quodque denarium octavam partem unciæ & drachmæ similem reprehendit: quæ quum concesserit Villalpandus, sero & sine præmio *sestertium* illud oppugnatum venit. Tamen in eo Budæi sententiam se negat probare posse, quod *sestertia* singula millenos sestertios valere putet, quia ex hoc conficiatur, piscem illum quindecim millibus librarum argenti emptum fuisse. Haudquaquam, o bone: quindecim libræ sunt sex sestertia vel sena millia nummum, non quindecim millia. Id adeo non est absurdum, ut ipse repetat ex Plinio mullum octo millibus emptum, id est, viginti libris. Quum Martialis ait lib. II epigr. XXX *viginti sestertia, donanti non grave munus*; censet fuisse gravissimum, si *sestertia* singulos mille sestertios, denarios CCL, sive argenti duas libras cum dimidia significarent. Credo homini mediocri, non diviti, & diviti Romano, & illa ætate: rogabatur enim cujus *arca laxas opes flagellaret*. Quum idem lib. VI Epig. XX,

Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogavi,
Quum mihi dixisses: exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias.

„ his verbis quis non,ait, videt reprehendi Phœbum, qui verbis ac pollicita„ tionibus liberalem se ac benignum exhiberet, utpote, qui nihil putaret a se „ peti, dum *centum sestertia* peterentur. Ne nimium de nobis speret: non ego, non quisquam alius, solus Villalpandus videt, Phœbum dici nihil putasse ab se petere, qui rogaret *centum sestertia*. Nam si nihil hoc putasset, non *inquireret*, (intellige ex Seneca lib. I de benef. cap. I. *nomina facturi, diligenter in patrimonium & vasa debitoris inquirimus.*) dubitaret, cunctaretur, seque & rogantem decem diebus cruciaret. Ego hactenus video, crebro in ore habuisse Phœbum illud: *nihil ergo exigis?* ea voce productum Martialem poposcisse mutua *centum sestertia:* quo velut fulmine attonitum obstupuisse promissorem illum & frustrationes interposuisse. Magnum ergo

aliquid

aliquid putavit *centum sestertia*, non nihil. In Catulli loco aliud effugium invenit Villalpandus. Ait enim Furium ex divite egenum factum *centum sestertios* optare dici a Catullo, ut ejus animi abjectionem in rebus vilibus desiderandis exaggeraret: nam vel adeptum centum millia non tamen beatum censeri potuisse, qui vix ea summa solveret debiti medietatem, cum oppignoratam villam habuerit ducentis & quindecim millibus nummum. Hic iterum extra causam duo peccata: primum, unde vaticinatur istum Furium ex divite egenum factum, quod verbulo nullo significat poeta? dein non Furii villam, sed suam pignus tot millium positam scribit ad Furium Catullus. Unum domo promit argumentum, quod non dubitat vir eximius apud eruditos magnæ auctoritatis futurum: quo minus mirandum mihi, qui in ista classe me non duco, id pluma levius videri. In Lapidibus antiquis nusquam inveniri ait sive *sestertios* sive *sestertia* literis omnibus expressis, sed notis significari. Cur ergo magis illi liceat illas notas interpretari *sestertios*, quam mihi, si continens oratio patiatur, *sestertia?* Nam una eademque merito nota significatur utrumque vocabulum, quia *sestertius* nummus retinet notam, quam accepit, quum faceret duas libras & selibram æris; *sestertium* designatur eadem, quia valebat duas libras & dimidiatam argenti. Quid igitur est hoc admirabilis collectionis? Non exprimitur utrum dicendum sit *sestertii*, an *sestertia*: ergo dicendum est *sestertii*, non *sestertia*, quæ scilicet excogitarunt Grammatici. Ille alter querebatur *sestertia* non explicari a Grammaticis: hic dolet Grammaticos excogitasse *sestertia*. Ita quicquid delirant legum & cærimoniarum interpretes, vapulant Grammatici. Qui autem illi? Budæus, Ant. Augustinus, Panvinius, Ciacconius, Covarruvias, Mariana, Schottus: ne appellem alios, quorum fortasse non reciperet nomina. At hi plerique jurisconsulti ordine ac sacerdotes: tamen quia non rudes antiquitatis, quia *literulas* eos *stulti docuere parentes*, audiunt Grammatici. Hi ergo, quamvis Grammatici, non tam mali fuerunt Dialectici, ut nescirent, quia non exprimitur ea vox, tam sibi liberum esse explicare *sestertia*, quæ tot auctorum usus firmavit, quam illi *sestertios*. Ita in secunda inscriptione (tres enim tantummodo profert) legitur: *in quod opus erogata sunt HS. triginta.* Hoc illi est *sestertium triginta*, ubi subaudienda sint *millia*. At ego ajo *sestertium triginta* esse solœcum, non minus quam, quos in tertia appellat, *Sextumviros & Quartumviros*, pro Seviris & Quatuorviris: a quibus cavisset, si illis, quos fastidit, Grammaticis paullo plus operæ dedisset. *Erogata* igitur *sestertia triginta*, inquit Lapis, id est, sestertium triginta millia. Sed, inquit, quis non amphibologiæ notaret priscos illos homines, si rem totam lectoris arbitrio reliquissent, ut posset vel *sestertios* vel *sestertia* millenaria proportione majora sufficere. Quasi dicam fuisse cohortes interdum quadringenarias, interdum majores proportione sexcenaria. Hoc certe non excogitarunt Grammatici.

Prisci vero *sestertios* an *sestertia* accipere lectori liberum fecerunt, non sine discrimine, ut ubivis utrumvis liceret, sed ut alterutrum, prout sensus & ratio loquendi pateretur. Quemadmodum in omnibus, quæ notis exarata sunt. An ἀμφιβολίας accusabit omnes Hebræos, quotquot olim sine punctis scripserunt, & hodieque scribunt? Certe parum versatis in re, qua de agitur, omnia sunt ἀμφίβολα & ἀμφίλογα, ubi illis, qui certa verba certis rebus attributa didicerunt, nihil est dubii. Hæc nos non ut vilescant hominis industrii & multarum doctrinarum præclari labores: non is nobis animus in quemquam: sed ne in præclaris & ista, quæ humanitus illi contigerunt, ducantur, & minus in his exercitatos fallant, neu veritati obstrepat auctoritas. *Staterem Atticum* Thomasius facit tredecim schellingorum, hoc est, viginti unius denariorum, quatuor obolorum: is autem schellingis duodecim sex pencibus æstimandus. Nam schellingus Britannicus par est denario cum besse seu quatuor obolis: atque adeo ipsa drachma παχεῖα sive Æginæa, quæ decem valebat obolos Atticos, tres schellingi, quinque denarii. *Aureum Romanum* æstimat quindecim schellingis: justissime: hi enim sunt XXV denarii: sed falsum, eum ex instituto duorum tantum denariorum pondere fuisse, postea duarum drachmarum factum, & æstimandum schellingis tredecim: semper enim aurei majores & pondere & pretio stateribus fuerunt. *Solidum* tamen Constantini & sequentium recte schellingis octo definit, hoc est, tredecim denariis, dumtaxat ex vetere auri ad argentum proportione. nam tum plus valuit. *Minam* schellingos facit quinquaginta octo, qui sunt sexaginta, perinde ut libra Romana. *Talentum* vult centum septuaginta tres libras: at sunt CLXXX, coronati nimirum sexcenti, floreni mille octingenti. Illud intolerandum, *mille millia sestertium* reperiri apud Plinium. Ubinam quæso? Hæc ut temeritas, ita vana trepidatio in illo: *Decies æris*, & forte *decies centena millia æris*. Quod metuit dicere, id solum dicebant: quod adseverat, id metuebant dicere veteres.

CAPUT VII.

Willebrordi Snellii supputationum quædam mendæ. Oboli, tanquam assis, partitio. Centeni æris legis Fanniæ. Denarium quingenties, denarium octingenties ignota antiquis. Atticus stater aureus viginti, non XXV *drachmarum argenti. Mina auri idem quod stater. Pollux & Plautus illustrati. Octo drachmæ auri nunquam dictæ stater. Quatuor drachmarum argenti, duarum auri nummi, stateres. Cyrenaicus tetrastater non quatuor, sed octo drachmarum.* Τετραστάτηρον *non idem quod* πεντηκοντάδραχμον. *Dimidium stateris nulla ratione potest dici tetrastater. Pollux emendatus. Aurei & argentei veterum nummi ponderis ejusdem, quo appellabantur. Hesychius correctus. Daricus non* L, *sed* XX *drachmarum argenti, & par stateri Attico, non duobus. Siclus auri apud Hebræos non* τετράδραχμος, *ut argenti, sed* δίδραχμος. *Josephi locus declaratus. Heronis Alexandrini de Darico sententia & error. Summæ aliquot daricorum, siclorum, æris Romani, ad nostram pecuniam revocatæ.*

Wille-

Willebrord. Snellius suum literatæ monetæ studium duplici merito testatum voluit, qui & ipse in ea explicanda operam posuerit, & Scaligeri ad eam adversaria publicarit. Hic quoque duplicem facit *denarium*, temporisque rationem, quam tamen, quicquid moliantur, definire nullam possunt, in primis observandam dictat: utrumque tamen non infra stuferos Hollandicos septem taxat, *sestertium* stufero & dodrante, seu tribus quadrantibus stuferi. Postea *sestertia* nummos mille sestertios, denarios CCL, coronatos XXV valuisse adfirmat. Hæc dicta inimicitiis inter se dissident inexpiabilibus. Coronatum æstimamus stuferos sexaginta: ejusmodi mille quingenti stuferi complent illos quinque & viginti coronatos. At CCL denarii, septem stuferorum singuli, complectuntur mille DCCL stuferos. Rursus decem denarios coronato attribuit ipse, quum XXV coronatos denariis æstimat ducenis quinquagenis. Jam si denarius est septem stuferorum, decem denarii erunt stuferorum septuaginta. Aut igitur tot stuferorum condendus est coronatus, aut *sestertia*, quæ CCL habent denarios, viginti novem erunt coronatorum, & aliquot stuferorum. At, pergit, ex hodierna auri ad argentum analogia, denarius facit sex stuferos, & quinque octavas stuferi. Latini dicerent, *quinque sescuncias*, vel *septuncem semunciam*, hoc est, ne suspendamus lectorem, quinque chalcos vel æreolos sive deutas. Nam si obolum (qui unus omnis veteris pecuniæ stufero simillimus) dividamus per assis partes, *semuncia* ejus erit chalci triens; *uncia*, chalci bes: *sextans*, chalcus & chalci triens: *quadrans*, duo chalci: *triens*, duo chalci & bes unius: *quincunx*, tres chalci triens: *semis*, quatuor chalci: *septunx*, quatuor chalci bes: *septunx semuncia*, quinque chalci: *bes*, quinque chalci triens: *dodrans*, sex chalci: *dextans*, sex chalci bes: *deunx*, septem chalci triens: addita *uncia*, hoc est, unius chalci besse, fiunt octo chalci, qui nunc *as* nobis, nempe obolus. Ita in denariis decem, sexaginta stuferos, qui tantum inesse debent, excedunt quinquaginta chalci, qui faciunt sex stuferos sive obolos quadrantem. Sic coronatus exit sexaginta sex stuferorum. Hi sex stuferi quadrans, singulis coronatis additi, in vicenis quinis efficiunt duos coronatos, triginta sex stuferos. Sic *mille sestertium* & CCL denarii non vicenum quinum, sed vicenum septenum & dimidiati plus sunt coronatorum. Quin immo alibi *centenos æris* legis, ut puto, Fanniæ, decem denarios & pondus argenti habere quinque & septuaginta stuferorum ait. Sic centum denarii facient septingentos quinquaginta stuferos: sic CCL, quod & *mille sestertium*, mille DCCCLXXV: hoc est, non XXV, sed XXXI coronatos, & quindecim stuferos. Et tamen Fannia lex lata est a. v. c. DXCII, M. Valerio Messalla C. Fannio Strabone Coss. quum jam denarius sedecim assium esset: itaque centeni æris tum non ultra sex denarios & sestertium procedebant. Idem Snellius ne cum fæce Suburæ Romanæ diceret, populum, quum prius e vectigalibus Asiaticis caperet annuum *bis millies*

per Pompejum victoria Mithridatica consecutum *ter millies quadringenties*: quæ Græcis πεντακισχίλιαι μυριάδες, & rursum ὀκτακισχίλιαι πεντακόσιαι, ut pronunciantur Plutarcho; illis ad sestertium, his ad drachmam subducta & explicata: ne, inquam, ita cum vulgo Romano diceret, pro altero ponit *denariûm quingenties*, pro altero *denariûm octingenties*. Ubi præterquam quod discessit ab usu loquendi (diximus *decies*, & quæ deinceps per adverbia computantur, non admissa nisi in sestertiis: *denarium decies*, etsi dici posset, singulari tamen numero, consensu publico repudiatum) ipsa quinquagies centena millia denarium, sive ducenties sestertium, posteriori Plutarchi summæ detraxit. Porro illud *denarium quingenties*, vel Latine *bis millies* ait efficere florenos Hollandicos 16520210, id est, centies sexagies quinquies centena viginti millia ducentos decem: quum sint 15000000, seu centies quinquagies, coronatorum quinquagies centena millia, *Denarium octingenties*, Latine *ter millies ducenties*, putat florenos 42952548, hoc est, quadringenties vicies novies centena quinquaginta duo millia quingentos quadraginta octo. At ne quidem alterum tantum hoc esse cuivis liquet: neque enim octingenta sunt duplum quingentorum. Voluit florenorum ducenties quadragies, coronatorum octogies centena millia: quibus si addatur *sestertium ducenties*, quod amplius habet Plutarchus, estque floren. quindecies, coronat. quinquies centenum millium; existunt florenorum ducenties quinquagies quinquies, coronatorum octogies quinquies centena millia, octo scilicet ac dimidiatus milliones, quos vocant Itali. *Atticum staterem* quinque ac viginti drachmis argenti Atticis æstimat. At Dio Cassius, Zonaras, Polemarchus apud Hesychium, viginti. Ille Pollucem putat statuere xxv, lib. IX. cap. VI. Ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν ἠδύνατο. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱσταμένοις τὴν μνᾶν τῆς ῥοπῆς στατῆρα ὀνομάζουσι. Sic Josephum a fratribus venditum εἴκοσι χρυσῶν scribunt LXX, Josephus εἴκοσι μνῶν. Quorum ego hanc sententiam esse censeo, staterem aureum pendere ac dici etiam *auri minam*. Nam ut *talentum auri* tres stateres, drachmæ argenti sexaginta, quum *argenti talentum* sit LX minarum, sex millium drachmarum: ita & *mina* alia *auri*, nempe viginti drachmæ sive stater, alia *argenti*, quæ centum drachmarum. Hæc est illa *auri mina*, quam usurpat interdum & Plautus: harum sunt eidem appellatæ in Rudente a. v sc. II *centum mnæ Philippiæ in pasceolo seorsus*: uti quidem jubent legi MSS. optimi & quædam vetustæ edd. id est, centum Philippici stateres. Et quo minus mirum videatur, *minam* dici id aurum, quod & *stater* vocatur, addit Pollux, in ponderibus etiam *minæ* pondus vocari *staterem*. Ergo priora ista verba non ad τὰ ἱστάμενα, sed ad νομίσματα pertinent. Quod notandum contra Scaligerum, qui, quasi utrobique de mina ponderali ageretur, delet τὸ χρυσοῦς apud Pollucem. Jam exspectas, qua vi Snellius hinc ex-
„ primat staterem viginti quinque drachmarum? Id enim dicit Pollux, in-
„ quit, minæ pondus *staterem* etiam dici, quia aureus stater argenti mina vel
„ centum

„ centum drachmis rependatur. Falsissimum hoc & inauditum. Μνᾶν δὲ λέγεσθαι τοὺς πέντε χρυσοῦς, testatur diserte apud Hesychium in v. χρυσοῦς Pole-„ marchus. Ille dictum monstri simile ita confirmat: Sed hunc aureum sta-„ terem jam non unum aliquem nummum intelligas oportet, verum qua-„ tuor. nam ut quatuor argenteæ drachmæ *stater* dicuntur: ita hic quatuor „ aurei didrachmi pro statere usurpantur: hoc est, pondus auri drachma-„ rum Atticarum octo, sive unciale, taxatur drachmis argenti centum. id-„ eoque duarum drachmarum pondus, quo singuli Attici aurei signaban-„ tur, drachmis quinque & viginti. Ἡράκλεις ἀλεξίκακε, quid audio? Tetradrachmum argenteus stater est, ergo quatuor stateres aurei bene dicuntur unus stater aureus. Si tetradrachmum etiam *drachmæ* nomine venisset, aut auri drachmas quatuor *staterem* ipse voluisset dici, esset aliqua similitudo. Sed tetradrachmum nemo appellavit *drachmam*, & quatuor illi stateres octo drachmas faciunt. Deinde stater ille argenteus erat verus nummus & unus: hic ἄθροισμα quatuor staterum fingitur appellari *stater*. Denique hoc ipso differunt argenti & auri stater, quod quatuor drachmis argenteus, duabus aureus constabant. nam idem ponderis nomen in auri minore summa, in argenti majore placuit: ut etiam in talento ac mina evenit. Pollux lib. IV. ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. Quum tantopere sit hallucinatus Snellius, tamen se nihil hallucinatum, neque verba Pollucis perperam interpretatum, ex aliis ejusdem verbis probare contendit: Ἦν δὲ ἡ δραχμὴ οὐ νόμισμα μόνον, ἀλλὰ καὶ πεντηκοντάδραχμον παρὰ Κυρηναίοις. Et deinde: Ἦν μὲν, ὡς Ἀριστοτέλης φασὶν, ἐν Κυρήνῃ καὶ τετραστάτηρ, καὶ πενταστάτηρον καὶ ἡμιστάτηρον, χρυσᾶ νομίσματα. Hæc ut inter se conglutinet, & cum isto loco; quanta audet sine ulla specie veri adfirmare? tetrastatera fuisse drachmarum quatuor, quem paullo ante stateris nomine drachmarum octo fecit: si Cyrenis fuerit tetrastater, etiam Athenis fuisse, quum si fuisset Atticus nummus ille, non eum Cyrenensibus eximium tribuisset Pollux: staterem Cyrenis fuisse unius drachmæ, quum sine exceptione idem Pollux τὸν χρυσοῦν στατῆρα didrachmum dicat, talesque fuerint non Attici modo, sed & Crœsii, Philippei, Darici: nec intelligatur alius, nisi diserte vocetur ἡμίχρυσος, qui *denarius aureus* Latinis: πεντηκοντάδραχμον & τετραστάτηρα fuisse eundem nummum, quum τετραστάτηρα ex cætera proportione oporteat fuisse octoginta drachmarum argenti, illum quinquaginta. Apud Pollucem corrupte legebatur: Καὶ τετραστατηρεία, ἡμιστατήρων χρυσᾶ νομίσματα. Quis non videat subesse mendum? aut quid sensus habet: *tetrastateria sunt aurea nomismata dimidiorum staterum*? Ut si dicam denarium esse argenteum numisma sestertii. Quemadmodum nummus potest dici alterius nummi? Ille tamen quasi hæc integerrima essent: „ Atqui, subjicit Pollux, ἡμιστατήρων χρυσᾶ νομίσματα. quomodo tetrastater „ erit stateris dimidium, nisi illud ad numisma, hoc vero ad pondus refe-„ ras, & staterem hunc uncialem constituas? Immo nullo modo tetrastater

esse

eſſe poteſt dimidium ſtateris: non magis quam quatruſſis vel octuſſis dimidium eſſe poteſt aſſis, aut as quadrantis vel ſicilici. Et vanum eſt diſtinguere hic numiſma & pondus: nam aurei & argentei nummi veterum tantundem ſinceræ materiæ habebant, quantum aurum & argentum pondo, cui comparabantur. Sic δραχμὴ χρυσίου non plus habebat auri quam δραχμὴ χρυσέη. Heſychius: Δραχμὴ χρυσίου, ὁλκὴ νομίσματος, εἰς λόγον ἀργυρίου δραχμῶν ι΄. Male ſcribitur, διδράχμων· quod non debebat ferre Scaliger, & interpretari στατῆρα. nam ſtaterem didrachmum nemo dixit δραχμήν. Juvat Suidas, qui ex hoc Heſychii loco deprompſit, quod habet ſic: Δραχμὴ δὲ ὁλκὴ νομίσματος εἰς ἀργυρίου δραχμὰς ι΄. Videtur excidiſſe, χρυσίου. Itaque ἡμιστάτηρον idem qui ἡμίχρυσος. Quum igitur ſine certo auctore finxerit ſibi ſtaterem Atticum argenti minæ ſive centum drachmis parem, nec magis fidis teſtibus tetraſtaterem πεντηκοντάδραχμον Atticocyrenæum, Ocni funem torquet homo doctiſſimus, dum colligit inde tetraſtaterem ſignatum pondere dimidiati ſtateris, qui integer fuerit uncialis, & ſtaterem Atticum valuiſſe xxv drachmas argenti, & rationem auri ad argentum Athenis fuiſſe, ut duo ad xxv, & hanc analogiam ſecutos Romanos & ipſos duorum denariorum pondere aureum viginti quinque argenteis denariis commutaſſe. *Daricum* ait alios drachmis vicenis Atticis æſtimare, alios ſtateri Attico æquiparare. At nihil inter hos diverſum, quum ſtater Atticus non plus viginti drachmarum fuerit. Ipſe daricum facit ſemuncialem, duos ſcilicet ſtateres Atticos æquantem, ἡμίμναιον, &, ut Cyrenaicum, πεντηκοντάδραχμον, quinquaginta denariis argenti taxandum: quia Joſephus eum aureo ſiclo rependat, teſtetur autem ipſe ſiclum eſſe Attico tetradrachmo ſimilem. Modo ex unum ſignificantibus fecit diverſa, nunc ex diverſa ſignificantibus facit unum: nam duo ſtateres Attici faciunt quidem ſemunciam, ſed non ἡμίμναιον aut πεντηκοντάδραχμον, quippe qui ſint XL drachmarum. Deinde *ſiclus* ille, quem cum tetradrachmo confert Joſephus, argenti eſt, ut & tetradrachmum. Lib. III cap. IX. Τότε πλῆθος ἀθροίσας πάλιν εἰσφορὰν αὐτὸ προσέταξεν εἰσφέρειν σίκλου τὸ ἥμισυ καθ' ἕκαστον· ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Id argenti eſſe planum faciunt verba Moſis ipſius Exodi cap. XXXVII verſu XXV, & XXVI. Siclum autem auri ſane comparat darico Joſephus, quum, quam Moſes dicit auream acerram decem ſiclis æſtimatam Levit. cap. VII verſ. XIV, eam ipſe δαρεικοὺς δέκα δυναμένην pronuntiat. Sed hinc debuerat colligere Snellius, ſiclum auri apud Hebræos didrachmum fuiſſe, & viginti drachmas Atticas argenti valuiſſe. nam id pondus & pretium darici. Xenophon. lib. I ἀναβάσ. δαρεικοὺς τρισχιλίους, quos Cyrus Silano Ambraciotæ vati dedit, paullo poſt vocat δέκα τάλαντα. Ergo talenta quinque, mille quingenti darici, ſingula trecenti. Quod expreſſum eſt Arriano περὶ Ἀλεξάνδρου ἀναβάσ. lib. IV. Ἔνθα δὴ ἐκήρυξεν Ἀλέξανδρος, τῷ μὲν πρώτῳ ἀναβάντι δώδεκα τάλαντα εἶναι τὸ γέρας, δευτέρῳ δὲ ἐπὶ τούτῳ τὰ δεύτερα. καὶ τρίτῳ τὰ ἐφεξῆς,

τὰ ἐφεξῆς, ὥστε εἶναι τῷ πλουτοῦντι ἀναβάντι τριακοσίους δαρεικούς. Talentum putat, ut appellat Curtius. Et quidem Atticum, non Babylonium, quod duodenaria ratione intelligi poſſe ſingit Cappellus. Ergo mina quinque darici, perinde ut quinque ſtateres: nam talentum LX minarum: quinquies autem ſexaginta, trecenta. Accedit Harpocratio: Εἰσὶ μὲν χρυσοῖ στατῆρες οἱ δαρεικοί· ἠδύνατο δ᾽ ὁ εἷς ταυτὸ ὅπερ καὶ ὁ χρυσοῦς παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενος. Et mox: λέγουσι δέ τινες δύνασθαι τὸν δαρεικὸν ἀργυρᾶς δραχμὰς εἴκοσι, ὡς τοὺς πέντε δαρεικοὺς δύνασθαι μνᾶν ἀργυρίου. Accedit ipſe etiam Hero, quo maxime nititur Snellius, quia talentum auri darico taxet, ut Euſtathius duobus aureis Atticis. Verba Heronis: Τὸ παρ᾽ Ὁμήρῳ τάλαντον ἴσον ἐδύνατο τῷ μετὰ ταῦτα δαρεικῷ· ἄγει οὖν τὸ χρυσοῦ τάλαντον Ἀττικὰς δραχμὰς δύο, γράμματα ς′. Adde Salmaſium adverſus Cercoetium p. 32. De auri talento apparet variaſſe ſententiis auctores. Vera eſt Pollucis, tres aureos ſtatuentis. Euſtathius duos poſuit. Huic vero non aſtipulatur Hero, ut putat Snellius, ſed novam adfert opinionem, unum ſtaterem eſſe talentum auri. Qui error ipſius eſt *talentum* & *minam* confundentis. Talentum auri dicit eſſe daricum. Atque ex hac ὑποθέσει talentum auri dicit habere duas Atticas drachmas, ſex ſcriptula: nam drachma trium ſcriptulorum eſt. Ergo & daricus totidem drachmarum & ſcriptulorum eſt. Ergo daricus par eſt Attico ſtateri, qui & ipſe in duabus auri drachmis reſpondebat argenteis viginti. *Triginta millia daricorum*, quibus ex Aſia ſagittariis expelli ſe querebatur Ageſilaus, explicat drachmarum Atticarum 3800000, florenorum Hollandicorum 1056000. Primum hæ ſummæ male conveniunt. nam tricies octies centena millia drachmarum, ὀγδοήκοντα καὶ τριακόσιαι μυριάδες, ſunt undecies centena quadraginta millia florenorum, trecenta octoginta millia coronatorum, centies quinquagies bis ſeſtertium. At decies centena quinquaginta ſex millia florenorum ſunt tricies quinquies centena viginti duo millia drachmarum, πεντήκοντα καὶ δύο καὶ τριακόσιαι μυριάδες, centies quadragies bis ſeſtertium, trecenta quinquaginta duo millia coronatorum. Deinde ne ex ipſius quidem computatione tantum naſcitur. Daricum quinquaginta drachmis taxat. Deni ergo darici neceſſe eſt ſint illi drachmæ quingentæ, centeni quinque millia, milleni quinquaginta millia, decem millia daricorum quingenta millia drachmarum, triginta millia daricorum quindecies centena millia drachmarum, πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μυριάδες, ſexagies ſeſtertium, CL millia coronatorum, quadringenta quinquaginta millia florenorum. Tertio falſus hic quoque calculus, quia, ut dixi, daricus non quinquaginta, ſed viginti drachmis taxandus. Ergo deni darici drachmis ducentis, centeni binis millibus, milleni vicenis millibus, dena millia ducentis millibus, tricena millia daricorum ſexcentis millibus drachmarum. Eæ ſunt ἑξήκοντα μυριάδες, talenta centum, vicies quater ſeſtertium, coronatorum LX millia, florenorum CLXXX millia. *Sedecim millia ſeptingentos quinquaginta ſiclos auri*, votum ex manubiis Madianitarum, Numer. cap. XXXI,

 ait

ait fuiſſe 8375 uncias, coronat. 33500. Hoc ex duplici errore de ſiclo aureo, quem & tetradrachmum & quinquaginta drachmarum argenti fuiſſe credidit. At erat ille didrachmus & argenti vicenis drachmis cenſebatur. Sunt igitur unciarum quatuor millia CLXXXVII cum ſemuncia: nam quatuor ſicli faciunt unciam, ut Romani quatuor ſicilici: drachmæ autem triginta tria millia quingentæ, τρισμύριαι τρισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι, coronati tria millia CCCL. *Sexcentos auri ſiclos*, a rege Davide depenſos pro area Oronnæ Paralip. I cap. XXI, facit uncias trecentas, quæ fuerunt centum quinquaginta, drachmæ auri mille ducentæ, argenti duodecim millia, μύριαι δισχίλιαι, coronati mille ducenti. Ille facit mille ducentorum Eduardorum Roſatorum, altero tanto & dimidio majore ſumma. nam Eduardum unum & tres ejus partes quadrageſimas comparat coronatis duobus & viginti triceſimis ſeptimis unius: deinde in mina Attica ponit quatuor Eduardos, drachmam vero agnoſcit coronati decimam partem, ut plerique omnes: in mina igitur habet decem coronatos, in Eduardo viginti quinque drachmas: denique & minam Syriacam, quam totidem drachmis definit, Eduardo parem facit. Quantus igitur error in taxatione cenſus a Servio Tullio Romæ inſtituti? *Centum millia æris* ait eſſe Eduardorum duo millia quadringentos. Hæc ſunt ex ipſius ratione ſexaginta millia drachmarum, minæ ſexcentæ, coronatorum ſex millia. At Dionyſius Halicarnaſſenſis ἑκατὸν μνᾶς ponit, hoc eſt, decem millia drachmarum, ut etiam mox reddit μυρίας δραχμὰς, mille coronatos, Eduardos Snellianos quadringentos. *Septuaginta quinque millia æris* facit mille octingentos Eduardos, id eſt, XLV millia drachmarum, coronat. quatuor millia quingentos. Dionyſio πέντε καὶ ἑβδομήκοντα μναῖ ſunt, drachmarum ſeptem millia quingentæ, coronati DCCL. Tertiæ claſſis *quinquaginta millia æris* Eduardos mille ducentos, id eſt, triginta millia drachmarum: quæ Dionyſio μναῖ πεντήκοντα, quinque millia drachmarum, δραχμαὶ πεντακισχίλιαι. Quartæ claſſis ait fuiſſe cenſum *quindecim millium æris*, Eduardos CCCLX, hoc eſt, novem millia drachmarum. Ubi nova offenſio: debuiſſet XXV ponere pro XV, &, ut ipſe ſubducit, Eduardos DC. Iſta vero viginti quinque millia æris Dionyſio ſunt πέντε καὶ εἴκοσι μναῖ, id eſt, duo millia & quingentæ drachmæ. *Quadragies centena millia Daricorum* Pythii apud Herodotum æſtimat octogies centena millia Eduardorum. At illa ſunt octingenties centena millia drachmarum, ὀκτακισχίλιαι μυριάδες, ter millies ducenties ſeſtertium, octogies centena millia coronatorum: hæc vero bis millies centena millia drachmarum, δύο μυριάδες μυριάδων, octies millies ſeſtertium, coronatorum ducenties centena millia. *Septem millia Daricorum*, quæ iſti ſummæ deerant, facit quatuordecim millia Eduardorum. At illa ſunt CXL millia drachmarum, τέσσαρες καὶ δέκα μυριάδες, quingenta ſexaginta ſeſtertia, quatuordecim millia coronatorum: hæc CCCL millia drachmarum, πέντε καὶ τριάκοντα μυριάδες, duodecies & ducenta ſeſtertia, triginta quinque millia coronatorum.

CAPUT

CAPUT VIII.

De J. Meursii interpretatione nummi veteris. Gracchi & Crassi Mentorea. Plinius illustratus Libra argenti non sex millibus sestertium, sed quadringentis nummis erat. Denario & sestertio plus attribuendum nostri minuti æris, quam quod fuit tempore Budæi. Laurembergii utilis admonitio, sed ab ipso parum servata in æstimatione, quam instituit. Coronatus sive aureus sive argenteus decem denariis sive drachmis censendus. Inde colligitur, quantum denarius aut sestertius faciant pecuniæ nostratis. Denarius, schellingus Belgicus. Stuferus vel solidus Lubecensis, non sestertius, sed obolus. Sestertius, stuferus semis. Uncialis sive Thalerus non L, *sed* XXXII *sestertiorum. Libra Anglica, Gallica, Hollandica, Flandrica, quot sestertii. Salmasii supputatio, peccans eo, quod aureum Romanum didrachmum, proportionem inter aurum & argentum duodecuplam fecerit. Aureus scutatus noster, nec semis est, nec triens Romani.*

Nec prætermittendus hic mihi J. Meursius, qui in libello de luxu Romanorum, propriam æstimationem secutus, postquam semel a via deflexit, in infinitum erroris progressus est. *Ducentos nummos* (hæc enim minima penes illum summa est, quam ceu filum apprehendemus: sunt quinque scutati vel coronati, quindecim floreni) æstimat decem florenis: ergo *centum nummos sestertios* quinque florenis: ergo *quinquaginta* duobus & dimidiato, seu quinquaginta stuferis; atque adeo *sestertium* eundem, qui nobis stuferus. Sic etiam *quinquaginta denarios* decem florenis, *viginti quinque denarios*, aureum Romanum, quinque florenis, *duodecim dimidiatum* quinquaginta stuferis, *singulos* denique stuferis quatuor. Quis non putet sæculis distare, quis credat, æquales, municipes, collegas fuisse, quorum alteri denarius septem, alteri quatuor stuferis venit? Sed hinc viro doctissimo accidit, ut opes Romanas, quas augere mirasque reddere cupiebat, plurimum imminueret, ac vehementer turbaret illos, qui quocumque alio auctore ad intelligendam pecuniam Romanam usi, quanam quamque bona ratione tantopere ab illis, qui novissime in hanc curam incubuerunt, diversus abiret, non assequebantur. *Mille nummum* sunt illi quinquaginta floreni seu Carolini, quum sint septuaginta quinque, qualibus utimur: *decem millia*, quingenti, pro septingentis quinquaginta: *centum millia*, quinque millia, pro septem millibus quingentis: *quadringenta*, census equestris, viginti millia, pro triginta millibus: *octingenta*, senatorius ante Augustum census, quater millia, (sed voluit dicere quadraginta millia: etsi illud *quater* utraque habeat editio) pro sexaginta millibus: *decies*, quinquaginta millia, pro septuaginta quinque millibus: *quadragies*, ducenta millia, pro trecentis millibus: *centies*, quingenta millia, pro DCCL millibus: *millies*, quinque milliones florenorum, seu quinquagies centena millia, pro septuagies quinquies centenis millibus. Sic *denarios quinquaginta* interpretatur florenos decem, qui sunt quindecim: *quadringentos* vult florenos octoginta, qui sunt centum viginti:

mille ducentos, qui trecenti: *quinquaginta millia denarium*, decem millia florenorum, quæ quindecim millia. Pariter in ære circumcidit summas; *undecim millia æris*, infimæ classis censum apud Livium, reddit ducentos viginti Carolinos; & sunt trecenti triginta: *centum millia æris*, primæ classis censum, mille florenos; & sunt tria millia florenorum. Sed argentum pondo putes tanto pretiosius reddere voluisse, quanto vilius numeratum fecit, quum *decem libras argenti facti*, ob quas notatus Rufinus Cornelius, ait fuisse bis mille quingentorum Carolinorum, postea trium millium correxit: quæ æstimandæ nostris erant trecentis omnino florenis. *Quatuor millia quadringenta septuaginta tria pondo argenti* in Africani triumpho translata efficere supra nonaginta millia florenorum prius quidem scripserat: sed postea errorem longe graviori errore mutavit. Si calculo, inquit, Pliniano in libras „ singulas trecentos Carolinos computemus, ea summa effectura est trede- „ cies centena & viginti septem millia & nongentos Carolinos. Papæ! hæc quidem gravis est nimis annona argentaria, qua libra taxatur trecentis florenis, centum coronatis, mille denariis, quatuor millibus sestertium. Hæc auri indicatura erat argento decuplo major. Tamen illum mirabilem calculum Plinianum contechnatus est ex lib. XXXIII histor. natur. cap. XI, ubi scribitur L. Crassum oratorem *sex millibus sestertium in libras singulas* paravisse vasa. *Sex millia sestertium* sunt illi trecenti Carolini, quum revera sint quadringenti quinquaginta; tanto lævius, quod in libro de funere cap. 44 pag. 209 sestertium bis mille explicat centum millia florenorum. Sed ante omnia cogitare debuit, non hoc legitimum & ordinarium pretium argenti, sed luxum fuisse immanem, propter manuspretium & artem operis justam libræ argenti æstimationem tanto transscendi, atque eo ipso nomine a Plinio memoriæ mandatum & notatum. Verba sunt: *Delphinos quinis millibus HS. in libras emptos C. Gracchus habuit. L. vero Crassus orator duos scyphos Mentoris manu cælatos sestertiis centum. Constat, eundem sex millibus sestertium in libras singulas vasa empta habuisse.* In quibus & Ciacconius hæ- „ sit. Gracchus igitur, inquit, quatuordecim fere argenti libras manuspretii „ nomine pro singulis libris argenti dedit: libra enim tunc CCCXXXVI sester- „ tios habuit: L. vero Crassus adhuc amplius, decem & octo libras: nam „ Mentoris duos scyphos, hoc est, parva pocula, tribus fere scutatorum „ millibus æstimes licet. Sic ille de triclinio. Sed Gracchus duodecim & selibram pro suis dedit, Crassus libras quindecim, cujus Mentorea duobus millibus quingentis scutatis æstimanda. Nam libra argenti erat quadringentis nummis sestertiis, seu centum denariis, hoc est, decem scutatis, triginta Carolinis nostris. Hæc teres atque rotunda erat veterum in usu & sermone quotidiano computatio, aurifabris & nummulariis minutas accessiones & decessiones ducendas relinquentium: quam qui fastidiunt, faciunt intelligendo tandem, ut nihil intelligant. Ea igitur ratione illud argentum a

Scipione

Scipione translatum erit centenum tricenum quaternum millium centum nonaginta florenorum. Sic Quincti cujusdam luxum carpit Martialis, qui argentum habebat quinque millibus in libras, lib. III epigr. LXII.

Quod constat decies tibi non spatiosa supellex:
Libra quod argenti millia quinque rapit.

Et hic quidem error homini doctissimo sine magistro est innatus. Cæterum *sestertium* stufero, *denarium* quatuor stuferis definire video etiam Hadrianum Junium. Quod forte illis temporibus concedendum: erat enim aliud hujus nummuli pretium, & minore numero coronatum implebat. Nunc aliter se res habet. G. Budæo coronatus est triginta quinque solidorum: cui quum decem subsint denarii, singuli non possunt esse nisi trium solidorum & semissis, eoque sestertius minor solido. Rob. Cenalis pro coronato mavult solatum quadraginta solidorum ponere: itaque denarium quatuor solidorum facit, sestertium eundem quem solidum. Nos coronatum, LX solidorum Hollandicorum, trium florenorum summam, imaginamur: qualis & fuit aliquando, etsi nunc pro pluribus ambulet. Itaque Lipsius, Schottus, Puteanus, Scioppius pro eo ponunt Philippeum argenteum. Et certe sestertius denariusque plus habuerunt argenti, quam erat in illis a Budæo & Cenali positis solidis: sed hi comparabantur illis magis ob pretium, quo valebant vulgo, quam propter materiam. Præterea minuti nostri nummi conferuntur cum minutis antiquis non propter sese, sed propter illud quod faciunt in eo modulo ponderum nostrorum, qui respondet libræ Romanæ aut Atticæ minæ. Quare miror eruditissimum virum, Ianum Laurembergium, qui nisi hoc probe notetur, magni erroris existere causam „ prudenter monuerat, mox eidem errori sese implicuisse. Quum ætate no- „ stra, ait, utraque moneta tam aurea quam argentea ad majus pretium ex- „ creverit, adeo ut uncialis argenteus, quem Thalerum Imperialem appellare „ solent, (prius XXXII solidos Lubecenses valebat) nunc L vel XLVIII valeat, „ & scutatus aureus ad LXIV solidos ascenderit, etiam in æstimii sestertiorum „ designatione plurimum discrepare calculum nostrum a paullo antiquiore „ est non mirum. Hoc recte: non item, quod sequitur: ut igitur ad hodier- „ num pretium sestertios revocemus, scutatus seu coronatus LXIV sestertiis „ æstimabitur. Haudquaquam. Nimirum volebat dicere: scutatus quidem sestertiis quadraginta, ut & olim, sed sestertius solido & dimidio solidi, denarius sex solidis æstimandi. Nam Coronatus, sive aureum sumimus, drachma auri censetur, sive argenteum, superat uncialem, quem Thalerum vocitamus, duabus drachmis: & propterea decem habet denarios, proportione Romæ & Athenis bonis temporibus observata: quotcumque demum stuferi vel solidi sive Gallici sive Lubecenses ei adsignentur: hoc stabile sit ac perpetuum necesse est, nisi omnia volumus conturbare & incerta facere. Hi ergo decem denarii si continent sexaginta quatuor sestertios, necessario

faciendus est denarius sex sestertiorum: quod inauditum. Quatuor enim sestertios habet denarius: decem denarii sestertios quadraginta. In hos ita dispensandi sunt stuferi vel solidi, ut quo tempore plus valuerunt, & minore numero fecerunt coronatum, eodem & pauciores confecisse denarium dicantur; ex quo viliores habiti solidi vel stuferi, & majore acervo coronatum confecerunt, plures etiam conferantur in denarium: & pro eadem ratione sestertium modo minus solido, modo ipsum solidum, modo plus solido patuisse statuendum. Sic uncialis argenteus, inquit, quinquaginta „ sestertii. Falsum: nam uncia argenti octo denarii: hi autem triginta duo sestertii: tot igitur sestertiorum manet uncialis, quot olim fuit & solidorum Lubecensium: sed quia isti solidi Lubecenses hactenus depreciati, ut XLVIII faciant uncialem, sestertius jam non solido, sed solido & alterius dimi- „ dio comparabitur. Libra Anglica, inquit, Sterlingica, ducenti sestertii. At ostendimus eam esse trientem libræ Romanæ, itaque CXXXIII ster- „ tiis respondere. Libra Gallica sive Hollandica, viginti sestertii. Immo Gallica paullo plus undecim sestertii, Hollandica tredecim & triens. Libra „ Flandrica CXX. Immo XCIII triens. Denique stuferus vel solidus noster obolo conferendus, ut Schellingus Belgicus denario sive drachmæ: quippe coronatus vel scutatus, ut decem denariis antiquis, ita decem schellingis sive LX stuferis Hollandicis præterpropter censetur: sic sex obolos habebat drachma vel denarius, ut nunc sex stuferos schellingus Belgicus. Sed & obolus habebat octo chalcos, quot stuferus deutas æreas. Sestertius autem duabus nostris blancis sive albis, duodecim chalcis sive deutis, hoc est, stufero & stuferi dimidio, commodissime comparabitur. Salmasius in libro posteriore adversus Cercoëtium, omissa Budæi computatione, ut ait, hac „ simpliciore utitur. Solidus aureus, inquit, veterum, qualis cudebatur „ sub primis Imperatoribus, duplo major fuit quam noster. is viginti quin- „ que drachmis Atticis æstimabatur. Secundum hanc proportionem noster „ duodecim plus minus drachmis æstimandus veniret: sic singulæ drach- „ mæ non plus quinque solidis nostratibus valent: binæ drachmæ decem „ solidos. Laudo simplicitatem: modo recta sit, nec sumat pro concesso & probato, cui contradicitur. Fundamentum hujus constitutionis est, quod imbibisse summum virum & alibi diximus, aureum Romanum circumscriptum esse drachmis omnino binis auri, & proportionem inter aurum & argentum fuisse duodecuplum. Sed utrumque rationibus, alterum & confessione atque oculis Savoti superius confutavimus. Falsum quoque coronatum Gallicum esse ipsam drachmam. Aureus Romanus nostro duplo & quasi dimidiato major erat. Itaque noster non est semis aurei Romani, sed paullo minus quincunce: est enim quincunx aurei Romani decem denarii sex asses duo trientes, semis autem duodecim denarii octussis sive victoriatus. Adeoque idem ille noster quum sexaginta solidis æstimatur,

tur, drachma vel denarius ſex ſolidis venit. Laurembergius aureum ſcutatum Romani trientem facit: tres enim ſcutatos tenuiſſe patrum ætate cen-
„ tum ſeſtertios: tot autem nummi, aureus Romanus. Quia libra Romana,
„ inquit, ut mina Attica, centum denariis vel drachmis conſtat, denarius au-
„ tem quatuor ſeſtertiis; in libra ſint, oportet, ſeſtertii quadringenti, & ex
„ conſequenti in uncia, utpote duodecima parte libræ, ſeſtertii triginta tres
„ triens. Hæc veriſſima: nam etſi octo denarii, quot ſcilicet ſunt in uncia, tantum colligant triginta duos ſeſtertios: tamen ut ad centenariam libram faciendam, duodecies octonis, hoc eſt, ſenis nonagenis, denariis denarii quatuor in libras, ita in uncias tricenis binis ſeſtertiis unus & ſeſtertii triens accedunt, qui duodecim ſeſtertii duodecimque trientes conficiunt ſeſtertios
„ ſedecim, hoc eſt, denarios quatuor. Totidem (pergit Laurembergius)
„ ſolidis Turonenſibus ſcutatus aureus patrum noſtrorum ætate æſtimaba-
„ tur: ſic ut tres ſcutati centum ſolidos æquarent, & per conſequens cen-
„ tum ſeſtertios, atque ita ſeſtertius ſolido Lubecenſi æquivalere exiſtimetur. Hic vero, quod ille conſequi vult ex poſitis, tres ſcutatos æquaſſe centum ſeſtertios, & ſeſtertium ſolido Lubecenſi perpetuo parem, id nos inde conſequi haudquaquam concedimus. Quid enim hoc eſt argumenti? Uncia argenti vetus habebat triginta tres ſeſtertios & trientem; Scutatus aureus patrum memoria ſolidos faciebat pariter triginta tres & partem ſolidi tertiam: ergo ſolidus idem qui ſeſtertius, tres ſcutati centum ſeſtertii. Nihil hic conſequentiæ, quia ſcutatus, auri drachma conſtans, non unciæ modo veteris argenti, quæ octo drachmarum, ſed unciæ & duabus minimum drachmis ſupra unciam debet comparari ex proportione inter aurum & argentum decupla, quæ tum obtinebat Romæ, atque ita decem denariis, XL ſeſtertiis. Quod autem ſcutatus haberet ſolidos non ultra triginta tres, & uncia argenti ſimiliter triginta tres ſeſtertios, ſola hæc numeri æqualitas non poteſt eſſe argumentum, ut idem habeatur aurei ſcutati & argenteæ unciæ, idem ſolidi atque ſeſtertii meritum: quia non auri & argenti proportionem ac pretium ex ſolido & ſeſtertio, ſed horum inter ſe convenientiam & diſcordiam ex majoribus auri vel argenti ponderibus quærimus. Tum igitur, quum ſcutatus XXXIII tantummodo ſolidis ambularet, quia ſemper in argento Romano habet habuitque XL ſeſtertios, dicendum eſt ſolidum plus valuiſſe ſeſtertio, & tres ſcutatos centum quidem ſolidis, ſed Romanis triginta denariis, CXX ſeſtertiis æſtimatos fuiſſe, ut duo ſcutati cum dimidio reſpondeant aureo Romano centum ſeſtertiorum. Denique ad hoc æſti-
„ mium ait Manucium alioſque Ciceronis interpretes ſeſtertiorum valorem
„ deduxiſſe, *centum ſeſtertios* pro tribus ſcutatis, & *centena millia* pro tribus
„ millibus ſcutatorum numerantes. Fecerunt hoc illi quidem, ſed conturbatis calculis, uti diximus. non enim niſi duos ſcutatos ſemiſſem in centum nummos ſeſtertios, duo millia quingentos ſcutatos in centum millia nummum dare debuerunt.

CAPUT

CAPUT IX.

P. Gassendi æstimatio denarii laudata. Denarium ab uncia, cujus pondus initio habuerit, ad octavam unciæ partem reductum non videri. Non potuisse id silere Plinium, si factum esset, quando de æris & auri signati variato pondere tam diligenter agit. Non absurdam esse proportionem inter æs & argentum, quam fuisse necesse est, si denarius semper fuerit aut septima aut octava pars unciæ. Confirmari eam a Dionysio Halicarnasseo. Tempus breve, quod fuit inter percussum primum denarium & æs imminutum, tam grandes & crebras mutationes non pati. Sub ultimis regibus non potuisse trientem pondo esse denarium, qui tum etiam nullus fuit. Medica alia, alia nummaria libra. Quamvis ad exemplum Siculi decalitri factus sit denarius, non tamen secutos in eo Romanos decalitri pondus. Sestertium genere neutro pro mille nummis non potuit dici, si denarium habuerunt tam gravem, quam fingitur. Assem imminutum non retinuisse omnes partes, quas habuerat in ære gravi. Denarius post assem imminutum non denos, sed senos denos æris valuit. Centussis Persio non XL, *sed* XXV *sestertii. Terna millia æris Cornelii Nepotis non mille ducenti, sed* DCCL *sestertii. Centum quadrantes apud Martialem non* XXV, *sed* VI *sestertii & as. Census classium Tullianarum quid faciat nostro ære, non potest ex abaco docti viri cognosci. Decies sestertium non effertur posteriore vocabulo masculino & genitivi pluralis. Infra decies hoc genere loquendi non utebantur. Millies millies non dicebant Romani. Aureus Romanus major didrachmo. Proportio inter aurum & argentum melioribus temporibus reipublicæ & Cæsarum decupla.*

Jam dabam hanc chartam operis, quum accepi symbolam ad has epulas etiam contulisse P. Gassendum, virum omnium, qui nostra memoria philosophati sunt, elegantissimum. Retraxi manum illico, & requisivi utrumque ejus plenum variæ eruditionis scriptum; nec parvulæ moræ pœnituit. Qui enim non jucundum fuerit mihi, in denarii taxatione, ex qua omnis reliqua pendet, tam prope collineasse utrumque nostrum, alterius ignarum? Ego eum sex stuferis vel solidis Belgii Fœderati, ille septem Gallicis & denariolis quinque cum triente unius denarioli æstimat. Viginti Gallici solidi numerantur pro sedecim nostris: ergo quatuor nostri, quinque Gallici: bini nostri, Gallici bini semis seu sex denarioli: unus noster, illorum unus quadrans. Sex igitur Hollandici, septem Gallici & dimidiatus vel sex denarioli. Ita inter nostram & illius æstimationem tantummodo bes unius denarioli interest. Unciam argenti taxat LXIV solidis Turonicis. Hi sunt quinquaginta nostri, efficientes uncialem sive thalerum. Exacte LII nostri sunt LXV Gallici: hoc discrimen est tam leve, ut attendi non debeat, nisi a mensariis. Sed ut sunt in his complura, in quibus facilius videas, quid huc aut illuc trahat, quam certum habeas, secundum utram partem des litem, denarium ex uncia in trientem, dein sextantem, postea septimam, denique octavam partem unciæ degeneravisse, statuere non ausim. Nemo veterum istius tantæ tamque notabilis varietatis, non dico mentionem, sed vel suspicionem ullam movit: quum tamen de æris & auri signati pondere mutato

tam

tam diligenter agat Plinius eodem loco, ubi nummorum quoque argenteorum genera & mutatum in ære pretium sine ullo vestigio ponderis illorum mutati enarrat. Si factum esset, tam diligens antiquitatis scrutator, & rerum scitu dignarum observator id non ignoraret: si scisset, scriptor adeo indefessus & cupidus propagandi omnia posteritati profutura, tantam occasionem id commemorandi non prætermisisset. Soli, quod sciam, Pancirollus & Savotus id prodiderunt argumentis non firmissimis. Primus Georg. Agricola *graves, leves, levissimos* commentus est diversi ordinis & temporis denarios, ut jurisconsulti *latam*, *levem*, *levissimam* culpam. Plerique post illum, una ex tribus speciebus rejecta, *Consulares* finxerunt & *Imperatorios*, Neronem, qui in ultimo etiam discrimine collatione indicta, ingenti fastidio exegit nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam, quasi non satis aliis rebus peccasset, aut hoc tacituri fuissent omnes historici, monetam quoque circumcidisse criminati. Jam, ut video, differentia venit octojugis denariorum. Adeo subtilitatis potius quam simplicis veri certamine suscepto, non sistunt ingenia, priusquam ad intermundia & atomos processerint. Pancirollum, ait Savotus, velle ad servandam antiquam proportionem inter argentum & æs, quæ fuerit ut unum ad centum viginti, necessarium fuisse, ut denarius uncialis esset tum, quum decem libris æris permutaretur. At illa proportio inter argentum & æs non est antiquissima, sed cum follibus & milliarensibus post Constantinum nata, eoque non debet ad superiorem illam ætatem populi Romani referri. Savotus semuncialem denarium negat mirum videri debere consideranti denarium olim valuisse denas libras æris: qua ratione proportio inter argentum & æs statuatur satis grandis, nimirum ut unius ad ducenta quadraginta. At ego contra nego mirum videri debere, quum ære abundarent, in summa raritate argenti, tam enormem fuisse proportionem inter argentum & æs, ut libra argenti pœne millenis æris æstimaretur, quemadmodum auri decies millenis. Quod si nunc longe aliter se res habet, cogitandum longe alia esse tempora, & quanto minus nunc distant æs & argentum æstimatione, tanto magis nos a sapientissimorum senum consilio distare, qui quærimus invidi, quod illi ingestum repudiabant. Sero argentum tam in pecunia, quam in supellectile Romam admiserunt, quum opulentissimis gentibus, Etruscis, Campanis, Samnitibus, Tarentinis jam devictis omnia auri plena esse potuissent, si hæc illis, non gloria, bellandi causa fuisset. Sed duri & severi homines malebant instrumentum luxuriæ & materiam scelerum penes illos, quibus vires ademerant, quam domi videre. Æs, pecunia & pretium rerum, quæ in commercio erant, & ad quotidianos usus desiderabantur, convenientius visum est paupertati bonæ mentis sorori, quam quingentorum annorum constantia retinebant, insolentibus divitiis, etiam quum sponte adfluerent, fastiditis & exclusis. Id ipsum gravitate & mole sua parcius irritabat avaritiam, acervare,

 quas

quas opes putat, geſtientem. Quum interim argentum irreperet tamen, nec jam arceri poſſet, immane pretium ſupra æs (quod nihilominus ad omnia neceſſaria tum quoque ſufficiebat) ei ſtatuendo morati ſunt nonnihil cupiditates, effeceruntque, ut minus & a paucioribus appeteretur, videntibus argentum plus minus trium ſcriptulorum decem libris æris ſibi commutandum. Hoc ipſum utile fuit ad peregrinam negotiationem (quatenus ejus indigebant. non enim ad luxum) alliciendam: quum quæ drachma conſtabant, pro illis tantum æris rependeretur, quod domum reverſis, etiam ubi pro pecunia valere non poterat,pro optima & lucroſa merce valeret. Quod ſi prima iſta, quam illi volunt, inter æs & argentum proportio fuit, mirifice falſi ſunt ſcriptores rerum Romanarum omnes, qui æs grave ad argentum revocarunt. Ante omnes Dionyſius Halicarnaſſeus in exprimendo cenſu claſſium Tullianarum. Nam ſi libra argenti, non dico CXX, ſed CCXL libris æris æquabatur, drachma, quæ centeſima pars erat libræ argenti, non decem libris æris, ſed duabus paulo plus cenſeri debebat: ita ut drachma cum quadrante drachmæ tres libras faceret. Item CXX libræ æris reſpondebant quinquaginta drachmis, ſexagenæ vicenis quinis, tricenæ duodenis & tribus obolis, quindenæ ſenis & quadranti, ſeptenæ duabus & deunci, una libra drachmæ quincunci, id eſt, duobus obolis, quatuor chalcis. Sic centum libræ æris pares erant XLI drachmis cum beſſe ſeu quatuor obolis: mille, quadringentis ſedecim beſſi: decem millia quatuor millibus centenis ſexaginta ſex cum beſſe: centum millia quadraginta uni millibus ſexcentis ſexaginta ſex & beſſi. Quantopere igitur exerravit Dionyſius, cum *centum millia æris*, cenſum maximum, decem millia drachmarum eſſe voluit? Sic *ſeptuaginta quinque millia æris* reddidit ſeptem millia quingentas, quæ fuerant facienda triginta unum millia ducentæ quinquaginta. *Quinquaginta millia æris*, quinque millia drachmarum, quum debuiſſet ſcilicet viginti millia octingentas triginta tres trientem, ſeu binos obolos. *Viginti quinque millia*, duo millia quingentas, quæ fuiſſent decem millia quadringentæ, ſedecim & quatuor oboli. *Duodecim millia quingenta pondo æris* mille ducentas quinquaginta drachmas, quas hæc ratio jubet eſſe quinque millia ducentas octo binos obolos. Qui numerus ubique duplicandus eſt, ſi uncialem denarium admittimus. Ignoravit igitur hanc rem quoque Dionyſius, aut pudendo calculi errore lapſus eſt. Nam quod addit Savotus, *teruncium*, quadrageſimam denarii partem, fieri non potuiſſe, ſi minus argenti uncia haberet denarius, tam facile rejicitur, quam temere profertur. Quid enim prohibet, quo minus in pauca momenta & quantumvis tenues bracteas lentiſſima materia ducatur? Sed ne tempora quidem Reipublicæ ſi cogites, locus ullus inconſtantiæ tantæ datur. Inter denarium primo percuſſum & aſſes ſextantarios vix viginti quinque anni interſunt: nec medio tempore quidquam interceſſit, quod tam repentinam crebramque deſultoriæ levitatis mutatio-

nem requireret. Ubi ergo mens fuit viri doctissimi, quum bis scripsit, denarium pependisse trientem sub postremis regibus? Qui quæso pependit trientem, quum nec fuit omnino, nec suspicari poterat quisquam aliquando futurum? Argentum signatum est a. v. c. IↃLXXXIV, Coss. Q. Ogulnio Gallo, C. Fabio Pictore, quinque ante Punicum bellum annis, ipsis CCLX post reges ejectos. Dum Punicum bellum trahitur, constitutum, ut asses sextantario pondere ferirentur. Nam illum, quem Servius Tullius primus argenteum nummum flasse dicitur Varroni apud Sosipatrum septem scriptulorum, unde probabunt fuisse denarium? Et si ille trientem unciæ fuit, quum primum flaretur, quando fuit uncialis? Certum est eum nummum non fuisse publici usus, sed temporum, & notam memorabilis alicujus eventus. Sic & tres quatuorve illi, quos ostentat Savotus, non stata lege monetæ, sed privatorum libidine percussi fuerunt. Quod ne nunc quidem, non modo in imperiis & urbibus, sed etiam in ditibus familiis cessat, si quod hujusmodi monumentum cujuscumque rei apud posteros exstare voluerunt. Hippoiatricos sive veterinarios & Priscianum & Diodorum ex versione Ruellii (credo voluisse Dioscoridem) scripsisse, denarium fuisse olim sextam partem unciæ, sic ut sex facerent unciam, & quisque esset quatuor scriptulorum, ait Savotus. At alia est descriptio ponderum in re medica, alia nummorum in re pecuniaria. Præter illa, quæ Celsum & Largum turbare diximus, quibusdam illorum etiam mina habet uncias sedecim, drachmas CXIIS, scriptula CCCXXXVIIS, obolos DCLXXV: libra drachmas XC, scriptula CCLXX, obolos DXL: uncia drachmas septem & dimidiam, scriptula XXIIS, obolos XLV: ut videre est apud Agricolam lib. V, qui est de ponderibus Græcis. Quæ omnia a re nummaria diversissima: ut si Priscianus ab illis hoc hauserit, auxerit errores suos. Deinde iidem denario utuntur, non qui fuerat sub antiquissima republica, sed illo ipso, qui jactabatur tempore Cæsarum. Quid si viris optimis in mentem venisset, Romanos ad exemplum Siculi decalitri suum formasse denarium? quod cum esset decem obolorum Æginæorum, quas & λίτϱας vocabant, sedecim obolorum Atticorum cum besse, ita ut unumquodque duabus drachmis Atticis & quatuor obolis æquaretur, trientem unciæ complebat. Triumphassent, opinor. Sed primo longe pretiosius & æs & argentum erat Romæ quam Syracusis, quum illi non nisi ære hactenus in pecunia fuissent usi, argentum pro gemma ducerent: hi jamdudum & argenteo & aureo nummo uterentur. Deinde vocabula Siculorum adoptaverunt Romani, non ut eandem omnibus partibus rem significarent, sed ut multum diversas propter quandam analogiam. Siculi obolum, nummum argenteum, dixerunt λίτϱαν. Romanis libra σταθμὸς cujusvis rei ponderandæ, sed prima in ære. Οὐγγία Siculis minutus ex ære nummus: Romanis duodecima pars libræ. Siculis decalitron secabatur in decem partes argenti: Romanis denarius appellabatur a decem libris æris, dividebatur autem in

 quatuor

quatuor partes argenti. Nam libella, ut ait Varro, erat ex argento parva, adeo non didrachmo major, ut ne obolo quidem Attico, nedum Æginæo par fuerit: quum Atticus obolus sexta pars drachmæ, libella decima foret. Denique, quod supra, ut *sestertii* pro mille nummis originem & rationem obtineremus, solvenda fuit religio ex discrimine drachmæ & denarii obje-cta; id nunc invertere licet, postquam de *sestertio* illo nemo paulo humanior dubitat. Si denarius unciam aut semunciam aut trientem &c. pondo fuit, necesse est, ex proportione & sestertium nummum fuisse aut quadrantem aut octavam aut duodecimam &c. partem unciæ. Igitur libra, ut habuit vel duodecim vel XXIV vel XXXVI denarios, ita etiam habuit vel XLVIII vel XCVI vel CXLIV sestertios. Hoc si verum est, *sestertium* neutro genere, hoc est, sestertia libra, duæ libræ argenti selibra, fuerunt CXX, vel CCXL vel DCX sestertii nummi. At quis unquam *sestertia* dixit nisi pro singulis mille nummis? qui si quando quadrantem unciæ aut octavam aut duodecimam fecere, singula sestertia oportet æquasse aut XX libras dextantem, aut decem quincuncem, aut septem minus uncia & duabus sextulis. Hujus argumenti tantam vim esse vidit Agricola, (qui tamen haudquaquam eo processit insolentiæ, ut denarium, vel quos graves vocavit, unciam vel semunciam vel trientem faceret) ut *sestertia* pro mille nummis uspiam dici negarit. Quod cum jam sit in confesso, quid habent quo se tegant, qui nolunt centenis denariis, quadringenis sestertiis æstimatam argenti nummariam libram? qui denarios drachma multo faciunt pensiores? qui multa alia de auro & ære ex hoc uno vocabulo, si recte intelligatur, dijudicanda implicant & involvunt. Savotus tamen & sestertios generat, qui quinque unciam argenti, LX libram, nongenti libram auri æquarent: quo sestertio usitato ex uncia factus fuerit denarius & ejus quadrans. Enimvero stomachosior aliquis hoc ferendum esse neget, & cum servulo Plautino facessere jubeat fabrum cudentem plumbeos nummos. Quid plumbeos? si ex cera fuissent, an sæpius fingere & refingere illos potuissent? Plane pueros Romanos faciunt hi subtiles, in denariorum, victoriatorum, sestertiorum pondere lascivientes & multa odiosa (quid enim molestius crebra mutatione monetæ?) delicate jocoseque facientes, quasi ex arena aut stramine casas struerent & destruerent variarentque, decies in hora hiberna. Homo bonus exsultat Plinii verbo; *sestertiorum qui tunc erant*: sed qui tot verba, tot paginas, tot capita in explicando eo loco prodigit, consultius fecisset, si nunquam eum attigisset. non debet enim explicari, priusquam fuerit emendatus, alioqui finis ineptiarum nullus. Revertor ad Gassendum. Ille assem ait, quamvis imminutum, semper suas illas partes, semissem, trientem, quadrantem & cæteras usque ad unciam retinuisse. Si de assario vel asse in pecunia loquitur, nimium dicit: non enim infra illum, nisi semis, triens, quadrans, in usu mansere. Si de asse, quo partiebantur omne solidum, frustra dicit, nam ille nunquam imminutus

nutus est. In ipso abaco placuit viro clarissimo rem, ut ait, ad unguem scrupuloseque exigere. Nobis & propter morem veterum & ob commodiorem docendi rationem minus exacto calculo uti potius videtur. Itaque si incidissem in eandem sententiam, tamen in abaco denarium sive quatuor sestertios septem solidos semissem fecissem ad rotundandos numeros. Neque enim video, si quis illum abacum scrupulosum vel centies legat, quomodo remoto illo ab oculis de pecunia veterum quidquam pronuntiare possit: ita memoriam turbant istæ minutiæ æris excurrentis. Quin citius inter horologia conveniet, quam inter illos, qui hæc adeo exigue persequuntur: semper invenietur, qui alium plus minusve, quam debebat, dixisse criminabitur. Sed quod ibidem *decem æris* ponuntur pro denario, *centum æris* pro decem denariis, *mille æris* pro centum denariis, *decem millia æris* pro mille denariis, *centum millia æris* pro decem millibus denariûm; non modo in universum verum non est, sed etiam contra ipsius ὑπόθεσιν vel destinationem irrepsit. Præfatus est enim de illo se denario agere, qui fuerit octava pars unciæ, utpote sub primis Cæsaribus. At ipse & quos nominavi, denarium, qui decem libras æris penderet, modo octuplo, modo quadruplo, modo triplo, modo duplo volunt fuisse graviorem. Illum autem, qui sub primis Cæsaribus viguit (qualem ego semper fuisse contendo, ubi fuit maximus, tria scriptula non magno excedentem; & si quid variavit, id pro animo magis triumvirorum monetalium & Romanorum principum, quam ex decreto senatus aut lege monetæ accidisse, adeo ut nihil de eo adfirmari possit) illum, inquam, nemo negat non denis æris, sed senis denis æstimatum: sic decem denarios centenis sexagenis æris, centenos mille sexcentis, mille denarium sedecim millibus, decem millia denarium centum sexaginta millibus æris. Reperitur hic error, quum annotatur ideo ad quatuor sestertios appositum *decem æris* &c. ut intelligatur singulis quaternis sestertiis seu nummis, totidem denarios seu *decem asses* respondere: & quum in versu Persii:

Et centum Græcos curto centusse licetur:

Centussem dicitur esse idem quod quadraginta sestertios. Dirigitur enim abacus ad illud tempus, quo quaternis sestertiis seu denario non deni, sed sedecim asses respondebant: & quum Persius scriberet, centum asses non quadragenis, sed vicenis quinis continebantur sestertiis: etenim sestertius non duos asses & semissem, sed quatuor asses valebat. Sic *terna millia æris*, quæ menstruo sumptui expensa tulisse apud Cornelium Nepotem fertur Atticus, non sunt mille ducenti sestertii: hi enim illo ævo quatuor millia octingentos asses colligebant: sed septingenti quinquaginta, denarii CLXXXVIII cum dimidio, nostri coronati octodecim cum didrachmo & hemidrachmo: nam *mille æris* tum sestertios faciebat CCL, denarios LXII & victoriatum. Male de his & Lipsius 4 Admir. 9. Sunt in dies singulos cen-

tum æris. Adde Gellium lib. 2 cap. 24. Sic ubi Martialem adhibet, ut probet *quadrantes* partes aſſis, non denarii, fuiſſe, (quaſi quiſquam dubitet, præterquam in rationibus ad denarium, & quoties denarius, ut cætera omnia dividenda, per aſſis partes dividitur: tum enim *quadrans* pro quatuor aſſibus, quarta denarii parte, ponitur)

Centum miſelli jam valete quadrantes,

centum quadrantes interpretatur xxv aſſes, ſeſtertioſve decem. At hi ſex ſeſtertii & as unus erant. Statim poſt *tria millia æris* mille ducentis ſeſtertiis æſtimata, hoc pacto ſubjungit, etiam intelligi, quantus moneta noſtra fuerit cenſus ſingularum claſſium, quum Livius tradat, conſtituiſſe Servium Tullium cenſum primæ claſſis tantum centum millia æris, ſecundæ LXXV millia æris, tertiæ L millia æris, quartæ XXV millia, quintæ undecim millia. Quod cum ſcriberet vir præſtantiſſimus, rurſus oblitus erat, ſe abacum ſuum direxiſſe ad illum denarium, qui fuerat octava pars unciæ argenti, octo unciarum æris, & adfirmaſſe antea, ſub poſtremis regibus, Servio & Superbo, denarium pependiſſe unciæ argenti trientem: qua ratione ſeſtertius duodecima pars unciæ fuit. *Tria millia* æris, qui & *mille ducenti ſeſtertii nummi,* facit pecunia Gallica CXI libras Turonicas, XIII ſolidos, IV denariolos. At *mille ducenti ſeſtertii,* qui duodecim forent in uncia, ex ipſius ratione eſſent quidem *tria millia æris,* ſed longe amplius iſta ſumma Gallica extenduntur. Colligunt enim centum uncias argenti: hæ ſunt octo libræ quatuor unciæ. Æſtimavit autem unciam LXIV ſolidis, ſeu tribus libris Turonicis, quatuor ſolidis. Hæ in libram Romanam ſunt XXXVIII libræ Turonicæ, octo ſolidi: in octo libras CCCVII libræ Turonicæ quatuor ſolidi, numerus multum diverſus a CXI libris. *Centum millia æris* reddit decem millia denarium: quot etiam ſub Servio valebant, ſi tum, ut illi placet, erat denarius. Sed quia illum denarium ait fuiſſe trientem unciæ, ita ut tres conſtituerent unciam argenti, ſeu libras Turonicas tres, quatuor ſolidos, XXXVI denarii libram Romanam, forent (denarium enim æſtimabimus libra Turonica ad vitandam moroſitatem minutiarum) decem millia denarium totidem libræ Turonicæ: quum in abaco inveniam iis adſcripta tria millia ſeptingentas viginti duas libras Turonic. & quod excurrit. Tantundem efficerent *centum millia æris* iſtius temporis per ſe ex illius ratione argento noſtro comparata. Nam denarium, qui decem libras æris valuit, unciæ argenti trientem, & ſic octo ſcriptulorum, faciendo, unciam argenti æſtimat XXX libris æris ſeu trecentis ſexaginta unciis, libram argenti CCCLX libris æris: ut ſit proportio inter argentum & æs quæ unius ad CCCLX. Sic *centum libræ æris* comparantur LXXX ſcriptulis argenti, quæ ſunt tres unciæ octo ſcriptula, X libræ Turonicæ, XIII ſolidi, IV denarioli: *mille æris,* octingentis argenti ſcriptulis, id eſt, triginta tribus unciis, octo ſcriptulis, quæ efficiunt centum libras Turonicas, ſolidum, quatuor denariolos: *decem*

millia

millia æris, octo millibus ſcriptulorum argenti, hoc eſt, trecentis triginta tribus unciis, octo ſcriptulis, quæ mille libræ Turonicæ & paulum æris excurrentis: *centum millia æris*, octoginta millibus ſcriptulorum, id eſt, tribus millibus trecentis triginta tribus unciis, octo ſcriptulis, eaque decem millia librarum Turonicarum. Sic proportione in cæteris cenſibus ei deſcendendum erat. Atque hinc apparet haudquaquam docere abacum iſtum, quantus ex ipſius utique ratione cenſus fuerit claſſium. In illo, *decies ſestertium*, explicando gregem ſequitur: poſterius vocabulum eſſe genitivo plurali & genere maſculino uſurpatum, dicique per intellectum τ͂ *centena millia*: qui tamen genitivus pluralis (monſtrum horrendum, ingens,) commutari videatur interdum in genitivum, interdum in ablativum ſingularem. Nos planum fecimus jam ante decem annos in eo ſermone, τὸ *ſeſtertium* ſingularis numeri eſſe & generis neutrius: nec intelligi *centum millia*; ſed *decies ſeſtertium* dici pro decies centies ſeſtertio pondere argenti ſignati, hoc eſt, pro duobus millibus quingentis argenti ſignati libris, in quas imputarentur decies centena millia nummum: adeo ut idem ſignificent *decies ſeſtertium & decies centena millia nummum*: ſed alia ſit atque alia utriuſque formula: quum illic *ſeſtertium* ſit ſingulare neutrum, intelligens τὸ *pondus argenti ſignati*, & pro imperio vicinæ orationis per caſus flectatur; hic ſit genitivus pluralis maſculinus, intelligens τὸ *nummum*. Rarius quidem eſſe ait, ut adhibeatur adverbium uſque ad *decies*, & dicatur, ut eſt in abaco: *ſeſtertium ſemel, ſeſtertium bis* &c. Non eſt rarum quod nunquam fit. Audemus affirmare, neminem unquam ita locutum eſſe, etſi per analogiam Grammaticam poſſent, ſed fuerunt rationes, quare hæc uſus repudiaret, quas primo libello expoſuimus. Illud *millies millies*, jam notavimus in Aldo: nam Romani malebant, *decies centies millies*. Similiter multa diſputavimus dudum, quare nec aureum Romanum didrachmum ex inſtituto & lege monetæ, nec proportionem inter aurum & argentum potiſſimo reipubl. & Cæſarum tempore quindecuplam aut duodecuplam, quæ decupla erat, ſtatuere poſſimus. Unum non ſine gemitu legi, ſanctiſſimum illum & divinum Fabricium Peireſcium, auctores omnes & Græcos potiſſimum, qui de Ponderibus & menſuris ſcripſerunt, per bibliothecas Vaticanam, Regiam, Auguſtanam, cæteras, exſcribi curaſſe, ut cum hominibus iſtorum ſtudioſis communicaret. Ubi talem? unde talem? quando talem? quo theſaurus iſte devenit? aut quis ejus mihi copiam facturus eſt?

CAPUT X.

L. Voluſii Mæciani JC. locus inſignis explicatus, defenſus & interdum correctus. Æs excurrens. Conficere rationes ad denarium. Denarii partitio ſecundum aſſis partes. Elegantia calculatorum, hoc eſt, vocabula & notæ æris excurrentis in rationibus ad denarium explicata. Semuncia ſicilicus in ratione ad denarium pro aſſario. Seſcuncia pro dupondio. Sextans ſicilicus

licus

licus pro tribus aſſibus. Quadrans pro quatruſſis. Quadrans ſemuncia ſicilicus pro quinqueſſis. Triens ſemuncia pro ſex aſſibus. Quincunx ſicilicus, id eſt, ſeptem aſſes. Semis pro octuſſis. Semis ſemuncia ſicilicus pro novem aſſibus. Septunx ſemuncia idem quod decuſſis. Beſſicilicus, undecim æris. Dodrans, duodecim æris. Dodrans ſemuncia ſicilicus, terni deni aſſes. Dextans ſemuncia, quatuordecim aſſes. Deunx ſicilicus, quindecim. Heronis Alexandrini locus varie emendatus & illuſtratus. Chalci proprie octo in obolo. Chalcus XLVIII *pars drachmæ argenteæ, non æris, etſi ex ære. Drachma vetuſtioribus non dicebatur in ære. Pars* LXXII, *quam Africanus & Hero aſſi tribuunt, non eſt aſſis nummi ærei, ſed aſſis diviſoris. Duodecim partes denarii Heroni, quæ Voluſio duodecim unciæ. Denarius non dividebatur in partes* MCCLII. *Notæ Græcæ* τοῦ ἡμίσεως καὶ τῆς οὐγκίας. Τροπαϊκά, *victoriati.*

De rationibus ad denarium, victoriatum, ſeſtertium, conficiendis ſcite admodum & eleganter a Mæciano juriſconſulto tractatum eſſe ait Hotomannus, ſed nihilo magis ab antiquariis noſtris intellectum eum locum quam aliquod Cumææ Sibyllæ folium. Budæum & Agricolam quaſi prætereuntes illum adſpexiſſe, tanquam aut nihil ad eorum inſtitutum pertineret, aut *confici rationes ad denarium, ſeſtertium, quinarium*, idem eſſet, quod referre in tabulas certum denariorum, ſeſtertiorum, quinariorum numerum expenſum acceptumve. neque ideo ab ſe culpari, qui poſt attentiſſimam aliquot horarum cogitationem ac moleſtiſſimum laborem, quem in eo partim emendando, partim explorando conſumſerit, vix ſibi viſus ſit bonam operam, in re præſertim hoc tempore ſupervacanea poſuiſſe: niſi quod antiquitatis locum obſcuriſſimum primus omnium illuſtraverit. Laudo voluntatem, etiam ſi quando non reſpondet eventus: nuſquam autem melius operam putem collocari, quam in unico ejus generis monumento: tantum abeſt, ut ſupervacaneam cenſeam. Sed præſagivit animus viri ſæpe divini, ſupervacaneam operam fore, quæ illi omnium infeliciſſima cecidit. Verba Voluſii hæc ſunt: *Quare ſi ad denarium rationem conficies, aſſem hac nota ſcribas,* ✳Σ Ɔ, *ac voces,* Semuncia ſicilicus. *ſemunciæ enim ſedecim & ſicilici ſedecim aſſem efficiunt. Dupondium hac nota ſcribas,* ✳–Σ, *ac voces,* Seſcuncia. *nam ſedecim ſeſcunciæ dupondium efficiunt. Treſſis hac nota ſcribas,* ✳= Ɔ, *ac voces,* Sextans ſicilicus. *æque enim ſedecim ſextantes totidemque ſicilici tres aſſes efficiunt. Quatruſſis hac nota ſcribas,* ✳=–, *voceſque,* Quadrans. *ſedecim enim quadrantes quatruſſis efficiunt. Quinques hac nota ſcribas,* ✳=–Σ Ɔ, *voceſque,* Quadrans ſemuncia ſicilicus. *nam ſedecim quadrantes ac totidem ſemunciæ ſicilicique faciunt quinques. Sexis hac nota ſcribas* ✳==Σ, *nomineſque,* Triens ſemuncia. *æque enim trientes & ſemunciæ ſedecies ducti ſexis efficiunt. Septus hac nota ſcribas,* ✳∴–∴Ɔ, *ac nomines,* Quincunx ſicilicus. *ſimili enim modo quincunces ac ſicilici multiplicati ſeptus efficiunt. Octus hac nota ſcribas,* ✳S, *ac nomines,* Semis. *quibus eodem modo multiplicatis octus*

Inſcriptio vetus apud Gutherium de jure Pontif. 4, 4, 387 PRO GALLO HOLOCAUSTO X. I. IƆ. Ille interpretatur ab Rigaltio denarium unum & binas ſextulas.

reperies.

reperies. Nonus hac nota scribas, ⚹S£Ↄ, *appellesque*, Semis semuncia sicilicus. *sedecies hac quoque nota, quæ vocatur semis semuncia sicilicus, multiplicata nonus invenies. Decus hac nota scribas,* ⚹S–£, *atque nomines*, Septunx semuncia. *septuncem quoque ac semunciam totiens si duxeris, decus efficies. Undeciaes hac nota scribas* ⚹S=Ↄ, *appellesque*, Bessicilicus. *nam bessicilici totiens ducti undeciaes efficiunt. Duodeciaes hac nota scribas,* ⚹S=–, *ac voces*, Dodrans. *dodrantes eodem modo computati duodeciaes efficiunt. Tredeciaes hac nota scribas,* ⚹S=–£Ↄ, *vocesque*, Dodrans semuncia sicilicus. *dodrantibus semunciis sicilicis eadem ratione multiplicatis tredecim asses efficies. Quatuordeciaes hac nota scribas,* ⚹S==£, *ac voces*, Dextans semuncia. *dextantes enim semunciæque sedecim æque quatuordeciaes efficiunt. Quindeciaes hac nota scribas,* ⚹S:-:Ↄ, *ac appelles*, Deunx sicilicus. *deunx quoque ac sicilicus sedecies ducti quindeciaes efficiunt. Ingeniosissime autem, quum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inventa est, quæ sedecies multiplicata id efficeret. namque cum denarii nota præscribatur, eique subjungatur æris excurrentis nota, manifestum est eam sedecies ducendam ex adnotatione denarii.* Hic Hotomannus *excurrentis æris notam* dici vult mire, quæ alias præcurrit, illisque præscripta est: eas notas esse ⚹, ∀, LLS: quarum prima sedecies, altera octies, tertia quater significet. Dein altero versu legit, *incurrentis æris notam*, idque explicat, propositi atque in medium adducti, ut apud Celsum & Scribonium, *tot denarios vel drachmas in libram incurrere.* Utrumque contra omnem rationem & usum loquendi. nam quid habent simile hæc posteriora? quo incurrit illud æs, ut apud hos in libram tot drachmæ? Præterea non dicitur *nota excurrens*, sed *æs:* atque hæ notæ si tantum sunt, ut vult, multiplicandi, non sunt æris notæ. Dicitur autem, illam notam *sedecies* in ratione ad denarium conficienda *multiplicari:* significat igitur de sententia Hotomanni hæc nota X numerum centenum sexagenum: tantum enim facit denarius sedecies ductus. Quid jam profecimus? nam nota illa ducta sedecies effectum fore æs excurrens scribit Mæcianus. Ubi, aut quod illud? Jam quidem multo magis sum Tiresias quam dudum. Sed audiamus interpretantem: Qui ratio-
„ nes ad denarium conficere volebant, ne necesse haberent notam pecuniæ
„ incurrentis sedecies exarare (quod certe molestissimum fuisset) ingenio-
„ sissime sunt commenti certam notam ac figuram, qua præposita & inspe-
„ cta confestim intelligeretur, subsequentes & in rationis lineam inductas
„ notas sedecies multiplicandas esse: nimirum ⚹, quæ denarium, hoc est,
„ sedecim numerum significaret. Velim aliquem esse tam vatem, ut conjicere ac me docere possit, quare nota pecuniæ incurrentis (patiar enim locutionem, quasi, quod vult, significantem) in rationibus conficiendis fuerit sedecies exaranda? & quæ ex eo molestia? Sane erit alter Apollo, qui hoc declaraverit. Nam quod ait, istam notam præpositam significare, sequentes

esse multiplicandas, Mæcianus ipsam *æris excurrentis notam* tradit sedecies ducendam; tradit etiam eam *notam subjungi, denarium præscribi:* est igitur alia nota æris excurrentis, illa quæ & ingeniosissime excogitata dicitur, alia denarii. Corrigit deinde valde male: *Si ad denariariam rationem conficias assem, has notas scribas.* Quid enim *conficere assem?* Quamvis, inquit, pecuniæ summam. Hoc quidem a mente Volusii alienissimum, qui verbis istis ostendit, quomodo in rationibus pecuniarum, quarum summæ per denarios colliguntur, assem redundantem notare ac vocare solerent ratiocinatores. At „ ὁ πάνυ, Finge, ait, me in tabulis scripsisse: *Titio, qui mihi assem crediderat* „ (id est, quamlibet pecuniæ summam, quæ in duodecim partes divideba- „ tur) *persolvi primum* X Σ: *tum sequenti mense persolvi* X Ɔ. Quamvis se- „ mel tantum illam notam posuerim, tamen denarii nota excurrens & præ- „ scripta indicat sedecim persolutas primo semuncias, deinde sicilicos, & sic „ me liberatum esse, & paria fecisse. Hoc vult, si bene oculis utor. Finge me mutua accepisse ab illo Titio duodecim millia nummum. Ejus totius summæ tanquam assis semuncia vel quarta & vicesima pars sunt quingenti: sedecies autem quingenti sunt octo millia. Igitur fac me primo solvisse octo millia: ea significabo in tabulis meis ista nota, X Σ: quod sit, *sedecies semunciam.* Rursum quadragesima octava, quasi sicilicus, sunt ducenti quinquaginta: sedecies autem CCL sunt quatuor millia. Quum ergo postea persolvi illa quatuor millia, scribo me expensum tulisse X Ɔ, sive *sedecies sicilicum.* Atque ita *conficere rationes ad denarium*, nihil esse aliud statuit quam æra, quocumque genere pecuniæ, post præscriptam denarii notam multiplicare per sedecim; *ad victoriatum*, per octo; *ad sestertium*, per quatuor. Nihil tale nec Volusius unquam nec quisquam veterum somniavit. Scilicet qui sese parte æris alieni liberaverat, non poterat in codice suo id annotare, nisi prius debitum suum instar assis in duodecim partes descripsisset, ac dein subduxisset, quot unciis, semunciis, sicilicis esset liberatus. Quemadmodum vero hic apparet, nisi ea ratio inventa esset, rem molestissimam faciendam fuisse, nempe notam nescio cujus æris incurrentis oportuisse sedecies exarari? Cur non (nam ipsius interrogationibus multo justius hic utar) scriberet statim *octo millia?* & dein *quatuor millia?* Sed prævertamur ad verum sensum Mæciani eruendum: quo percepto, non possunt, quos implicuit vir doctissimus, errores quemquam morari. *Conficere rationes ad denarium* est pecunias in codice rationum vel expensas ferre vel acceptas referre denariis; *ad victoriatum*, victoriatis; *ad sestertium*, sestertiis. Neque vis hic alia præpositionis, quam in illo apud Ciceronem in Quinctiana: *quid iis ad denarium solveretur.* id est, quanta summa denariorum debitum, quod in alio genere nummi contractum erat, expungeretur. *Æs* autem *excurrens*, id quod est intra denarium, seu minus assibus sedecim, & tamen ad idem caput, cui adscribitur, pertinet: ut in L. XXVI π. II. D. Depositi: *ex ratione*

tione patris vestri decem & quod excurrit. Edictum regis Hunerici apud Victorem lib. II de perſ. Vandal. *Quod a mille & qui id excurrunt pontificibus de toto orbe in Ariminenſi concilio vel apud Seleuciam amputatum eſt.* Velut hodie qui ad libras vel florenos vel francos, quos vocamus, rationes conficiunt, æs excurrens habent, quod eſt intra ſtuferos vel ſolidos viginti. Hoc utrumque cum in promptu eſſet Hotomanno, quod non adſequeretur, quomodo verbis hi ſenſus aptarentur, utrumque refutavit. Voluſius: *Ingenioſiſſime cum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inventa eſt, quæ ſedecies multiplicata id efficeret.* Delicias vide Romanorum, qui in rationibus conficiendis æs excurrens, non per numeros aſſium ſimpliciter, ſed per aſſis partes, quæ ſedecies ductæ totidem aſſes, quot eſſent in ære excurrenti, efficerent, ſignificarunt. Igitur quoties per denarios acceptorum aut expenſorum colligebant ſummas, inventas uſurpabant *notas* (puta ex illis notis, quibus libræ vel aſſis partes notabantur) *æris excurrentis* (quibus notarent illud æs, quod ultra denarios & denario vel ſedecim aſſibus minus erat in eadem ſumma) *quæ* notæ *ſedecies multiplicatæ* (quæ ſigna vocabulaque partium aſſis, quia aſſium ſedecim denarius erat, ſedecies aucta vel ducta) *id* æs excurrens *efficerent*, nempe tot aſſes, quot ſingulis denariorum ſummis ſuperfuerant. Fatendum eſt, paullo obſcurius loqui juriſconſultum, quam erat neceſſe. Rationem ærariam, cui adſuerant ante argentum ſignatum, tranſtulerunt ad rationes nummi argentei denarii: & quia ſingula æra ſive accepti ſive expenſi non finiebantur ſemper numero denariorum, ſed ſæpe aliquot aſſibus ſuper denarios excurrebant, illam ſummulam denario minorem inſtituerunt perſcribere, non numerando tres, quatuor, aut quot ſupererant aſſes, ſed conceptam vocabulis, &, quo celerius fieret, in tabulis notatam ſignis partium aſſis. Denarius ſedecim aſſium erat quaſi totum, ergo *as*: quod minus erat ſedecim aſſibus, hujus aſſis velut *uncia* vel plurium unciarum pars, vel *ſemuncia*, vel *ſicilicus* habebatur. Sic *uncia* denarii ſedecim aſſium eſt as cum triente: *ſemuncia* duo trientes: *ſicilicus* triens: *ſextans* ſeu duæ unciæ denarii, aſſes duo duoque trientes: *quadrans* denarii ſeu tres unciæ, quatuor aſſes: *triens* ſeu quatuor unciæ denarii, quinque aſſes triens: *quincunx*, ſex aſſes duoque trientes: *ſemis*, octo aſſes: *ſeptunx*, novem aſſes triens: *bes*, decem aſſes duo trientes: *dodrans*, duodecim aſſes: *dextans*, tredecim aſſes triens: *deunx*, quatuordecim aſſes duo trientes: adde *unciam* unam, nempe aſſem trientem; completus erit *as* denarius, ſive ſolidum, ſedecim aſſes. Hinc ergo quum as redundaret ſuper denariorum ſummam, ſic faciebant: *Mævio expenſos tuli* ✳ L X £ Ɔ. hoc eſt, *denarios ſexaginta ſemunciam ſicilicum.* As denarii ſextadecima pars, conſtans ex quarta & viceſima parte, ſive duobus trientibus, & quadrageſima octava, ſive triente uno. At aſſis ſextadecuma pars eſt *ſemuncia ſicilicus.* nam ſedecim ſemunciæ ſunt octo unciæ, ſedecim ſicilici quatuor unciæ, quibus duo-

decim junctis completur as. Est autem *semuncia* pars vicesima quarta, *sicilicus* quadragesima octava assis sive solidi cujusque per duodecim uncias divisi. Inde igitur factum, ut pro excurrenti asse notarent dicerentque logistæ *semunciam sicilicum*. Quum duo asses ita scribebant & pronunciabant: *Titio eo nomine erogavi* ✕ L – Σ. hoc est, *denarios quinquaginta sescunciam*. Scilicet bini asses sunt pars octava denarii: nam bis octo sedecim. At octava pars assis *sescuncia*. etenim octo sescunciæ duodecim faciunt uncias. Sic pro dupondio vel duobus assibus ultra denarium notatur & pronunciatur *sescuncia*. Quum tres asses excurrerent, sic referebant. *Scio dedi* ✕ X X = Ɔ. hoc est, *denarios viginti sextantem sicilicum*. Tres asses denarii sunt sexta & quadragesima octava pars. At sexta pars assis est *sextans*, quadragesima octava *sicilicus*. Ergo tres asses denarii *sextans sicilicus*. Sex asses, duo sextantes duo sicilici, sive quatuor unciæ & semuncia: novem asses, tres sextantes tres sicilici: duodecim asses, quatuor sextantes quatuor sicilici, hoc est, dodrans sive novem unciæ denarii: quindecim asses, quinque sextantes quinque sicilici, hoc est, deunx vel undecim unciæ cum sicilico vel quarta parte unciæ. Ut assem sive totum denarium habeamus, supplendi tres sicilici, quo numero est assarius in denario sedecim assariorum: qui, ut modo dictum, pronunciatur notaturque *semuncia sicilicus* denarii, sive tres sicilici. Si quatuor asses superfuerant, ita scribebant: *Lucio expensos tuli* ✕ X = –. hoc est, *denarios decem quadrantem*. Quatuor asses quarta pars denarii sedecim assium. As autem quatuor habet quadrantes. Ergo quatuor asses denarii *quadrans*. Si quinque asses excederent denariorum numerum: *Paullo* ✕ C = – Σ Ɔ. hoc est, *denarios centum quadrantem semunciam sicilicum*. Quinque asses denarii pars quarta & sextadecima. Est autem assis quarta pars *quadrans*, sexta decima *semuncia sicilicus*. Ergo quinque asses denarii *quadrans semuncia sicilicus*. Sex asses ita significabant: *Sempronio eo nomine* ✕ C C = = Σ. hoc est, *denarios ducentos trientem semunciam*. Sex asses sunt denarii ex sedecim assibus constantis pars tertia, videlicet quinque asses, quatuor unciæ, & vicesima quarta, nimirum octo unciæ. Octies enim viginti quatuor sunt CXCII, quot unciæ universæ sunt sedecim assium. Sedecies autem duodecim & octies viginti quatuor eundem numerum efficiunt. Jam pars tertia assis *triens*, quarta & vicesima *semuncia*. Ergo sex asses denarii *triens semuncia*. Septem assibus hanc dederunt notam: *Caio dedi* ✕ C C C ∴ Ɔ. hoc est, *denarios trecentos quincuncem sicilicum*. Sex asses & duo trientes denarii sedecim assium sunt *quincunx*. Deest ad septussis explendum triens unus, seu quatuor unciæ, quæ est quadragesima octava pars denarii: nam quadragies octies quatuor unciæ ductæ conficiunt CXCII. Est autem quadragesima octava pars assis *sicilicus*. Ergo septus *quincunx sicilicus*. Octo asses sic denotabantur: *Titio eo nomine* ✕ C C C C S. hoc est, *denarios quadringentos semissem*. Octo asses denarius dimidiatus. Assis dimidium

midium *semis.* Sic victoriatus denarii *semis.* Si novem asses restarent: *Quod plus dedi Alfio* X̶LXXS£Ɔ. hoc est, *denarios septuaginta semissem semunciam sicilicum.* Novem asses denarii pars altera, superque pars sextadecima. As autem duos semisses, sedecim semuncias sedecimque sicilicos habet. Ita novem asses denarii *semis semuncia sicilicus.* Decem asses ita repræsentabant: *Alfeno* X̶XVS—Σ. hoc est, *denarios quindecim septuncem semunciam.* Decem asses denarii *septunx*, id est, novem asses triens, & præterea duo trientes ad decimum assem implendum. Ea denarii *semuncia* est. nam uncia denarii as cum triente. Asses undecim sic exprimebant: *Illi* X̶XXVS=Ɔ. hoc est, *denarios viginti quinque bessem sicilicum.* Undecim asses sunt denarii duo trientes, sive octo unciæ, & quarta pars unciæ sive triens unus. Octo autem unciæ assis *bes*, quarta pars unciæ *sicilicus.* Ergo undecim asses denarii *bes sicilicus.* Duodecim asses fingebant vocabantque: *Quinto* X̶XXIVS=—. vel SZ. hoc est, *denarios viginti quatuor dodrantem.* Duodecim asses denarii novem unciæ, qui *dodrans* in asse. Tredecim hac nota intelligebantur: *Illi* X̶XXXS=—ΣƆ. hoc est, *denarios triginta dodrantem semunciam sicilicum.* Tredecim asses continent denarii novem uncias, sive *dodrantem*, & præterea sextamdecimam partem, quæ in asse *semuncia sicilicus.* Igitur tredecim asses superantes denarium in ratione *dodrans semuncia sicilicus.* Quatuordecim noscebantur hoc modo: *Sexto* X̶XLS==Σ. id est, *denarios quadraginta dextantem semunciam.* Nam tredecim asses & triens sunt denarii sedecim assium decem partes duodecimæ: ad implendum quartum decimum duobus opus est trientibus, sive octo unciis, quæ est pars quarta & vicesima ejusdem denarii. Sunt autem decem partes assis *dextans*, quarta & vigesima *semuncia.* Hinc quatuordecim asses, denarii *dextans semuncia.* Denique asses quindecim ita signabant: *Decimo* X̶XVS:-:Ɔ. hoc est, denarios quindecim deuncem sicilicum. Sunt enim quindecim asses, denarii undecim unciæ, hoc est, undecim asses undecimque trientes, ex quibus undecim trientibus fiunt tres asses duo trientes, & insuper quarta pars unciæ, triens unus. Undecim autem unciæ, cujusvis assis *deunx*, quadrans unciæ *sicilicus.* Sic asses quindecim, denarii *deunx sicilicus.* Has duodecim uncias denarii in rationibus usitatas agnoscit & Hero Alexandrinus: Διαιρεῖται δὲ ἐκ περιουσίας καὶ τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους εἰς μέρη ͵ασνβʹ. ἔχει γὰρ μέρη ιβ, νούμμους δ, ἀσσάρια ις. Ὁ δὲ νοῦμμος οὐγκίαν ἔχει τῷ σταθμῷ· τὸ ἀσσάριον διαιρεῖται εἰς τε ʹʹ, καὶ γʹʹ, καὶ δʹʹ, καὶ ϛʹʹ, καὶ ηʹʹ, θʹʹ, καὶ ιʹʹ, καὶ ιαʹʹ, καὶ ιβʹʹ, καὶ ιϛʹʹ, καὶ ιηʹʹ, καὶ κδʹʹ, καὶ λϛʹʹ, καὶ μηʹʹ, καὶ νʹʹ. καὶ τάδε μέρη ταῦτα ἰδίας ὀνομασίας ἔχει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις λογισταῖς. *Dividitur præterea etiam denarius secundum Romanos in partes* MCCLII. *Habet enim partes duodecim, nummos quatuor, asses sedecim. Nummus autem unciam habet ponderis. As dividitur in partem dimidiam, & tertiam, & quartam, & sextam, & octavam, & nonam, & decimam, & undecimam, & duodecimam, & sextam*

& sextam decimam, & octavam decimam, & vigesimam quartam, & tricesimam sextam, & quadragesimam & quinquagesimam. Atque hæ partes appellationes suas habent apud Romanos ratiocinatores. Transscribimus hunc locum, ut accepimus ab illustri Scaligero, sed insignite corruptum. Quas partes vocet MCCLII, hoc vero quærendum est, inquit Scaliger. Video totidem partes fere denario ex Africano tribuere Savotum lib. III cap. XXV: dixi fere, centum enim desunt. Hic voluit homo doctissimus ingenii sui acu-
„ men tentare. Restat, inquit, explicandum, quid sit, quod apud Africa-
„ num legitur, Romanos divisisse denarium in mille centum quinquaginta
„ duas partes. Præstruit sollicite, hoc intelligendum de denario sedecim assium & assium quadrantariorum, sive ut loquitur, qui essent duarum drach-
„ marum æris. Hunc assem vel assarium, inquit, dividit idem auctor in se-
„ ptuaginta duas partes. quæ si multiplicentur per tot assaria, quot valebat
„ denarius, videlicet sedecim, nascuntur MCLII. Ergo quum dicit dena-
„ rium dividi in partes MCLII, hæ partes non debent intelligi partes pon-
„ deris, sed pretii in ære. Et quandoquidem istæ MCLII partes tantummo-
„ do quatuor unciarum erant (quod sedecim assaria, quibus tum permuta-
„ batur denarius, omnia non plus facerent æris quam trientem libræ, sin-
„ gula duas drachmas) unaquæque harum partium non plus habebat pon-
„ deris, quam sexta & tricesima drachmæ, hoc est, granum & tres quadran-
„ tes unius grani æris, si drachmæ attribuuntur LXIII grana: ita ut quæ-
„ vis millesima centesima quinquagesima secunda pars æris, aut septuagesi-
„ ma secunda assarii, cum haberet pondus tricesimam sextam partem drach-
„ mæ, essent pondere chalci: drachma enim dividitur in sex obolos, obolus
„ in sex chalcos. Quamvis ægre intelligas, quid sibi velit, aut quo juverit quatuor uncias æris in tantillum pulverem dispergi, an disperdi; satis tamen apparet plus vice simplici a vero illum deviasse. Chalcos sex in obolum illi remittimus, quia dissentiunt auctores. Plinius decem ei tribuit, quas alibi *sexagesimas denarii partes* vocat. Diodorus apud Suidam & quæcumque illa Cleopatra sex. In veteri apud me membrana statuitur unciæ II *semuncia*, III *duella*, IV *sicilicus*, VI *sextula*, VIII *drachma*, XII *hemisescla*, (f. *semisextula*) XVI *tremissis*, XXIV *scriptulum*, XLVIII *obolus*, LXXII *cerates*, XCVI *siliса*, CXX *chalcus*. Isidoro chalcus quarta pars oboli est. Hi omnes de ponderibus loquuntur, non de partibus pretii in ære, de quibus tamen agere instituit Savotus. Pollux octo chalcos in obolo agnoscit: quem sequimur, quia de nummis scimus ibi tractare, quum isti pondera & nummos misceant; dein quia nemo explicatius. Ὁ μὲν τοι ὀβολὸς, inquit, ὀκτὼ χαλκοῦς εἶχε· καὶ οἱ μὲν δύο χαλκοῖ, τεταρτημόρειον, ἢ κατ᾽ ἀποκοπὴν, τεταρτημόριον ἐκαλεῖτο. Οὕτω δ᾽ ἂν εἶεν καὶ δίχαλκον, ὅτι ἴσον τοῦ ὀβολοῦ τέταρτον. Οἱ δὲ τέσσαρες χαλκοῖ, ἡμιωβόλιον. Οἱ δὲ ἓξ χαλκοῖ, τριτημόρειον, ὅτι τὰ τρίτα μέρη ἐστὶ τοῦ ὀβολοῦ. Quid expressius? Sed & testimonia ex Philemone & Platone adponit. Quæ si legendi operam sumsisset

fiſſet Savotus, nunquam jeciſſet, quod exſtat lib. III cap. XVIII, ſi τὸ λεπτὸν in Euangelio non pependiſſet niſi octavam oboli partem, non potuiſſe id eſſe ſpeciem nummi. Immo potuit eſſe non modo pondere octava oboli, ſed etiam octavæ oboli ſeptima. Septem enim λεπτὰ chalco adſignantur. Dein chalcus erat drachmæ quidem, non XXXVI, ſed XLVIII pars, verum drachmæ argenteæ, non autem drachmæ æris, a qua tamen exorſus fuerat Savotus. Nam & ſic loquentem feram, quia video apud Cleopatram: Ἀσσάριον ἔχει δραχμὰς β΄. καὶ διπόνδιον ὁμοίως ἔχει δραχμὰς δ΄. Secus vetuſtiores, qui *drachmam* in argento & auro, non in ære, ponebant, ut liquet ex Voluſio & Priſciano. Præterea ſi harum quævis particularum erat XXXVI drachmæ, ſive duorum ſicilicorum æris, as autem duarum drachmarum ſive ſicilici ære eſſet, ſequitur aſſem habuiſſe partes hujuſmodi LXXII, quod & ipſe loquitur. At quis cogitavit unquam aſſem Romanum, & quidem quadrante unciæ, ſive ſicilico æris conſtantem, ſeptuaginta duobus chalcis æſtimatum? quem ſupra oſtendimus, etiam cum ſemunciam æris haberet, non valuiſſe ultra τρίχαλκον. At LXXII chalci ſeſquidrachmam conficiebant, id eſt, denarium & victoriatum: tantum abeſt, ut as, ſexta decima denarii pars, LXXII chalcos habuerit. Ille vero capitalis error, & qui omnem laborem ingenioſi viri habet fruſtratui, quod LXXII illas partes, in quas dividi aſſarium ab Africano commemoravit, credidit eſſe partes pretii æris in aſſe tam minuto, vel partes aſſarii nummuli; quum ſint partes illius aſſis, per quem omne ſolidum dividebant. Prorſus enim eadem ſunt Africani, quæ Heronis verba, ut poſſit hic ex illo transſcripſiſſe videri, ſiquidem eſt Africanus ille Julius Euſebio nobilis: quamquam eadem utriuſque res haud multum diverſa verba requireret etiam inter ſeſe ignarorum. Ex Africano quoque adducit Savotus: *Denarius apud Romanos habet nummos ſeſtertios quatuor. Nummus vero pondere unciam habet.* quæ verba & hic apud Heronem exſtant. Hi auctores igitur quum ponunt denarium ſedecim eſſe aſſariorum, ſane de aſſe numiſmate intelligunt: quum vero ipſius aſſis diviſionem peragunt, non aſſis ſignati, ſed aſſis diviſoris partes enarrant. Sic Hero duodecim primo recenſet uncias, in quibus ε & ζ, hoc eſt, quincunx & ſeptunx, ſive ipſius, ſive librarii negligentia omiſſi: nam, καὶ η, pro καὶ κ, quinto loco nos fecimus, operarum hoc erratum exiſtimantes. Sexta decuma eſt *ſemuncia ſicilicus*, octava decuma *ſemuncia ſextula*, viceſima quarta *ſemuncia*, triceſima ſexta *duæ ſextulæ*. Hactenus verum eſt aſſis partes, quas recenſet per numeros & numerorum notas, habuiſſe peculiaria nomina apud ratiocinatores. At quæ duæ ultimæ ſtatuuntur, *quadrageſima & quinquageſima*, nominibus carent, ut ex Voluſio conſtat. Itaque in illis librarii eſſe lapſum cenſeo, & reſtituendum: καὶ μη, καὶ οβ. hoc eſt, & XLVIII & LXXII. Imperat Voluſius, qui eodem ordine: *Eſt autem aſſis ſemuncia viceſima & quarta: duæ ſextulæ, pars tricesima ſexta: ſicilicus, quadrageſima octava: ſextula,*

tula, septuagesima secunda. Imperat & Africanus, quantum ex Savoto colligere est: neque enim ipsum illud fragmentum vidimus. Atque in hac parte sistunt Africanus & Hero, quia ipsis libuit; non quasi non sint plures: sunt enim, *dimidia sextula*, CXLIV; *scriptulum* CCLXXXVIII; *simplium* DLXXVI, ut persequitur Volusius. Apparet igitur LXXII partem assis, quam Africanus appellat, non posse esse eandem quam dicere putatur, millesimam centesimam quinquagesimam secundam denarii: nec quod συγκυρίᾳ quadam sedecies septuaginta duo colligunt mille centum quinquaginta duo, ideo illa assi numismati, hæc denario, cui sedecies assarius inest, adscribenda, tanquam partes pretii utriusque. Quid ultra tendo? Partes illas mille, sive centum, ut ex Africano recitat Savotus, sive ducentas, ut ex Herone Scaliger, & quinquaginta duæ, neutri videntur notæ fuisse, sed in utrumque additæ a librariis. Quis non videt vitium in hac inæqualitate sermonis: *Denarius dividitur in partes mille* CCLII: *habet enim partes duodecim.* Hæc μέρη δώδεκα sine dubio sunt duodecim unciæ, in quas denarium, tanquam assem, in rationibus, æris excurrentis signandi gratia, dividebant οἱ Ῥωμαῖοι λογισταὶ, quod ex Volusio didicimus & proposuimus. An hæ causam afferunt, cur idem denarius comminuatur conteraturque in MCCLII vel MCLII particulas? Et tamen adferre causam possemus dicere, si nugari liberet. Possemus, inquam, dicere, mille centum quinquaginta duas partes attribui denario, ut assi, ut ex duodecim unciis constanti. Quî hoc? nam tota pars assis est dimidium simplium: bis enim quingenta septuaginta sex reddunt MCLII. Sed ne hæc quidem ultima divisio: quippe de simplio Volusius: *Quam & ipsam partem infinito separare possis.* Dein quis istarum partium usus in ratiocinio? eas autem quærimus, quibus nomina & notæ propriæ sunt, quæque adhibebantur a calculatoribus. Scribe, si sapis, cum Salmasio*: Διαιρεῖται δὲ ἐκ παλαιοσίας τὸ δηνάριον κατὰ Ῥωμαίους εἰς μέρη, ἀσσ. νουμ. id est, εἰς μέρη, ἀσσάρια, νούμμους. quæ deinde ordine exsequitur. Et sic etiam restituendum apud Africanum. Super hæc omnia dicit Hero assem dividi εἰς π ∠″. id est, ἥμισυ. Hoc recte: intelligit enim duos habere semisses. Sed quid attinet sequentibus omnibus numeris eandem notam adjicere? nam γ ∠″ est τρίτον ἥμισυ, *tertiam & dimidiam:* δ ∠″. τέταρτον ἥμισυ, *quartam & dimidiam* &c. Aut igitur tollenda est ea notā, aut reformanda. Unciæ signum Græcis est gamma appositum vel superpositum habens omicron. Vide Appendicem Nicandri. Nosque ipsi notavimus in Eusebii Pamphili ἐκλογῇ περὶ σταθμῶν, quam MS. communicavit mecum pro humanitate sua Isaacus Vossius. In ea invenimus: Δηνάριον γο δ. id est, οὐγκίαι τέσσαρες, *unciæ quatuor.* Νοῦμμος γο α. id est, *uncia una.* Στατὴρ γο τὸ ∠″. id est, οὐγκίας τὸ ἥμισυ, *unciæ dimidium:* stater scilicet argenteus tetradrachmus. Σίκλον γο

τὸ δ.

* Etsi aliter idem adv. Cercoet. pag. 19.

τὸ δ. id eſt, οὐγκίας τὸ τέταρτον. *unciæ quadrans.* Ἀσσάριον γο τὸ δ. Κοδράντης γο τὸ δ. Sic igitur apud Heronem potuit fuiſſe: καὶ Ϛ γο, καὶ δ γο, καὶ ϛ γο, καὶ η γο, καὶ θ γο, καὶ ι γο, καὶ ια γο, καὶ ιβ γο. hoc eſt, *& tres uncias, & quatuor uncias, & ſex uncias, & octo uncias, & novem uncias, & decem uncias, & undecim uncias, & duodecim uncias.* In reliquis omnino delenda eſt. non enim hæ ſunt unciæ, quas duodecim tantum as habet. Hæc ſcripſeram, quum ipſum illud Africani fragmentum ex Κεστοῖς ejus decerptum, ut editum eſt, accepi. Verba, quæ huc pertinent, ſunt iſta: *Denarius autem apud Romanos dividitur in partes millenas centenas duas & quinquaginta. habet etiam tropaica duo quinarioſve duos, nummos ſeſtertioſve quatuor, aſſaria vero, ſeu aſſes ſex & decem. Nummus vero pondere unciam habet. Aſſarion autem aſſiſve ſeu as dividitur in dimidium, tertium, quartum, ſextum, octavum, nonum, decimum, duodecimum, quartum & vigeſimum, ſextum & trigeſimum, octavum & quadrageſimum, ſecundum & ſeptuageſimum. Partes autem hæ apud Romanos ratiocinatores ſuas habent nominationes.* Agnoſcis, quod ſuſpicabar, eadem dicere Africanum quæ Heronem. Primo idem vitium in numeroſis illis partibus, niſi quod auctor verſionis ας invenit in Græco exemplari pro ασ. Nam illud, ἔχει γὰρ μέρη δώδεκα, haud ſcio an omiſerit, quia male conveniebat illis, quæ præcedenti membro conceperat. Unum amplius in Africano eſt, δύο τροπαϊκά, hoc eſt, duos victoriatos ſive quinarios habere denarium: quod forſan & Heroni traditum culpa deſcribentis intercidit. Cætera omnibus partibus conſentiunt: at maxime τὰ, *octavum & quadrageſimum, ſecundum & ſeptuageſimum*, confirmant conjecturam noſtram. Chalcos autem ſex, quod tentat Savotus, adeo ſibi non patitur aptari Africanus, ut bis diſerte ſcribat, quod nos volumus. *Drachma,* inquit, *ſex obolos, obolus chalcos octo, drachma ergo chalcos octo & quadraginta habet.* Et ſub finem: *Chalcus, qui eſt oboli pars octava.* Fuiſſe autem tale quid & apud Heronem apparet ex Snellio.

CAPUT XI.

Voluſius iterum illuſtratus. Notæ ratiocinatorum quomodo ſedecies multiplicatæ æs ſuper denarium excurrens efficere dicantur. Quæ ratio iſtius rei, quam mirari Voluſius videtur. Non ingenii inventum eſt, ſed neceſſarius eventus. Pedis partitio ſimillima partitioni denarii. Βήσαλον. *Beſales lateres. Dodrantes inter ordines. Varro illuſtratus. Pes as menſoribus. Arithmeticis aſſem* μονάδα *fuiſſe dictam veriſimile eſt, etſi parum firmis argumentis adhuc probatum. Columella, Hyginus Gromaticus, Auctor incertus, & ex Epaphrodito ac Vitruvio excerpta correcta. Trigonus ductus octies. Accepto aſſe. Dupondius, ſexis, viceſſis, pro duobus, ſex, viginti. Marcianus Capella ter emendatus. Viceſquatrus. Pondo male dicitur ſignificare pedem. Libra modus agri. Via ſedecim millium, Hæreditatis octodecim millium nummum. Jugeri partitio. Solidum numeris conſtans ſi per aſſem dividatur, quot numeris conſtat omne, toties multiplicatas aſſis partes, quibus ſinguli numeri nuncupantur, reddere numerum illarum ſingularum partium, quas deſignant, late probatur.*

Scribit Volusius *notam* illam *æris excurrentis sedecies multiplicatam* id efficere: quæ verba vel maxime impedivere Hotomannum. Sed si recte experiere, vera deprehendes. De asse, qui denarii *semuncia sicilicus*, jam dictum, sedecim semuncias totidemque sicilicos integrum reddere quemvis assem: sedecim nempe semunciæ bessem dant sive octo uncias, sedecim sicilici trientem seu quatuor uncias: ex quibus duodecim componitur totus as. Sic quod duos asses *sescunciam* dicunt, duæ sescunciæ tres faciunt uncias, quatuor semissem, octo assem, sedecim dupondium. Tres asses *sextans sicilicus* denarii: sedecim enim sextantibus XXXII continentur unciæ, seu dupondius & octo unciæ; sicilicis sedecim triens, uti dictum: sic habes tressis. Quatuor asses denarii *quadrans*. Tres enim unciæ quadrantem, quatuor quadrantes assem faciunt: sic sedecim quadrantes quatrussis. Quinque asses, denarii *quadrans semuncia sicilicus*, sedecies multiplicati, intelliguntur ex illis, quæ de primo & quarto asse diximus. Sex asses, denarii *triens semuncia*. nam sedecim trientes, singuli unciarum quatuor, efficiunt quinquessis & quatuor uncias; sedecim semunciæ bessem; quibus junctis exit sexis. Septem asses, denarii *quincunx sicilicus*. nam sedecim quincunces faciunt octoginta uncias, sedecim sicilici trientem seu quatuor uncias, ex quot unciis constat septussis. Octo asses, *semisses* utique sedecim. Novem asses facere *semissem semunciam sicilicum* ductos sedecies, ex octavo & primo asse intelligis. nam semissibus sedecim, qui octo faciunt asses, si addas semuncias sedecim, quæ octo sunt unciæ, & sicilicos sedecim, qui triens, habueris nonussis. Scribendum autem hic apud Volusium: *Sedecies hac quoque nota, quæ vocatur semis semuncia sicilicus, multiplicata, nonus invenies.* Ubi vulgo: *Ut semissem hanc quoque notam, quæ vocatur semissis uncia sicilicus, multiplicatum.* quæ merum sunt ulcus. Decem asses denarii *septunx semuncia*. nam sedecim septunces centum & duas uncias seu asses novem & quatuor uncias complectuntur: quibus bessem, quem sedecim semunciæ componunt, si addas, habebis decussis. Asses undecim denarii *bes sicilicus*. nam sedecim besses habent uncias centum viginti octo, seu asses decem & octo uncias: juncto triente quem sedecim faciunt sicilici, fiunt CXXXII, seu undecim æris. Duodecim *dodrans:* sedecim dodrantes, unciæ CXLIV, quot sunt etiam in duodecim æris. Tredecim *dodrans semuncia sicilicus* sedecies intelligitur ex dictis de duodecimo ac primo asse. Quatuordecim *dextans semuncia*. nam dextantes sedecim CLX unciæ, tredecim asses puta & unciæ quatuor: accedente besse ex sedecim semunciis fiunt quaternideni æris. Denique asses quindecim *deunx sicilicus*. nam sedecim deunces conficiunt uncias CLXXVI, seu quatuordecim asses & duos trientes, quibus applicito triente ex sedecim sicilicis habes quinos denos æris. Quod autem Volusius ait *ingeniosissime inuentam notam, quæ sedecies multiplicata efficeret æs excurrens*; non sumus ex illis, qui detrectare antiquos gaudent, & laudo ingenium

genium elegantiamque hominis, qui hanc rationem denario accommodavit. Veruntamen quod ea nota multiplicata ſedecies id efficit, non eſt ingenii inventum, ſed eventus neceſſarius, nec poteſt aliter ſeſe habere per naturam rerum. Neque denario id præcipuum aut eximium, ſed omni aſſi, ſeu corpori, ſeu ſolido ex ſedecim minoribus quaſi aſſibus compoſito, ſi per uncias dividatur, congruit. Manifeſtiſſima res eſt in pede, cujus quum ſint ſedecim digiti, *uncia* eſt pollex, hoc eſt, digitus cum triente digiti, ſicut denarii uncia eſt as cum triente aſſis; *ſextans* duo digiti duo trientes, *quadrans* quatuor digiti &c. Plinius lib. XIII cap. XV Tiberii e citro menſam *quatuor pedes ſextante & ſicilico exceſſiſſe* ſcribit, *craſſitudine ſeſcunciali. Sextans ſicilicus* pedis tres digiti eadem ratione, qua tres aſſes denarii. Sedecim ſextantes, dupondius & octo unciæ, id eſt, duo digiti & bes digiti: ſicilici ſedecim triens ſive quatuor unciæ ejuſdem digiti: qui juncti tres ſunt integri digiti. *Seſcuncia* vero duo digiti pedis, perinde ut denarii duo aſſes. Seſcunx octava pars aſſis, ut duo aſſes denarii, ut duo digiti pedis. Sedecim igitur ſeſquunces, duo aſſes in ratione denarii, & duo digiti in menſura pedis. Sic *copulæ ſeſcunciæ* apud Plautum ex reſtitutione Scaligeri. Huc etiam pertinet *lignum bes-alterum* apud Feſtum. Sic digiti undecim *bes ſicilicus* dicebantur, perinde ut in rationibus undecim aſſes. Bes enim octo pollices, id eſt, undecim digiti minus triente digiti, qui ſicilicus, ſeu quarta pars unciæ, nempe pollicis. *Βήσαλον* poſterior Græcia dixit laterem, *βήσαλα* laterculos. Ut Theophilum in Inſtitutionibus & alios taceam, Tzetzes Chiliad. IX. *Ὁ πηλὼ δὲ πλίνθον γίνωσκε, ὃν βήσαλον καλοῦμεν.* Ex hoc loco notavit G. Fabricius materiam laterum, quibus Semiramis urbem Babylona circumdedit, dictam Babyloniis *βήσαλον*. Sed non tradit id Tzetzes. Permovit tamen hic error Fabricii doctiſſimum Ritterſhuſium, ut & ipſe Chaldaicam vocabuli originem putaret, decurreretque ad Hebræorum *Baſchal*, coxit, aſſavit, Sac. Lect. lib. IIX cap. XII. At Latinis debetur. Erat certum genus laterum, qui quoniam octo pollices ſive longitudinis ſive latitudinis ſive altitudinis habebant, *beſſales* appellabantur. Vitruvius lib. V. *ſuperque laterculis beſſalibus pilæ ſtruantur.* Quod cum in uſu frequentaretur, factum eſt generis vocabulum, ut *beſſales* & *beſſalia* pro lateribus dicerentur. Unde Chariſius inter neutra pluralia refert *brevia, beſſalia, juſta.* Hoc adjeceram, cum me primum id obſervaſſe putarem: ſed inveni poſtea anticipaſſe magnum Salmaſium ad Solinum. Columella lib. III cap. XIII. *dupondio & dodrante altum ſulcum.* Suetonius Octavio: *quinque pedum & dodrantis.* id eſt, novem pollicum, vel duodecim digitorum: ut duodecim aſſes denarii novem ſunt unciæ vel dodrans. Varro lib. III de re ruſt. cap. VIII. *Pro columbariis in pariete mutulos aut palos in ordinem, ſupra quos tegeticulæ cannabinæ ſint impoſitæ. Infimum ordinem oportet abeſſe a terra non minus tres pedes: inter reliquos, dodrantes;*

tes; a summo ad camaram ad semipedem, æque latum ac mutulus a pariete exstare potest: in quibus dies noctesque pascuntur. Quem locum ineleganter tractavit vel Fulvius vel Ciacconius, scribendo: *inter reliquos ab imo ad camaram ad semipedem æque latum ac mutulus a pariete exstat, in quibus.* id est, inquit, tantum erit latus ordo tegeticularum, quibus mutulus a pariete exstat. Longe plenius Varro: *inter reliquos* mutulorum ordines, qui ab infimo ad summum continuantur & ascendunt, vult interesse *dodrantes*, hoc est, inter singulos spatium novem pollicum vacuum; inter summum gradum & testudinis fornicem, quasi semipedem sive octo digitos. Hic ponenda πλεία στιγμή, ut absoluto eo versu. Quod sequitur, offendit jam olim: nam in pristinis edd. invenio: *æque late mutili a pariete exstare possunt.* Cujus auctores sane sententiam deprehenderunt acutius quam illi: sed non debuerunt mutare verba veterum codicum, eandem sententiam rectius habentia. *Æque latum,* inquit Varro, *ac mutulus a pariete exstare potest.* hoc est, tantundem spatii, nempe ad semipedem, & mutulum exstantem a pariete habere vel prominere ante parietem sufficit. *Ac* ponit ἀντὶ τοῦ *Et*, ubi significat *Etiam. Mutulus, in quibus,* syllepsis numeri: refertur enim illud, *in quibus,* ad sensum, non ad vocem: nam quum dicit *mutulus,* intelligit mutulum quemque, vel omnes mutulos, non unum modo. Illi videntur ad tegeticulas retulisse. cur enim aiunt *ordo tegeticularum?* At Varro non tegeticularum, sed mutulorum dicit ordinem instratas habentium tegeticulas. In dodrante sextodecimo sunt CXLIV unciæ: quot uncias patent duodecim asses denarii & duodecim digiti pedis pro assibus minoribus habiti. Ut denarius *as* in rationibus ad denarium intelligebatur & nominabatur haud dubie in subducendo: sic pes in mensuris intervallorum, non modo habetur, sed & nominatur *As*, & duo pedes *dupondius*. Columella lib. V cap. III. *Duco quintam partem longitudinis: fiunt* CCXL: *& quintam partem latitudinis, hoc est,* XXIV: *his utrisque summis semper singulos asses adjicio, qui efficiunt extremos ordines, quos vocant angulares.* Id est, singulos pedes. Mox: *similiter inter senos pedes si voles ponere, duces sextam partem longitudinis mille ducentorum: fiunt* CC: *& sextam latitudinis* CXX, *id est,* XX: *his summis singulos asses adjicies, quos dixi angulares.* Lucas Pætus lib. V de mens. & pond. sibi constare scribit *assem* pro uno in numeris Columellam accepisse: quod, inquit, apud alium „ me legisse, aut ab alio animadversum fuisse non memini: dein appositis „ Columellæ verbis, quæ vox *assis,* inquit, pro uno Italis tesserulis ludenti„ bus remansit: ii enim punctum unum in tesserulis *assum* nominant, ab asse, „ ut arbitror, litera mutata. Sed angustus est Columellæ locus pro tam late patenti observatione, neque aliud docet quam *asses* mensoribus esse pedes. Salmasius ad Historiam Augustam colligit item calculones *assem* pro monade, & *adjecto asse* pro adjecta unitate dixisse, ex Hygino Gromatico de lateribus polygoniorum: *Omnis trigonus ductus octies accepto asse facit quadratum.*

tum. Id est, ait, octies accepta unitate. Hic primo ἀγεωμέτρητον, quod τὸ *octies* conjunxit cum *accepto asse:* nam octies duci trigonum vult Hyginus, & ei, qui exstitit inde numerus, addi unitatem. Vult, inquam, numerum pedum trigoni, qui octava pars est areæ quadratæ, multiplicatum per octo, colligere numerum pedum universæ areæ, vel efficere tot numeros, quot pedes habet tota quadrati area, uno minus, sive ita, ut semper unus pes sit adjiciendus. Verba integra: *Omnis trigonus, ductus octies, accepto asse, facit quadratum: cujus latus, dempto asse, reliqui sumta parte dimidia, facit trigoni latus. Omnis pentagonus, ductus vicies quater, accepto asse, facit quadratum: cujus latus, cum asse sumpta parte* VI, *facit pentagoni latus.* Ita legendum ex MS. quod, sicut erat, omnibus vestigiis curavit typis describi Cl. Scriverius. Erat autem illic: *demitto asse relique sumo partem dimidiam.* Nam paullo aliter habetur in exemplari ad Vegetium ejus addito. Deest etiam male utroque τὸ *octies.* Rursum vet. cod. *cujus latus cum asse sumpta parte vis.* ex quo faciendum erat, *cum asse sumpta parte sexta:* non, *latas cum asse, sumpta parte bis.* Fragmenta vetusta incerti scriptoris ab And. Schotto edita: *Omnis trigonus, ductus octies, accepto* 1, *facit quadratum: cujus quadrati latus, dempto* 1, *& dicta parte dimidia, facit trigoni latus. Omnis pentagonus, ductus* XXIV, *accepto* 1, *facit quadratum: cujus quadrati latus, accepto* 1, *& dicta parte* VI, *facit pentagoni latus.* Ubi male editum, *ductus novies,* &, *dicta parte* 2 *facit trigoni latus.* Ex Epaphrodito & Vitruvio Rufo excerpta: *Est itaque trigonus octuplicis figuræ & mensuræ, cujus area colligit p.* CCCCVI. *Lateris unius quæro pedes. S. Q. Facio hujus trigoni semper ductam aream octies: fit* MMMCCXLVIII. *Huic semper adjicio* 1: *fit* 3249. *Quæro hujus summæ quadratum, hoc est, latus: fit* LVII: *hinc semper deduco* 1: *fit reliqui* LVI: *sumpta parte dimidia fit* XXVIII. *Tot pedes sunt per latera singula hujus trigoni isopleuri.* Schottus edidit: *trigonus* 8 * *figuræ:* & deinde: *sumpta parte dimidia fit* 208. Perperam. Vel ex postremo autem loco agnoscis, etiamsi taceam, omnes istos Gromaticos numeros esse pedes. Ita possemus & hinc dicere parum probari *assem* significare quamvis Arithmeticam μονάδα· nam quod *accepto uno* alterius scriptoris est Hygino *accepto asse,* non ideo fieri quia *as* quævis dicatur μονὰς, sed quia & μονὰς & *as* hic accipiuntur pro pede. Nolumus tamen pertinaciter contendere, tum quod *decussis* Vitruvio pro denario numero accipitur, tum quod Marciano Capellæ multo licentius *dupondius, sexis, vicessis* &c. pro duobus, sex, viginti &c. placuerunt. Ille lib. III. *Ex singularibus rebus, quæ μονάδες Græcis dicuntur, perficitur decussis.* Rursum: *Postea quoniam animadverterunt, utrosque numeros esse perfectos, & sex & decem, utrosque numeros in unum conjecerunt, & fecerunt perfectissimum decussis sexis.* Fallitur Villalpandus, quum corrigit *decussi sex:* quo, ait, Græcæ voci similis facta magis conveniat; illos enim δεκαὲξ dicere. Nam *decussissexis nihil est alud quam sedecim.* Capella lib. VII

pag. 240. *Nam bis terni sexis facit.* Et seq. *nam sexies septuagessis dipondius facit quadringentos tricessis dipondius. Similiter octies septuagessis dipondius facit quingentos septuaginta sex.* Et 245. *Ut bis terni sexis aut quinquies quaterni vices.* Et, *Ut cum bis terni sexis.* Et 252. *Item in decus sunt & sex & de sex duæ tertiæ.* Et 266. *Multiplicet decus octonarius numerus.* Ita ex MS. scribendum. Vulgo *septuagesies.* Sed *septuagessis* voluisse auctorem liquet ex eo, quod post paucos versus sequitur: *nam quater seni vicessis quatrussis faciunt.* Ita quoque legendum: non *viessis.* Nisi brevius dixit, *vicesquatrus.* notat enim margo in aliis libris esse, *viesquartis.* Sic autem corripuisse illa vocabula calculones docuit Volusius Mæcianus. Capella iterum: *Utque ex duobus triplo sexis invenit: sic senario numero duos adjiciendo supertertium invenit.* Inde & Isidorus lib. 11 cap. XIII. *Sex & duodecim multiplicata faciunt septuagies dipondo.* Nisi fuit illic quoque: *septuagessis dipondius.* Mensoribus haud dubie pes *as.* At *pondo* etiam pro pede dici temere Scaligero excidit: non enim *pondo* magis pedem significat quam *pondere* aut *ponderibus:* sed *as* vocabulum, quod in prima pecunia significabat libram pondo æris, idem in mensuris intervallorum denotabat pedem. *Libra* sane appellatur & mensoribus inter modos agri. Hyginus: *Alii appellant libram, alii parallelam.* Et, *ita renuntiabimus, jugera tot, versus tot, sive libras tot.* Alius inter finium reg. auctores: *Libra in ponderibus, in mensuris arborum vel spatio terrarum, vel statu hominis per diversas mensuras in duodenario numero comprehendi potest.* De asse pro unitate quæstionem dissolvit Balbus mensor: *Quicquid unum est, & quod ex integrorum divisione remanet, Assem ratiocinatores vocant. Quotquot ergo de integra divisione singulares res unitatesve remanebunt, totidem asses erunt: si unitas una remanebit, unus erit assis asve: si duæ, duo; si plures, plures erunt asses.* Sic tamen ut magis unum numeratum quam numerans significet. Cæterum quod de denario & pede diximus, deprehendetur etiam in via sedecim millium partienda: nimirum ut quiqui minores asses, id est, singula millia passuum, appellentur illis vocabulis æris vel libræ, quæ sedecies multiplicata efficiant tot asses, quot millibus significandis adhibentur. Via talis munienda describatur illis, qui circa prædia possident. Quibus mille passuum adsignabitur, ii munient ejus *semunciam sicilicum:* quibus duo millia passuum, *sescunciam*; quibus tria millia, *sextantem sicilicum*; quibus quatuor millia, *quadrantem*; quibus quinque millia, *quadrantem semunciam sicilicum:* & sic deinceps. Sed & in plurium numerorum assibus toties multiplicatæ eæ notæ indicant suum quæque numerum, quot numeris as ipse constat. Sumamus hæreditatem octodecim millium nummum: ejus *uncia* erit mille quingenti, *sextans* tria millia, *quadrans* quatuor millia quingenti, *triens* sex millia, *quincunx* septem millia quingenti, *semis* novem millia, *septunx* decem millia quingenti, *bes* duodecim millia, *dodrans* tredecim millia quingenti, *dextans* quatuordecim millia,

millia, *deunx* sedecim millia quingenti; quibus si accedat *uncia*, nempe mille quingenti, integer comparet as. Ex hac hæreditate cui relictum erit mille nummum, hæres erit *ex semuncia & sextula*: nam hæc octava-decuma pars assis, ut milleni octodecim millium: octodecim semunciæ novem faciunt uncias: octodecim sextulæ tres uncias: quæ universæ duodecim: sic octavus decimus as assis octodecim millium, nempe mille, *semuncia sextula*. Cui duo millia, *ex uncia & duabus sextulis*: nam hæc nona pars assis: novies binæ sextulæ constituunt tres uncias, quibus si dodrans vel novem unciæ accedant, fit as. At decies octies binæ sextulæ sunt sex unciæ, quibus si octodecim unciæ addantur, fiunt viginti quatuor, duo asses. Trium millium hæres erit *ex sextante*: nam ea sexta pars assis, quota pars octodecim millium sunt tria millia: decies octies sextans ductus facit XXXVI uncias, qui tres asses. Quatuor millium *ex sextante semuncia sextula*: hæc sexta & octava decima pars assis: octodecim sextantes, tres asses; totidem semunciæ sextulæque, as. Quinque millia destinabit testator, si quem scripserit *ex sextante uncia binis sextulis*: quod intelligitur ex proximo & secundo numero. Sex millia cui attribuet, *trientem*: & octodecim trientes, sex asses. Cui adscripsit *trientem semunciam sextulam*, eum voluit capere septem millia: ratio ex præcedenti & primo numero constat. *Ex quincunce binis sextulis* hæres accipiet octo millia: nam octodecim quincunces faciunt XC uncias: hoc est, septem asses & semissem: octodecim binæ sextulæ faciunt sex uncias: quibus completur octavus as octodecim millium, octo sestertia. *Ex semisse*, novem millia capiet: octodecim semisses, novem asses. Decem millia relinquentur, cui *semis semuncia sextula*: clamat proximus & primus numerus. Undecim millia, cui *septunx bina sextulæ*: quippe septunces octodecim CXXVI unciæ, asses decem semis: adde sex uncias, quæ sunt in octodecim binis sextulis: constant undecim asses. Duodecim millia auferet hæres *ex besse*: nam besses octodecim faciunt uncias CXLIV, qui sunt XII asses. Tredecim millibus honestabitur *ex besse semuncia sextula* scriptus: e proximo & primo superioribus numeris agnoscis. Quatuordecim *ex dodrante binis sextulis*: sex enim unciæ, quas dant octies decies ductæ binæ sextulæ, octodecim dodrantibus, hoc est, CLXII unciis, seu tredecim assibus semissi, adjectæ constituunt quatuordecim asses. *Ex dextante* quindecim millia capiet. nam decies octies dextans unciæ CLXXX, qui sunt asses quindecim. Sedecim millia *ex dextante semuncia sextula*, quod & ipsum proximus superior primusque numerus palam facit. Denique cui *deuncem binas sextulas* adscripsit, eum voluit habere septendecim millia nummum. nam octodecim deunces, unciæ CXCVIII, quibus adjectæ octodecim binæ sextulæ septimum decimum assem perficiunt. In jugero experti idem sumus, cujus quot pedes faciant *uncias, sicilicos, sextulas, scriptula*, tradit Columella lib. V cap. I. *Jugerum habet quadratorum pedum viginti octo millia & octingentos: qui pedes efficiunt*

efficiunt scriptula CCLXXXVIII. *Ut autem a minima parte, id est, a dimidio scriptulo, incipiam, pars quingentesima septuagesima sexta pedes efficit quinquaginta; id est, dimidium jugeri scriptulum. Pars ducentesima octogesima octava pedes centum; hoc est scriptulum. Pars centesima quadragesima quarta pedes ducentos, hoc est, scriptula duo. Pars septuagesima secunda pedes* CCCC, *hoc est, sextula, in qua sunt scriptula quatuor. Pars quadragesima octava pedes* DC, *hoc est, sicilicus, in quo sunt scriptula sex. Pars vigesima quarta pedes mille ducentos, hoc est, semuncia, in qua sunt scriptula duodecim. Pars duodecima duo millia & quadringentos, hoc est, uncia, in qua sunt scriptula* XXIV. *Pars sexta pedes quatuor millia & octingentos, hoc est, sextans, in quo sunt scriptula* XLVIII. *Pars quarta pedes septem millia & ducentos, hoc est, quadrans, in quo sunt scriptula* LXXII. *Pars tertia pedes novem millia & sexcentos, hoc est, triens, in quo sunt scriptula* XCVI. *Pars tertia & una duodecima pedum duodecim millia, hoc est quincunx, in quo sunt scriptula* CXX. *Pars dimidia pedes quatuordecim millia & quadringentos, hoc est semis, in quo sunt scriptula* CXLIV. *Pars dimidia & una duodecima pedes sedecim millia & octingentos, hoc est, septunx, in quo sunt scriptula* CLXVIII. *Partes duæ tertiæ, pedes decemnovem millia & ducentos. hoc est, bes, in quo sunt scriptula* CXCII. *Partes tres quartæ pedes unum & viginti millia & sexcentos, hoc est, dodrans, in quo sunt scriptula* CCXVI. *Pars dimidia & tertia pedum viginti quatuor millia, hoc est, dextans, in quo sunt scriptula* CCXL. *Partes duæ tertiæ & una quarta, pedes viginti sex millia & quadringentos, hoc est, deunx, in quo sunt scriptula* CCLXIV. Quia igitur jugerum erat pedum quadratorum viginti octo millium & octingentorum; hujus maximi assis mille pedes dicebantur mensoribus *sicilicus sextula*, pars XLVIII & LXXII: sicilicus sexcentos, sextula quadringentos pedes comprehendebat. Viginti octo sicilici, septem unciæ; XXVIII sextulæ, quatuor unciæ quatuor sextulæ: octo sicilici, unciæ duæ; octo sextulæ, uncia cum duabus sextulis: ex quibus conjunctis fit as cum tribus unciis. Mille quingentos pedes Columella vocat *semunciam & scriptula tria:* nam semuncia pedes mille ducenti, scriptulum pedes centum. Viginti octo semunciæ, quatuordecim unciæ; vicies octies tria scriptula, tres unciæ, tres sextulæ: octo semunciæ, quatuor unciæ; octies tria scriptula, sex sextulæ: quæ universæ faciunt assem dextantem semunciam: scilicet assis & quadrantis dimidium est septunx semuncia, ut quingenti millium. Duo millia pedum erant *semuncia binæ sextulæ:* nam semuncia, ut dictum, pedes MCC, binæ sextulæ octingenti. Viginti octo semunciæ, quatuordecim unciæ; viginti octo binæ sextulæ, novem unciæ cum duabus sextulis, seu unciæ triente: octo semunciæ, quatuor unciæ; octo binæ sextulæ, duæ unciæ cum besse unciæ: junctim duo asses sex unciæ. Tria millia, *uncia sicilicus.* nam uncia

Libratas dixit ætas serior. Sirmondus ad Goffrid. p. 48.

uncia duo millia quadringenti, ſicilicus ſexcenti. Viginti octo unciæ, duo aſſes quatuor unciæ; viginti octo ſicilici, ſeptem unciæ: octo unciæ bes, octo ſicilici ſextans: hi ergo tres aſſes dodrans ſeu novem unciæ. Quatuor millia *ſeſcuncia ſextula.* nam ſeſcuncia pedum tria millia ſexcenti, ſextula quadringenti. XXVIII ſeſcunciæ, tres aſſes ſex unciæ; XXVIII ſextulæ, quatuor unciæ quatuor ſextulæ: VIII ſeſcunciæ as; octo ſextulæ, uncia duæ ſextulæ: conſiunt quinque aſſes. Quinque millia *ſextans dimidia ſextula.* nam ſextans quatuor millia octingenti pedes, dimidia ſextula ducenti. XXVIII ſextantes, LVI unciæ; XXVIII dimidiæ ſextulæ, duæ unciæ duæ ſextulæ: VIII ſextantes, XVI unciæ; octo dimidiæ ſextulæ, quatuor ſextulæ: exiſtunt ſex aſſes tres unciæ. Sex millia *ſextans ſemuncia:* nam ſextans quatuor millia DCCC, ſemuncia MCC, uti dictum: LVI unciæ ſextantum viginti octo, totidemque ſemunciarum unciæ quatuordecim, rurſus quatuor trientes ſextantum octo, & triens unus octo ſemunciarum, generant ſeptem aſſes ſemiſſem. Septem millia *ſextans ſemuncia ſicilicus ſextula:* quippe ſextans 4800, ſemuncia 1200, ſicilicus 600, ſextula quadringenti pedes. Septem aſſibus ſemiſſi, qui fiunt ex multiplicato toties ſextante & ſemuncia, viginti octo ſicilici addunt ſeptem uncias, viginti octo ſextulæ trientem quatuor ſextulas, rurſuſque octo ſicilici duas uncias, octo ſextulæ unciam duas ſextulas: ut fiant octo aſſes novem unciæ. Octo millia *quadrans ſicilicus dimidia ſextula.* nam quadrans p. 7200, ſicilicus 600, dimidia ſextula 200. Viginti octo quadrantes, ſeptem aſſes; viginti octo ſicilici, ſeptem unciæ; viginti octo dimidiæ ſextulæ, duæ unciæ duæ ſextulæ: octo quadrantes, duo aſſes; octo ſicilici, duæ unciæ, octo dimidiæ ſextulæ, quatuor ſextulæ: unde decem aſſes. Novem millia *quadrans ſemuncia ſicilicus:* quadrans enim p. 7200, ſemuncia 1200, ſicilicus 600. XXVIII quadrantes, ſeptem aſſes; viginti octo ſemunciæ, quatuordecim unciæ; viginti octo ſicilici ſeptem unciæ: octo quadrantes, aſſes duo; octo ſemunciæ triens, octo ſicilici ſextans: qui aſſes undecim quadrans vel tres unciæ. Decem millia pedum jugeri, *triens ſextula.* nam triens 9600 pedes, ſextula 400. Trientes autem viginti octo, aſſes novem triens; viginti octo ſextulæ quatuor unciæ quatuor ſextulæ: octo trientes, duo aſſes bes; octo ſextulæ, uncia duæ ſextulæ: hi duodecim aſſes ſemis. Columella: *Dicemus igitur eum locum habere decem millia pedum quadratorum, quæ efficiunt jugeri trientem & ſextulam.* Undecim millia *triens ſemuncia dimidia ſextula:* nam triens 9600, ſemuncia 1200, dimidia ſextula 200. Vicies octies triens, novem aſſes quatuor unciæ; toties ſemuncia, quatuordecim unciæ, toties dimidia ſextula, duæ unciæ, duæ ſextulæ: octo trientes dupondius bes; octo ſemunciæ triens; octo dimidiæ ſextulæ quatuor ſextulæ: unde tredecim aſſes dodrans. Duodecim millia, *triens uncia,* cum triens 9600 p. uncia 2400. Rurſus viginti octo trientes, novem aſſes triens; viginti octo unciæ dupondius triens;

octo trientes duo asses octo unciæ; additis insuper aliis octo unciis consiunt asses quindecim. Tredecim millia, *quincunx sicilicus sextula:* erat enim quincunx p. 12000, sicilicus 600, sextula 400: & viginti octo quincunces, asses undecim bes; viginti octo sicilici septunx; viginti octo sextulæ quatuor unciæ quatuor sextulæ: octo quincunces tres asses triens; octo sicilici sextans; octo sextulæ, uncia duæ sextulæ: hi sedecim asses quadrans. Quatuordecim millia, *quincunx semuncia binæ sextulæ.* nam quincunx 12000. semuncia 1200, binæ sextulæ 800. Iterum viginti octo quincunces, undecim asses bes; viginti octo semunciæ septem sextantes; viginti octo binæ sextulæ, novem unciæ duæ sextulæ: octo quincunces tres asses quatuor unciæ, octo semunciæ duo sextantes, octo binæ sextulæ, sextans quatuor sextulæ: in universum septendecim asses semis. Quindecim millia *semis sicilicus.* nam semis 14400 p. sicilicus sexcenti. Hæ partes similiter multiplicatæ conficiunt octodecim asses dodrantem. Sedecim millia *semis semuncia sextula:* ex quibus item ductis existunt viginti asses. Septendecim millia *septunx dimidia sextula:* nam septunx 16800 p. dimidia sextula 200. Hæ notæ vicies octies & rursus octies multiplicatæ viginti unum asses quadrantem efficiunt. Octodecim millia *septunx semuncia:* quippe quibus dupliciter, uti dictum est, multiplicatis eveniunt asses viginti duo semis. Novendecim millia *septunx semuncia sicilicus sextula:* quibus similiter ductis asses conficiuntur viginti tres dodrans. Viginti millia pedum jugeri *bes sicilicus dimidia sextula:* bes enim p. 19200, sicilicus 600, dimidia sextula 200 continent. Viginti autem octo besses, octodecim asses octo unciæ; viginti octo sicilici septem unciæ; viginti octo dimidiæ sextulæ, duæ unciæ duæ sextulæ: octo besses insuper quinque asses triens; octo sicilici, duæ unciæ; octo dimidiæ sextulæ, quatuor sextulæ: unde quintus & vicesimus as. Viginti unum millia *bes semuncia sicilicus:* quæ vicies octies & iterum octies geminatæ integrant viginti sex asses quadrantem. Viginti duo millia *dodrans sextula.* nam dodrans p. 21600. sextula 400. Dodrantes viginti octo, asses viginti unus; sextulæ viginti octo, quatuor unciæ, quatuor sextulæ: dodrantes octo, sex asses; octo sextulæ, uncia duæ sextulæ: e quibus viginti septem asses semis. Viginti tria millia *dodrans semuncia dimidia sextula:* totiesque multiplicata viginti octo asses dodrantem complent. Viginti quatuor millia *dextans:* viginti octo dextantes, in quibus viginti tres asses triens, rursumque octo dextantes, assium nempe sex bessis, trigesimum assem solidant. Viginti quinque millia *dextans sicilicus sextula.* nam dextans 24000. pedum, sicilicus sexcenti, sextula 400. Ex his autem notis toties ductis triginta unus asses quadrans existunt. Viginti sex millia *dextans semuncia binæ sextulæ*, & vicies octies iterumque octies ductæ dant asses triginta duos semissem. Viginti septem millia *deunx sicilicus:* nam deunx 26400 p. sicilicus sexcenti. Octo autem & viginti deunces, viginti quinque asses bes; octo & viginti

viginti ſicilici, ſeptem unciæ: octo deunces ſeptem aſſes triens; octo ſicilici ſextans: qui conjuncti reddunt aſſes triginta tres dodrantem. Viginti octo millia *deunx ſemuncia ſextula:* eæque notæ vicies octies iterumque octies multiplicatæ efficiunt aſſes triginta quinque. Deſunt ad aſſem conſtituendum binæ ſextulæ: ii ſunt octingenti pedes. Septunx autem iſte cum binis ſextulis ſupra viginti octo aſſes excurrens exiſtit ex tribus unciis, quas ſingula millia ſupra aſſem repræſentant: vicies enim octies ter ſunt octoginta quatuor: quot uncias habent ſeptem aſſes. Jam vero partes illæ perinde ſunt ſubſecivum jugeri, ut ſic loquar, ut aſſes uſque ad quintumdecimum ſunt æs excurrens denarii. Sic Livius: *terna jugera & ſeptunces diviſerunt:* & alibi: *bina in Latio jugera, ita ut dodrantem ex Privernati complerent, data; terna in Falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adjectis.* Atque ita liquet, quotieſcumque per partes aſſis dividitur totum numeris conſtans, quaſi minoribus aſſibus, poſterum & conſequens eſſe, ut quot numeri ſunt in toto, toties multiplicatæ partes aſſis, quæ ſingulis minoribus aſſibus applicantur, reddant illum numerum ſingularum partium, quas deſignant.

CAPUT XII.

Protinus opera Voluſio data in rationibus ad ſeſtertium & victoriatum. In illis æra excurrentia explicabantur per libellas, ſembellas vel ſingulas, teruncios. Libella olim decima, ſembella viceſima, teruncius quadrageſima pars denarii, & nummuli argentei: poſt vocabula earundem partium ſeſtertii æreos nummos ſignificantia in rationibus ad ſeſtertium & victoriatum. Voluſius correctus. Rationum ad ſeſtertium ſpecimen. Semiſſis octava pars ſeſtertii. Voluſius defenſus. Rationes ad victoriatum duplicis formæ, aut ut ad denarium, aut ut ad ſeſtertium. Utriuſque ſpecimen. Iterum emendatus Voluſius. Horatius leviter correctus. Libella, ſembella, teruncius, apud Voluſium non ſunt veri nummi. Varronis locus defenſus correctione ſuperflua rejecta. Teruncius non a dodrante unciæ, ſed a tribus unciis appellatus. Feſtus emendatus. Sembella non ærea, non ſeſcunciæ reſpondens. Ratio denarii & ſeſtertii male ad aſſem & libram; Ratio ſeſtertii male ad denarium confici dicitur.

Ad victoriatum etiam ſeu quinarium & ſeſtertium ſummaria fiebant: ſed in his minutiæ æris *libellæ, ſembellæ* vel *ſingulæ, teruncii:* quas olim denarius cum utroque habuit communes. Varro lib. IV de L. L. *Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva. Sembella, quod ſit libellæ dimidium, quod ſemis aſſis. Teruncius a tribus unciis, ſembellæ quod valet dimidium, & eſt quarta pars ſicut quadrans aſſis.* Videntur fuiſſe a primo nummuli argentei: poſtea cum frangi argentum in exiguitatem tantam diſplicuiſſet, vocabula ſunt retenta in rationibus argenteæ pecuniæ, ne quid ibi ſcilicet nominaretur præter argentum, etſi res eſſet ex ære. Ut hodieque paſſim nummos imaginarios in ore habemus: quos fuiſſe olim credibile eſt, nunc cum formentur nuſquam, ad ſummulas, quas valuerunt, in ea,

in ea, qua utimur, pecunia compendio velut enuntiandas revocantur & retinentur. Nec desinunt in hac urbe appellare *Carolinum* viginti stuferos, *Aureum* viginti octo, *Aureum cruciatum* decem florenos, & quod mirum, *Equitem* sive *Riderum* viginti quatuor stuferos in cæspitibus siccatis ac duratis ad focos emendis, in conducendis annuis mercenariis seu operis agrestes circa, & pauculis, si forte, aliis causis, qui nullo alio in mercimonio aut negotio commemoratus: etsi primus ille sicubi habetur, loco mercis, & aliquanto majoris pretii sit; secundus argenteus, tertius & postremus in auro & ipsi longe aliam habeant æstimationem. Sic summarum auctoribus Romæ æs excurrens ultra denarium, victoriatum, sestertium, *libella, sembella,* vel *singula, teruncius,* dicebatur, ita ut pro asse *libellam,* pro semisse *sembellam,* pro quadrante *teruncium* ponerent, quamdiu denarius decem, victoriatus quinque, sestertius duobus & dimidiato assibus æstimatus. Postquam vero denarius sedecim, victoriatus octo, sestertius quatuor assium facti, & ad æs excurrens denarii denotandum transtulerunt vocabula & notas ærariæ rationis, hæserunt in rationibus ad sestertium *libellæ, sembellæ, teruncii*; sed artificiosius. Quæ enim pro decima, vicesima, quadragesima denarii parte in æreis nummis fuerant, easdem partes sestertii in ære sustinere jam jubentur. Volusius: *Libella dicta creditur, quasi pusilla libra. Nam quum olim asses libriles essent, & denarius decem asses valeret, & decima pars denarii libram, quæ eadem as erat; singula selibram, quæ eadem semis erat; teruncius quadrantem haberet; sive denariaria, sive sestertiaria ratio conficeretur, iisdem notis, id est, libellarum & singularum & terunciorum, præposita nota denarii vel sestertii, ut erat ratio, æra exprimebantur. Posteaquam in sedecim asses denarius distributus est, denariaria ratio expeditius confici cœpit, ut supra dictum est; sestertiaria mansit sub iisdem notis, aucta tamen computatione. Hæc quoque libella, exemplo majorum, in duos velut semisses, quæ singulæ vocantur, & quatuor velut quadrantes, qui teruncii vocantur, dividitur.* Ita distinximus, ut finis periodi præcedentis sit, non initium subsequentis, illud *aucta tamen computatione:* quippe quæ antea sistebat cum dupondio semisse, nunc progrediebatur ad tressis semis, quia sestertius quatuor erat assium. Nec profecto durior erat abusus vocum, a nummis argenteis significandis eas transferre ad æreos, hoc est, e veris facere imaginarios, quam a decuma, vigesima, quadragesima, parte gravioris nummi significanda traducere ad easdem partes levioris. Veluti, decima pars sestertii est triens, tres sicilici, scriptulum præter propter: decem enim trientes sunt unciæ quadraginta, decies tres sicilici septem unciæ duo sicilici, duodecim scriptulis, qui duos faciunt sicilicos, additis, quadraginta octo existunt unciæ, quot scilicet in quatuor assibus habet sestertius. Hæc ergo *libella.* Vicesima pars sestertii est sextans sicilicus quatuor scriptula: nam viginti sextantes, quadraginta unciæ; viginti sicilici quinque unciæ; vicies quatuor scriptula paullo plus tribus unciis, quot

opus

opus eſt ad quatuor aſſes ſeſtertii complendos. Hæc igitur *ſembella* vel *ſingula.* Quadrageſima pars ſeſtertii uncia eſt & quinque ſcriptula: nam quadraginta unciis addenda CXCII ſcriptula, ut fiant XLVIII unciæ quatuor aſſium; quadragies autem quinque ſcriptula ad ducenta excurrunt. Pro illa igitur parte ſeſtertii *teruncius.* Atque ita ſeſtertius habet decem *libellas*, viginti *ſembellas* vel *ſingulas*, quadraginta *teruncios:* & his vocabulis æs excurrens, quod ſcilicet ſeſtertio nummo minus erat, in rationibus ad eum nummum faciendis ſignificabant. De his ita Voluſius: *Ad ſeſtertium ratio ſi conficiatur, ſemis hac nota ſcribitur,* — T: *vocatur* Libella teruncius. *eſt autem libella ſeſtertii decima* * *pars, teruncius quadrageſima: quæ duæ partes junctæ octavam ſeſtertii, id eſt, ſemiſſem, efficiunt. Nam octo libellis, id eſt octo decimis, teruncii octo, id eſt, octo quadrageſimæ (quæ ſunt quatuor viceſimæ, hoc eſt, duæ decimæ,) adjectæ complent ſeſtertium. Sunt enim in ſeſtertio libellæ decem, ſingulæ viginti, teruncii quadraginta. Infra ſemiſſem nemo rationem temere ſeſtertiariam ducit. poteſt tamen. nam quadrans, qui eſt pars ſextadecima ſeſtertii, poterit notari* ſingula, *quæ eſt viceſima ſeſtertii, &* dimidio teruncio, *qui eſt octogeſima ſeſtertii. nam utraque hæc pars juncta efficit ſextamdecimam. As notari debet* = Σ: *hæc ad ſeſtertium nota vocatur* Duæ libellæ ſingula: *ſiunt duæ decimæ & viceſima, hoc eſt, quarta pars ſeſtertii. nam quater binæ libellæ, octo fiunt decimæ: quatuor ſingulæ, quatuor fiunt viceſimæ, hoc eſt, duæ decimæ, quæ ſuperioribus junctæ ſeſtertium complent. As ſemis notari debet* =—ΣT: *vocatur* Tres libellæ ſingula teruncius: *& ſunt tres decimæ, una viceſima, una quadrageſima, hoc eſt, quarta & octava ſeſtertii. Superſunt octavæ quinque, id eſt, ſemiſſes quinque, ut compleant ſeſtertium. Dupondius hac nota* S: *vocatur* Quinque libellæ, *quæ ſunt quinque decimæ. hæ duplicatæ ſeſtertium implent. Dupondius ſemis hac nota* S—T: *vocatur* Sex libellæ teruncius. *ſunt autem ſex decimæ & quadrageſima, id eſt, dimidia & octava totius. Superſunt octavæ tres, id eſt, ſemiſſes tres, ut ſeſtertium compleant. Treſſis hac nota* S=Σ: *vocatur* Septem libellæ ſingula. *ſunt autem pars dimidia & duæ decimæ & viceſima, hoc eſt, pars dimidia & quarta. Deſunt duæ octavæ, id eſt, quarta, quæ juncta impleat ſeſtertium. Treſſis ſemis hac nota* S=–ΣT: *vocatur* Octo libellæ ſingula teruncius. *Sunt pars dimidia & tres decimæ & viceſima & quadrageſima: hoc eſt, pars dimidia & quarta & octava. Supereſt octava, quæ adjecta ſeſtertium compleat.* Dicit Voluſius infra ſemiſſem non temere duci ſeſtertiariam rationem, poſſe tamen, ſi quis velit. Veluti, cum ſcribendum eſſet, erogaſſe me decem nummos & quadrantem, poteram ſcribere: *L. Titio* HS. X. ΣƧ. hoc eſt, *ſeſtertios decem ſingulam dimidium teruncium.* Nam ſeſtertius habet ſedecim quadrantes: at ſedecim ſingulis ſi addas totidem dimidios teruncios vel octo teruncios, erunt viginti ſingulæ: quibus expletur

* Vide errorem N. Abrami in orat. pro Rabirio p. 281.

tur sestertius: singula igitur dimidiatusque teruncius faciunt sextamdecimam partem sestertii, quæ est quadrans æreus. Nota dimidiati teruncii hic quidem in Mæciano non comparet, sed videtur ea esse quam posuimus, infra in vulgatis male posita pro libella. Semissem autem excurrentem ita notabant: *Mævio* HS. XV. —T. hoc est, *sestertios quindecim libellam teruncium.* Nam semissis octava pars est sestertii quatuor assium: ut autem habet octo semisses sestertius, ita & octo libellas cum octo terunciis: octo namque teruncii faciunt duas libellas, quas si octo prædictis libellis addas, fiunt decem. Sic igitur *libella teruncius* octava pars sestertii, perinde, ut semissis. Sic quoque demonstres licet. Libella, quatuor unciæ, tres sicilici, scriptulum: teruncius, uncia, quinque scriptula: hæ sunt sex unciæ: ergo semis. Habes sole clarius, quod numeris Platonicis obscurius dicebat Hotomannus. Non libet singula ejus excutere: multo enim sunt ipsis Mæciani verbis obscuriora: sed quid ei mentis fuit, cum perspicue falsum diceret, semissem esse octavam sestertii partem? Itaque substituit: *iterum junctæ quartam, tertium junctæ semissem efficiunt.* Nimirum semissem accepit pro dupondio seu dimidio sestertii; quasi assis, cum Mæcianus extulerit semissem pro dimidiato asse nummo: & quidem hoc toties hic ingerat, ut difficile sit non animadvertere. Assem excurrentem ita notabant: *Illi* HS. XX. =£. hoc est, *sestertios viginti duas libellas singulam.* Nempe as est quarta pars sestertii: qui cum habeat libellas decem, duæ & dimidiata, quam singulam vel sembellam dicunt, quarta pars sunt ejus, perinde ut as. Præterea duæ libellæ sunt octo unciæ, sex sicilici, duo scriptula: singula vero duæ unciæ sicilicus quatuor scriptula: in universum unciæ duodecim sive as. Si as cum semisse excederet sestertiorum summam, ita faciebant: *Lyconi* HS. XXV=–£T. hoc est, *sestertios viginti quinque tres libellas singulam teruncium.* Nam as & semis quarta sunt atque octava pars sestertii; duæ autem libellæ ac singula formant quartam; una præterea libella cum teruncio octavam, nempe semissem: quod utrumque jam supra dictum. Tum tres libellæ tres trientes, novem sicilici, tria scriptula: singula duæ unciæ, sicilicus quatuor scriptula: teruncius uncia, quinque scriptula: hæ universæ octodecim unciæ, sive as semis. Si dupondius esset, ita notabatur: *Illi eo nomine* HS. XXXS. pronunciabantque: *sestertios triginta libellas quinque.* Decem namque libellas habet sestertius, ut quatuor asses: earum quinque sunt dimidium ut dupondius quatuor assium. Itaque & nota hic eadem, quæ semissis. Dupondius semis excurrens hac dignoscebatur nota: *Sempronio* HS. V. S–T. hoc erat, *sestertios quinque sex libellas teruncium.* Ut enim libellas quinque duobus assibus, ita libellam teruncium semissi parem esse ex superioribus constat. Si tressis excederet, hæc nota in promptu erat: *Exærambo* HS. XL. S=£. hoc est, *sestertios quadraginta, septem libellas singulam.* Meministi, ut quinque libellas dupondium, ita duas libellas singulam significare & implere assem. Denique

tressis

treſſis ſemis ita deſcribebant: *Lucrioni* HS. XII. S=-ΣT. hoc eſt, *ſeſtertios duodecim octo libellas ſingulam teruncium.* As enim cum ſemiſſe per tres libellas ſingulam teruncium conficitur: quibus ſi addas libellas quinque, hoc eſt, dupondium, habes treſſis ſemis. Ultra progredi non ſolebant: nam ſi, ut in cæteris, alius ſemis addatur, ſeſtertius integer eſt, atque adeo non poteſt is ſemis referri ad æs excurrens. In hac re adeo toto genere deerravit Hotomannus, ut, quod Mæcianus docet de ſeſtertiaria ratione, ipſe ad eam neget pertinere, ſed ad victoriatum, ſeu quinarium: ideoque iſta, *nam octo libellis, id eſt, octo decimis,* &c. non putat tolerari poſſe, niſi reſcribas, *jam:* quod non probare proxima Mæcianus voluerit, quippe quod hoc modo non potuerit, ſed redeat ad demonſtrandam ad quinarium rationem. Sed omnino probare illum proxima, & recte, conſtat ex illis, quæ ad notam ſemiſſis diximus: & quia modus alter ad quinarium conficiendi rationes intelligi non poterat, antequam noſcerentur ſeſtertiariæ, ad has avertitur. Nunc igitur de illis etiam videamus: quæ fiunt duobus modis: aut enim dimidiam partem æris excurrentis ejus quod in denario putatur, ita prorſus, ut in ratione denariaria, iiſdemque notis, octies ducebant, ut illic ſedecies: aut imitabantur ſeſtertiariam rationem, eamque duplicabant: nam ut victoriatus dimidium denarii, ita ſeſtertius dimidium victoriati. Voluſius: *Ad quinarium & victoriatum rationem Romæ confici neſcio: quemadmodum tamen, ſi velis, conficias, facilius apparebit, ſi prius inſpexeris, ad quem modum ſeſtertiaria ratio conficiatur. Tunc enim vel excurrentis æris (licet exemplum denariariæ rationis) dimidiam duces, vel ſeſtertiariam duplicabis.* Laborat hic locus. Hotomannus: *ſcilicet exemplo:* & interpretatur, ſi excurrentis æris, id eſt, ✗, dimidium duces, & pro illa ſcribes V. Quaſi ipſe denarius aut denarii nota ſit æs excurrens. Lege: *excurrentis æris, ſi placet exemplum denariariæ rationis.* Excurrentis, inquit, ad denarium æris rationem, ſi eam vis imitari, dimidiam duces, aut ad ſeſtertium, ſi mavis, rationem duplicabis. Si placebat prior, victoriatum conſiderabunt, ut aſſem: ejus *uncia* erant duo trientes: *ſextans,* as triens: *quadrans,* duo aſſes: *triens,* duo aſſes duo trientes: *quincunx,* tres aſſes triens: *ſemis* quatuor aſſes: *ſeptunx,* quatuor aſſes duo trientes: *bes,* quinque aſſes triens: *dodrans,* ſex aſſes: *dextans,* ſex aſſes duo trientes: *deunx,* ſeptem aſſes triens: addita una uncia, nempe duobus trientibus, complebatur *as,* victoriatus ſive quinarius. Super victoriatos igitur excurrentem aſſem ita ſignificabant: *Illi* VXX—Σ. hoc eſt, *victoriatos viginti, ſeſcunciam.* Seſcuncia octava pars aſſis: duæ ſeſcunciæ quadrantem, ſeu tres uncias, octo aſſem implent: eſt autem as octava pars victoriati. Dupondius ſic monſtrabatur: *Illi* V X=—. hoc eſt, *victoriatos decem quadrantem.* Quadrans quarta pars aſſis: octo quadrantes tantum habent unciarum quantum duo aſſes; duo autem aſſes quarta pars victoriati. Treſſis ita fiebat: *Mævio* VXXX==Σ. hoc eſt, *victoriatos triginta trientem ſemunciam.* Triens

tertia pars aſſis, ſemuncia quarta & viceſima: victoriati pars tertia ſunt duo aſſes, duo trientes: & in octo aſſibus ſunt viginti quatuor trientes: triens igitur octo aſſium ſemuncia. Porro octo trientes habent uncias triginta duas, vel dipondium cum beſſe; octo ſemunciæ quatuor uncias ſive trientem: quæ juncta conſtituunt treſſis. Quatruſſis hac deſtinabatur nota: *Sempronio* ꝞXL. S. hoc eſt, *victoriatos quadraginta ſemiſſem.* Octo enim ſemiſſes, quatuor aſſes: id dimidium victoriati, ut ſemis aſſis. Quinqueſſis iſta: *Illi* ꝞL. S—Ʃ. id eſt, *victoriatos quinquaginta ſeptuncem ſemunciam.* Septunx ſeptem unciæ aſſis: at victoriati ſeptem unciæ ſunt quatuor aſſes duo trientes: ad quinqueſſis complendum requiritur triens: eam autem diximus eſſe quartam & viceſimam partem victoriati, quota pars aſſis ſemuncia. Quinque igitur aſſes victoriati ſeptunx ſemuncia. Jam octo ſeptunces habent LVI uncias: octo ſemunciæ trientem ſeu quatuor uncias: quæ junctæ conficiunt ſexaginta, quot ſunt in quinque aſſibus. Sexis ita perſcribebant: *Illi* ꝞXLV. S═—. hoc eſt, *quinarios quadraginta quinque dodrantem.* Sic enim novem appellabant uncias. Octo autem dodrantes habent uncias duas & ſeptuaginta: totidemque ſex aſſes. Septuſſis ita indicabatur: *Illi* ꝞC. S══Ʃ. id eſt, *quinarios centum dextantem ſemunciam.* Dextans decem duodecimæ aſſis: ſunt autem decem unciæ victoriati ſex aſſes duo trientes: deeſt pars quarta & viceſima, triens: ea igitur ſemuncia. Jam octo dextantes unciis abſolvuntur LXXX, quibus ſi quatuor addes, quæ ſunt in octo ſemunciis, fient ſeptem aſſes. Sic ad victoriatum ſive quinarium conficiebant rationes denariaria dimidiata utentes. Quod ſi placeret ſeſtertiariam ſequi, ea erat duplicanda: hoc eſt, primo quidem prorſus ita, ut in ſeſtertiorum ære excurrenti, procedendum; dein a quatuor aſſibus, quot habet ſeſtertius, aſcendendum ad octo, quot ſunt in quinario, per eaſdem partes, puta *libellas, ſingulas, teruncios.* Quemadmodum duplicaretur, non adjecit Voluſius, quod ad quinarium rationes conficere parum in uſu eſſet. Poſſunt tamen & figuræ & vocabula reperiri, ſi quis in eo ingenium exercere velit. Sic ſeſtertium ſive quatuor aſſes ita potuerunt exprimere: *Titio* ꝞXV. S. S. id eſt, *victoriatos quindecim decem libellas:* nam ut quinque libellas dupondius, ita decem quatruſſis habet. Quatruſſis ſemis ita: *Mævio* ꝞXXV. SS—T. hoc eſt, *victoriatos quinque & viginti, undecim libellas teruncium:* nam quum decem libellæ faciant aſſes quatuor, ſive ſeſtertium nummum, libella autem teruncius octavam partem ſeſtertii ſive ſemiſſem, junctis utriſque fiunt quatuor aſſes ſemis. Aſſes quinque ſic deſignare potuerunt: *Illi* ꝞXX. S. S═Ʃ. hoc eſt, *victoriatos viginti duodecim libellas ſingulam:* nam duas libellas cum ſingula conſtituere aſſem ſupra dictum eſt, qui ſi addatur libellis decem, fit quinqueſſis. Aſſes quinque cum dimidiato ſic deſcribere licet: *Illi* ꝞXXX. SS═—ƩT. hoc eſt, *victoriatos triginta tredecim libellas ſingulam teruncium:* & intelligitur ex præcedentibus: nam tres libellas ſingulam teruncium

uncium valere assem & semissem jam collectum est: quæ si decem libellis, hoc est, quatuor assibus, addantur, fit quinquessis semis. Sex asses ita notare quiverunt: *Illi* ⩛XL. SSS. hoc est, *victoriatos quadraginta quindecim libellas:* ut dupondius libellarum quinque, sestertius sive quatrussis decem. Sexis semis ita fingere licuit: *Illi* ⩛VII. SSS—T. hoc est, *victoriatos septem*, *sedecim libellas teruncium:* nam ad proximam superiorem summam libella teruncius semissem addunt. Septussis ita: *Numerio* ⩛IX. SSS=Σ. hoc est, *victoriatos novem, septendecim libellas singulam:* nam quindecim libellæ sex asses; duæ libellæ singula, as unus; hæ igitur junctæ septem. Septussis semis sic fieri potuit: *Illi* ⩛XX. SSS=—ΣT. hoc est, *quinarios viginti octodecim libellas singulam teruncium.* nam tres libellæ singula teruncius assem & semissem faciunt: quindecim libellæ sex asses: hæc igitur conjuncta septem asses cum semisse. Summas autem æris excurrentis simul cum præposito colligebant sicilicos ad semuncias, semuncias ad uncias, has ad δωδεκάδα, qui denarius vel victoriatus in altera ratione, teruncios ad singulas vel sembellas, singulas ad libellas, has ad δεκάδα, qui sestertius in altera, redigendo. Vel sic poterant, ut quatuor ultima æra ex illis, quæ superius posita sunt, in exemplum sumamus. Erat in postremo *deunx sicilicus* pro quindecim assibus; ad implendum assem, nempe denarium, desunt tres sicilici: eos petebant a summula proxima æris excurrentis, quæ erat *dextans semuncia:* sic habebant denarium. Restabat in eadem summula superiore dodrans & tres sicilici, in quibus desunt ad perficiendum assem sextans sicilicus: eos rursus detrahebant de proximo præcedente, nempe *dodrante semuncia sicilico:* sic iterum fiebat as, nempe denarius. Supererat huic summulæ septunx semuncia, cui ex proximo *dodrante* adjungebant trientem semunciam, & restabat quadrans semuncia. His igitur ex ære excurrenti denariis ad cæteros adjectis finiebant: *Summa summarum* ⚹ tot =—Σ. seu, *quadrans semuncia:* qui quatuor asses & semis sextans vel duo trientes. Hæc negotiatores, nummularii, dispensatores, immo omnes libere educati tam parata habebant ac prompta, ut etiam multo citius, quam nos forte simplices assium numeros vel scriberent vel computarent. Didicerant pueri. Horatius de arte:

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superest? poteras dixisse, triens. En,
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid sit?
Semis.

Ubi scribendum videtur: *poteris dixisse, triens*; *eu*, *Rem poteris servare tuam*, & a principio intelligendam ὑποθετικὴν *Si*, quam sic eleganter deficere ad Livium & alibi notavimus. Nisi malis etiam *poterit*, pro *poteras*. Si tu puer prompte responderis, audies: vel, si filius Albini prompte responderit ad

interrogationem iſtam, *triens*, audiet, *Euge, rem tuam ſervare poteris.* Et Tertullianus cum primo informatore literarum & primo enodatore vocis conjungit *primum numerorum arenarium.* Hæc meditata jam conſcriptaque habebam, quum vidi a Ciacconio Mæciani locum non infeliciter tractari. Quod ſi animadvertiſſem prius, refugiſſem ſane laborem, quem inſtare non parvum in omnibus iſtis exputandis ſatis intelligebam: neque opus erat hinc peti, quæ apud illum bene legerentur. Nunc quum illius docta brevitas vix etiam myſtis pateat, noſtra autem tanto clariora quanto ampliora, multis etiam interjectis, quæ ille prætermiſit, videantur; nihil cauſæ fuit, cur induſtriæ hujus nos pœniteret. Cæterum & ſuperiora ſatis arguunt ſententiam doctiſſimorum hominum, *libellas, ſembellas, teruncios,* apud Voluſium, veros eſſe nummos ratorum: quorum agmen ducunt Salmaſius, Cappellus, Ciacconius. Varronem etiam Capellus tentat ſcribendo: *Teruncius a tribus unciæ partibus.* Teruncium enim eſſe quadrageſimam partem ſeſtertii: ergo unciæ dodrantem eſſe. Sed imponit ſibi, dum exiſtimat teruncium, quamdiu nummus fuit, non niſi quadrageſimam ſeſtertii exhauſiſſe, qui denarii quadrageſimæ tum temporis æquipararetur. Varro demonſtrat fuiſſe hos ex argento nummulos, dum as erat libram pondo: tum æris libræ in argento reſpondit libella; ſemiſſi, quæ ſex unciæ æris vel ſelibra, ſembella; quadranti, quæ tres unciæ gravis æris, teruncius. Feſtus: *Nonuncium, quod vulgo magiſtri ludi appellant, ſignificat novem uncias. at teruncium. quod ſingula ſex uncia dimidium unciarum trium ſit.* Ubi legendum, *quod ſingulæ ſex unciarum.* Singula eadem quæ ſembella. Vide fragm. Feſti pag. 22. At ex Voluſio ſuper hæc diſcimus æris pecuniarii pondere allevato deſiiſſe hos feriri & currere nummulos, vocabula tamen retenta in rationibus argenteæ pecuniæ, ut ſignificarent eas portiones excurrentis æris, quibuſcum quondam commutabantur. Sic *libella* denarii erat pars decima, *ſembella* vel *ſingula* viceſima, *teruncius* quadrageſima: rurſum quinarii *libella* erat pars quinta, *ſembella* decima, *teruncius* viceſima: ſeſtertii *libella*, pars altera minus quadrante, *ſembella* quinta, *teruncius* decima. In rationibus per denarios, quinarios, ſeſtertios explicatis quot aſſes ſupererant, totidem ponebant *libellas*; quum ſemis, *ſembellam*, quum quadrans, *teruncium:* quæ nomina quidem erant argenteorum nummorum olim uſitatorum, jam tamen non ipſos, ſed æreos omnino, aſſem videlicet, ſemiſſem, quadrantem ſignificabant. Quadrans tres unciæ, & a tribus unciis *teruncius* vel *triuncis*, non a novem unciis unius unciæ. At ubi denarius ſedecim, quinarius octo, ſeſtertius quatuor aſſium factus, alia ratio æris excurrentis ſignandi inita eſt. Tum ad id, quod in ſummulis præter denarium aut certum numerum denariorum, minus denario, ſeu aſſibus ſedecim, acceptum vel expenſum erat, exprimendum advocaverunt aſſem cum ſuis partibus, non quatenus eſt pecuniæ forma, ſed quatenus eſt finitor ac diviſor: aſſeſque ſuper denarium redundantes ab

uno ad

uno ad quintumdecimum & semissem designarunt illis vocabulis æris, quibus oportuit illos nominari, cum denarius sedecim assium, tanquam as seu solidum, in duodecim uncias secatur. Eodem ab tempore & *libellæ, sembellæ, teruncii* nomina usurpare cœperunt in rationibus ad sestertium nova & elegantiore figura, qua relinquebatur illis significatio partis illius, quam denotaverant in denario: nempe *libellæ* pro decima, *sembellæ* pro vicesima, *teruncio* pro quadragesima. Hæ partes in sestertio erant imaginariæ, neque proprias habebant formas aut corpora: perinde ut in denario uncia æris, semuncia, sicilicus, sescuncia: sed his partibus imaginariis varie inter se compositis explicabantur veræ formæ & exstantes; velut asses, semisses, quadrantes. Victoriatus inter denarium & sestertium medius copiam dedit summarum actoribus, quas ad eum facerent, rationum juxta commode sive a denario sive a sestertio exemplar capiendi. Quod ergo *teruncium* Cappellus unciæ dodrantem facit, id tempus utrumque refutat, quo binis æris semisse, & quo quaternis æris sestertius valuit. Non potest dodrans unciæ dici quadragesima sestertii, nisi ejus, qui semissem tertium pretii habuit: quadraginta enim dodrantes unciæ sunt triginta unciæ, hoc est, duo asses semis. At ea tempestate teruncius non quadragesima, sed decima pars sestertii fuit, perinde ut quadrans: decem enim quadrantes triginta unciæ. Jam postquam sestertius quatuor assium esse cœpit, & teruncius ejus quadragesima; dodrans unciæ fuit pars quarta & sexagesima sestertii: LXIV enim dodrantes unciæ faciunt uncias octo & quadraginta, quot sunt in quatuor assibus. Repugnat etiam Cappello ipsa vocabuli compositio: neque enim *teruncius* aliter quam *nonuncius* apud Festum, *decunx* pro dextante, *septunx, quincunx, sescunx*: quam Græcis πεμπέγκιον & ἑξέγκιον· quæ omnia a tot unciis, non a tot partibus unciæ sunt denominata. Ergo & quæ inde colligit, teruncium valere denariolos novem Gallicos, & CL teruncios incurrere in Atticam drachmam, & teruncium esse sextamdecimam partem assis, somnia sunt mera. Pari solertia *sembellam* facit nummulum æreum Romanorum sescunciæ ut plurimum respondentem. At olim argentea *sembella* sex par habebatur unciis, ut *libella* duodecim: post, ut as fuit semuncialis, *sembellam* vicesimam sestertii partem imaginamur, id est, sextantem sicilicum quatuor scriptula: quæ pars composita cum duabus decimis, sive libellis, significet assem, cum tribus decimis sive libellis & quadragesima vel teruncio sesquassem, cum septem decimis tres asses, cum octo decimis & quadragesima tres asses & semissem. Ærearum igitur sembellarum genera plura redacta ad asses & sestertios consulares, imperatorios, Judaicos, folles & venti. Plauti tempore numquid *libellæ, sembellæ, teruncii* adhuc nummi fuerint, incertum: Ciceronis quidem ætate, *non unam libellam dare*, genus erat loquendi reliquum ex eo tempore, quo nummulus fuit, per figuram ponendi certi pro incerto vel quovis ejusdem numeri: velut si *assem* pro qua-

cumque pecuniola diceres: velut *expensum* & *dependere* de numerato dicebant. Notandus hic & Scaligeri sermo incautus, denarium & sestertium „ dividi in duodecim uncias apud ratiocinatores solitum, quando *ratio de-* „ *narii & sestertii ad assem & libram exigebatur:* ut contra *rationem sestertii* „ *ad denarium confici* dixerit Mæcianus. In denario verum est, eum ab istis in duodecim uncias dividi, nec reprehendendum: non item de sestertio, etsi fieri possit. Sed *rationem denarii & sestertii confici ad assem & libram*, tum *rationem sestertii confici ad denarium*, nec dixit, nec quid esset, scivit Mæcianus. *Rationes confici ad denarium* dicebant, & in illis æs excurrens partibus assis notabant & appellabant. *Rationes confici ad sestertium* etiam aliquando mos erat, & ibi æs excurrens vocabulis minutorum quondam argenteorum nummorum circumscribebant. Erat, ubi *ad victoriatum conficerent rationes:* in his nunc æris partibus, ut ad denarium, nunc argenteolorum nominibus, ut ad sestertium, æs excurrens, nuncupabant. Rob. quoque Cenalis hæc παρέτρωγε, sed ita ut ipsum potius parum concoxisse, quam aliorum sto- „ macho quidquam conciliasse existimes. Scribit denarium sedecim, victo- „ riatum octo, sestertium quatuor assium factum in causa fuisse, cur alia „ incunda fuerit partitio, non cuivis facile obvia. Quæ quæso ista necessitas? aut cui fini? nam de rationibus expeditius conficiendis verbum nullum. „ Secandus enim primum, inquit, est denarius in semuncias sedecim toti- „ demque siciliquos, qui junctim assem reddant, qui merito appellabitur „ *semuncia siciliquus*. At quid est totum vel solidum secare in partem unam, & quidem sextamdecimam? Denarius secabatur in duodecim uncias: sic eveniebat, ut as unus, æreum nomisma & sextadecuma pars denarii, in divisione denarii, tanquam assis vel totius dividendi, rationem haberet se- „ munciæ sicilici. Ita igitur (pergit) denarium secare conveniet, ut *semun-* „ *cia sicilicus*, sedecies repetita, assem denarii constituat. Hæc longe aliud sonant quam priora: dicebatur enim in sedecim semuncias sedecimque sicilicos partiendum esse denarium; nunc ait ita partiendum esse, ut sedecim semunciæ sedecimque sicilici assem constituant. Nisi forte per *assem* intellexit integrum denarium, non sextamdecimam denarii partem. Nam quomodo hoc fiat, ut assarius dicatur *semuncia sicilicus*, quæque sit illa divisio, per quam *sicilicus & semuncia* habentur pro asse uno, cujus denique ergo id fiat, fideliter tacet. Post ut assis multiplicationem per dupondium, tressis, „ quatrussis, &c. percensuit ad sedecim æris usque, Ex his collige, ait, ex *se-* „ *muncia & siciliquo* minore sedecies repetito assem componi; toties repeti- „ tam *sescunciam* dupondium, *sextantem sicilicum* tressim, *quadrantem* vero „ quatrussim reddere. Quî aut quis quæso hoc inde collegerit? quis autem ille *sicilicus minor?* Nihilo magis commode scienterque de sestertii partitio- „ ne: Sestertius, eodem Volusio auctore, in decem libellas secatur. Est au- „ tem *libella* decima sestertii, cujus vicesima *singula* dicitur, libellæ medie-

„ tas; *teruncius* vero quadragesima, cujus teruncii medietas *octogesima* censebitur. Hoc est verba dare. Non subest tamen fraus ulla religiosissimi viri, qui, quod habuit, bona fide dedit. Vocabula autem hic, non rem, habuit*.

* Adscripsit in fine hoc: Addendum de Abramo.

CAPUT XIII.

Volusius Macianus illustratus. Centesimæ plures, non ἀναλογισμὸς, nec tantummodo pecuniæ trajecticiæ. Quinquagesimæ male dicuntur pro usuris semissibus. Dosithei locus elegans correctus & explicatus. Ars quaternis centesimis fœnerantium quum centesimas tantum haberent in syngrapha. Χρύσινοι ἑκατὸν, χίλια δηνάρια. *Centesima cum dicitur, non intelligitur usura, non uncia, non* δραχμὴ, *sed pars sortis. Unciarium fœnus cum centesimis male confusum. Quia centesima reddit singulis mensibus centesimam sortis partem, in anno duodecim hujusmodi partes, ideo assium usurarum nomen accepit, & inde minores ea assis partibus vocatæ. As ibi consideratur, ut divisor, non ut pecuniola. Vocabula vectigalium formata e parte summæ, quæ pendebatur in publicum. Lex vicesimæ hæreditatum. Pandectes correctus. Menstruum fœnus non insolens Romanis. Nomina usurarum omnia Romanis ex fœnore menstruo. Hotomanni definitio fœnoris unciarii, non confundit illud cum centesimis usuris. Unciarium fœnus male viris doctis usura æquans sortem; male negatur ex menstrua ratione definiendum; male confunditur cum usuris bessibus. Uncia in fœnore unciario, non sortis est, sed centesimæ. Centesimas, uncias, sextantes, quadrantes usuras, cur potius dixerint, quam numero singulari.* Ἑκατοστὴ *Græcis ab Latinorum Centesima; non hæc ab illa denominata. Centesima non introducta primum cum Asiatica negotiatione, nec inusitata Romanis ante ingressum Græciæ. Centesima usura breviter dicitur pro integro, centesima pars sortis usura. Cicero ad Atticum illustratus. Non minore centesimis nummum movere.*

Priusquam Volusium depono, justum est, ut quamvis toto illo libello nihil scitius, præter cætera ex vetusto diligenter legentium more Χρηστῶν vel Laudabilium notam adfigam his verbis: *Centesima, quæ commodi aut usurarum nomine ad sortem applicaretur, sicilico, id est,* C *averso,* [puta Ɔ] *eo notabatur, quod cum* C *centum significaret, convertebatur ad eam summam, cujus centesima futura erat: &, sive una convenerat, unus sicilicus; sive plures, tot sicilici ponebantur.* Dabunt enim nobis occasionem disputandi nonulla adversus duos viros claritudine studiorum omne seculum suum supergressos. *Sive una convenerat, sive plures,* inquit Volusius cum vulgo Romano, non hodie Latine balbutientium: hoc est, sive unam pactus erat creditor a debitore, sive plures: sive de una, sive de binis, ternis, quaternis centesimis convenerat inter contrahentes. Ut Livius lib. XXIV. *sicut pax convenisset:* & lib. XXVII. *ratio agendæ rei & tempus convenit.* Justinus ex Trogo lib. IX. *servitutem, non pacem rati, quæ non ipsis civitatibus conveniret, sed a victore ferretur.* Convenerunt ergo plures centesimæ, quum fœnerator, ut ait Horatius, plures mercedes capiti exsecat: & evidens est error Scaligeri, qui, quod scribit Volusius, *sive una convenerat,* unum Ɔ aut sicilicum, *sive plures,* tot sicilicos poni so-

 ni so-

ni solere, id intelligendum de centesima centesimæ, qui est τόκος τόκων & ἀναλοκισμὸς, statuit. Quasi *binæ* aut *ternæ centesimæ* sint idem quod ἀναλοκισμὸς & τόκος τόκων. At ἀναλοκισμὸς erat, quum usura non soluta adponebatur ad sortem, & in sequentem annum vel mensem, velut sortis portio, & ipsa usuras pariebat: *binæ* vero *centesimæ*, cum quinquagesimam partem sortis menstruam usurarum loco, vel in quinquaginta nummos unum, in centum binos, quoque mense stipulabantur creditores, qui annuos efficiebant quatuor & viginti: sic *ternæ centesimæ*, quum tricesimam tertiam partem sortis menstruam, sive in triginta tres asses trientem, assem unum, tres in centenos inque dies triginta lucrabantur, qui annui triginta sex: *quaternæ*, quum quintam & vicesimam sortis partem menstruam, in viginti quinque unum, in centum quatuor menstrui, qui annui XLVIII. Errat igitur Q. Marius Corradus, cum lib. III de copia sermonis Latini, postquam *centesimam* dixit, unde pro singulis centenis duodecim capiunt negotiatores, idque fœnus duplicari *binis centesimis*, & idem judicium esse de *ternis*, *quaternis*, pluribusve, subjungit, sequi ex his, solitum dici *quinquagesimis esse fœnus*, quum sena tantum persolvi de centenis debent. Nam nec ejus sermonis exemplum exstat, nec, si exstaret, pro semissibus usuris, quod mox repetit, sed pro binis centesimis id accipiendum foret. Ut enim *centesima* unus in centenos menstruus, ita *quinquagesima* esset unus in quinquagenos, & duo in centenos menstrui. Sed *plures centesimas* apud Volusium pro anatocismo acceptas in Scaligero jam castigavit Salmasius cap. VIII de M. Vs. neque tamen necesse est ad trajecticiam pecuniam ea verba pertinere, quasi tantummodo nauticum fœnus aut una aut pluribus centesimis exercuerint Romani. Etsi enim *centesimam* terrestrem maximam & in jure reddendo optimi quique e magistratibus observarent, & leges præfinirent: tamen probabile est non modo acerbitate fœnerantium, sed & necessitate indigentium aliena pecunia finem illum sæpe migrasse privatos, utique qui in provinciis negotiabantur. Sufficiunt in utrumque verba Ciceronis lib. v ad Attic. epist. ult. *Interim quum ego in edicto translaticio centesimas me observaturum haberem cum anatocismo anniversario, ille ex syngrapha postulabat quaternas.* Hîc *anatocismum* concedit Cicero, *plures centesimas* negat: aliud ergo ἀναλοκισμὸς, aliud *plures centesimæ.* Dein Scaptius & Matrinius Bruti familiares, vel potius Brutus ipse Salaminiis locaverat pecuniam *quaternis centesimis:* neque fœnus hoc nauticum: Romæ quippe sumtum, ibidemque, ut credibile est, abusum erat: & si fuisset maritimum, in eo dumtaxat, quamdiu navigasset, centesimas nequisset observare Cicero, utpote in quo propter periculum creditoris infinitæ usuræ licitæ essent. Non igitur necesse est, ubi *plurium centesimarum* mentio fit, ibi statim trajecticiam pecuniam intelligi. Cicero de Verre lib. III. *In hac pecunia publica, judices, hæc insunt tria genera furtorum. Primum enim, cum posita esset apud eas societates, unde erat attributa, binis centesimis fœneratus est.*

tus est. Namque etsi hoc merito magnopere improbet Cicero, satis tamen ostendit, quid sæpe fieret. Pecuniam, qua Verris ornabatur provincia, numerare jussi erant publicani. Quum ille minus ea indigeret, hi maxime; aut si non indigebant, læti posse sic sese prætoris emercari gratiam, convenere utrimque, ut publicani eam retinerent, quasi a Verre acceptam fœnore. Sic multi pecuniam, ex ærario attributam Romæ in quæstu relinquebant, ut loquitur pro L. Manilia & in Pisonem. Et si his licuit tam improbas usuras pacisci, quid illis, qui sua pecunia negotiabantur? Dositheus in sententiis D. Hadriani: Κωδικίλλες τις Αδελανῷ παρέδωκεν, δι' ὧν ἔφασκε πλείονας εἶναι δανειστὰς, οἵτινες ἀδίκες τόκες απήτεν, ἐν οἷς τινας εἰς δηνάρια χίλια ἐξ αὐτῆς ἡμερῶν ἑκατὸν καὶ παρεκτὸς ἑκατοστὰς λαβεῖν, καὶ τὰ αὐτὰ χρήματα πάλιν δανείζειν. Sic ediderunt Stephanus & Vulcanius. At membranæ Vossianæ, ut & MS. Fanogallensis: οἵτινες ἀτόκες τόκες ἐξεπράξεον. Lege: ἐξέπραττον, vel ἐξέπραξαν. Posses &, ἀπὸ τόκων τόκες. Sed videtur quæsitus auctori lepos, τόκος ἄτοκος, ut βίος ἀβίωτος, πόλις ἄπολις, γόνος ἄγονος. Vetus versio: *qui inusuras usuras exigebant.* Quasi *usuras non usuras*, hoc est, iniquas, injustas, non debitas. nam mutuum ἄτοκον, pro quo non debentur usuræ. Dein Cujacius: εἰς δηνάρια χίλια ἐξ αὐτῆς ἡμέρας δηνάρια ἑκατὸν ὑποστέλλειν· & interpretatur, danistas creditis mille aureis ex ea summa eodem momento subduxisse centum, & nihilominus in aureos mille cautione concepta, ejus summæ usuras legitimas in singulos annos stipulatos, lib. XXI Observ. IX. Goldastus ex Ms. adfert: εἰς χρυσίνες ἐξ αὐτῆς ἡμερῶν ὑποστέλλειν· emendat autem: εἰς χρυσίνες χιλίες ἐξ αὐτῆς χρυσίνες ἑκατὸν ὑποστέλλειν. Neuter ad sententiam pervenit. Quid autem ὑποστέλλειν; Membranæ quas nominavi: εἰς χρυσίνες ρ ἐξ αὐτῆς ἡμερῶν ρ δηναρίων ρ ὑποστεῖλαι, καὶ παρεκτὸς ἑκατοστὰς λαμβάνειν, καὶ τὸ αὐτὸ πάλιν δανείζειν. Translatio: *in denarios centum ex ipsis dierum centum denarios centum subducere, & extrinsecus centesimas accepere.* Τὸ χίλια δηνάρια explicatio est τῶ χρυσίνες ἑκατὸν, sive adposuerit eam ipse Dositheus, sive alius magister: nam centum ἡμίχρυσοι sive aurei denarii reddunt mille denarios argenteos. His mille denariis vel centum ἡμιχρύσοις in dies centum utendis datis, statim, quum numerarentur, detrahebant (hoc est enim ἐξ αὐτῆς ὑποστεῖλαι) improbi isti mercedem præsentem denarios in singulos dies, centum omnes vel decem ἡμιχρύσες· & tamen deinde syngrapha in summam mille denarium vel centum aureorum denariorum centesimas usuras cum anatocismis sibi cavebant. hoc est, quaternis centesimis fœnerabantur, quum centesimis tantum fœneratos appareret. Nam mille denarii diurno denario collocati menstruos faciunt triginta denarios: ex his centeni quique tres: quæ ternæ centesimæ. Annui forent CCCLX: hunc enim numerum efficiunt duodecies triginta. At uti centum denarii centesimis annuos reddunt duodecim, binis viginti quatuor, ternis triginta sex: ita mille denarii centesimis annuos centenos vicenos, binis ducentos quadraginta, ternis trecentos sexaginta

pariunt,

pariunt. Accedebant aliæ centesimæ in syngrapha perscriptæ. Denique & anatocismi, quos significant illa verba: Καὶ τὸ αὐτὸ πάλιν δανείζειν. Hi sunt de quibus Plutarchus. τὰ δὲ τῶν μαστιγιῶν τούτων καὶ βαρβάρων χρέα πρὶν ἢ συλλαβεῖν, τίκτει· διδόντες γὰρ εὐθὺς ἀπαιτοῦσι, καὶ τιθέντες αἴρουσι, καὶ δανείζουσιν ὃ λαμβάνουσιν ὑπὲρ τοῦ δανεῖσαι. Basilius περὶ πλούτου καὶ πενίας. τοῖς τοκογλύφοις τὰ χρήματα ὁμοῦ καὶ δανείζεται καὶ γεννᾶται καὶ ὑποφύεται. Οὔπω γὰρ ἐδέξω εἰς χεῖρας, καὶ τοῦ παρόντος μηνὸς ἀπῃτήθης τὴν ἐργασίαν. καὶ τοῦτο πάλιν δανεισθὲν ἕτερον κακὸν ἐξέθρεψε. Id quod Josephus de Agrippa lib. XVIII cap. VIII vocat ἀλεωρὴν οὐδ' ἡντιναοῦν ἐνδιδοῦναι. Locus autem iste Volusii etiam eo notabilis est, quia solvit quæstionem, quam sibi posuit inexplicabilem vir maximus in libro de M. V. cap. VI. quum dicta est *centesima* de duodecim in centum annuis, quod substantivum fuerit ab initio in ea voce intellectum. *Centesima,* inquit, Latine cum dicitur, palam est subintelligi vocem *usuræ*, ut integrum sit *centesima usura*, quod & plerumque plene enuntiatur. Sed & *centesimas* singulas numero multitudinis quum iidem Latini pronuntiant, utique subaudiendas *usuras* liquet, & sæpe hanc vocem numero plurium efferunt etiam in designando singulari usuræ genere. Quod modo palam esse adfirmavit, id palam faciemus erroneum esse, & ipse paullo post de eodem dubitat. Quum enim disputasset multis de Græcorum ἑκατοστῇ, utrum ea ex Latina *centesima* formata sit, an centesimæ originem dederit. Quid si, inquit, igitur Latini veteres, cum *centesimam* dixere, non ad *usuram*, sed ad *unciam* respexerunt, quia centesima uncia menstruatim usuræ nomine soluta centesimam usuram efficit? At sic potius esset dicenda *centesimæ usura* quam *centesima.* Ita sane & Græcis bene procederet sua ἑκατοστὴ, subintelligendo δραχμὴ, ut Latinis *centesima*, subaudiendo *uncia.* Sic iidem Græci ἑκατοστῆς τόκον appellant, ut Latini vocare debuerunt *centesimæ usuram.* Postea per abusum *centesimam usuram* vocarunt pro centesimali vel centesimaria, hoc est ἑκατοστιαίῳ τόκῳ. Sic *Stertinium acumen*, *Sulpicia horrea*, pro Sulpicii horreis & Stertinii acumine. *Centesima* vero *usura*, quæ Romanis maxima, respectum habuit ad menstruam pensionem, non ad annuam, qui nimirum *uncia centesima* singulis penditur mensibus, ut Græcis ἑκατοστὴ, qua quotquot mensibus ἑκατοστὴ δραχμὴ pendi solet. Atque inde nomen. Sic ille, quod tamen ferri non potest. *Centesima uncia*, assis puta centum denariorum, non est denarius, quem tamen in mensem significat centesima usura, sed ipsius denarii uncia: est enim partis centesimæ duodecima pars: quam si qua in re quærimus, eam rem dividamus oportet in asses minores centum, & cujusque assis minoris pars duodecima est totius *uncia centesima.* Sic ex centum denariis faciendi sunt centum asses, & uncia unius denarii demum est uncia centesima assis centum denariorum: ea est as cum triente: forentque in annum duodecim asses duodecim trientes, seu denarius unus. Eo pacto *centesima* & *unciarium fœnus* foret idem: & sic progressi

gressi videntur nonnulli, qui magno errore hæc duo tam distantia miscu e
„ runt. Sensit hoc ipse cap. sequenti. Quamquam enim in principio dixe
„ rat, asses usuras Romanorum, *centesimam*, hoc est, ἑκατοστὴν Græcorum,
„ reddere, quia, duodecim quum sint unciæ in asse, ubi *centesima uncia* sin-
„ gulis mensibus penditur, *usura* proprie *centesima* vocetur, ut Græcis ἑκα-
τοστὴ subintelligendo δραχμή· (quæ verba repetunt errorem modo nobis
notatum) tamen post paullo intentior sanius loquitur: *Asses* itaque *usuræ*
„ dant assem in centum annuum, ut τόκος ἐπὶ δραχμῇ Græcis dat drachmam
„ in mensem: & hac in re differunt Græci a Romanis, quod illi in ea lo-
„ quendi formula de menstruis usuris intelligunt, Romani de annuis. At
„ *centesima* Romanorum si ab ipsis id nominis inventum esset, & non a
„ Græcis sumptum, de uncia centesima in singulos menses solvenda de cen-
„ tum acciperetur. Tunc vero *unciarium fœnus* eis esset idem cum *centesima*.
Quamvis hic quoque falsa interponat de differentia Græcarum & Romanarum nuncupationum, de *centesima* non a Romanis inventa, sed a Græcis sumpta: de quibus mox. Etsi autem, ut dixi, viderit, hac interpretatione *centesimæ* misceri centesimas & uncias usuras, nihilo tamen magis in luto
„ hærere desinit. Itaque subjicit: cum vero verius sit *unciarium fœnus* vel
„ *uncias usuras*, non unciam dare menstruam in centum, sed annuam. (hoc
„ vero verius non longe est, quum falsum deprehendetur.) Ex quo colligi
„ datur, *centesimæ* nomen Latinis ex Græco ἑκατοστὴ ad verbum fuisse reddi-
„ tum & conversum: cum nullum Latine fingere possimus substantivum,
„ quo referri queat. Nam *centesima uncia* faceret quidem centesimam usu-
„ ram menstrua die solvendam, sed ab unciario fœnore (voluit dicere, a
centesimis usuris: nam *centesimam unciam* exprimere ipsum *unciarium fœnus*
„ jam confessus est) in totum distat. *Partem* quidem subaudiendam quis
„ posset hariolari, ut quia pars centesima de centum menstruatim præsta-
„ tur, duodecim centesimas annuatim præstandas diceremus. Verum me-
„ lius est opinari ex Græco ἑκατοστὴ id nominis esse factum &c. Vides in quantam fluctuationem conjecerit tantum virum sua impatientia & festinatio. Qui *partem* subaudiendam censebit, is plane hariolabitur, si hariolari est profari, quod solum verum est. Atque is auctorem habebit Volusium Mæcianum: qui postquam aliquot versibus de partibus assis disseruit, tandem ait: *Post has, inferiores partes (excepta semuncia, duabus sextulis, sicilico, sextula, dimidia sextula, scriptulo) neque vocabula propria neque notas habent. Centesima, quæ commodi* &c. Ergo intelligit *centesimam* dici, quæ centesima est pars assis, hoc est, cujuscumque crediti vel fœnoris. Quam cur Græci Romanis imputent, causæ nihil habent. Sed quum collatæ centesimis contractiores usuræ sic sese habeant, ut suæ partes ad assem, atque inde nomina sortiantur, ita ut *centesimas* quoque dictas fuisse *asses usuras* valde probabile sit; hujus duplicis appellationis rationem invertit vir omni doctrina

ſpectatiſſimus, & ex fonte rivulum, ex rivo fontem facit. *Aſſes uſuras* vult eſſe proprie Romanæ figuræ & primæ nuncupationis, quæ deinde Græcæ conſuetudinis vocabulo dictæ ſunt *centeſimæ*. At contra eſt: quum *centeſimas* dixiſſent uſuras menſtruas, quod quoquo menſe pars centeſima ſortis commodi nomine daretur, & vidiſſent eas generare duodecim ejuſmodi partes in anno; propter numerum duodenum eaſdem *aſſes*, & minores aſſium partibus nominaverunt: & utrumque vocabulum mere Romanum. Vult Græcos ad uſurarum genera ſignificanda uſurpaſſe nummi argentei vocabulum, qui illis uſu frequentiſſimus, τόκους ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς. formando: Romanis quia prior ſignatus nummus æreus, *aſſem* in id adſumptum, uſu his celeberrimum. Quam ſpecioſum, tam fucatum vanumque hoc quoque. nam *as* nummus nihil ad centeſimam, nihil ad alias uſuras. Quod autem uſuræ centeſima minores explicitæ ſunt vocabulis partium aſſis, in eo conſiderarunt *aſſem*, non tanquam nummum, ſed tanquam commune inſtrumentum omnis integri, quod duodecim conſtat vel commode ſecatur partibus, dividendi. *Multa* enim *antiqui duodenario numero finiebant, ut duodecim decuriis actum*, ait Varro lib. IV de L. L. *Centeſimæ* autem nomen nihil morati Græcos Romani domi invenerunt & formarunt apud ſeſe, eo more, quo cætera vectigalium vocabula. *Centeſimam rerum venalium* & *auctionum* dixere, quod centeſima pars pretii promercalium rerum, de centum nummis unus, inferretur ærario. Apud Ciceronem ad Brutum, *tributum ex centeſima collatum*. Lib. III in Verr. *Scribæ nomine de tota pecunia binæ quinquageſimæ detrahebantur*. Sic *viceſima* eorum, qui manumitterentur, patronis dependenda, apud Livium lib. VII. *viceſima hæreditatum*, quas externi cernerent, Plinio in Paneg. & paſſim in lapid. antiquis: *quadrageſimæ publicum* & *quadrageſima litium* apud Suetonium: *quadrageſimæ quinquageſimæque exactio* apud Tacitum: *quadrageſima ferarum* apud Symmachum. Hoc quidem non alienum a Græco more. Sic πεντηκοστή, τέλος· πεντηκοστολόγοι, οἱ τοῦτο ἐκλέγοντες· πεντηκοστεύεσθαι, τὸ πράττεσθαι τὴν πεντηκοστήν· πεντηκοστολόγιον, locus ubi pendebatur. Sic & Demoſthenes in Neæram appellat τὴν πεντηκοστὴν σίτου, & τὰς δεκάτας τοῦ θεοῦ, καὶ τῶν ἄλλων θεῶν πεντηκοστάς. Sic ἐπωνία, τέλος τὸ ἐπὶ τῇ ὠνῇ διδόμενον· εἴη δ' ἂν ἴσως ἡ πέμπτη. Etymologicon magnum. Perperam in libris Legum advocantur Æmilii Macri libri *ad legem viceſimam hæreditatum*: ut in l. XIII de tranſactionibus, l. XXXII de religioſis, alibique: etſi non aliter appellent magni Juriſconſulti, Cujacius & Ant. Auguſtinus, qui, quod mirum, ut legem Valeriam, Vatiniam, Vellejam, Voconiam, ſic etiam legem *Viceſimam* ſubjicit. At nulla fuit *lex viceſima*, ſed *viceſimæ hæreditatum*. Ut *lex locationis* dicitur, & *leges publici cujuſque* Tacito lib. XIII. *edixit princeps, ut leges cujuſque publici, occultæ ad id tempus, proſcriberentur*. Suetonius Caligula: *Hujuſmodi vectigalibus indictis neque propoſitis, cum per ignorantiam ſcripturæ multa*

multa commissa fierent, tandem flagitante populo Romano proposuit quidem legem. Itaque fecit Macer indicem scriptorum istorum *Ad legem vicesimæ hæreditatum.* Capitolinus Marco: *Leges etiam addidit de vicesima hæreditatum.* Usura est vectigal privatum. Itaque sic *centesimam* usurarum vel commodi nomine (Scævola l. XLVIII de admin. & peric. tut. *uncias usurarum nomine*) quoque dixere, huc respicientes, quod mense quovis pars centesima assis, seu unus in centum, decem in mille, pro usu pecuniæ alienæ merces præstaretur. Vehementer enim falsus vir tantus, quum toties ingerit, eo diversos abisse Romanos a Græcis, quod horum vocabula menstruas, illorum annuas usuras significarent. Quasi Romanis, quemadmodum & honestioribus Græcis, ut alibi loquitur, ignotum aut vitatum fuerit menstruum fœnus. Etenim si & rem habuerunt, cur ex rei natura non posuerint nomina? Honestum, credo, patietur esse Cn. Pompejum Magnum. At de hoc Cicero lib. v ad Attic. epist. I. *post* (Ariobarzanes Cappadox) *a Pompeji procuratoribus sexcentis premi cœptus est. Ei tamen sic nunc solvitur, tricesimo quoque die talenta Attica triginta tria, & hoc ex tributis: nec id satis efficitur in usuram menstruam. Sed Cn. noster clementer id fert. sorte caret; usura, nec ea solida, contentus est.* Quid ille in l. *Lecta, in dies triginta, inque denarios centenos, denarios singulos dari?* Et ille alter, in l. XXVI Depositi, *in singulos menses singulasque libras usurarum nomine quaternos obolos.* Cur *Calendarium* vocabatur? unde *celeres*, unde *tristes Calendæ*, Ovidio? Ausim contra statuere, menstruum longe fuisse frequentius. Ut res, sic quoque voces. Non enim centesimæ modo, perinde ut istarum suarum Græci, ab eo quod menstruum pendebatur vel debebatur, petiere appellationem, non ab eo quod annuum: sed etiam ab eodem menstruo omnes alias hac inferiores usurarum formas denominaverunt. Nam cum ad publicorum vectigalium modum concepissent nomen fructus pecuniæ privatæ, *centesimam*, statuerunt eam velut fontem & caput, unde omnia, quibus tot commodorum pecuniæ fœneraticiæ minora genera intelligerentur, vocabula velut rivuli emanarent: & quod viderent eam annuas hujusmodi partes duodecim, qui numerus unciarum assis est, parere, jusserunt illam ad inferiora sese habere tanquam assem, in quem omne solidum partiebantur; ut quod usuræ nomine promissum distaret tantum a centesima, quantum unciæ, sextantes, quadrantes, &c. ab asse, id his assis partibus vocitaretur: ad superiora, tanquam assem unum ad plures: sic pro dupondio *binæ centesimæ*, pro tressis *ternæ*, ac deinceps: omnia ex eo quod menstruum redibat. At ὁ θαυμάσιος etiam
„ cap. VII. Certe & usurarum apud Romanos denominationes, non men-
„ struam, sed annuam solutionem notant. nam quod *unciarium fœnus* di-
„ ctum est, non in singulos menses unciam promittit, hoc est, duodecimam
„ sortis partem, sed in annum. Ubi nova rursus offensio. nam ne in annum quidem duodecimam sortis partem *unciarium fœnus* promittit. Sit,

age, ſors centum denarii: fœnore unciario annuum reddunt unum. At hujus ſortis duodecima pars non unus eſt denarius, ſed octo denarii & triens vel duo oboli: nam duodecies octo, nonaginta ſex: quibus ſi accedant duodecim trientes, hoc eſt, quatuor denarii integri, complentur centum. *Unciarium* igitur, ſi diis placet, *fœnus* & *uſuræ beſſes* idem. Uncia in fœnore unciario non eſt capitis ſive ſortis, ſed centeſimæ: & in ſingulos menſes utique fœnus hoc promittit ejuſdem centeſimæ partis unciam: ut toto anno exiſtat una pars integra centeſima. *Centeſima* eſt denarius menſtruus in denarios centum. Uncia denarii ſedecim aſſium eſt as cum triente: tantum igitur in menſem parit unciarium fœnus: hi annui ſunt duodecim aſſes, duodecim trientes, hoc eſt, denarius unus ſedecim aſſium. Sic denarius unus ad centum annuos accedit *unciis uſuris*, a parte duodecima centeſimæ, quæ & ipſa menſtrua eſt, appellatis. Sic *ſextantes uſuræ*, ubi ſextantes centeſimæ penduntur in menſem. Denarii ſextans, aſſes duo duoque trientes: hi in annum ſunt viginti quatuor aſſes & totidem trientes: qui triginta duo aſſes, hoc eſt, duo denarii. Quadrans denarii in menſem quatuor ſunt aſſes, in annum XLVIII aſſes, ſive tres denarii: hinc igitur *uſuræ quadrantes*, quæ tres annuos denarios centenis addunt. Triens denarii menſtruus, quinque aſſes triens: duodecim quinqueſſes ſunt aſſes LX: duodecim trientes, quatuor aſſes: at LXIV aſſibus conſtant quatuor denarii: ſic *uſuræ trientes* quatuor in centum annui denarii. Quincunx denarii ſex aſſes duo trientes: duodecies ſexis, aſſes LXXII: duodecies duo trientes, octo aſſes: at LXXX aſſes, quinque denarii: hæ *uſuræ quincunces*. Semis denarii octo aſſes, qui quot menſibus accedentes ſorti generant XCVI aſſes, ſex denarios: tot ergo *uſuræ ſemiſſes*. Septunx denarii, novem aſſes triens: duodecies nonuſſis, aſſes CVIII; duodecim trientes, quatuor aſſes: at CXII aſſes computantur in ſeptem denariis: tot igitur annui *ſeptunces uſuræ* menſtruæ. Bes denarii, centeſimæ partis menſtruæ, decem aſſes duo trientes: duodecies decem ſunt CXX: viginti quatuor trientes, octo aſſes: at CXXVIII aſſes habent octo denarii: ſic *beſſes uſuræ* octo reddunt annuos denarios. Dodrans in menſem denarii, duodecim aſſes: hi annui CXLIV aſſes, quot ſcilicet habent novem denarii: novem igitur in centum annui *uſuræ dodrantes*. Dextans denarii, tredecim aſſes triens: duodecies tredecim ſunt CLVI: duodecim trientes, quatuor aſſes: hi CLX aſſes, decem conficiunt denarios: tot ergo nummi annui *uſuræ dextantes*. Deunx denarii in menſem facit quatuordecim aſſes duo trientes: duodecies quatuordecim ſunt CLXVIII: viginti quatuor trientes, octo aſſes: at CLXXVI aſſes, undecim denarii: tot igitur *deuncium uſurarum* annui. Sic denique as menſtruus, hoc eſt, denarius, eademque *centeſima*, gignit annuos duodecim denarios. Alia diviſio eſt decem aſſium priſci denarii: ſed nihilo pejus res procedit: ne quis putet ante bellum Punicum ſecundum Romæ non fuiſſe centeſimas. Hujus *unciæ* ſunt ſemis & triens: *ſextans* as duo

trientes:

trientes: *quadrans* duo asses semis : *triens* tres asses triens: *quincunx* quatuor asses sextans: *semis* quinque asses: *septunx* quinque asses semis triens: *bes* sex asses duo trientes: *dodrans* septem asses semis: *dextans* octo asses triens: *deunx* novem asses sextans: addito semisse & triente, quam *unciam* diximus, fiunt decem asses, ipse denarius *as*. Ergo sors centum denarii, *unciis usuris* menstruos pariebat semissem & trientem: duodecim semisses sex asses; duodecim trientes quatrussis: hi decem asses sive denarius annuus. *Sextantibus* assem duos trientes: ex his duodecim assibus & XXIV trientibus, qui complent octo, existunt annui viginti asses, duo denarii. *Quadrantibus* sestertium antiquum: duodecim autem sestertii, tres denarii. *Trientibus* tres asses trientem: ter duodecim sunt XXXVI, trientes duodecim quatrussis: junctim XL asses, quatuor denarii annui. *Quincuncibus* quatuor asses sextantem: quater duodecim XLVIII, duodecim sextantes duo asses: hi quinquaginta asses vel quinque denarii. *Semissibus* quinarium vel victoriatum: duodecim autem victoriati, sex denarii. *Septuncibus* super victoriatum semissem & trientem: qui duodecies iterati constituunt LXX asses, vel septem denarios. *Bessibus* sex asses binos trientes: duodecies sex sunt LXXII: octussis quod dant XXIV trientes, apposito LXXX asses vel octo denarii annui. *Dodrantibus* septem asses semissem: septies duodecim sunt octoginta quatuor, semis duodecies, sex asses: hi ergo annui XC denarii novem. *Dextantibus* octussis trientem: octo duodecies faciunt nonaginta sex: quatrussis addito asses sunt centum, decem denarii. *Deuncibus* novem asses sextantem: duodecies novem sunt CVIII: duodecim sextantes additi faciunt CX asses, id est, undecim denarios. Idem longe mollius & planissime invenies in libris æris, prorsus ut appareat in ære gravi, nec signato demum, ut censebat Salmasius, cœptas centesimas acquisivisse nomina, quæ dein etiam in argento tenuerunt. Nam centum libræ æris, sors, *centesimis usuris* menstruam libram, annuas duodecim libras gignebant: *deuncibus*, deunces æris menstruos, sive undecim uncias, annuas CXXXII, hoc est, libras undecim: *dextantibus*, dextantes æris menstruos, uncias CXX annuas, quæ decem libræ: *dodrantibus*, dodrantes æris quot mensibus, anno uncias CVIII, libras novem: *bessibus*, besses æris menstruos, uncias XCVI annuas, libras octo: *septuncibus*, septunces æris menstruos, quæ annuæ LXXXIV unciæ, septem libræ: *semissibus*, selibras æris, uncias LXXII sive sex libras annuas: *quincuncibus*, quincunces æris, annuas LX uncias, quinque libras: *trientibus*, trientes æris, annuas XLVIII uncias, libras quatuor: *quadrantibus*, quadrantes æris menstruos, uncias XXXVI annuas, tres libras: *sextantibus*, sextantes æris quoquo mense, anno XXIV uncias, binas libras: *unciis*, uncias æris menstruas, annuas duodecim, libram unam. Ille tamen, ne quid semel
„ dixisse videatur: At contra Romanis as in centum promissus, aut in assem
„ centum mutuo data, quamvis centesimam usuram designent, non tamen
„ de asse menstruo accipienda sunt, sed de annuo, hoc est, de duodecim un-

 „ ciis

„ ciis in centum annuatim ſolvendis, vel de uncia una ſingulis menſibus præ„ ſtanda. Hoc vero ipſum eſt *unciarium fœnus*, tantum diſtans a centeſima, quantum uncia ab aſſe. Non produco verba Imperatorum, ubi *trientem* tertiam, *quadrantem* quartam centeſimæ partem interpretantur: fecit id Ant. Auguſtin. l. II Emend. cap. x. Et ipſe interdum oblitus ſui ſic loquitur, „ interdum ut vera falſis adſpergat. Uti cum ſcribit: *Sextantes uſuræ* Lati„ norum ut ſextam partem centeſimæ denotant, ita duas uncias in centum „ in annum præſtandas declarant. Vitioſum poſterius membrum: non enim duas uncias in annum, ſed viginti quatuor: duo denarii pro aſſibus ſinguli tot habent uncias: ſed in menſem plane duas, quæ, quia duodecim in anno menſes, fiunt XXIV annuæ. Sic igitur *uſuræ unciæ, ſextantes, quadrantes* &c. promittunt quidem unam, ſextam, quartam &c. partes ex duodecim in annum: ut *unciæ* denarium unum, *ſextantes* denarios binos, *quadrantes* denarios ternos: non tamen inde vocitantur: ſed quod uſurarum centeſimarum, quaſi aſſis, duodecimam, ſextam, quartam &c. quot menſibus polliceantur. Hinc etiam intelligitur, injuria Hotomannum dari ſocium illis, qui *unciarium fœnus* & *centeſimas* confuderunt, dumtaxat eo, quod in verborum juris „ commentario, *Uſuram unciariam* interpretatur, quum pars centeſimæ „ duodecima ſingulis menſibus ſolvitur, hoc eſt, unus in centenos. Vera hæc definitio: nam pars centeſimæ duodecima ſingulis menſibus depenſa facit annuam partem ſortis integram centeſimam: ut as cum triente, pars duodecima centeſimæ denarium centenum (nam centeſima pars hujus ſortis eſt denarius) in ſingulos menſes, facit in duodecim menſibus unum denarium, partem ſortis centeſimam, uti diximus. Is autem unciarii fœnoris pro„ ventus. Atqui, inquit, non animadvertit Hotomannus, hac interpretatio„ ne *unciariam uſuram*, ut vocat, (nimirum hoc quoque improbat in eo, quod *unciariam uſuram*, non *fœnus unciarium* vel *uncias uſuras* cum veteribus „ dixerit; at hoc, opinor, juſtius) eandem cum *centeſima* conſtitui. Quem„ admodum vero? nam, ait, in centeſima uſura pars duodecima ejus ſin„ gulis menſibus penditur, & duodecim duodecimæ ſingulis annis. Hic vero graviſſimus reprehenſor, quod in aliis culpat, imprudens ipſe in ſeſe admittit: hoc eſt, ex unciario fœnore facit centeſimas, & ex centeſimis uncias uſuras. Nam ſi in centeſima uſura pars duodecima ejus ſingulis menſibus penditur, quid fiet toto anno præter duodecim uncias centeſimæ? atque adeo una tantum integra centeſima pars ſortis? veluti unus denarius acceſſio centenum? Hæ ergo quæ ſunt, ſi non ſunt *unciæ uſuræ?* In centeſimis uſuris, quod adfirmaſti toties ὡ πᾶν, non pars duodecima centeſimæ, ſed pars centeſima ſortis integra ſingulis menſibus penditur, ut fiant centeſimæ partes ſortis duodecim in anno. Sic centum denarii centeſimis uſuris merent dena„ rios duodecim, ſingulis menſibus ſingulos. Sed quomodo, pergit, quæſo „ te, ea uſura, quæ duodecim uncias annuas pendit, poteſt dici *unciaria?*

At ego,

At ego, quæso te, dicam, quod aliud *fœnus unciarium*, quam quod menstruam unciam, annuas duodecim uncias centesimæ partis, & sic unam centesimam sortis partem annuam reficit? ut quum centum denarii mensurnum assem cum triente, annuos duodecim asses duodecimque trientes, id est, de-
„ narium unum annuum progignunt. Haud sane magis, subjicit, quam ap-
„ pellari mereatur *semissium usurarum* nomine, quæ duodecim semisses in
„ annum penderet. Non fallitur, ita est enim, gemina sunt hæc & germana, sed & (quod fallitur ille quum secus existimat) juxta vera & sana. Sunt enim *semisses usuræ*, quæ unum semissem menstruum, duodecim semisses annuos centesimæ pendunt. Ut quum centum denarii quotmensibus semissem unum centesimæ partis (quæ denarius) nempe tres obolos sive victoriatum, annuos duodecim semisses centesimæ partis, hoc est, duodecim victo-
„ riatos, qui sex sunt denarii, acquirunt. At, urget, *unciarium* intelligunt,
„ quod unciam singulis mensibus præstat. Cur non pariter intelligendæ sic & sunt *usuræ semisses* aut *trientes*, quæ in singulos menses semisses pendant aut trientes? Jus postulat. sunt enim istæ pariter intelligendæ *trientes*, ut *unciæ* & *semisses*, usuræ, quum triens menstruus, duodecim trientes annui centesimæ partis proveniunt. Ut e centenis denariis quolibet mense quinque asses triens annuos faciunt quatuor denarios trientali fœnore. Num aliis dictis hujus erroris Hotomannus sese alligaverit, ignoro, qui libro isto caream: his quidem nihil peccatum est. Non desunt tamen alii viri præstantes
„ imprudentius in eadem re loquuti. Hadriano Junio συνώνυμα, *Unciaria*
„ *usura*, *centesima* Cic. *fœnus unciarium* Corn. Tacito, quæ centesimam sor-
„ tis partem singulis mensibus capit: quando nimirum quotannis duodecim
„ penduntur usuræ nomine. ibi enim, apponit, *assis* nomine censetur annus,
„ ut *unciarum* vicem gerant menses. Vides, ut ita dicam, colosserota, puerum mixtum cum gigante, duodecimam partem pro toto ex duodecim partibus constante. Secutus tamen est illum Thomasius, & Matth. Hostus lib. II cap. I pag. 164. Ridendum vero, *assis* nomine censeri annum, menses *uncias*. Sane ubi annus as, mensis uncia, bimestre sextans, tres menses quadrans, & deinceps; sed quid hoc ad usuras? nihilo magis quam ad cyathos sextarii, aut ad pedes jugeri, aut hæreditatis consortia. An usuræ sunt partes anni? Reditus pecuniæ sunt currentibus anni articulis multiplicati: dicuntur autem *unciæ*, *sextantes*, *quadrantes*. non *anni*, sed *centesimæ* ratione. P. Manucius ad lib. V famil. Ciceronis epist. VI testatur se dissentire cogi a doctis hominibus, qui affirment *unciarium fœnus* levissimum fuisse, quod, ut ipse arbitretur, gravissimum fuerit, idemque cum *centesima*. Quæ vero
„ illa Diomedea necessitas tantum cogens? Usurarum enim, inquit, quæ-
„ dam nomina menstruam solutionem, quædam annuam significant: men-
„ struam, ut *centesima*, *unciaria*, *semunciaria*; annuam, ut *semis*, *bes*, *triens*. Hic novus error, nec admodum speciosus: nam *centesimæ* appellandæ pro-

priam

priam & differentem ab aliis rationem fuisse facile concedas: *uncias* vero & *semuncias* usuras aliter vocatas quam *semisses, besses, trientes*, & illas quidem a menstrua, has ab annua accessione, cui verisimile videbitur? Quid *semisses*, nisi sex unciarum? quid *besses*, nisi octo? quid *trientes*, nisi quatuor? Ergo cujus temporis intervallo nascentes sex & octo & quatuor unciarum dictæ „ sunt, ejusdem prorsus & unius unciæ & semunciæ. Sed, inquit, si *centesima* „ vel *unciaria* vel *semunciaria* semel in anno solverentur, quis tantulo quæstu „ pecuniam suam collocasset? Hæc interrogatio adhibetur ad probandam rem veram, quam minime probat. Verum est, *centesimas, uncias, semuncias* usuras dictas a menstruo lucro: nec tamen absurdum, semel quandoque in anno solvi, ut hodie fere ubique, etsi singulis mensibus novum augmentum per illas debeatur: multo minus dubitandum, homines tanto quæstu pecuniam collocare voluisse. Quid enim facerent, quum legibus aliæ quam unciæ aut semunciæ vetitæ essent? Nam centesimis parum congruit illud, *tantulo quæstu. Centesimas* explicat ipse duodecim annuos pro centenis, quas perperam voluit esse easdem quas *uncias* usuras. Ubi inter bonos agitur, quid refert, duodecies singuli, an semel duodecim in anno solvantur? *Semuncias* facit easdem quas *semisses*. Perperam hoc quoque: sed quid refert duodecies dimidiati singuli nummi, an semel duodecim dimidiati, vel sex „ integri numerentur? Alio igitur argumento hic opus erat. At si bes, ait, „ vel semis, vel etiam triens usura menstrua esset, quis tanta rei familiaris „ jactura fœnebrem pecuniam accipere voluisset? Hîc & falsum colligit, nempe non fuisse menstruos *semisses, besses, trientes*, & falsum ponit, nempe eam esse nimiam jacturam rei familiaris. Velim scire, quos *trientes, semisses, besses*, sibi finxerit Manucius. Nam si intellexisset, eos esse *centesimæ trientes, semisses, besses*, non statuisset hos graviores rei familiari quam *centesimam:* nec alterius temporis intuitu illos quam hanc nominari putasset. Concludit, se opinari, *unciarium fœnus* & *centesimam* idem esse, ut ratio habeatur menstruæ solutionis, non annuæ: *semunciarium* autem idem cum *semissibus*, ut in his annua solutio spectetur, in illo menstrua. Insanum male: nam *centesimæ* sunt, cum centesima pars sortis, *unciæ* cum duodecima pars centesimæ, *semunciæ* cum vicesima quarta pars centesimæ, *trientes* cum tertia pars ejusdem centesimæ, *semisses* cum dimidia, *besses* cum duæ tertiæ usurarum nomine singulis mensibus debentur: hoc est, in centenos annui vel duodecim, vel unus, vel dimidiatus, vel quatuor, vel sex, vel octo nummi. Jac. Gothofredus ad L. XII tabb. *Fœnus unciarium* est, inquit, quod unciam unam menstruam in assem pendit. Quis intelliget *unciam*, nisi *assis*, in quem penditur? At eam nequaquam præbet *unciarium fœnus*, nec eo respectu dicitur. Ponamus denuo sortem vel assem centum denariorum: ejus uncia sunt octo denarii triens: tantum si penditur menstruum, usura annua æquabit sortem: nam uncia illa duodecies conficitur in anno pro men-

mensibus duodecim: duodecies autem octo denarii sunt XCVI: & duodecim trientes denarii quatuor faciunt reliquos, qui juncti sunt centum. Debuit igitur dicere: *quod unciam centesimæ menstruam in assem vel sortem pendit.* Sic alius ad easdem XII tabb. *Unciarium fœnus* negat ex menstrua ratione definiri, quum scilicet singulis mensibus duodecima pars assis pendatur: neque enim *assem in usuris* esse menstruum, sed annuum dumtaxat. Falsum est *unciarium fœnus* non ex menstrua ratione dici: nam inde dicitur, quod unciam centesimæ quovis mense reddit, conficitque annuam partem centesimam, qui est nummus unus in centum. Frustra putat, si ex menstrua ratione ducatur *unciarium fœnus*, futurum ut duodecima pars assis pendatur: non enim assis sive sortis, sed centesimæ ea duodecima est. Male & re & verbis, quum *assem in usuris* menstruum esse inficiatur, annuum confirmat. Nemini Latinorum appellatur *as in usuris* aut *as usurarius*, ut mox loquitur. Talia sunt summi viri, *as in centum promissus*, & *centum in assem mutua data:* quæ genera loquendi veteribus ignota mirificas tenebras auctoribus suis offudere. *Centesima* respectu clementiorum usurarum consideratur ut *as*, quia illæ a centesima tantum distant, quantum ab asse deunces, dextantes, dodrantes &c. & proinde illis partibus appellantur. Hæ asses usuræ omnino menstruæ: nam *centesima* est, ubi centesima pars sortis quoquo mense fit lucri: & sic etiam usuræ inferiores appellantur ab ea parte centesimæ, quam lucrifaciunt: nam *deunces usuræ,* cum centesimæ deunces menstrui penduntur, qui in anno denarii sunt undecim; *dextantes,* cum centesimæ dextantes, qui in anno decem: & ita deinceps. Sethus quoque Calvisius in opere Chronologico ad A. ante C. N. CCCLII per occasionem rogationis tribuniciæ, Est autem, „ inquit, *unciarium fœnus,* quando annuo spatio sortis uncia, sive duodecima „ pars solvitur, in duodecim unus, in centum octo. Differt igitur, addit, „ *unciarium fœnus* a *centesima.* Sane differt: sed & differunt ab unciario fœnore *usuræ besses,* per quas illud describit vir doctissimus: hoc est, utrumque genus confundit, eadem offensione, quam modo in cap. VII de M. V. notavimus. Sic ad A. ante C. N. CCCXL *semunciarium fœnus* dicit, quum de XXIV aureis unus annuo spatio solvitur. At hæ sunt *usuræ trientes.* Semunciarium fœnus in centenos dimidiatum adsciscit annuum. Observat Salmasius Ciceronem & optimos veterum sæpius *centesimas* quam *centesimam* dixisse; nec has tantum, sed & *uncias, sextantes, quadrantes* &c. *usuras* potius quam *unciam, sextantem, quadrantem* &c. *usuram:* sed hujus accurationis causam aut non indagavit aut non edidit, quod meminerim. Ego duplicem suspicor: alteram, quia sors plerumque plurium erat centenum, & sic plures centesimæ, aut plures centesimarum unciæ, sextantes, quadrantes &c. quæquæ convenerant, mense quolibet maturabantur: alteram, quia etsi singulæ quotmensibus debitæ & accrescentes (unde nomen habuerunt) plurimum tamen plures simul, atque adeo sæpe annua die duodenæ omnes

 solve-

ſolvebantur. Atque ex his etiam colligas, haud dubie rectius traditum cap. VI de M. V. ἑκατοστὴν, quia neque apud veteres Atticos ſive hiſtoricos ſive oratores, neque in ſcriptis Grammaticorum, qui eorum vocabula ſunt interpretati, reperitur, ſed tantummodo apud illos, qui ſub Romano imperio ſcripſere, dictam eſſe a *Centeſima* Latina; quam cap. VII, in quo ſpretis melioribus cogitationibus ſuis acquieſcit auctor, *centeſimam* ex Græcorum ἑκατοστῇ ad verbum fuiſſe converſam. Falſum quoque, ad eum fœnoris modum veniſſe Romanos illo demum tempore, quo negotiatores Romani generis & publicani in Aſia Græciaque fœnus exercentes appellatione ἑκατοστῶν in illis locis magis pervulgata libentius eam rem exprimere ſoliti ſint. Ipſi enim Romani nomen *centeſimæ*, Græciæ Aſiæque incognitum, primi eo intulerunt. Præterea de unciario fœnore lex eſt perlata anno V. C. CCCXCVI C. Marcio Rutilo Cn. Manlio iterum Coſſ. centum propemodum annis, antequam bello Punico primo in Siciliam tranſcenderunt. At quomodo *unciarium fœnus* potuit appellari, ſi ignorabatur *centeſima?* Neque enim intelligimus *uſuras uncias* niſi *centeſimarum*. Quod nullum fuit in univerſum, quomodo ejus unciæ dici potuerunt? Falſum, antequam Græcia & Aſia potirentur Romani, præter *unciarium & ſemunciarium* fœnus, vix aliud Romæ cognitum fuiſſe. Scilicet hoc erat, propter quod tam graves ſeditiones toties ortæ ſunt, ut in ultimum diſcrimen venerit res ſumma publica: quum nullæ leges eſſent tam ſanctæ, quas non libido quæſtus perrumperet. Scilicet *unciarium fœnus* erat, quo *multiplici jam ſorte exſoluta, mergentibus ſemper ſortem uſuris*, quis obrueretur, ut queritur addictus ille apud Livium lib. VI. Ego vero non dubito, quin & ante Sacrum montem Meneniumque Agrippam ſanguinolentæ centeſimæ tenuiores agris paternis & avitis exſuerint. Cur enim bonorum virorum ingratiis, prævalente plebis potentia, leges de unciario & ſemunciario fœnore ſunt rogatæ, ſi hæc genera tantum in uſu fuerunt? Falſum, *binas*, *ternas*, *quaternas centeſimas* maluiſſe Græcis quam ſuis nominibus Romanos appellare. Sunt enim hæc mere Romana nomina, nec ad ullam ſimilitudinem Græcorum formata. At ἑκατοστὰς magno ſuo malo ab Romanis didicerunt Græci. Nam *aſſarium, dipondiarium*, *tripondiarium*, *ſeſtertiarium*, *ſeſquaſſarium* fœnus cum *treſſibus, quadruſſibus*, *ſeſtertiis*, *ſeſquaſſibus* uſuris fingere prorſus eſt laſcivire, & Romanos docere Latine loqui. Illi vero ſi hæc dicere potuerunt, noluerunt tamen meliore ſane aurium in ſua lingua judicio prædìti quam nos ſumus in aliena & deperdita. Quod autem *tripondium* ait dixiſſe quoſdam pro tribus aſſibus, quod meminerim, nemo dixit: ſed obverſabatur τῷ πάνυ prava Hotomanni conjectura, *trepondo* apud Quintilianum mutans in *tripondium:* quam olim rejecimus. Obſervandum illud quoque, non parum, opinor, lucis toti huic negotio præbiturum, quum cœperunt dicere *centeſimam uſuram* vel *centeſimas uſuras*, non poſuiſſe veteres has duas voces, ut ſtructum fixum

fixum cum mobili vel substantivum cum adjectivo, sed instar duorum substantivorum καθ' ἐπεξήγησιν. Erant enim integra: *centesima pars sortis usura*, vel *centesimæ partes sortis usuræ*, id est, usurarum vel commodi nomine ductæ atque accedentes, aut pro usura statutæ & condictæ. Sic etiam *sextantes*, *quadrantes*, *trientes* &c. usuræ, intelligendæ, sextantes, quadrantes, trientes, centesimarum partium sortis, usuræ, vel usus mercedes. Quodque Persius, *modesto quincunce*, supplemus, centesimarum sortis partium pro usuris stipulato: &, *pergant avidos sudare deunces*, intelligimus, deunces centesimarum sortis partium, usurarum nomine, elaborare: ut Justinus vel Trogus, *elaborato a parentibus imperio.* Nec vero ab his, in quibus sumus, alienum videbitur illustrari Ciceronis locum lib. I ad Atticum epist. XI. *Opinor, ad Considium, Axium, Selicium confugiendum est: nam a Cæcilio propinqui minore centesimis nummum movere non possunt.* Apud Senecam hæc de Cæcilio repetentem epist. CXVIII *minoris centesimis* legitur, ex quo quidam emendandum Ciceronem censuere. Malaspina Sosipatrum docuisse observat, vetustissimis ipsique Ciceroni dictum, *plure & minore emptum*, pro pluris & minoris. Atque ab eo accepit Popma. Sed aliter hic loquitur Cicero: cujus brevitas ita ex ipso explicanda est: *minore* fœnore quam *centesimis* usuris ductis. Hoc non mihi, sed ipsi credas, licet, qui soleat istas voces sic conjungere. Lib. IV ad Att. epist. XIV. *Fœnus ex triente idibus Quinctilibus factum erat bessibus.* Intelligis, usuris. Lib. V epist. ult. *Quum SC. modo factum sit, puto postquam tu es profectus, in creditorum causa, ut centesimæ perpetuo fœnore ducerentur.* Lib. VI epist. II. *Nisi forte id volumus armis efficere, ut fœnus quaternis centesimis ducant.* Epist. III. *Scaptius centesimis, renovato in singulos annos fœnore, contentus non erat.* Tacitus de moribus Germ. *Fœnus agitare & in usuras extendere.* Restat nonnihil hujus materiæ: sed aliquando respirandum est.

CAPUT XIV.

Græci alias usuras ab annuo, alias a menstruo proventu appellant. Ἐπίτριτος, ἔφεκτος, ἐπίπεμπτος, ἐπόγδοος, ἐπιδέκατος τόκος *ab annuo: &, ut Latine reddi debeant.* Ἑξακόσιαι δραχμαὶ ἐπίτριται. *Isæus explicatus. Harpocratio defensus. Apud Aristotelem Mœroclis facetum dictum explicatum.* Πονηρεύεσθαι ἐπιτρίτων τόκων ἢ ἐπιδεκάτων. Ἐπιεικής, *bonus, locuples.* Τόκος ἐπὶ δραχμῇ, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς, *a menstruo, & ut Latine. Nonam partem, quæ in octo lucri datur, non dici Latine, sed octavam.*

Quod toties commemorat vir primus divortere Romanos a Græcis, dum illi ab annuo fructu denominent usuras, (quod tamen sequi non potuimus) hi a menstruo; non de omnibus usuris Græcis, sed de certo genere accipi voluit. Disputavit enim ipse luculente cap. I & II, τόκον ἐπίτριτον, ἔφεκτον, ἐπίπεμπτον, ἐπόγδοον, ἐπιδέκατον, vocatos ab eo, quod annuum referebant.

rebant. Eorum nonnulla, quæ ex ipſo didici (neque enim meum eſt hoc diffiteri) libet apponere, ne nihil a tanta nobilitate retuliſſe videamur, & quando ille quam plerumque faſtidit & feſtinat, tam vehementer faſtidientem & feſtinantem lectorem aſpernatur: ſimul ut appareat inter ἑκατοστὴν & alia Græca uſurarum vocabula nullam analogian eſſe. Ἐπίτριτος τόκος, ubi pars tertia ſortis uſuræ nomine penditur, ſive in tres unus nummus annuus accedit: velut in drachmam bini oboli, in tetradrachmum octo oboli, in minam triginta tres drachmæ cum triente ſeu duobus obolis. Eæ menſtruæ ſunt in minam duæ drachmæ quatuor oboli paullo plus. Latine dicas *binas centeſimas & dodrantes*. Si triginta ſex annua in minam darent, *ternæ centeſimæ* forent. Sic ex Iſæo adducit Harpocratio, ἑξακοσίαις δραχμαῖς ἐπιτρίτοις· quas poſſumus accipere aut ſexcentas drachmas fœnore locatas ἐπιτρίτῳ, quæ in annum ducentas pariant, non tamen menſibus ſingulis unam & triginta drachmas cum quatuor obolis, ut interpretatur ὁ πάνυ, (hæ enim annuæ eſſent trecentæ octoginta, & ſortem requirerent mille centum quadraginta drachmarum: ducentæ autem drachmæ annuæ ſunt menſtruæ ſedecim & dimidiata, ſeu tres oboli) aut, quod fortaſſe verius, ut hæ ſexcentæ drachmæ ſint ipſe τόκος ἐπίτριτος, vel annua acceſſio ſortis, puta CLXXX minarum vel mille octingentarum drachmarum, fœnore collocatarum ἐπιτρίτῳ, quod vult ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς τὸ τετράδραχμον, ut recte interpretatur Harpocratio. Etenim in drachmam bini annui oboli, tertia pars uſura, in tetradrachmum reddunt octo obolos, pariter annuos: quum tetradrachmo ſint viginti quatuor oboli. Hunc tamen video reprehendi, qui confuderit duas rationes loquendi diverſiſſimas, δανείζειν τόκῳ ἐπιτρίτῳ & δανείζειν ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς. Et merito, ſi tetradrachmi mentionem nullam feciſſet. Nunc injuria videtur affici, cui crimini detur, octo obolos menſtruos & in minam intelligendos adſimulaſſe τόκῳ ἐπιτρίτῳ, (quæ revera mirifice diſcrepant) quum octo obolos annuos in tetradrachmum intelligat. Hæc enim verba ſunt: Ἐπιτρίτοις, Ἰσαῖος ἐν τῷ κατὰ Καλλιφῶντος· ἑξακοσίαις δραχμαῖς ἐπιτρίτοις· ἀντὶ τοῦ ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς, κατὰ τὸ τρίτον εἶναι μέρος τοὺς ὀκτὼ ὀβολοὺς τοῦ τετραδράχμου. Ἔφεκτος τόκος, qui ſextam partem ſortis quotannis fœnoris loco præſtat, ὁ ἐπὶ τῷ ἕκτῳ τοῦ κεφαλαίου, ut definit Harpocratio, (pari iniquitate hic quoque reprehenſioni obnoxius, tanquam confuderit ἔφεκτον τόκον & τόκον ἐπὶ τῷ ἕκτῳ δραχμῆς:) ſic obolum in drachmam annuam, in ſex drachmas drachmam, in ſexagenas decem, in minam minæ ſextam partem, hoc eſt, ſedecim drachmas cum quatuor obolis, lucrifacit. Quod quum ipſe recte alibi doceat, qui venit in mentem dicere pag. 54: „At ἔφεκτος τόκος minæ „ſextam partem annuam exſolvit, hoc eſt, ſingulis menſibus octo drachmas „& quatuor obolos: & in Erratis, quaſi corrigat, duos obolos. Quod hoc immane fœnoris genus? Obolos ſive quatuor ſive duos condono. Ipſæ drachmæ octo menſtruæ per duodecim ductæ faciunt nonaginta ſex annuas,

nuas. Hæccine ſexta pars minæ? nonaginta ſex in centum ἐφεκτος τόκος? Nimirum ſingulis menſibus drachmam voluit dicere & paullo plus duobus obolis. Latine *centeſimas & trientes & quaternas ſextulas* poſſis dicere. Sic tria millia CCCLX drachmæ τόκῳ ἐφέκτῳ Demoſtheni reddunt quingentas ſexaginta, quæ ipſa eſt ſexta pars illarum. Ἐπίπεμπτος τόκος, qui quintam ſortis partem annuam reddit uſurarum nomine: in quinque unum, in minam drachmas viginti, quatuor talenta in vicena. Latine appelles, licet, *centeſimas & beſſes.* Ἐπόγδοος τόκος, ὃ οὕτω δεδανεισμένου, ὥστε τοῦ κεφαλαίου τὸ ὄγδοον μέρος δοθῆναι τῷ δανειστῇ, οἷον, τριώβολον τοῦ τετραδράχμου, verbis Harpocrationis: cum octava pars ſortis annua debetur: chalcus in obolum, ſex chalci in drachmam, in drachmas octo drachma, in tetradrachmum tres oboli, in octo minas mina, in centum drachmas duodecim & dimidiata. *Centeſimas & ſemuncias* tutiſſime voces. nam de XCVI drachmis ἐπόγδοος τόκος redeunt annuæ duodecim; de quatuor, quæ reſtant ad centum, dimidiata. Ἐπιδέκατος τόκος, minimus annuorum, quum decima pars ſortis penditur uſuræ annuæ loco: decem in centum, in decem obolos unus, in triginta millia drachmarum tria millia. Hæ uſuræ Romanis *dextantes.* In hac ſola ſpecie rationem loquendi Romanam cum Græca concurrere deprehendi ait ὁ πάνυ cap. I. Cautius ſequenti, convenire *dextantes uſuras* cum ἐπιδεκάτῳ τόκῳ, non ex ulla nominis ratione, ſed ex rei potius συγκυρίᾳ. Videlicet ἐπιδέκατος τόκος eſt decima pars ſortis, *dextans* non decima pars, ſed decem partes centeſimæ: ἐπιδέκατος τόκος annuus, *dextantes* uſuræ menſtruæ. Ariſtoteles lib. III Rhetoric. cap. X refert Mœroclis, ex iis, ut videtur, oratoribus vel demagogis, qui cum Staleno, Gutta, Bulbo, in Cluentiana Ciceronis honoris cauſa appellatis, ſedulo cavebant, ne gratis reipublicæ ſervirent, facetum dictum: Καὶ Μοιροκλῆς, οὐδὲν, ἔφη, πονηρότερος εἶναι, ὀνομάσας τινὰ τῶν ἐπιεικῶν· ἐκεῖνον μὲν γὰρ ἐπὶ τρίτων τόκων πονηρεύεσθαι, αὐτὸν δὲ ἐπὶ δεκάτων. Recte monet Salmaſius contrahendas duas voces in unam: neque enim τρίτον τόκον aut δέκατον, ſed ἐπίτριτον & ἐπιδέκατον Atticos dixiſſe. Quod autem ſcribit ἐπιτρίτῳ τόκῳ & ἐπιδεκάτῳ, ut non reprehenderim, ita putes poſſe ferri ἐπιτρίτων τόκων & ἐπιδεκάτων· nam & τόκους ἐπιτρίτους & ἐπιδεκάτους, perinde ut ſingulari numero, dixiſſe ipſe non negat: & genitivi verbo apponi videntur κατ᾽ ἔλλειψιν præpoſitionis περὶ vel ἀντὶ, vel etiam τοῦ ἕνεκα, qui defectus non minus frequens. Immo prorſus eodem modo locutum obſervavimus Demoſthenem adverſus Phormionem: Φορμίων δέ φησιν, ἀποδοῦναι Λάμπιδι ἐν Βοσπόρῳ ἑκατὸν καὶ εἴκοσι στατῆρας Κυζικηνοὺς, δεδανεισμένος ἐγγείων τόκων· ἧσσον δὲ ἔφεκτοι οἱ ἔγγειοι τόκοι. Præterea abſurdum eſſe ac ratione carere, nominatum a Mœrocle virum probum, cum quo ſe conferret ille in nequitia, cum diceret τὸν δεῖνα, quem nominaverat, ad ἐπίτριτον uſque fœnus, id eſt, extremum nequitiæ faſtigium, improbum eſſe; ſeſe ἐπιδεκάτῳ tantum fœnore malum eſſe; eoque ſcribendum, τῶν οὐκ ἐπιεικῶν· cras credam forte, hodie

 in alia

in alia omnia, quum in eo ipso consistat non minima urbanitas & τὸ παράδοξον joci. Atque illud etiam addo, quod animadvertisse non videntur præstantissimi viri, quotquot eum locum tractarunt, priori commate ἐπιτρίτων τόκων, sive mavis ἐπιτρίτῳ τόκῳ, proprie ac simpliciter accipi, posteriori ἐπιδεκάτων vel ἐπιδεκάτῳ transferri. Ὁ δεῖνα, quem nominabat, Mœrocles erat τὶς τ͂ ἐπιεικῶν, hoc est, e bonis, locupletibus, rem suam fœnore augentibus: fœnerator & vir bonus, accepto vocabulo, ut solere accipi lib. IV observ. monuimus. Illum secum confert Mœrocles, tanquam tertias partes civium & reipublicæ carpentem, cum ipse decimis contentus sit. Lepidum est, quod, postquam dixisset ἐπιτρίτων τόκων, jamque exspectarent auditores δανείζειν, subjicit inexspectatum πονηρεύεσθαι, pro *fœnerari* nimirum *improbe agere*. Scilicet multi omne fœnus damnabant: sic Plato sua republica illud arcuit: sic discipulus ejus παρὰ φύσιν ἐργάζεσθαι fœneratores censuit: sic ille, qui rogatus, *quid fœnerari? quod hominem occidere*, respondit, & fœneratores furibus pejores a majoribus æstimatos tradidit: sic alius ad Cæsarem: *quare tollendus fœnerator in posterum:* sic Romæ vetita aliquando versura. Tot præjudiciis gravatus facile potest dici, τὶς τ͂ ἐπιεικῶν licet, πονηρεύεσθαι, dum fœnus exercet, præsertim binis centesimis & dodrantibus. At posterius ἐπιδεκάτων τόκων πονηρεύεσθαι, μείωσις est sive λιτότης extenuans & subducens invidiam criminum, non paucis philosophantibus, sed omnibus sanis damnatorum, hominis scilicet, qui sibi conscius erat se καρποῦσθαι καὶ δεκατεύειν τὰ τῶν πολιτῶν, ὥσπερ τῶν πολεμίων, *civisne an hostis comedit*, ut ait Plautus, *parvipendere*, & odisse gloriam ἀδεκάστου. Sic solent improbi, ut vetus superstitio invidiæ fascinum ridiculo amuleto frangebat, ita turpitudinem & horrorem facinorum suorum verborum salibus in risum vertere, & ὀνόμασι περιπέττειν τὴν μοχθηρίαν. Dionysii cavillationes in sacrilegiis habet Cicero lib. III de nat. deor. Brenni & Alexandri Zabinæ Justinus lib. XXIV & XXXIX. Sic Drusus cum Philippo consuli collum torsisset, ut multus sanguis efflueret e naribus, incivilis facti invidiam vitavit, luxuriam ei opprobrando, *non enim hunc sanguinem, sed turdorum muriam esse.* Non aliter apud Aristotelem, homo palam Gutta, Bulbus, Stalenus, qui sententiam, suffragium, vocem, silentium, quantillo velles, venderet, monstrato viro innoxio, nisi quod instar Cæcilii aut Alfii duro fœneratore, *Me*, inquit, *mordent homines, culpant, vituperant: istum nihil morantur: at haudquaquam ego pejor: ille enim binis centesimis & dodrantibus peccat, ego tantum dextantibus.* Hæc igitur omnia usurarum nomina a pensione annua deducta sunt: etsi persæpe & sic collocatum fœnus menstruas partes fructificaret, nonnunquam & intra annum una cum usuris medio tempore natis restitueretur. Et ab his si discedere Romanorum rationem sensisset; nihil hic quidem loci dissentiremus. Ille contra in alia significandarum usurarum formula, qua una re similes sunt, quod a parte quotmensibus vel

solven-

solvenda vel debita sortirentur nuncupationem, ea Romanos & Græcos dissentire voluit. Quemadmodum dixere τόκον ἐπὶ δραχμῇ, in minam sive centum drachmas menstruam drachmam, hoc est, centesimam sortis partem, atque adeo illam ipsam, quæ Romanis *centesima*, Græcis ῥωμαΐζουσιν ἑκατοστὴ & τόκος ἑκατοστὸς, ἢ ἑκατοστιαῖος. Ut τόκον ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, vel ἐννέα ὀβολοὺς τῆς μνᾶς τόκον, quum in centum drachmas quolibet mense pensitatur drachma cum dimidiata, qui novem oboli, annuæ octodecim drachmæ: hæ Latinorum *centesimæ & semisses*. Ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς τὴν μνᾶν τοῦ μηνὸς ἑκάστου, Demostheni adversus Nicostratum, cum drachma & duo oboli in centum drachmas menstruum datur, annuæ sedecim drachmæ: hæ *centesimæ & trientes*. Ἐπὶ πέντε ὀβολοῖς, eidem priore in Onetorem, *dextantes*. Ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς, quum duæ drachmæ menstruæ, viginti quatuor annuæ in centenas solvuntur, ut Latinorum *binis centesimis*. Sic ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς, *ternæ centesimæ*: ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, quum sexta pars drachmæ, nimirum obolus, menstrua est usura minæ, annuæ drachmæ duæ, ut recte correctum in Erratis pag. 54, quæ Latinis *sextantes*. Reddidimus autem hæc omnia genera Latinis vocabulis ex re comparatione facta: nam ne id quidem viris præstantissimis feliciter cessit. Ut alios taceam, Scaliger & Petitus ἐπιτρίτους & ἐφέκτους interpretantur *trientes & sextantes*, ὁ πάνυ *tertiarias & sextarias*. Quid opus ὀνοματοποιεῖν, ubi verbis usitatis ac receptis uti licet. Ἐπόγδοον, inquit alibi, in octo drachmas unam, Latini appellant, in frugibus præcipue mutandis, *nonam partem summæ capitis*. Mirum: *nonas & decimas* ego Latinos dixisse putabam decessionem de alterutra summa, non accessionem octo aut novem partium: unde & *decumanum frumentum*, non quum novem partibus una accedit, sed quod de „ partibus decem una deducitur. Ubi ergo istud? Ita plane, ait, nuncupat „ lex Visigothorum, quam ex antiqua, id est, Romana, sumptam titulus indicat. Væ nobis, si ab istis Latine discendum est. Verba tamen videa„ mus: *Sed de solidis octo nonum solidum creditori, qui pecuniam ad usuram* „ *dedit, exsolvat*. Ecce *nonum solidum* ex octo summæ capitis fœnoris loco „ dandum censet fœneratori. Quem ἐπόγδοον τόκον Græci vocant, qui octa„ vam partem sortis dat ea usura, in octo solidos nempe unum. At Latini „ *nonam* esse partem eam interpretantur. Video, sed etiam censeo neminem priscorum & vere Latinorum ita locutum esse. Nam illis, perinde ut Græcis, accessio appellatur ab eo numero, cui additur, non ab eo qui ultra est. Sic *centesimam* Latini dicunt, non quæ in XCIX, sed quæ in centum additur. Cato de re rust. cap. CXLVII. *Qui oleam emerit, amplius quanti emerit, omnis pecuniæ centesimæ accedit*. Non dicit, *una & centesima*. Cicero pro Rabirio: *Ait enim dum Gabinio pecuniam Postumus cogeret, ex decumis imperatorum pecuniam sibi coegisse. Non intelligo hoc quale sit: utrum accessionem decumæ, ut nostri facere coactores solent centesimæ, an decessionem de* „ *summa fecerit*. Cautius ergo paullo post: quem Latini illius temporis

„ *nonum*

„ *nonum* dixissent. Qui si Latini sunt appellandi, non tamen antiqui Romani: non Romuli aut Augusti, sed Odoacri aut Theodorici Romani; lingua quidem Romani non magis quam Solenses Attici. Demosthenes in oratione πρὸς Λακρίτου παραγραφὴν meminit fœnoris nautici, trium millium drachmarum, usuris ducentis viginti quinque drachmis in millenas. De quo præclare Salmasius cap. v de M. V. Quum rem teneret, hæsit in nomine. Mirum, inquit, hoc genus fœnoris, neque cum ea „ ratione, ἐπὶ δραχμῇ vocatur, neque cum illa, qua pars sortis pro usura no-„ minatur, rotunde convenire, neque posse ullo modo designari alterutra „ earum appellationum. Nam majus est τῷ ἐπιπέμπτῳ, minus τῷ ἐπιτετάρτῳ. „ Bina centesima etiam minus est, quod ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς appellatur; majus „ autem sesquicentesima, quæ ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς nomen habet. Nullam certe „ ejus appellationem certam ac definitam possum reperire. Sic ille. Videamus quid analogia ferat. Græcis erat τόκος ἐπὶ ἕνδεκα ὀβολοῖς καὶ εἰκοστῷ τετάρτῳ δραχμῆς, aut ἐπὶ ἕνδεκα ὀβολοῖς καὶ τετάρτῳ ὀβολοῦ. Latinis *centesimæ & semuncideunces*, vel *centesimæ & dextantes & semunciæ*. Nam quum τόκος ἐπὶ δραχμῇ sit *centesima*, ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς *sextantes*, sequitur ut τόκος ἐπὶ δωδεκάτῳ δραχμῆς, vel ἐπὶ ἡμιωβολίῳ, sint quæ Latinis *usuræ unciæ*. Duodecim enim habet ἡμιωβόλια drachma, ut centesima duodecim uncias. Ergo ἐπὶ εἰκοστῷ τετάρτῳ δραχμῆς, vel ἐπὶ τετάρτῳ ὀβολοῦ, *semunciæ*. Jam, ut ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς sunt *centesimæ & semisses*, ita ἐπὶ ἕνδεκα ὀβολοῖς, vel ἐπὶ δραχμῇ καὶ πέντε ὀβολοῖς sunt *centesimæ & dextantes*. Centesimæ sunt in millenas cxx drachmæ: centesimæ & semisses clxxx: centesimæ & besses ducentæ: ergo centesimæ & dextantes ducentæ viginti. Quinque drachmæ his additæ in millenas habent rationem semunciarum: nam centum drachmæ semunciario fœnore pariunt dimidiatam drachmam: ergo millenæ quinas. Additur in eadem syngrapha, si post Arcturi ortum e Ponto navigarint ἐφ' Ἱερὸν, locum in Bosporo Thracio, convenisse trecentas in millenas. Hæ sunt *binæ centesimæ & semisses*, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς καὶ ἡμιδράχμῳ seu τρισὶν ὀβολοῖς. Binæ centesimæ essent ccxl: sexaginta additæ faciunt semisses. Hos in tam copiosæ & reconditæ eruditionis scripto, ut putamus, nævulos si quis obtrectandi libidine notari suspicatur, eum nos animi ab hac labe puri nobis conscii facile contemnemus. At qui non esse nævos, quos putamus, vicerit, & meliorum nos admonebit, ei tam libenter auscultabimus, quam nunc enixe contendimus, ut obscurarum rerum a tanto auctore tam præclare prolixeque detegi cœptam veritatem penitus eruamus. Mihi immortalis viri, cujus ope vel plurimum profeci, cui vivo cum paucis me meaque studia semper approbata volui, magna manet ac manebit memoria. Et hæc est conditio omnium excellentium ingeniorum, ut fama illorum ac veneratio meritis fundata & inconcussa stet; quæ improbantur posterorum profectus gratia, tuta sint necessitate humanæ varietatis.

CAPUT XV.

Scriptuli nota. Ludus duodecim scriptorum, seu ludus calculorum & tesserarum, a ludo latrunculorum diversus. Petronius Arbiter illustratus & correctus. Omnium scriptorum vel testorum iter lusu consumere. Iter, trames, via, pro scriptis duodecim. Vetus epigramma correctum. Bene jacta. Testum & testa, calculus. Calculis triginta discoloribus, ut utrimque essent quindecim, utebantur; tesseris plurimum binis. Martialis bis emendatus, & iterum Petronius. Hac, Hæc, δεικτικῶς. Punctum male explicari lineam vel scriptum. Martialis sententia eruta. Tessera bisseno puncto quî numerari dicatur. Tesseræ male explicantur lineæ aut mandræ. Victus in tesserarum & calculorum ludo, non cui nulli, sed cui manebant calculi, postquam adversarius sua itinera consumsisset. Artemidorus vindicatus & illustratus. Αὐτοί. Calculi Arithmetici. Denarii aurei, nummi ordinarii, non Romani sed Græci. Aureus Romanus sine alio nomine, quia unius formæ. Aureus Romanus primus semper XXV *denariorum. Appuleio lux. Ut ipse habebat, ὡς εἶχεν. Denarius Romanus non nisi argenteus consulum & primorum Cæsarum temporibus. Æreus denarius istis nullus. In Varrone conjectura. Ratiti vel Rates. Didymo lux. Sestertius pariter illis temporibus non nisi ex argento. Quod unus Plinii locus dubium facit, sed cui merito indubitatur. Sesquas. As sub primis imperatoribus non quadrantem unciæ, sed semunciam pondo. Ergo nec sestertius æreus uncialis, qui fingitur, τετράσσαρον. Æs grave, dum asses fuere librarii, ignotum. Non possunt hac nuncupatione venire sestertii ærei.*

S*criptulum* quarta & vicesima pars unciæ *. Ejus notam sic formant G. Agricola & Hotomannus ꝗ: Ciacconius ⅍: Minutiæ Demetrii Alabaldi P. Diaconi notis subjungi solitæ, ℈, quam & nos in membranis antiquis invenimus: vel ϑ. Alia est apud Gruterum in Tironis & Senecæ notis pag. CXLVII. Salmasius in Vopiscum, γράμμα sive scriptulum dictum ait, quod duabus lineis scriberetur, notareturque ad hunc modum =. Ex his omnibus ultima haud dubie mendosa est: quum apud omnes constet eam esse notam *sextantis:* nec credibile sit idem *sextantis* & *scriptuli* signum fuisse. Præterea agnoscit ipse quandam similitudinem inter *scriptulum* æris & *scripta* duodecim tabulæ lusoriæ. At in monumento antiquo singulis lineolis & quidem rectis, non transversis, singula ista scripta explicantur. De hoc ludo veterum, quem præclare illustravit Salmasius †, intelligendus est Petronius Arbiter, quum ait: *Sequebatur puer cum tabula terebinthina & crystallinis tesseris: notavique rem omnium delicatissimam, Pro calculis enim albis aut nigris aureos argenteosque habebat denarios. Interim dum ille omnium testorum inter lusum consumit, gustantibus adhuc nobis* &c. Seculum est, ex quo locus hic asterisco notatur. Quum tantus commentantium numerus diligenter sileret, Burdelotius commentus est, *dum ille numerum tesserarum.* Gonsalius imputavit hoc ex illis esse, de quibus bene se meritum præferret, scribendo: *dum ille omnium agmen testorum:*

* Hic adscripsit: [Vide Guidet. ad Terent. Heaut. a. v sc. II p. 180.] quem totum locum ita crebris lineis subnotavit, ut omnia pro erroneis habuerit.

† Adscripsit, Error Popmæ ad epist. ad Att. 9, 13.

& interpretando, dum unusquisque calculus a gemino hoste circumventus perit ac tollitur. Sed quum multa ibi peccet homo clarus, tum illud insignite, quod permiscet conturbatque duodecim scriptorum & latrunculorum ludos. Itaque miratur tesseras adhiberi, quod in latrunculis non fiebat: & ita transigit, ut latere adhuc ludi hoc genus tenebris antiquitatis involutum adfirmet, unde & non pauca auctorum loca quasi quadam nocte offundantur: ludum locaque se aliquando luce perfusurum. Sed jampridem, ut nemo melius, id fecerat ad Augustam historiam Salmasius, & verba Petronii adhibuerat, etsi non sustulerit vitium. Ludus significatur, in quo & tesseris & calculis pugna fit. Is non potest esse latrunculorum,

Unus cum gemino calculus hoste perit:

nam in hoc nihil committitur fortunæ. Intelligit ergo ludum duodecim scriptorum (non enim *scruporum*, ut ex Opicis libris retinet Gonsalius) admodum similem illis, qui hodie *Trictrac*, aut **Verkeeren** / aut **Turtschen** / aut simplicius genus **aus und ein** / Gallis Germanisque utrisque appellantur. Tesseræ mittebantur vel jactabantur per pyrgum seu fritillum, ut hodieque inter diffidentes collusores; calculi dabantur & movebantur in eadem tabula vel alveo lusorio, notato duodecim lineis, per quas collocabantur & procedebant calculi, prout illos fortuna jactus & ars jactum disponentis juvisset. Hinc Antigonus Pyrrhum κατείκαζεν κυβευτῇ πολλὰ βάλλοντι καὶ καλὰ, χρῆσθαι δ' οὐκ ἐπισταμένῳ τοῖς πεσοῖσι, teste Plutarcho: hoc est, bene jacienti, sed male danti. Arrianus in Epictetum lib. II cap. V. Αἱ ψῆφοι ἀδιάφοροι, οἱ κύβοι ἀδιάφοροι· πόθεν οἶδα τί μέλλει πίπτειν; τῷ πεσόντι δ' ἐπιμελῶς καὶ τεχνικῶς χρῆσθαι. τοῦτο ἤδη ἐμὸν ἔργον ἐστίν. Terentius:

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Petronius autem non spissamento, sed ἀφαιρέσει curandus est: habet enim duas superfluas literas: *dum ille omnium testorum iter lusu consumit.* Hoc qui occupasset, victor erat. *Iter* appellat seriem scriptorum, quia calculi per scripta commeabant, & iter habebant. *Tramitem* dicit vetus epigramma:

Discolor ancipiti sub jactu calculus adstat,
Decertantque simul candidus atque rubens.
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is capiet palmam, quem bona fata juvant.

Ubi legendum existimo: *quem bene jacta juvant.* Ut Ovidio: *Tu male jactato, tu male jacta dato.* *Vias* Isidorus: *Calculi, quod per vias ordinales quasi per calles eant.* Quod ἔτυμον etsi ineptum sit, agnoscis tamen *vias.* Et iterum: *sed & ipsas vias senariis locis distinctas propter ætates hominum argumentantur.* Fortassis & rectius: *omnium scriptorum iter:* ut in epigrammate, *scriptorum tramite.* Sed *iter* dicitur & loci, per quem itur, & ejus qui iter

facit.

facit. *Testam* pro calculo Minucius Felix: *testam teretem jactatione fluctuum levigatam legere de litore. Testum* autem pro *testa* extulit alibi Petronius. Eidemque restituenda vox eadem videtur & alio loco: *quum hora pœne tota per scrupos gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes.* Ubi varia moliuntur, sed verum forte: *testorumque eminentia fragmenta.* Sisenna lib. III histor. *Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum.* Calculis his triginta, quindecim albis, quindecim nigris vel russeis, tesseris plurimum duabus utebantur; interdum & tribus. De calculis cento Virgilianus:

Triginta magnis adversos orbibus orbes.

De tesseris Seneca in ludo de morte Claudii:

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Utraque subducto fugiebat tessera fundo.*

Martialis lib. XIV epigr. XVII, quod inscribitur, *Tabula lusoria:*

Hac mihi bisseno numeratur tessera puncto:
Calculus hac gemino discolor hoste perit.

Ita legimus ex Mss. non *Heic. Hac*, intellige tabula. Sic epig. XXXV. *Securicula:*

Quum fieret tristis solvendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus empta fuit.

Et epigram. XLVII. *Harpasta:*

Hæc rapit Antæi velox in pulvere draucus.

Sic Terentio: *Lucescit hoc jam.* Et in Petronio antiquissimæ membranæ nuper apud amicum scriptum vidimus: *pertrectato vasculo tam rudi, Hæc, inquit, belle cras in promulside libidinis nostræ militabit.* Quæ omnino vera scriptura est. Catullus: *rigida mea cecidi.* Sic & legendum ex Ms. apud Martialem lib. IX epigr. XLVII. *In molli rigidam*, non *rigidum.* nam τὸ *quod* priore versu non ad hoc vocabulum, sed ad totam orationem posterioris refertur. Sed alterius epigrammatis priorem versum de lusoria tabula sic interpretatur „ Salmasius: in tabula duodecim punctis notata luditur ad tesseram. Et dein- „ de: *punctum, lineam, scriptum, locum* confundimus: nam hæc omnia „ *συνώνυμα* sunt. Rursumque: Martialis *duodeno puncto tesseram in tabula* „ *numerari* dixit; *puncta* enim & *scripta* & *γραμμαὶ* & *lineæ* idem significant. Hoc, opinor, ei non concedent Porphyrius & Geometræ, idem esse *punctum* & *lineam*, *γραμμὴν* ἢ *στιγμὴν*: non hercle magis quam *σῶμα* & *γραμμὴν* ἢ *ἐπιφάνειαν*. hi enim *κοινοὶ ὅροι* priorum. Deinde *punctum* semper invenio appellari tesserarum aut talorum, non tabulæ. Suetonius: *quadringenis in punctum millibus aleam lusit.* Ausonius:

Narrantem fido per singula puncta recursu.

Quod quum possit aliquem fallere, recte tamen explicat ὁ πάνυ, ad singulos bolos seu tesserarum jactus: secundum puncta dabantur calculi, inquit.

* Adscripsit pater. [Vide Barth. 35, 10;] & ibi multa lineis subnotavit ut vitiosa.

Denique quomodo tessera in hoc ludo numeratur duodecim scriptis? Exercitus numeratur per legiones, cohortes, manipulos, centurias, capita, tanquam partes. An scripta tabulæ sunt partes tesserarum? *Puncta* igitur numeri in ipsis tesseris puncti & signati: unde *numeros* pro tesseris, in quibus numerantur puncta, Ovidius: *numerosque manu jactabit eburnos.* Et nihil verius illa vulgi interpretum sententia, quam fastidiunt Souterius & Farnabius male docti a summo viro, in hac tabula binis tesseris ludi, sive exerceri tesserarum & calculorum lusum, quo tesseræ summum habeant duodecim puncta, nempe si existant duo seniones: in quo per tesseras numerantur usque ad duodecim puncta. Si plura numerari dixisset, plures fore tesseras intellexisset. Gravior vero Farnabii error, qui ne bene quidem exponit alteram interpretationem: quid si dicamus, inquit, alveum hunc distinctum fuisse duodecim ab omni latere tesseris sive spatiis, quas *regiones, urbes* seu *mandras* appellabant, ut epigr. LXXI lib. VII. Merito dicas:

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.

Quis unquam *tesseras* dixit pro lineis seu scriptis? quis *mandras* in tesserarum ludo? sunt enim istæ latrunculorum. Quis pro mandris dixit *tesseras?* Sed omnino difficile est in istis non aliquid turbare? Ecce ille, qui omnium optima & plurima in hac re nos docuit, in tesserarum & calculorum, seu duodecim scriptorum lusu victum fuisse ait illum, qui cum paucioribus calculis erat relictus, immo qui omnes ad unum amittebat. Atqui latrunculorum hic exitus est, non duodecim scriptorum, ubi victor ipse omnium testorum iter consumebat, & adversarium cum calculis in sua parte frequentibus, minimum uno, relinquebat. Ut hodieque in plerisque generis ejusdem fit. Artemidorum adhibet lib. III Ὀνειροκ. cap. I. Εἰ δέ τις νοσῶν παίζειν ὑπολάβοι ψήφοις ἢ ἄλλον παίζοντα, κακόν· μάλιστα δὲ εἰ αὐτὸς λείποιτο· ἐπειδὴ μείονας ἔχων ψήφους καταλείπεται ὁ νικώμενος· αὐτοὶ δὲ οἱ κύβοι ὁρώμενοι στάσεις καὶ ἔχθρας προαγορεύουσι. Quæ cum legerem apud Salmasium, statim succurrit, aut priora illa verba non pertinere ad tesserarum & calculorum lusum, (nam & ψήφων παιδιὰ cum dicitur, fere non de hoc, sed de latrunculis intelligitur) aut si proxima id non paterentur, legendum πλείονας· quod postea inspecto Artemidoro ipso editum vidi, non μείονας a Salmasio suppositum. Ad quam interpolationem traxit eum interpres vertendo: *quoniam victus non plures habens calculos relinquitur:* nam negandi particulam de suo interjecit. Vult Artemidorus, si quis ægrotans imaginetur ludere calculis, aut alium ludentem, (ita vertendum, & delendus asteriscus, nec interponendum ἴδοι cum Salmasio) semper malum: nam qui ludit, periclitatur perdere: pessimum vero si fuerit victus: is enim plures calculos, qui nondum iter consumpserunt, habens relinquitur: eoque videtur monstrari, quod habet, magna parte longius retenturum, nempe morbum, & nihilominus in fine interiturum. Male quoque interpres: *ipsi autem cubi conspecti:* nam αὐτὸς hic idem quod

μόνος

μόνος· ut Aristophani: Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν· est igitur sententia: *solæ autem tesseræ conspectæ.* Ex his calculis lusoriis, quamvis latrunculorum, volunt esse, quorum meminit Petronius in nobili epigrammate:

Nomen amicitiæ si, quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.

Hoc Turnebus ita interpretatur: in ludo tabulæ sic divisos esse calculos in duas factiones, ut inter se quidam amici, quidam hostes sint: servare autem inter se istam amicitiam, quatenus utile est ludo: igitur si pro emolumentis amicitiam ponderemus, calculos eam exercere in tabula, & nobile opus tuendæ amicitiæ ducere. Cui imperitiam ludi impingit Gonsalius, cum calculi, qui ab initio ludi sint hostes, ad finem usque maneant, & pariter amici, nec pro ludi utilitate miles suæ factionis commilitonibus unquam sit adversarius: ipse autem talem amicitiam vult calculorum ludum imitari, quia hinc & illinc, alio & alio, libere moveantur calculi, nec ulli tabulæ regioni plus temporis inhæreant, quam illis conducat conveniatque. At mihi non lusorios sed numerorum calculos videtur significare Petronium, & respexisse vetus illud de regum amicis dictum. Polybius lib. v. Οὕτως γάρ εἰσιν οὗτοι παραπλήσιοι ταῖς ἐπὶ τῶν ἀβακίων ψήφοις· ἐκεῖναί τε γὰρ κατὰ τὴν τοῦ ψηφίζοντος βούλησιν, ἄρτι χαλκοῦν, καὶ παραυτίκα τάλαντον ἰσχύουσιν· οἵ τε περὶ τὰς αὐλὰς κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως νεῦμα μακάριοι καὶ παρὰ πόδας ἐλεεινοὶ γίνονται. Orontæ tribuit Plutarchus in Apophth. Ὀρόντης ὁ βασιλέως Ἀρταξέρξου γαμβρὸς ἀτιμίᾳ περιπεσὼν, καὶ καταγνωσθεὶς, ἔφη· Καθάπερ οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα τιθέναι δύνανται, τὸ αὐτὸ καὶ τοὺς τῶν βασιλέων φίλους νῦν μὲν τὸ πᾶν δύνασθαι, νῦν δὲ τοὐλάχιστον. Aristides secunda Platonica: Τοῦτο γάρ μοι δοκεῖ τῶν ῥημάτων τὸ βούλημα εἶναι, ὁ αὐτὸς ἄριστός τε ἀνὴρ καὶ ἔσχατος, ὅπερ περὶ τοῦ δακτύλου φασί ποτ᾽ εἰπεῖν Ὀρόντην τὸν Πέρσην, ὡς αὐτὸς ὢν τῇ θέσει ποτὲ μὲν τὰ μύρια σημαίνει, ποτὲ δὲ οὐ πλέον ἢ ἕν. Nam digiti ad computandum idem usus qui calculi. Soloni Diogenes Laertius: Ἔλεγε δὲ τοὺς παρὰ τοῖς τυράννοις δυναμένους παραπλησίους εἶναι ταῖς ψήφοις ταῖς ἐπὶ τῶν λογισμῶν· καὶ γὰρ ἐκείνων ἑκάστην ποτὲ μὲν πλείω σημαίνειν, ποτὲ δὲ ἥττω· καὶ τούτων τοὺς τυράννους ποτὲ μὲν ἕκαστον μέγαν ἄγειν καὶ λαμπρὸν, ποτὲ δὲ ἄτιμον. Sensus Arbitri: Si amicos appellamus & agnoscimus non longius, quam sunt emolumento; si non fide sed utilitate amicitias colimus, non eæ amicitiæ sunt, sed sordidæ computationes & *mercaturæ*, ut loquitur Cicero, *utilitatum suarum:* non amamus, sed computamus, & illis, quos adjungimus, utimur, ut ratiocinatores calculis, eosdem, dum augere nos possunt, auro contra; ubi destituti a fortuna erunt, non semissis æstimantes. Cicero Lælio: *Hoc quidem est nimis exigue & exiliter ad calculos revocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum & datorum.* Porro *denarii* isti *aurei*, quos movet pro calculis Trimalcio, intelligendi sunt aut ἡμίχρυσοι peregrini, aut de industria in hunc usum eo pondere formati; neque enim erant ordinarii nummi Romani. Non potest excusari Hotomanni trepidatio,

tio, quot ſpecies Romanis aureorum nummorum fuerint, ingenue fatentis ſe ignorare, idque pro certo poſſe adfirmari a quoquam, & quo nomine appellati fuerint, pro comperto eſſe negantis. Quid infelicius? Species non fuit niſi una, quinque & viginti denariorum pretio: & quia non niſi una fuit, non niſi *Aureus* vocabatur. *Argentei* appellari non poterant unum genus argenteorum, quia tria erant, denarii, victoriati, ſeſtertii: aurei cur nominibus ſepararentur, cauſa nulla fuit, quippe omnes unius generis & indicaturæ. Ut verum Deum ſufficit *Deum* dici, quia unus eſt; fictos, quia infiniti ſunt, oportuit alios atque alios, Jovem, Neptunum, Plutonem, Apollinem, Belum, &c. nominari. *Denarios*, inquit Hotomannus, *aureos* appellari quibuſdam locis animadverto, ſed ita, ut perobſcura & admodum recondita ejus appellationis cauſa ſit. Ecqua poteſt alia eſſe cauſa, quam quod iſti *denarii aurei* drachmam auri penderent? decem vero drachmis argenti æſtimarentur? At hoc dici poſſe non videtur, inquit, *denarium aureum* ex pari argenteorum numero & æſtimatione nomen inveniſſe: quandoquidem *aureis denariis* ſcriptores uno conſenſu omnes quinque & viginti denariorum argenteorum pretium attribuunt. Immo ne unus quidem, quot ſunt quotque fuere. *Aureis Romanis* id pretii attribuunt, & quidem conſtanter omnes: ne quem moveat obnunciatio Gruteri. Apud Appuleium legitur lib. IV. *jubet nobis protinus gaudii ſui gerulis decem aureos, ut ipſe habebat, e ſuis loculis adnumerari.* Offenſi τοῖς *ut ipſe habebat*, Colvius (neque enim, ſi non habuiſſet, juſſurum fuiſſe numerari) ſubjecit, *ut ipſe aiebat*; Vouerius unius ſcripti auctoritate ſpongiam imponit. Gruterus adverſus Colvium, negat alterum mutari debere: ſignificare enim, adnumeratum ipſis non decem aureorum pretium, ſed decem aureos. Non video cur hoc potiſſimum illis verbis ſignificetur: ſed interpretor, *protinus, ut ipſe habebat*, quemadmodum Græci dicunt ὡς αὐτὸς εἶχεν, Latini, *ſicut erat*. Addit locum „ ex lib. x. *centumque aureos ſolidos offerens pretium.* Atque hinc, inquit „ lib. VII Suſpic. cap. x, etiam liquet, aurei permutationem pluris fuiſſe illo „ tempore quam XXV denariorum. Mihi vero id non liquet. Quid enim? an res adeo vilis iſtis erant CCL denarii, mille ſeſtertium, viginti quinque coronati? Neque enim beſtiæ pretium eſt, ſed honorarium collatum, ut videbantur, operis, quæ beſtiam adduxerant. Nec *centum aurei* pro duobus millibus quingentis denariis, decem millibus nummum, CCL coronatis, tam parvum eſt, ut homo improbus ad miſcendum toxicum eo corrumpi ſe poſſe ſpem neget. Quot vitæ ſunt minoris addictæ? *Romanis* igitur *aureis* omnino viginti quinque denarios pretii dant auctores: non *aureis denariis*, qui non ſunt Romani, ſed peregrini, velut ἡμίχρυσοι Attici. Sed hæc etiam Scaligeri, Villalpandi, Savoti & quorundam aliorum imprudentia eſt, ut aureum Romanum vocent *denarium aureum*, qualis Romanis nullus fuit. Utcumque ſit, pergit Hotomannus, ferri eorum ſententia non poteſt, qui ſcri-

pſere

psere denarios Romæ nullos nisi argenteos fuisse. Varronis hæc quidem sententia est, lib. IV de L. L. nam post æs explicatum, *In argento nummei*, ait; *id ab Siculeis: denarii, quod denos æris valebant: quinarii, quod quinos: sestertius, quod semis tertius*. Vel, si mavis, *semissem tertium*. Et Plinii, lib. XXXIII cap. III, quum argentum signatum esse dixisset, paucis ante primum Punicum bellum annis: *Et placuit denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinis, sestertius pro dupondio ac semisse*. Et Volusii Mœciani: *Eo in numero sunt hi argentei nummi, denarius, cujus nota* X, *quinarius, cujus est nota* V, *sestertius, cujus est nota* LLS. Et vera haud dubie est, utique reipublicæ temporibus, diuque sub Cæsaribus. At ille persuasit sibi, & ex ære & ex auro vulgares fuisse Romanis denarios. In alterum abutitur Macrobii, Festi, Plutarchi locis. Primus ille lib. I Satur. cap. VII. *Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim, exclamant*. Quasi quia fuerunt argentei, capita & navem signa impressa habentes, necesse sit & antiquitus æreos fuisse cum his signis, neque in alio genere æris ea poni potuerint. Quin ex Plinio & Festo discimus, sextantarii assis notam fuisse ex altera parte Janum geminum, ex altera rostrum navis: in triente autem & quadrante ratis fuisse effigiem: *ratitos* etiam κατ' ἐξοχὴν dictos trientes, quod *ratis appellatio tertiæ partis assis sit, quinæ aut alius partis nulla sit, sed secundum numerum, ut sextans*. Nam, quem ille planius etiam de denario æreo loqui putat, idem Festus, dicendo: *Grave æs dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium ab ipso hoc numero dictum*: τὸ *grave æs* & *pondus* non retulit ad denarium, sed ad asses libras pondo. Cæterum ære rudi, & post signato, dum libralis as fuit, habitas massas, quæ denos æris valerent, non negaverim: sed hi non *denarii*, verum *decusses* & *dena æris* vel *deni æris* appellabantur. Et hi in argento efficiebant non plus quam denarium nummum, ad ipso hoc numero, quem faciebat in assibus, dictum. Nihil magis juvat locus Plutarchi in Camillo, cujus verba, utcumque ambigua, hoc tantum volunt, recte ipsum quindecim millia æris Romani reddidisse argenti Græci mille quingentis drachmis: quippe cum asse tum vel ærea pecunia uterentur Romani; hujusmodi autem asses, postquam argento uti cœperunt, decem imputarentur in denarium, qui denarius tantidem ambulet quanti drachma. Ejusdem roboris argumentis probat denarios aureos Romanis in usu fuisse. Fuerunt quidem in usu, sed ut peregrini, nec Romæ percussi. Plinii *aurei denarii* sunt ἡμίχρυσοι vel dimidiati stateres Græcorum. Nec de aliis Cornutus interpres Persii. Ejusdem generis dicerem *centum denaria Philippea* in Rudente Plauti a. V sc. II, nisi legendum esset ex Cam. codicibus: *centum mnæ Philippiæ*. Suetonius & Plutarchus in Galba differentes omnino summas pronuntiant, nec sunt iidem quinque denarii, qui χρυσοί τινες. Didymi verba: τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ,

ἅπερ

ἅπερ μίλλε νέμμες φασί. non possunt accipi de *aureis denariis*: nam *denarii aurei* decem non ultra centum denarios argenteos, sestertios vero quadringentos pertinent. Aut ergo scribendum, χρυσοῦς, aut intelligendum νομίσματα· sed illud potius: nam aurei decem Romani, singuli xxv denarium, centenum sestertium, mille nummos conficiunt. Æque probos salva republica & primis sub Cæsaribus cudunt ex ære sestertios, non tresviri illi quidem, sed Seviri, Hotomannus, Freherus, Ciacconius, Snellius, Salmasius, Savotus: contra eosdem, quos modo appellavi, Varronem, Plinium, Volusium: immo contra omnes veteres, qui quoties pretium rei cujuscumque per sestertios colligunt, nusquam *argenteos*, nusquam *æreos* apponunt: quod utique faciendum fuisset, si ex utroque metallo exstitissent: semper sestertios tantum vocant, & argenteos nummos intelligunt. Varronem secum facere putat Hotomannus, sed frustra: verba superius tractavimus. Freherus, Ciacconius, Snellius Plinium intentant lib. xxxiv cap. 11. *Summa gloriæ* æris *nunc in Marianum conversa, quod & Cordubense dicitur. Hoc a Liviano Cadmiam maxime sorbet, & orichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque, Cyprio suo assibus contentis.* Urit me, fateor, hic locus: neque tamen impetrat a me sestertios illos æreos: nam si fuissent, non solum tot auctores mentionem aliquam illorum fecissent, ubi de pecunia ærea & argentea ex destinato agunt, sed & alicubi exstaret summa hoc genere nummi subducta. Ut in Augusta historia, sub inferioribus Principibus, quo tempore haud dubie fuere. Quid dicam? hæreo. nisi forte scribendum: *in sesquassibus dupondiisque.* Meminit *sesquassis* Didymus: meminerunt Glossæ: *Sesquas*, ἓν ἥμισυ ἀσσάριον, χαλκοῖ ἕξ. Et hi soli videntur fuisse majores asse ærei nummi, ex quo pondus æris minutum est. Salmasius adversus Cercoetium, quamvis auctorem ei rei det nullum, identidem pro certo ponit sestertios æreos fuisse unciales, assem quadrantarium*. Locus est Epiphanii: Ἑξακισχίλια λεπτὰ ταλάντου, ἃ λεπτὰ καλεῖται ἀσσάρια· ἑξήκοντα δὲ ἀσσαρίων ὑπάρχει τὸ δηνάριον. ρ΄ δὲ δηναρίων ὑπῆρχεν ὁ ἀργυροῦς. Versio vetus: *Sextæ millesimæ talenti partes assaria nominantur. Sexaginta vero assaria denarius nominatur. Centum autem denarii argyrus, id est, argenteus, existit.* Asses, ait, intelligendi, qui sub imperatoribus primis in usu fuere, quorum quaterni unciam efficiebant: unde τετράσσαρον, hoc est, sestertius æreus, qui quatuor assibus valebat, unciæ pondus habere dicitur apud Cleopatram. Et in posteriori confutatione: *Follium æris* meminit historia Augusta, qui iidem sunt cum æreis sestertiis. Sestertius porro æreus uncialis fuit, & quatuor assibus valebat. Assem Romanum sub primis & mediis imperatoribus quartam unciæ appendisse notius est quam ut pluribus probari debeat.

* Quæ sequuntur, usque ad τὰ In libro de Usur. cap. xi &c. induxit, in margine adscriptis modo [Τάλαντόν ἐστι τὸ ὑπερβάλλον πᾶν σταθμώμενον μέτρον. κατὰ δὲ τὸν λιτρισμὸν ρκε λιτρῶν ὑπάρχει.] modo [Confut. p. 96] modo [Salm. p. 98 conf.] modo [inf. p. 832.]

Certe

Certe non ignotum eſt ſub mediis imperatoribus nummos fuiſſe æreos, qui *minuta, terunciales, denarii, ſeſtertii, aſſes, aſſaria, folles, follerales* vel *follares, æra, ærea*, promiſcue dicerentur, ne in rerum ingenti confuſione deeſſet & chaos verborum, & quoſdam ex illis æris unciam tenuiſſe, ſi velit, facile conceſſerim. Sed ſub primis imperatoribus aſſes quadrantem modo unciæ habentes non patitur Plinius lib. XXXIII cap. III. nam quum dixiſſet: *Mox lege Papiria ſemunciales facti:* ſiſtit, haudquaquam taciturus, ſi qua alia mutatio accidiſſet. Quod ſi as ad Plinii ævum uſque non fuit niſi ſemuncialis, haud dubie & dupondius uncialis fuit, & ſeſtertius, ſi quatuor aſſes valere debuit ipſe æreus, ſextantarius, ſive binarum unciarum. Et quid opus decurrere ad ſeſtertios vel denarios æreos, ſi vel maxime Epiphanii verba ad veterem pecuniam Romanam aptemus, quam fateatur ipſe, λεπτὰ illa ſive aſſaria, quæ Epiphanius & Heſychius faciunt ἑξακισχιλιοστὸν τοῦ ταλάντου, poſſe drachmas vel denarios intelligi? Talentum enim ut LX minas, ita ſex millia drachmarum ſive denariorum habebat. Quæ vocavit ἀσσάρια more ſui ævi, quo aliud ἀσσάριον χαλκοῦ, aliud ἀργύρου faciebant. Hoc ἀσσάριον τοῦ ἀργύρου intelligit priore membro, ipſam nimirum drachmam; alterum proximo, chalcum puta illum, quales decem obolo dat Plinius lib. XXI cap. ult. & ſic ſexaginta denario, qui ſex habet obolos: nam pondera & nummos miſcere his ſcriptoribus haud novum. Hanc ſimpliciſſimam interpretationem quum promptam haberet, maluit tamen alteram ſequi, ut ſeſtertios æreos in ævum non ſuum induceret. In libro de Uſur. cap. XI poſt tempora Plinii & Verrii aut Feſti, qui tantum ſemunciarios aſſes norunt, certum eſſe ſtatuit etiam imminutum dimidia parte illorum pondus fuiſſe, adeo ut XLVIII e libra æris ſignati fuerint: quod quando inſtitutum ſit, non liquere, a temporibus tamen Antoninorum auctores de re nummaria aſſi æreo quadrantem unciæ attribuere, dupondio ſemunciam, ſeſtertio unciam. Quod utcumque ſit, hi jam non ſunt primi imperatores. Ac ne hac quidem fini ſtetit, ſed a mediis & primis imperatoribus eoſdem ſeſtertios æreos propagavit in media tempora conſulum. *Æs grave* Livio, Senecæ, Plinio, Feſto commemoratur. Id interpretantes rude atque informe Budæum & Scaligerum rejicit: ipſe de Uſur. cap. XIX aſſes intelligit librales ſignatos: at de M. Uſ. cap. VI extra controverſiam eſſe ait, quamdiu aſſes fuere librarii, *grave æs* non alia notione acceptum fuiſſe quam de ære ſignato; ubi vero imminutum aſſium pondus fuit, & illi lege Papiria ad ſemunciam redacti, *æris gravis* appellationem non niſi de infecto & rudi uſurpatam. At ego maxime controverſum exiſtimo, quod illi extra controverſiam eſt. Nam dum as libram pondo fuit, quæ ratio potuerit excogitare aut utilem ac neceſſariam reddere *gravis æris* appellationem, nullus video: unius enim generis erat, quicquid erat: & quia grave erat omne, ideo nullum, quod *grave* diceretur. Nondum exſtiterat nomiſma, quod minori pondere acce-

deret ad idem pretium, a quo ut appellando discerneretur, alterum *grave* nuncupandum erat*. Tum demum opus fuit hac distinctione nominis, postquam aliud æs pondere levius eadem æstimatione cœpit usitari. Adeo ut vocabulum pœne non fuerit, nisi ex quo res fuit, hoc est, esse desiit. Quemadmodum Tarquinio & Catoni *Priscis* nata sunt cognomenta, quum ipsi pridem denati essent. Sic recte statuit cap. XIX de Us. nullum fuisse dictum *grave argentum*, quia argenteus nummus nunquam in gravi & magno pondere percussus est, ut a minuto ac levi propterea debuerit distingui. Sed an hæc satis congruant illis, quæ ex cap. VI de M. Usur. superius notavimus, denarii non minus imminutum esse pondus apud Romanos quam assis & ipsius etiam libellæ; ipse viderit. Ergo dum libralis as fuit, ignorabatur discrimen & nomen *æris gravis:* at circumscripto asse, *grave æs* & de signato & de rudi, prout res tulit, pro pecunia accipi facile concedam. Nam illud prorsus inexspectatum, quod postremum placuit τῷ πάνυ, omnibus auctorum locis, in quibus post imminutos asses ex pondere librali mentio fit ejus, *æs grave* de sestertiis æreis accipiendum. Quod autem rei tam inopinatæ fundamentum? Nempe quæ in XII tabb. fuerunt, *si quis alteri injuriam faxit, viginti quinque pœnæ*, ii apud Paullum in Receptis sententiis sunt XXV *sestertii nummi.* Nihil hic video solidi ad conjecturam tam audacem superstruendam. Cur enim necesse est sestertios illos, quorum meminit Paullus, si jam olim tempore libertatis subrogati assibus fuere, credi fuisse æreos? cur non sint argentei, quales procul dubio fuerunt. Jam si *grave æs* sestertius, quia hic maximus in ære nummus, causa nulla est, cur non & *argentum grave* sit denarius, quippe qui argenteorum maximus. Cur denique non asses potius vel sextantarios vel unciales, si qui superfuerunt, accipit, quos saltem fuisse constat? Quamquam huic quoque interpretationi fides precaria, & parum certorum argumentorum: non tamen fingeretur genus nummi, quod certum est illo tempore incognitum fuisse. Aut cogitemus factum Romæ, quod fit hodieque apud Sueones. Sunt nummi ærei: sunt etiam massæ grandes quadratæ, in quatuor oris & medio alterius lateris signatæ. Ita credi possit usum nummorum non statim sustulisse usum massarum. *Æs grave* tum dixerint Romani & massas hujusmodi signatas, postquam nummi pondus imminutum est. Sed illarum massarum pretium crevit pro ratione nummi. Tanquam asse sextantario facto, massa XX librarum, quæ prius valuerat vicenos æris, tum CXX asses valuit: asse unciario, eadem massa CCXL asses valuit: asse semunciario, eadem massa pro CCCCLXXX assibus appensa est. Quibus igitur legimus donata decem millia *æris gravis* post levatum pondus nomismatum, eos intelligere possumus accepisse tantum assium in massis hujusmodi.

* Ergo male in Duiliana columna fecerunt GRAVE AES.

CAPUT

CAPUT XVI.

Ciceronis e Verrinis locus illustratus. Lex Voconia, ne qui census mulierem hæredem faceret. Dio explicatus & cum Asconio Pediano conciliatus. Civis οὐσίας ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας. *Quadrantem bonorum licuisse relinqui mulieribus per legem Voconiam caret auctore.* Μυριάδες *Græcis nunquam vel sestertium vel assium, sed tantummodo drachmarum vel denarium. Appianus & Plutarchus illustrati.* Χίλιαι, μύριαι *dicebantur pro totidem drachmis. Asconius tentatus. Alius Ciceronis locus ex epistolis ad Atticum emendatus. Messallæ domus empta tricies septies sestertio, ut Ciceroni tricies quinquies.*

Ad Voconiæ legis interpretationem pertinent verba Ciceronis lib. I in Verrem cap. XL. *P. Annius Asellus mortuus est C. Sacerdote prætore. Is cum haberet unicam filiam, neque census esset, quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit ut filiam bonis suis hæredem institueret.* Hic Asconius Pedianus illa, *neque census esset*, ita exponit: *neque centum millia sestertium possideret. nam more veterum Censi dicebantur*, inquit, *qui centum millia professione detulissent. hujusmodi adeo facultates censos vocabantur.* Sequenti capite addit Cicero Voconium *sanxisse in posterum, qui post eos censores census esset, ne quis hæredem virginem mulieremve faceret.* At Dio lib. LVI de eadem lege sic loquitur: Τῶν δὲ γυναικῶν τισι καὶ παρὰ τὸν Οὐοκώνιον νόμον, καθ' ὃν οὐδεμίᾳ αὐτῶν οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν, συνεχώρησε τοῦτο ποιεῖν. Hinc P. Manucius in libro de legibus Romanis annotat lege Voconia cautum fuisse, ne quis hæredem relinqueret filiam supra HS. viginti quinque millium. At Hotomannus negat Dionem adsecutum esse legis sententiam: voluisse enim significare, lege illa fuisse statutum, ne mulieri capere ex cujusquam hæreditate ultra quartam ejus partem liceret. nam sub μυριάδος vocabulo *drachmas* plerumque subaudiri, ac proinde decem sestertium millia significari: ita duas myriades & dimidiatam XXV HS. millia conficere. At eam legem non indistincte de omnium, sed de *censorum* proprie hæreditatibus scriptam fuisse: nec satis considerate Dionem viginti quinque millia posuisse pro quarta parte hæreditatis omnium eorum, qui censi fuerant, quasi qui triplo vel quadruplo plus in bonis professi fuissent, non etiam *censi* dicerentur, aut non ad eorum hæreditates lex illa pertineret. *Quartam* igitur *partem* aut *quadrantem* dicere Dionem debuisse, non certam summam definire: multo vero pejus interpretem Latinum reddidisse: *ne qua majorem centum millibus nummum hæreditatem posset adire.* Ipse vertit: *hæreditatem capere supra summam duarum myriadum & dimidiæ:* & alibi: *ex cujusquam hæreditate capere plus quam quinque & viginti millia.* Mira profecto hallucinatio in vocabulo μυριάδος. Si enim Græci μυριάδας intelli-

Adscripsit principio; Alciat. 5 Parerg. 23.

gunt δραχμῶν, quî singulæ *decem millia sestertium* significant? an δραχμὴ unquam pro *sestertio* dicta est? Sane δύο ἥμισυ μυριάδες sunt viginti quinque millia denarium, eademque sestertium centum millia, siquidem denarius quatuor continet sestertios, ut adhuc credidimus. Itaque nihil hic de quadrante Dio, sed prorsus idem dicit, quod Asconius, non posse mulierem relinqui hæredem illi, qui centum sestertia, puta ut minimum, in censum detulisset. Nam κληρονομεῖν οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδων οὐσίας est hæres esse neminis censu plus viginti quinque millium denarium: seu qui οὐσίαν vel censum haberet majorem aut non minorem quinque & viginti millibus denarium, seu centum millibus sestertium. Οὐδεὶς οὐσίας τοσαύτης, per intellectum participii ὢν vel πλημμελῶν, perinde Græce breviter dicitur, ut Latine, *nemo istius census*, vel *nemo isto censu*. Itaque necesse non est, ut cum Scaligero inseramus vocem, & scribamus: Οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας πλημμελοῦς οὐσίαν. Eadem illustris manus ad Hotomanni marginem notaverat, infra centum millia totum assem capere mulieres potuisse; supra eam summam, quadrantem, ex verbis Dionis. Si quod fuit caput de quadrante bonorum, aliud fuit, non hoc, cujus Dio meminit. Videtur eos in errorem egisse Cujacius, qui ad Instit. Justiniani de Lege Falcidia annotavit, legis Voconiæ caput fuisse, ne quis census mulierem hæredem faceret ultra quadrantem, sive, ut Dio scribat, ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας· quod sit, ultra viginti quinque millia sestertium, quæ quarta pars est bonorum ejus, qui census est. Hos tres duces, Cujacium dico, Manucium & Hotomannum, secuti jurisconsulti & antiquarii nostri (inter quos Lipsius ad Panegyr. Plinii & Gothofredus ad Theophilum & Pe. Faber ad l. 2 D. de Reg. Iur.) passim inculcant de quadrante bonorum: cujus adhuc ego idoneum ex antiquis auctorem quæro. Non enim is hic est Cicero: non lib. II de finibus, ubi invenio *non plus filiæ dandum, quam posset ad eam lege Voconia pervenire*; nec necesse est hic de quadrante suspicari, quum dos haud dubie intelligatur: non pro Balbo, ubi Voconium tulisse legem *de mulierum hæreditatibus*: non in Catone majore, quem Voconiam legem, *magna voce, bonis lateribus suasisse* ait. Non Polybius, quum in illo nobili de Scipionis Æmiliani incrementis fragmento, remisisse scribit sororibus Scipionem matris hæreditatem, ἧς οὐδὲν αὐτοῖς προσῆκε κατὰ τοὺς νόμους. Non Asconius, qui & ipse simpliciter: *Voconius legem tulerat, ne quis census, hoc est, pecuniosus, hæredem relinqueret filiam.* Non auctor breviariorum Livii, cujus verba sunt: *Q. Voconius Saxa tr. pl. legem tulit, ne quis mulierem hæredem institueret*, lib. XLI. Non A. Gellius, qui tantum tribus verbis appellat *plebiscitum Voconium de coercendis mulierum hæreditatibus* lib. XX cap. I. Non denique Augustinus, qui scribit latum, *ne quis hæredem fœminam faceret, vel unicam filiam*, lib. III de civ. Dei cap. XXI. Itaque cautius, hac in re nihil definire certi. Quintilianus declam. CCLXIV fraudem legis Voconiæ vocat mulieri plus quam dimidiam partem bonorum

rum dare: sed fortasse licentia declamatoria. Offendit in eodem loco & „ Ant. Augustinus. Quemadmodum, inquit, quod Dion ait Augustum „ quibusdam mulieribus concessisse, ut supra xxv millia hæreditatis nomine „ contra legem Voconiam capere possent: id ita interpretor, ut xxv millia „ sestertiorum intellexerit. Quod nostram opinionem de sestertio quatuor „ assibus æstimando, ut lib. II Emend. scripsimus, confirmare videtur. At illa opinio tali tibicine non eget. Δύο ἥμισυ μυριάδες Græcis nunquam sunt, nisi xxv millia drachmarum sive denarium, eoque centum millia sestertium. Pighius ad annum V. C. DLXXXIV hanc legem ita format: *ne quis census*, hoc est, *pecuniosus, qui centum millia æris professione detulisset, hæredem relinqueret mulierem supra* xxv *millia sestertium.* Quasi Voconii ætate *centum millia æris* amplius fuerint quinque & viginti millibus sestertium: quasi non tum sestertius quaterni æris. Subjicit deinde D. Augustum derogasse huic legi, quibusdam fœminis tribuendo, ut supra viginti quinque millia hæreditate possent accipere, licet hoc Voconia lex prohibuerit, idque testari Dionem. Quæ jam confutata sunt. At plus condonandum Reinhardo Bachovio, qui ad Instit. de Fideicommiss. hæred. cum viginti quinque millia sestertium, singuli quatuor assium, centum millia efficiant, vult verti apud Dionem *centum mille asses:* dein ne hoc quidem concedit, sed quum in genere loquatur lex de illo, qui census esset, infimus autem census quartæ classis fuerit viginti quinque assium millia, μυριάδας non *sestertium* δύο ἥμισυ, sed *assium* intelligendas esse disputat. Non opus ire per singula: cadunt omnia per hoc unum, quod μυριάδες Græcis non assium, non sestertium, sed semper drachmarum intelliguntur. Itaque supervacuæ etiam providentiæ est apud Hotomannum, sub vocabulo μυριάδων *plerumque* drachmas a Græcis intelligi. Ponatur metus: nunquam μυριάδες simpliciter positæ in re nummaria aliud significant quam decem millia drachmarum sive denarium: ut *decies* apud Latinos nunquam aliud quam decies sestertium. Sed adfricuit illis hunc timorem Budæus, qui apud Appianum debita Cæsaris δισχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων, quod est *millies sestertii*, offensus scilicet magnitudine summæ, vertit *ducenties quinquagies*, quasi Appianus μυριάδας *nummum*, non *denarium*, expresserit: & apud Plutarchum de cœna Luculli in Apolline πέντε μυριάδας, quæ sunt *ducenta*, pariter miratus grandem summam, *quinquaginta millia nummum* intelligere maluit. Quibus interpretationibus omnis Græcorum consuetudo repugnat. Et tantus vir paucis post paginis, quasi oblitus sui æs alienum Cæsaris ait fuisse *bis millies quingenties:* quod ipse sciebat Latine non aliud explicare quam quod Græce dicebatur ἑξακισχίλιαι καὶ πεντήκοντα ἢ διακόσιαι μυριάδες, sexcenties vicies quinquies centena millia denarium: quæ summa destinatam ab Appiano vincit altero tanto & semisse. Quodsi χιλίας μυριάδας vertit *millies* & πεντακοσίας *quingenties*, non minus vehementer excessit: nam χίλιαι μυριάδες, *quadringenties*, πεντακόσιαι *ducenties* *sester-*

ſeſtertium. Cæterum ex Plutarcho & Suetonio mox ea de ſumptibus Cæſaris colligit, quæ ne iſtam quidem bis millies quingenties ſeſtertii ſummam facere poſſint incredibilem. Nec de Lucullana luxuria ratio eſt, cur addubitemus, quum præſertim ipſe Plutarchus dicat ἐκπλῆξαι τοὺς περὶ τὸν Πομπήϊον ἐν τῷ μεγέθει τῆς δαπάνης τὸ τάχος τῆς παρασκευῆς. Multo minus fero And. Schottum πέντε μυριάδας *quinquaginta millia aſſium* interpretantem, lib. I Obſerv. cap. XV. ubi cum inſtar prodigii & miraculi eam fuiſſe cœnam ſcribat, addit tamen efficere iſtam ſummam *ducenta millia quadrantes & aureos quingentos.* Recte Amiotus, quem diverſum ſibi ponit Schottus, quinquaginta millia drachmarum: quæ ſunt & ducenta millia ſeſtertium, aſſium vero, qui tum erant, octingenta millia; aureorum noſtrorum ſive coronatorum quinque millia. Sane *quinquaginta millia aſſium*, qui bini ſemis ſeſtertium nummum faciebant, reſpondent coronatis quingentis, viginti millibus ſeſtertium: ſed quæ elegantia interponere hic quadrantes? Et tamen perperam μυριάδες explicantur aſſium; perperam aſſes minus quatuor in ſeſtertio hujus temporis computantur. Quodſi quid aliud numerant myriaſin vel pecuniæ vel rei, id nominatim ſemper exprimunt. Ut Herodotus lib. VII. χρυσίου τετρακοσίας μυριάδας στατήρων δαρεικῶν. Plutarchus in Lucullo: σίτου δὲ ἀπέκειντο μυριάδες τριακόσιαι μεδίμνων. Vertunt: *decies trecenta millia.* Rectius, *tricies centena millia medimnum.* Appianus in præfatione: χρημάτων δὲ ἐν τοῖς θησαυροῖς τέσσαρες καὶ ἑβδομήκοντα μυριάδες ταλάντων Αἰγυπτίων. Quominus mirum ſit in his, ſic & χιλίας & μυρίας ſimpliciter dicebant pro totidem drachmis. Plutarchus in Phocione de Demade: Νόμου γὰρ ὄντος Ἀθήνησι τότε, μὴ χορεύειν ξένον, ἢ χιλίας ἀποτίνειν τὸν χορηγὸν, ἅπαντας εἰσαγαγὼν ξένους τοὺς χορεύοντας, ἅμα καὶ τὴν ζημίαν ἀνὰ χιλίας ὑπὲρ ἑκάστου εἰσήνεγκεν εἰς τὸ θέατρον. Diogenes Laertius in cognomine Cynico: ἀνδριάντα γοῦν τρισχιλίων πιπράσκεσθαι· χοίνικα δὲ ἀλφίτων δύο χαλκῶν. Et iterum: τρισχίλιαί σοι κεῖνται ἐπὶ τῇ τραπέζῃ. Sic αἱ μύριαι rhetorum & philoſophorum, de quibus infra. Quin & Diogenes in Zenone: Πυθέσθαι πόσας εἰσπράττεται μισθοῦ· ἀκούσαντα ὅτι ἑκατὸν, διακοσίας δοῦναι. Reſtat monendum, quoniam addit Aſconius, alios ſic intelligere, τὸ *neque cenſus eſſet: neque cenſus ejus in quinquennium illud factus eſſet:* fortaſſis hanc interpretationem Ciceronis verbis propter proxima melius convenire. Ait enim pupillæ Anniæ tutores quum cognoſſent Verrem per calumniam legis Voconiæ inſidiari hæreditati, pecuniam prætori ſi pupillæ nomine dediſſent, grandem præſertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum ſine periculo ſuo dare poſſent, non vidiſſe. Si *cenſum eſſe* eſt habere centum millia; ſi, *neque cenſus eſſet,* eſt, neque centum millia ſeſtertium poſſideret: quæ tantulæ hæreditati grandis pecunia prætori danda poterat decerpi? Rurſum Cicero inferius de Anneia: *Ea de multorum propinquorum ſententia, pecunioſa mulier, quod cenſa non erat, teſtamento fecit hæredem filiam.* Quomodo *pecunioſa mulier,* iſta præſertim populi Romani ætate, quæ non habet centum millia ſeſtertium?

tertium? Hoc facile concesserim, legem illam non tenuisse nisi census maximi cives, quæ olim centum millia æris, postea tot millia sestertium fuisse videntur: fortassis etiam, in formula legis τὸ *census* eo significatu positum fuisse; ut in eadem materia *classicos* pro primæ classis civibus κατ᾽ ἐξοχὴν dixisse Catonem scimus ex Gellio: cæterum verbis Ciceronis alia intepretatio quærenda. Verba quoque ultima, quæ apposuimus ex Asconio, vitii quidem manifesta sunt, sed sine ope Ms. vix spes curandi. Posses: *Hujusmodi adeo facultates census vocabantur:* vel, *facultatis censos vocabant:* vel, *facultates professos censos vocabant.* Libet huic centunculo aliena purpura pretium addere. Lib. I ad Atticum epist. XIII. *Messalla consul Antronianam domum emit* HS. CCCCXXXVII. *Quid id ad me, inquies? tantum, quod ea emptione & nos bene emisse judicati sumus, & homines intelligere cœperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire.* Ita legitur vulgo: & putant constitisse has ædes non amplius quadringentis triginta septem millibus nummum, quæ faciunt Philippeum vel coronat. nostrorum decem millia nongentos viginti quinque. Quod si verum est, frustra Tullius hoc exemplo tuetur suum: significat enim, habere se jam, quo obturet os emtionem suam duas ob causas reprehendentium, primum quod nimis care nec salubri pretio, deinde quod aliena & mutua sumpta pecunia esset facta. Constitisse autem Tullianas ædes *sestertio tricies quinquies* scimus ex lib. V famil. epist. VI. quam veram lectionem esse (nam & hic inculcaverant *millibus nummum* XXXV. restituit præclare Budæus, juvit Victorius, notando in opt. Florentino τὰ *millibus nummum* non esse) vel ex eo paret, quod ipsius hujus Palatinæ domus ab Clodio dirutæ superficiem Coss. de consilii sententia æstimarunt vicies, qui cætera valde illiberaliter cum eo egerant, lib. IV ad Attic. epist. II, ut reliquum pro solo expensum liceat existimare. Aus. Popma barbare & inepte *sestertiis tricies vicies* ad Att. p. 18. A. quoque Gellius testatur, ut eam domum emeret, vicies mutuum sumpsisse: nec verosimile est tum quidem adeo angusta in re familiari fuisse Ciceronem, ut eam ad emptionem nihil domo & ex arca attulerit. Hanc igitur summam tricies quinquies sestertii superare debuit pretium domus Autronianæ, ut recte colligat Cicero. Vult enim & carius emisse Messallam quam se, & amicorum opibus non minus ac sese usum. Si tanti licuit emere Messallæ & nominibus factis, cur non minoris mihi, & pariter subsidiariis copiis? Atqui longe pluris est *tricies quinquies* quadringentis triginta septem millibus, nempe scutatum octoginta septem millia quingenti. non enim centum millia, ut Manucius. id enim *quadragies.* Scribimus ergo: *domum emit* HS. XXXVII. quod est, *sestertio tricies septies.* recisis illis CCCC, quas notas ab Latini sermonis imperitis, hac dumtaxat in re, provenisse habemus persuasissimum. Et hoc quidem de sententia Isaaci Casauboni, quam in scheda quadam apud humanissimum & dignissimum illo patre filium Mericum, Cantuariæ manu

incom-

incomparabilis viri notatam intelligenti oculo hausimus & memoriæ mandavimus. Sic ergo Autroniana domus Messallæ emta scutatum XCII millibus quingentis. id est, quatuor millibus quingentis amplius quam Tulliana. Nec est, quod miremur, tantum pecuniæ ab utrovis in singulas ædes contemptum, cum privatorum nostri seculi inopia non debeat cum illis non multis, quibus pœne totus orbis vectigal pendebat, comparari. Alioquin & miremur M. Cœlium adolescentem equestrem, filium familias, & patre, si non parco, at qui multis parum splendidus videbatur, habitasse, postquam ab eo semigrarat, *decem millibus*. hoc est, conductum habuisse ex ædiculis insulæ P. Clodii ac tantum non pauperis cellam annuis CCL Philippeis sive scutatis. Ut quidem adfirmat ipse Cicero. nam adversarii criminabantur, *triginta millibus*, id est, DCCL. Plane autem mendacii arguamus Plinium, qui, quod tum ignorari haud poterat, P. Clodium a Milone occisum, *sestertio centies quadragies octies* emptos lares incoluisse testatur lib. XXXVI cap. XV. quod est, trecentis septuaginta millibus scutatorum.

CAPUT XVII.

Catullo aliquot locis vetus lectio adseritur, sensibus explanatis. Millia quindecim & ducenta, an ducenti. Constare ære. Prodesse ære. Nihil neque ipsis nec prætoribus esse. Negatio duplicata. Syllepsis, ipsis, cum præcesserit Bithynia. Æs natum in provincia. Referre expensum vel datum lucello. Lucella eorum, qui comitabantur magistratus in provincias. Deferri in beneficiis, emolumentum non erat. Ciceronis loco lux. Ambitione nihil uti. Vulgare crimen magnarum amicitiarum. Symmachus emaculatus. Aurelius Opilius, Rutilii comes. Metrodorus Scepsius, amicus Mithridatis, & tandem ab eo occisus. Idem non potuit esse familiaris Bruti. Fragmentum ex epistola Bruti ad Cæsarem correctum. Scaptius, amicus Bruti. Plinius defensus a correctione. Domus Mamurræ clarius, quam Catullus, dixit, habere illum, quicquid habuisset Comata Gallia. Ut res est. Appulejus tentatus. Versatus in provincia quasi emtor legum atque provinciæ. Lex XVI *Cod. si certum petatur, defensa.*

Valerius Catullus carmine XXIII ad Furium de suo ære alieno & oppignorata pro eo possessione facetissime jocatur:

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec sævi Boreæ aut Apeliotæ,
Verum ad millia quindecim & ducenta.

Veterem scripturam, *ducentos*, esse testatur Scaliger: alioquin immanem fore „ summam illam, nec videri tam copiosum Catullum fuisse. *Quindecim* „ *millia ducenta sestertia*, (sic loquitur) item *qnindecim millia ducenti sester-* „ *tii* immane quantum discrepant. Priore summa fiunt denarium millia „ quadringenta viginti quinque: posterior summa conficit tantum denarios „ quadringentos viginti quinque. At hæ ipsæ quoque summæ denarium &

sester-

ſeſtertium, quas comparat Scaliger, immane quantum diſcrepant. Quadringenta millia denarium, τεσσαράκοντα μυριάδες δραχμῶν, ſedecies æſtimantur ſeſtertio, coronatorum quadraginta millibus: Viginti quinque, ſi denarios intelligas, centum nummi ſunt ſeſtertii, coronati duo & dimidiatus; ſin millia denarium, δισμυρίας πεντακισχιλίας δραχμὰς, centum millia nummum, coronatos duo millia quingentos efficiunt. At *ducenta quindecim ſeſtertia,* ſi ſic ſcripſit Catullus, faciunt LIII millia ſeptingentos quinquaginta denarios, πέντε μυριάδας, τρισχιλίας καὶ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίας δραχμὰς, coronatorum quinque millia CCCLXXV. Rurſum quadringenti viginti quinque denarii faciunt mille ſeptingentos nummos ſeſtertios, coronatos quadraginta duos dimidiatum. At *ſeſtertium quindecim millia & ducenti*, denarium tria millia ſeptingentos quinquaginta, coronatos CCCLXXV. Non oportet tamen Catullum nos deponere, priuſquam & illi contulerimus aliquid beneficii, præſertim in loco huic materiæ non alieno. Carm. x.

Sermones varii, in quibus, quid eſſet
Jam Bithynia, quomodo ſe haberet,
Et quantum mihi profuiſſet ære.

Sic Scaliger e veteri libro, quum antea eſſet: *Et quonam mihi:* quod tamen in Mss. ſuis omnibus notarunt Achilles Statius & Janus Meleager, ſive is eſt Balthaſar Venator. Sed utramque ſcripturam, tanquam parum Latinam, repudiat Scaliger, & ultimam vocem dividit, conjungitque ſequentis verſus ſenſum: *profuiſſet. E re Reſpondi.* Quod neutiquam probamus. Commentitia eſt, inquit, vulgata & barbara: quis Latine dictum putet, *quo ære hoc tibi conſtat?* Si ſenſus pateretur, haud magis id mirum putarem quam apud Senecam: *cujus ingenti mihi Mercede conſtant ora.* Et cum dicimus, *conſtare magno,* certe intelligimus, *ære, pretio, damno.* Quare non auſim dicere: *Num quo ære hoc tibi conſtat?* interrogans, an ære pararis. Vereor, addit, ut ſatis Latinum ſit, *quantum mihi ære prodeſt.* Fruſtra veretur. *Tantum prodeſſe, multum prodeſſe* quis neget recte dici? quis dein, *aliqua re prodeſſe?* Lucanus lib. III:

Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodeſſe Jovi.

Utramcumque igitur lectionem probabis, melior erit iſto, *E re.* Placet etiam Achillis: *Ecquonam.* Sequitur in eodem carmine:

Reſpondi, id quod erat, nihil neque ipſis,
Nec prætoribus eſſe, nec cohorti,
Cur quiſquam caput unctius referret.

Primo correxerunt Statius & Scaliger: *mihi nec ipſi*: cauſæ, inquit hic poſterior, nil eſſe, cur aut mihi aut cohorti melius ſit. Quod in optimam Douſæ editionem receptum nunc paſſim editur. Sed in ſequenti verſu magis æſtuatum: nam Meleager, cum ſcribit, nihil hic cuiquam, quod ipſe ſciat, ſuſpe-

ctum fuisse, fatetur se Muretum non vidisse. Hic enim vacare locum mendo non putavit, cum plures in unam provinciam prætores non mitterentur: & conjecit: *Nec quæstoribus.* Quasi hi mitterentur ordinarie & passim plures. Immo memoriæ vitium fatetur Meleager: vidit enim utique Scaligerum, quosdam non bene *quæstoribus* hic substituentes oblique notantem, & ita explicantem, ut comites & socios datos a republica magistratibus atque ex eorum domestica convictione, qui quasi *prætoriani* dicerentur, facete *prætores* a Catullo vocatos censeat, quod congerrones & convictores prætoris essent: ut apud Juvenalem: *Virro sibi & reliquis Virronibus.* Denique Meleager causatus verbum *referret* antecedens aliud quam *esse* requirere (neque enim dicimus, *est unde viverem,* sed, *unde vivam*) refingit: *Nec prætoribus cesse.* Has omnes & correctiones & explicationes valde improbamus. Primam Statii & Scaligeri confutat, quod præcessit: *quid esset Jam Bithynia, quomodo se haberet.* Ei enim planissime respondet, *nihil neque ipsis.* puta Bithynis. Legebatur olim: *nihil neque ipsi.* Sed in Mss. omnibus, *nihil neque in ipsis,* inquit Statius. Modus metri facile vincit τὸ *in* deleri. Homines autem elegantes neque duplicata sic negatione, *nihil neque ipsis,* neque syllepsi numeri, *ipsis,* cum præcesserit *Bithynia,* offendi decet: quam utramque figuram loquendi & Livio frequentem esse ad ipsum ostendimus. Lib. VI. *Eodem anno Setiam, ipsis querentibus penuriam hominum, novi coloni adscripti.* Plinius lib. I epist. x. *Adfirmat esse hanc philosophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere & exercere justitiam, quæque ipsi doceant, in usu habere.* Nempe, philosophi: nec necesse fuit Plinio scribere: *quæque ipse doceat.* Deinde miror Scaligero in mentem venire potuisse rem tam ridiculam, ut *prætores* explicaret cohortem prætoris, & aliam deinde cohortem præter hanc interiorem cohortem fingeret. Scio veteres in propriis nominibus eleganter sic ludere solere, ut fecit Juvenalis. Livius lib. VI. *Obsecro vos Tarquinii tribuni plebis.* lib. XXIX. *Nunc omnes centuriones militesque vestros Pleminios fecit.* Sic Macedo de Hephæstione: *non errasti, mater, nam & hic Alexander est.* Et Pœnus de Fabio: ἰδοὺ ἄλλος καὶ Ῥωμαίοις Ἀννίβας τις ἕτερος. Et sic apud Augustinum lib. III de civ. Dei cap. XXVII de Sullano furore in Mss. notavimus: *In urbe autem tota, quem vellet, Sulla unusquisque feriebat.* Si cui hoc placere potest præ vulgato: *Sullanus quisque.* Sed Catullus hic quidem *prætores* pro comitibus prætoris sine κακοζηλίᾳ intolerabili, quo vitio minime alioqui laborat, dicere potuisse non videtur. Quid lectorem moror? simplicissimus est sensus, ita vexatam, spoliatam exhaustamque a tot sanguisugis prioribus esse Bithyniam, ut nec ipsis provincialibus quidquam supersit, nec prætoribus, qui volventibus annis post alium alius in eam mittantur, cohortive illorum obveniat, quo contacto calidiores, ut cum Quinctio apud Macrobium amicus jocabatur, e provincia manus domum referant. Meleagro autem respondemus, aliam esse ratio-

nem

nem τῦ *est*, aliam τῦ *esse:* illud præsens est, hoc & præsentis & imperfecti vices præstat: ne ingeram ei τὸ *Respondi:* quod ipsum etiam liberius facit, malisne *non esse cur referret*, an, *cur referat*. Sequitur statim:

Præsertim quibus esset irrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.

Scriptus Scaligeri, & edd. veteres, quas inspeximus: *non facerent*. Quod ille probat explicatque: præsertim provinciales, quibus esset prætor homo nihili, ipsi nos pili non facerent. Nihilo minus impedita est oratio. Itaque si placeret istam interpretationem sequi, scriberem: *num facerent pili cohortem?* ut interrogantis existimetur. Nisi quis malit, quando non tam provincialium quam prætoris id arbitrium: *non faciens pili cohortem*. Etenim qualiscumque, quam futilis & frivolus homo, prætor esset, si cohorti indulgeret, neque illam coërceret, non licebat provincialibus eos contemnere. Vide Ciceronem lib. v ad Attic. epist. xi. Sequitur apud Catullum:

At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur, ære comparasti
Ad lecticam homines.

Achilles: Sententia postulare videtur & dialogi ratio, ut Turnebi conjecturam sequamur: *inquit*, *id quod illic*. Scaliger: Lege, *inquiit*, non *inquiunt:* quod & placuit Dousæ. Pudet de re tam levi disputare. Sed annon minimum duo erant Varus & scortillum, qui cum Catullo confabulabantur? annon evenit naturaliter in congressibus & in circulis, ut plures eandem rem percontentur, vel omnem, vel in partibus? idque postea si narremus aliis, annon omnium etiam vulgarium linguarum mos fert, ut ita referamus: *Dicebant*, vel, *tum ajunt:* interdum licet unus mentionem fecerit. Itaque hic idiotismus non debet eripi Catullo. Nam quod infra de commodandis lecticariis, est id quidem proprium scortilli, sed non est necesse propterea omnes alios sermones priores inter eam modo & Catullum fuisse. Porro annotat Achilles in Mss. omnibus legi *esse*, non *ære*, quasi sit, quod illic natum esse dicitur, nisi quis *esse* in *asse* mutandum existimet. Quod autem genus hoc commercii, assè uno octo servos? Sed & lepide: *Quod natum*, genere neutro sic dixit, cum de homine loquatur: ut Plautus: *quod erit natum, tollito*. Quid simile? hoc dicitur de infante recens orto: Catullus vel scortillum loquitur de compluribus hominibus emptis in provincia. Immo pertinet hoc totum ad verbum *comparasti:* ut si maxime reciperemus scriptum *esse*, intelligeretur, eo ære, quod illic natum esse dicitur, comparasti: τῷ *ære* repetito ex præcedentibus: *Ecquonam mihi profuisset ære?* Sed τὸ *ære* postea confirmat ipse ex Sallustio & Columella. Scaliger monet, diligenter consideranda esse quæ subjunguntur: diversum enim *æs natum* in provincia, & quod dixit, *profuisset ære:* comites magistratuum provincialium duplicia commoda percepisse; altera ex negotiatione sua, quod Græcis τὸ γι-

νόμϑυον ἀργύϱιον (Budæus p. 43. Lucianus in Somnio. Οὐκ εἰς μακϱὰν ἧ καὶ τ̀ πατέϱα εὐφϱανεῖν, ἀποφέρων ἀεὶ τὸ γινόμϑυον. Sic Timone p. 128. αἰτῶν τὸ γινόμϑυον. Ubi male Grenthemesnil. p. 539 τό γε νόμιμον.) & eorum more hic *natum* dicatur; altera, opera magistratus ipsius, quod *lucellum* vocaretur. Hæc somnia sunt. *Natum* generatim ponitur, quod quacumque ex causa provenit. Aut dicatur, quam negotiationem exercuerit Catullus cum sacculo aranearum pleno. Verum est multiplicem quæstum exercuisse Romanos in provinciis, atque ut facilius provinciales ad conditiones suas perducerent, appetivisse contubernia prætorum vel proconsulum & præfecturas, quas tamen negotiantibus boni & frugi magistratus negabant, exemplo Ciceronis. Sed ex horum negotiis paratum argentum potius *natum* dici, quam aliud undecunque proveniens, falsum est. Nilus Narr. 3 p. 43. Τοιαύτη γὰϱ ἡ κενοδοξία συντϱέχουσιν ἔχει τῷ κέϱδει τ̀ ἀπώλειαν, ἐν αὐτῷ τῷ ἔϱγῳ ἀφανίζουσα τῇ σκαιότητι τὸ γινόμϑυον. Dio 159. Itaque *quo ære* Bithynia Catullo *profuit*, & *quod illic* ei *natum* dicitur, ejusdem generis est. Eo itaque ære, quo provinciam Catullo profuisse, quodque ibidem illi natum esse ac provenisse rumor erat, (neque placet τὸ *ære* mutari in *esse*, quod in alium errorem induxit Meleagrum, ut τὸ *Natum* verteret in *Notum*) ajunt illum comparasse lecticarios. *Natum*, ut apud Plautum Trinummo: *Nisi tu immortale rere esse argentum tibi.* Seneca epist. XXCVII: *Ex sacrilegio enim & furto pecunia nascitur.* Et *redivivus* vel *recidivus* nummus, qui renascitur, apud Juvenalem Sat. VI.

Ac velut exhausta recidivus pullulat arca
Nummus.

Lege XL D. de peculio. *Peculium nascitur, crescit, decrescit, moritur.* De eadem Catulli provincia duo sunt carmina vulgo, XXVIII & XXIX: quæ in unum contrahenda esse recte vidit Scaliger. Pulchre ab eodem observatum, & in his & in isto verba flagitiosa sensu nihil obscœnum significare. Qui etiam vernacularum hodie linguarum aliquot idiotismus. Quo pertinet etiam illud Trebonii ad Ciceronem lib. XII famil. epist. XVI. *In quibus versiculis si tibi quibusdam verbis εὐϑυϱϱημονέστεϱος videbor, turpitudo personæ ejus, in quam liberius invehimur, nos vindicabit.* At ista, *Ecquidnam in tabulis*, ita explicanda videntur: Numquid (quum in suis æris accepti & expensi tabulis redeuntes e provincia magistratuum contubernales soleant habere accepta relata lucello, seu notatas non parvas summas lucelli nomine a prætore concessas) in vestris tabulis, ubi lucellum patere debebat, ubi acceptum, nihil apparet, sed utramque paginam facit expensum? ut mihi accidit infelici, qui contubernalis Memmii in *lucello refero datum*: hoc est, quum & ipse in meis tabellis aliquid accepti lucello referre deberem, nihil in illis habeo, nisi quod dedi vel expendi de meo: in illis tabulis, in ea parte rationum, ubi patere debebat lucellum, quam dicaveram referendis acceptis lucello, refero & scri-

scriptum habeo etiam datum & expensum. Exclamationem, quæ subjungitur, videtur ei exprimere recordatio præteriti doloris, quasi diceret: Cujus infelicitatis cum in mentem venit, non possum non irasci tibi, Memmi, & jure exprobrare, quod me patientem hominem & usque obdurantem spe meliorum impudenti mora circumduxisti, & lactasti, tandemque inanem & inhonoratum dimisisti. Sequitur: *Sed quantum video:* id est, solatio tamen est socios malorum habuisse, nihilo felicius vobis accidit. Illud Scaligeri: *refero datum lucello,* & pro summa in tabulis scribo, *O Memmi, bene me*; vereor ne sit facetius quam verius. Nam *datum* (quod per Memmium Catullo donatum atque adeo Catullo acceptum intelligit Scaliger) videtur potius positum pro ipso expenso Catulli: ita enim in suis tabulis ponit *datum*, ut in Pisonis comitum tabulis *expensum*: *datum* igitur & *expensum* idem. Similiter Pisonis comitum *in tabulis lucelli* quærit an *pateat expensum*, quemadmodum sibi *referantur lucello data.* Ergo *tabulæ lucelli* & *lucellum* hic idem, sensusque sunt unius, *patere in tabulis lucelli* & *referri lucello.* Quamvis non negem satis molliter accipi posse Scaligeri sententiam: adeo inanis a Memmio discessi, ut ei nihil acceptum referre possim præter querimonias hominis destituti & illusi: his me beavit. Sed de *lucello* vir summus miris offuciis cum ingenti eruditionis specie os nobis oblinit. Comites magistratuum & adjutores publicorum negotiorum duplex ait emolumentum percipere solitos, alterum in provincia, quod *lucellum* vocabatur; alterum in urbe post reditum e provincia, quum eorum nomina a magistratibus in ærarium referebantur, & in beneficiariis proconsulis sive proprætoris vocabantur. Hic lapsus est & in verbis & in re. * Primum genera illa loquendi, *nomen in ærarium referri*, & *vocari in beneficiariis*, nullo sunt sensu, & omni antiquitati ignorantur. Dicebat illa, *deferri in beneficiis ad ærarium*: sed & hoc non erat emolumentum, verum merus honor & commendatio illarum personarum apud populum Romanum, profutura illis vel ad majora ornamenta ab republica consequenda, vel ad pericula, si quæ exstitissent, sublevanda, tanquam olim meritis, ut judicio & beneficio principum honestarentur. Sic Archiam *in beneficiis ad ærarium delatum* ab Lucullo prætore & consule, sic L. Cornelium Balbum a Pompeio in illorum defensione jactat Cicero. *Deferre ad ærarium, nomina edere,* Sc. apud Frontinum de aquæduct. *Utique quibus apparitoribus ex hoc Sc. Curatoribus aquarum uti liceret, eos diebus* x *proximis, quibus Sc. factum esset, ad ærarium deferrentur, quique ita delati essent, iis prætores ærarii mercedem cibaria quanta præfecti frumento danda dare deferreque solent, annua darent & attribuerent* &c. p. 118. apud Anton. August. de Sc. 223. Et erat ea in re ambitio ipsorum magistratuum. Cicero

* Adscripsit pater [H. Junius: Beneficiarius, in beneficiariis ad ærarium relatus, qui ob navatam præclaram operam muneris vacatione donatur stipeque annua.] Et, [Cic. pro Cornelio B. 28 ubi Man.] Et [Th. Reines. ep. XXII p. 82.]

lib. v famil. epist. xx. *Quod scribis de beneficiis, scito a me & tribunos militares & præfectos & contubernales dumtaxat meos delatos esse* &c. *Sane moleste tuli, non illa beneficia tua potius ambitioni reservata esse, quam mea, qui ambitione nihil uterer.* Quam *ambitionem* non recte interpretatur Manucius, quasi ostendere voluerint cohortem apud se fuisse lectissimorum hominum, qui beneficia in rempublicam contulissent. Non quidem de nihilo est, & potuerunt hoc quoque nonnulli respicere: sed non id intelligit Cicero, cui *ambitio* est gratia & demonstratio studii in clientes. Significat se facile pati potuisse, ut hanc apud delatos gratiam iniret Rufus, quum ipse deferendo non sit secutus gratiam, sed morem & veritatem & merita. Illud haud protritum: *qui ambitione nihil uterer.* Sic Plautus Trinummo: *Apage te, amor, non places, nihil te utor.* Cæsar lib. III Civ. *Si vero alteri paullum modo tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur, neque fore æqua parte contentum, qui se omnia habiturum confideret.* Livius lib. IX. *Tum pacem petentes, quod uti ea, quum daretur, noluissent, aspernatus.* Lib. XLIV. *Remittitur Antigonus, qui nuntiaret, quinque millium equitum opera tantum uti regem, contemnere multitudinem aliam.* Est accipere, admittere. Valerius Maximus lib. IV cap. III. *Cum ad eum magnum auri pondus publice missum attulissent, benignis verbis invitatus, ut eo uti vellet.* id est, illud accipere. Idem lib. III cap. VIII. *Mihi uti ista conditione vitæ non est opus.* Repudiat vitam & salutem sub conditione gravi donatam. Ut in formula repudii: *conditione tua non utor.* Porro certum est, qui sectabantur magistratus in provincias, id fecisse, ut caput unctius referrent: quod satis docent epistolæ Ciceronis ad Trebatium, & locus insignis ad Atticum lib. VII epist. I. *Quum enim hoc rectum & gloriosum putarem, ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Cœlio quæstori relinquere annuum, referre in ærarium ad sestertium centies; ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere.* Atque hoc indulgere Cicero contubernalibus suis potuisset sine cujusquam reprehensione. At id *lucellum*, quod ex Frumentaria nobis ingerit ὁ πάνυ, plane improbum fuit ac Verrinum. Gloriatur emendatione loci e lib. v famil. ep. xx. *Sed ego putavi esse viri boni, quum populus suum servaret, consulere fortunis tot vel amicorum vel civium. Nam de Luceio ita est actum, ut auctore Cn. Pompeio ista pecunia in fano poneretur.* Ubi satis constat vitiosum esse τὸ *Luceio:* sed multo constat magis alienissimum esse *lucello* quod ille substituit. Vides, inquit, privatam pecuniam amicorum ac civium vocari *lucellum.* Ego vero non video. nam duo genera diversissima sunt, hoc *quod in fano positum* est, & istæ *fortunæ vel amicorum vel civium.* Fortunæ istæ sunt ipsum patrimonium vel bona Volusii & prædium Valerianorum & Marii: at illa pecuniæ publicæ pars: neutra ullam *lucelli* hujus, quo de agitur, habet imaginem. Nam cur ponebatur in fano, si distribuenda erat prætoriæ cohorti? Atque adeo quum, si quis, *lucellum* quid sit, scire cupit,

eum

eum Scaliger ad hanc epistolam Ciceronis rejicit; in eo tantum indulget sibi, ut si maxime pro *Luceio* vel *Logeo* recipiamus *lucello*, tamen in tota illa epistola ne verbulum quidem sit unum, quo significetur, quid illud *lucellum* sibi velit. *Pete nobiles amicos*, recte accepit Scaliger: neque enim fragmentum est avulsum aliunde, ut Ach. Statio placet. Vulgaris hæc criminatio magnarum amicitiarum, quas quibus colere literis datum, raro non experti sunt aut crudeles aut ingratas. Vide Lucianum de mercede conductis. Porcius de Terentio:

Dum lasciviam nobilium & fucosas laudes petit,
Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus,
Dum ad Furium se cœnitare & Lælium pulchrum putat,
Dum se amari ab hisce credit, ad summam inopiam redactus est.
Nihil Publius Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime,
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam,
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Symmachus lib. I epist. XXI. *Sed cui eveniet aut tam felix discipulus, aut tam memor debitor? Nisi ignoramus Magnum illum, cui supra votum fortuna fluxit, Stagiritæ suo nihilum commodasse. nisi quod Ennio ex Ætolicis manubiis captiva chlamys tantum muneri data Fulvium decolorat. Enimvero neque Panætio Africanorum secundus, neque Opilio Rutilius, neque Cineæ Pyrrhus, aut Metrodoro suo Mithridates Ponticus liberalium disciplinarum pretia solverunt.* Ita scribendum. Vulgo: *An ignoramus:* ferendum, si pateretur sequens: *nisi quod Ennio.* Lectius igitur in hoc impetum facit, questus perversam & sine sensu lectionem: quasi melius quadret quod subjicit: *nisi Q. Ennio.* Juretus, *Haud ignoramus*, &, *Similiter Q. Ennio.* Scioppius locum ait haud dubie mutilum, quem sine auctore aliquo frustra quis supplere se postulet. Nimirum non vidit, τὸ *sin ignoramus*, quod erat in Mss. formandum esse, ut fecimus: *nisi ignoramus.* Posses putare, me hanc interrogationem injuria posuisse, si nesciremus, quam parum liberaliter Aristotelem Alexander; si, quam maligne Fulvius Ennium tractaverit. *Nisi quod Ennio*, intelligimus repetendo verbum superius: *nisi ignoramus quod Ennio.* Nam cur huic addat prænomen, Fulvio, Africanis, Opilio, Rutilio, Ausonio, ad quem scribit, sibimet ipsi denique negatum, causa nulla est. Elegantius tamen Latiniusque & τὸ *quod* absit. Credemus sane discipulum fuisse memorem, aut summates viros illis, quos circa habuerunt ob studia & literas, congessisse census, si ignoramus quam Aristotelem non ditaverit Alexander; si Fulvium non dehonestat ex Ambraciæ spoliis nihil præter chlamydem Ennio comiti donatum. Male etiam vulgo, *Opillo* & *Cyneæ*. Male Juretus *Oppio*. Est enim *Aurelius Opilius*, de quo Suetonius in illustribus Grammaticis: *Dimissa autem schola, Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem*

Smyrnæ

Smyrnæ ſimulque conſenuit. Plinius XXVIII, IV. *Opilius ſerpentes, ſi quis in hiatum earum exſpuat.* Et Græcis Κινέας. Metrodorum autem Scepſium apud Mithridatem Magnum ſive Eupatora polluiſſe gratia uſque eo, ut πατὴρ τοῦ βασιλέως diceretur, ſed ad poſtremum in amicitia ejus adflictum proditione Tigranis, teſtes Strabo lib. XIII & Plutarchus in Lucullo. Quod factum eſt circa annum V. C. DCLXXXII plus minus: tum enim victus a Lucullo Mithridates regnoque profugus ad Tigranem conceſſit. Unde revincitur error Scaligeri, Scepſium hunc Metrodorum Bruti familiarem facientis, non longe hinc ad Catullum. At Brutum hoc tempore neceſſe eſt valde puerum fuiſſe, ſi duodecim demum annis poſt, comes avunculo Catoni in Cyprum, fuit ἔτι μειράκιον, ut appellat eum Plutarchus. Sed tamen ex epiſtola Bruti ad Cæſarem producit Chariſius: *a Scepſio familiari meo.* Sic advocat Scaliger, cum in editis ſit, *a Sceptio:* in quo eſt ſane literæ mendum, ſed non ejus quam tollere voluit ὁ πάνυ· ſcribendum enim, *Scaptio*, quem Bruto familiarem fuiſſe ſcimus ex Ciceronis lib. V & VI ad Atticum. Exſpectas ut ſaltem Plinio felicius eundem Metrodorum ibidem inculcarit Scaliger? Lib. XXXVI cap. VIII. *Hic namque eſt Mamurra Catulli Veronenſis carminibus proſciſſus, quem, ut res eſt, domus ipſius clarius, quam Catullus, dixit habere, quicquid habuiſſet Comata Gallia. namque adjecit idem Nepos, eum primum totis ædibus nullam niſi e marmore columnam habuiſſe.* Utinam in toto Plinio non eſſet locus corruptior, quod adfirmat vir illuſtris. Haberemus unius auctoris invidendam ſortem. Nam hic quidem, quid non ſcitum & facetum? *Domum ipſius clarius quam Catullum dicere*, didicit ab ipſo Catullo, *Nequidquam tacitum cubile clamat.* At miratur Scaliger de hac domo tacuiſſe Catullum, & ſi res ita ſe haberet, non taciturum auguratur. At moleſtum hoc eſt præſcribi Catullo, quid dicere debuerit, quum poſſimus eo contenti eſſe, quod dixiſſe videmus. Quamvis autem tollatur domus mentio hoc loco, tamen ita ſe rem habuiſſe conſtat ex eo quod ſequitur: *totis ædibus nullam niſi e marmore columnam.* Hoc certe teſtimonium domus luculentum. Ut vulgatam magis abſurdam faciat, & ſuam correctionem literis congruentiorem, adducit, *ut res*, non, *ut res eſt:* deinde ait: quid ſibi volunt illa, UT RES. Quid, niſi ſuffragari correctioni ipſius? nam Plinio nulli editi negant: *ut res eſt:* idque dictum, ut Plauto in Captivis: *Pol, ego ut rem video, tu inventus, vera vanitudine qui convincas.* Plinius XXXII, I. *Tenuit & noſtra memoria Caii principis ab Aſtura Antium remigantis, ut res eſt, etiam auſpicalis piſciculus.* Martialis lib. VIII ep. XLIX.

Plus ergo, ut res eſt, quam videt, Aſpar amat.

Quintilianus declam. CCICVIII. *Multum enim illi, ut res eſt, fiduciæ facit gratia adoleſcentis locupletis.* Et, *Hæc, ut res eſt, acceſſit nova elegantia inter perverſas delicias.* Gellius VII, XVII. *Sed, ut res eſt, Plautus homo linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps.* Appuleius de Socratis dæmonio: *nequeo*

ſatis

ſatis mecum reputare, &, perinde ut res eſt, admirari. In Apologia: *quoniam, ut res eſt, majus piaculum decernis, ſpeculum philoſopho, quam Cereris mundum profano videre.* Videturque hæc formula eidem reſtituenda lib. II extremo: *Dumque jam in vicum proximamus, ecce tres quidam vegetis & vaſtulis corporibus fores noſtras ex ſummis viribus irruentes.* Adjutus eſt hic locus a Ms. Bertiniano: ſed in quo etiam fuiſſe diſſimulant, *tres quidam utres & vaſtulis:* quod ſcimus ex Schoppii Suſpect. III ep. VI. Non potuit tamen hic Appulejus illos *utres* nominare, nam nec ipſe jam tum ſciſſe vult videri, alios quam latrones fuiſſe, nec lectorem ſuum, ut exſpectationem ejus ſuſpendat. Scribe: *tres quidam, ut res eſt, vaſtulis corporibus.* Ex curtato igitur ſuo, *ut res domus ipſius,* conficit Scaliger: *quem Metrodorus Scepſius clarius quam Catullus:* ſed & delet, *idem Nepos,* quaſi interjectum, quia ſuperius mentionem Nepotis Cornelii fecerat Plinius. Et eam veriſſimam & præclariſſimam emendationem vocat, ut optimam Menagius in Addendis ad Diogenem Laertium pag. 11. & dolet indignaturque ad ſtomachum quorundam Criticorum non facere. Illi vero, quicumque fuerint, ſtomachum habuerunt, ſi meminerant, quum Metrodorus a Mithridate occideretur, pertenues etiam Cæſaris fuiſſe opes: utique ſi conferantur illis, quæ poſtea fuerunt, & tum, quum tam lautum præfectum fabrorum habuit: accidit enim iſtud biennio, antequam præturam caperet. Itaque vatem eſſe oportuit Metrodorum, ſi prævidere potuit futurum poſt mortem ſuam, ut Galliarum potens Cæſar Mamurræ Comatam pro congiario donaret. Itaque melius aliunde Metrodori iſtius ætatem diſcimus, quam ex eo Plinii loco ſic per Scaligerum conſtituto, ut monet idem Menagius, eum ſcilicet Cæſarianis vixiſſe temporibus. ſed Cæſariana tempora ſunt multi anni. Et Brutus, qui eum familiarem ſuum vocavit, diu vixit ante Cæſaris imperium. Cæterum provincialia illa lucra Catulli jamdudum in memoriam redigunt mihi aliud genus in provincia lucello referentium data & expenſa: quibus minatur lex * XVI Cod. Si certum petatur: *Quiſquis judici fœnebrem pecuniam mutuaverit, ſi in provincia fuerit verſatus, quaſi emptor legum atque provinciæ, vel ſi quis collectarius honoris pretium dederit ambienti; exſilii pœna cum ipſo judice plectatur.* Cui repugnare putat Salmaſius de Uſur. cap. V legem XXXIV D. eodem, qua conceditur præſidibus provinciarum mutuam pecuniam fœnebrem ſumere: & ſi ſimpliciter utriuſque legis mentem interpretemur, nihil magis contrarium, quam altera eſt alteri, poſſe fingi exiſtimat. Vitium igitur cenſet eſſe in illis *ſi in provincia fuerit verſatus:* quorum quam nonnulli dent interpretationem, rejicit hoc argumento, quod allegetur cauſa, præſidem illum quaſi emptorem haberi provinciæ atque legum: ſubſtituitque *ſi in provincia fuerit ſervatus:* quod ſit, ſi prorogatum ei tempus regendæ provinciæ fuerit. Sed perperam applicuit judici, quod Imperatores efferunt

* Adſcripſit: Alciatus I Parerg. 25.

de fœneratore vel creditore judicis. Vidit hoc Sam. Petitus lib. II Observ. cap. XII. quo magis mirum non temperare corrigendo: *si in provincia fuerit vexatus:* ut is qui vexetur litibus aut aliqua molestia, prohibeatur conciliare sibi judicem fœnore. Ne hic quidem vel sermo vel res quadrat. Ponitur immo Augustis ille, qui provinciæ præsidi dedit in fœnus, ita *versatus in provincia quasi emptor legum atque provinciæ:* hoc est, pecunia illa mutua judici data ita obnoxium atque obsequentem sibi hominem fecisse, ut illo connivente grassatus sit in provinciales avaritia aut libidine aut crudelitate, aut omnibus, quasi addictos sibi & mancipatos, neque illis adversus injurias & contumelias apud præsidem in legibus ullum præsidium fuerit. Tantum abest, ut ipse vexatus sit ab aliis, vexator omnium. Caius Gracchus apud Gellium XV, 12 ait in concione. *Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse.* Et, *Ita versatus sum in provincia, ut nemo possit dicere, assem aut eo plus in muneribus me accepisse. Emptor legum atque provinciæ,* qui pecunia numerata effecit, ut leges & provinciam in potestate haberet, sic ut nihil adversus eum leges, ipse in provinciam omnia potuerit. Cicero lib. I in Verrem: *Quum edictum totum eorum arbitratu componeret, qui ab isto jus ad suam utilitatem nundinarentur.* Et mox: *quæ varietas decretorum? quæ nundinatio?* Lib. II. *An hoc dubitabit quisquam omnium, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum atque omnia decreta vendiderit.* Statimque: *Ecqua res apud civitates Siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas, aut procuratio, quin eam tu ad tuum quæstum nundinationemque hominum traduxeris?* Et mox Timarchidem, quem *omnia decreta* Verris, *imperia, literas, peritissime & callidissime venditasse* dixerat, *omnibus oppidis per triennium regnasse* ait. Quid hic minus quam *emtor legum atque provinciæ?* Lib. III de Apronio: *hujus audaciæ, nequitiæ, crudelitati, fidelissimos socios optimosque cives scitote hoc prætore traditos atque addictos fuisse.* In Pisonem: *non consules, sed mercatores provinciarum & venditores vestræ dignitatis.* Nec melioris notæ M. Antonii *domesticæ nundinæ*, quibus *non vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani deminutum* queritur Philipp. II. Quem locum cum appingeret Torrentius Suetoniani Claudii cap. XII, alias res agebat. Tacitus annali III de criminibus Pisonis: *neque ambitionem militarem, neque provinciam pessimo cuique obnoxiam inficiari poterat.* Non pugnant igitur hæ leges, neque mutuum sumere judices vel præsides, sed hac conditione, hoc eventu, ut sese & leges & provinciam fœneratori addicant, sumere vetantur. Cicero pro Flacco: *Negavit a privato pecuniam in provincia prætorem petere oportere. Cur tandem, M. Lurco, non oportet? Eripere, extorquere, accipere contra leges non oportet: petere non oportere nunquam ostendes, nisi docueris non licere.*

LIBER

LIBER IV.

CAPUT I.

De censura M. Porcii Catonis Livii locus insignis mendo & obscuritate, ipse Cato injusticiæ crimine liberatus. Referre in censum & deferre in censum differunt. Jurati profitebantur. Census, σωὶς ἢ χάρτης, tabulæ censoriæ. Valerio Maximo vetus scriptura reddita. Dedicare in censum. In Ulpiani JC. locum suspicio. Decies tanto pluris. Esse ἀντὶ τοῦ emptum aut venale esse. Ornamenta, vestis, vehicula, non solita in censum deferri, delata sub Catone, si pluris quindecim millium æris essent. Mancipia solebant deferri; ex quibus luxuriosa decies tanto pluris, quam quanti erant, censa. Mulctæ censoriæ ex eo, quod ex censu pendebant tributum, appellatæ. Octuplicato censu ærarius. Livio item lux. In ærarios relati tam senatores & equites Romani quam plebii. Asconius Pedianus illustratus. Censu, ludis, comitiis, gladiatoribus. Varro defensus. Asinii Pollionis ad Ciceronem epistolæ locus adsertus.

I*taliam sequimur fugientem*, ait ille. Sic nos quo propius finem accedimus, eo plus viæ, & plerumque arduum, restare animadvertimus, & crescit opus sub manu. Sed tamen temperandum est, ut nec odio simus lectori omnia consectando, nec tædio laboris exspectationem ejus destituamus. Catonis quoque censura in hoc argumento sub censuram venit. Livius lib. XXXIX cap. XLIV. *Ornamenta & vestem muliebrem & vehicula, quæ pluris quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatores jussit. Item mancipia minora annis viginti, quæ post proximum lustrum decem millibus æris, aut eo pluris venissent, uti ea quoque decem tanto pluris, quam quanti essent, æstimarentur: & his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur.* Hic primo nullum ego agnosco *viatorum* officium: sed ipsos puto harum rerum dominos eas *in censum deferre juratos* a censoribus jussos.. Scio Flori de Servio Tullio: *Ab hoc populus Romanus relatus in censum.* Hoc censorum munus, vel scribarum, qui illis apparebant, ex censorum auctoritate. Nam *census*, in his loquendi figuris, ut eleganter interpretatur Theophilus, lib. I institut. tit. V. σωὶς ἤτοι χάρτης, ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας, ἐπὶ τὸ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως, ἕκαστον εἰσφέρειν. Itaque mox Florus idem dicit *referri in tabulas.* Ulpianus in l. IV D. de censibus: *Formula censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur.* Marcellus in l. X D. de probationibus & præsumpt. *Census & monumenta publica, potiora testibus esse, Senatus censuit.* Tacitus dicit *censibus adscribi*, lib. XIII. *Et ne censibus negotiatorum naves adscriberentur, tributumque pro illis penderent, constitutum.* Nehemiæ cap. 7 vetus vulgata: *Hi quæsierunt scripturam suam in censu & non invenerunt.* At illud quod Livius vult, non censentium est, sed profitentium. Valerius Maximus lib. IV cap. IV. *Cujus ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita exstincti hodieque amplissimum est patrimonium, Romana concordia.* Ita scriben-

 dum:

dum: nam vitiavit interjecto τῷ & maleque distinguendo Pighius. Ait, ut vivum Menenium nullam, ita mortuum æternam rem & bona inconsumpta habere. Quæ illa? memoriam reductæ in exitiali dissidio civilis concordiæ: ea quantovis patrimonio lautior & durabilior. Seneca lib. I de benefic. cap. III. *Nec illis fraudi est, si aliud quid in censum detulerunt.* Idem epist. XCV. *Hæc omnia æstimatorem desiderant, quanti quidque in censum deferendum sit.* Fabius declam. CCLXXVIII. *Jam illa profecto citra interrogationem sunt: cujus tulerit nomen: in cujus censum delatus sit.* Gellius lib. XVI cap. X. *Neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant.* Ulpianus l. IV π. VI. & VII. d. t. *Lacus quoque piscatorios & portus in censum dominus debet deferre. Salinæ quoque, si quæ sunt in prædiis, & ipsæ in censum deferendæ sunt.* Impp. in l. VIII Cod. de donat. *Filiorum tuorum nomine prædia in censum detulisse te.* Boethius in Topica: *Si quis ergo consentiente vel jubente domino nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat, & servitutis vinculo solvebatur: atque hoc erat censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre, & effici civem Romanum.* Cives igitur *deferunt*, quæ censores *referunt* in censum. Sic *dedicare in censum* dicebant. Africanus apud Gellium lib. VII cap. XII. *In uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti.* Cicero pro Flacco: *At hæc prædia etiam in censum dedicavisti. Mitto, quod aliena; mitto, quod possessa per vim.* Ad quem perperam *deferre* & *referre* confundit Manucius. Sed isto genere loquendi vix est, ut non fraudaverint Ulpianum vel librarii vel Tribonianus in l. LXIV D. de adquir. rer. dom. *Quæ quisque aliena in censum deducit, nihilo magis ejus fiunt.* Ajo, *dedicat*, scripsisse Ulpianum, veteris elegantiæ non ignarum. *Deferre censum* interdum dixerunt: & tum *census* ipsum patrimonium. Livius lib. XXIX. *censumque in iis coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data, deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent.* Habes & hic *juratos* deferentes. Plinius VII, 48. *Totidem annos censum Claudii Cæsaris censura Titum Fullonium Bononiensem; inque collatis censibus quos ante detulerat, vitæque argumentis apparuit.* Tacitus VI annal. *Quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebantur.* Tertullianus de præscript. hæret. *Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Appulejus in Apolog. *Quod si hæc exempla nihili putas, & me non ad causam dicendam, verum ad censum deferendum vocasti.* Hoc transierunt viri docti in Livii verbis: hæserunt autem ad illa: *uti ea quoque decem tanto pluris, quam quanti essent, æstimarentur.* Jo. Andreas & eum secuti: *uti ea quoque X tanto pluris.* Badius, Mog. Savet. *decuplo tanto pl.* Gelenius, *decem*, ut intelligatur *millibus*. Id Sigonius ait non procedere: esse enim dictum *decem tanto*, ut apud Livium *alterum tantum*, apud Plautum *sexcenta tanta* & *tribus tantis*. At ex adductis exemplis potuit animadvertere, multo minus hoc procedere, nisi scriberet: *decem tantis.*

Illud

Illud verius, quod conjectat: *decies tanto pluris.* Cicero lib. III in Verrem: *Sexies tantum, quam quantum satum sit, ablatum esse ab aratoribus.* Et rursum: *Reperietis quinquies tanto amplius istum, quam quantum ei in cellam sumere licitum sit, civitatibus imperasse.* Plinius lib. XIV cap. IV. *Maroneum vicies tanto addito aquæ miscendum Homerus prodidit.* Plutarchus: ἠνάγκαζεν ἐσθῆτος, ὀχήματος, κόσμου γυναικείου, σκευῶν τῶν περὶ δίαιταν, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας καὶ πεντακοσίας ὑπερέβαλλεν, ἀποτιμᾶσθαι τὴν ἀξίαν εἰς τὸ δεκαπλάσιον· βουλόμενος ἀπὸ μειζόνων τιμημάτων αὐτοῖς μείζονας καὶ τὰς εἰσφορὰς εἶναι, καὶ προσετίμησε τρεῖς χαλκοῦς πρὸς τοῖς χιλίοις. Utrique dicam scribit Hotomannus. Quærit, utrum tandem illa laudabilis censoria severitas videatur, an vituperabilis acerbitas: utrum justicia, an injusticia, decies tanto pluris servos æstimari, quam quanti empti fuerant? Et, licueritne censori, nulla lege, nullo crimine nominato, tanto damno, tantaque mulcta, tot cives Romanos adficere, ut non modo res eas, quæ censeri antea non solebant, in censum deferrent, verum etiam decuplo pluris, quam, quanti essent, æstimarent. Ad priorem interrogationem respondeo, fuisse justissimam laudatissimamque animadversionem coercitionemque luxuriæ. Ad posteriorem, licuisse: neque enim lege opus erat aut crimine legibus obligato ad commerendum opus censorium: sufficiebat officium imminutum aut mos majorum violatus. Lege nulla cavebatur de modo argenti facti, quod quis haberet: propter decem pondo libras tamen notatus dictatorius Rufinus. At Hotomannus, dum istis quæstionibus respondeatur, corrigit: *uti ea quoque decem aut pluris, quanti quanti empti essent, æstimarentur, & ex his rebus omnibus &c.* At quid opus iterare *quanti?* deinde interjici *empti?* Ipsum *esse* sic pro venale esse usurpant. Cicero lib. III in Verr. *Quum in Sicilia sestertiis binis tritici modius esset.* Et mox: *ut sibi pro frumento, quanti frumentum esset, dare liceret.* Rursumque: *quanti Ephesi sit frumentum:* &, *cum esset sestertiis binis aut etiam ternis, quibusvis in locis provinciæ duodenos sestertios exegisti.* Livius lib. XXIX. *Sextante sal & Romæ & per totam Italiam erat.* Explicat deinde suam correctionem: „Quemadmodum Cato in veste & mundo muliebri „& vehiculis censendis eam æstimationem secutus erat, quam emptores in „emendo tenuerant, ita in servis fecisse intelligitur, ut qui servi immenso „pretio, decem millibus æris, emti fuerant, tantidem, hoc est, denis millibus æris æstimarentur: qui pluris, etiam pluris: nimirum quanti quanti „empti fuerint. Primum quare immensum pretium servi dicit decem millia æris? At Columellæ octo millibus HS. hoc est, triginta duobus millibus æris, non carus vinitor. Sed Cato magnum id pretium duxit servi infra vicesimum annum: quorum magna pars non ad opus, sed ad delicias, immo contumelias cubiculi, parabantur. Dein quid triste & asperum in hac parte censuræ? An censorum quisquam unquam aliter fecit? nisi docere forsan emptor potuit se ingenti fraude circumventum. Nec Catonis nec Livii consi-

consilium percepit vir doctissimus. Luxuriæ fuit hæc castigatio, si quis veste & mundo muliebri & vehiculis (τῷ περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ἀπήνην κόσμῳ, ut vocat Polybius in excerpto de Scipione, satis indicans & ipse crevisse illa in re sumptum circa illa tempora) tum servitiis teneris & delicatis civilem modum ac frugalitatem habendis & parandis egrederetur. Animadversio in hæc comparatur a Livio in ternis æris; cætera valde dispar. Ornamenta ista & vestis & carpenta censibus adscribi non solebant: jussit adscribi quæ horum pluris quam quindecim millium æris essent, & quidem a juratis delata, & eo nomine in millia ternos æris in publicum pendi. Mancipia adscribebantur. *Leg. IV π. IV D. de censibus: *In servis deferendis observandum est, ut & nationes eorum & ætates & officia & artificia specialiter deferantur.* Lege IV Cod. Theod. de Excusat. artificum; *picturæ professoribus datur, ne servos quidem barbaros in censuali adscriptione profiteri.* In his igitur mentio deferendi nulla, quippe quod fieret semper. Sed qui mancipiis parvi usus, tamen ingenti pretio parandis, prodigi essent, in eos graviorem, justam tamen vel ob rei turpissimæ suspicionem, statuit mulctam: nempe ternos in millia decuplicatos: hoc est, in millia singula tricenos, ita ut qui decem millibus emtum haberet minus viginti annorum mancipium, eo nomine in publicum daret trecenos æris, qui quindecim millibus, quadringenos quinquagenos æris. Gravitatem rei mitigaverunt verbis, quasi non mulcta hæc esset, sed tributum ex censu, quum tantum terni essent in millia statuti: & centum millibus æstimaretur in bonis servus decem millibus emptus. Videtur hoc quoque Romanæ elegantiæ fuisse, ut mulctæ censorum in eo, quod quisque conferre debebat ex censu, aucto, quasi majorem censum mulctandus haberet, destinarentur, atque ex eo appellationem sortirentur. Livius lib. IV cap. XXIV, qui locus singularis: *Censores ægre passi, Mamercum, quod magistratum populi Romani minuisset, tribu moverunt, octuplicatoque censu ærarium fecerunt.* Observant hic, recte igitur Festo censores dictos, quod tanti rem suam quisque æstimare solitus sit, quantum (vel quanti) illi censuerint: cum sæpius censum multiplicarent: illa tamen æquitate admissa, ut relevaretur is, qui in tabulis publicis delato modo ex certis causis frui non possit, verbis Ulpiani L. IV de Censibus. Honesta oratio: sed quæ ad id, quod maxime hoc in loco explicandum est, nihil pertinet. Delatus sive relatus ille modus est ultro profitentis; multiplicatus vero census est mulctæ sive coercitionis, nec fiebat nisi notæ causa. Marcellus Donatus ad eundem Livii locum: id est, inquit, ut pro sui capite octo plus ærario solveret, quam capite censi pendere tenebantur. Pro suo capite octuplum quod capitecensi, vel octies tantum quantum capitecensi,

* Ascripsit: M. Seneca controv. 21. *Habeamus generum, si possumus, parem: sin minus, non erubescendum; cui cognatus sit aliquis, cui sacra aliqua & penetralia, in quæ deducatur uxor; quem adjungamus ad domum, non quem ex censu deleamus.*

dicere

dicere voluit. Sed & sic errat: non enim dicit Livius octuplicatam capitationem, aut octuplicato ære capitecensum, sed *octuplicato censu ærarium*. Cujus censu? ipsius utique Mamerci. Ergo *octuplicato censu ærarius*, qui, ubi pro censu pendere deberet assem unum, damnas erat pendere octo. Eodem modo *decuplicato censu ærarius*, qui, ubi in millia ex censu conferebant alii cives non notati unum, animadversionis censoriæ causa pendebat decem. Sic constituit Cato, ut qui hujusmodi mancipium haberet post lustrum proximum emptum, ea pars patrimonii pœnæ ergo censeretur ei centum millibus, & in singula millia penderet asses ternos: quod est revera, mulctæ nomine in caput servi decem millium æris trecenos, de duobus millibus quingentis nummis, qui pretium servi fuerint, septuagenos quinos; de sexaginta duobus coronatis & dimidiato pretii binos minus denario & asse. Et sic pro portione, si pluris quam decem millium æris foret. Grandis mulcta, sed justa crescentis indies luxuriæ. Quid enim opus erat tanti emere, quod nihil esset profuturum? Dignum immo, qui sic traherent, vexarent pecuniam, potius compelli reipublicæ servire. Si sequuti censores hanc severitatem obtinere potuissent per depravatiora indies tempora, non meruissent notas famæ & ingeniorum, quibus *agmina familiarum, ut prædatorios globos, post tergum tracta*, & *pædagogia diligentius quam in tralatu vestita*, & *spadonum exercitus*, καὶ πολλοὺς ἐρωμένων ἠγορακέναι ταλάντου, antiqui scriptores inurunt. Plutarchum forte justius vellicat Hotomannus, qui, quod de solis mancipiis edidit Livius, ad vehicula etiam, vestem, mundum, supellectilem retulit: & omnium pretium, quod censores notabant, facit χιλίας καὶ πεντακοσίας δραχμάς, quæ sunt quindecim millia æris, quum mancipia, in quibus proprie statutum erat decuplum tributum, & de quibus silet Plutarchus a decem millibus procederent. Ne dicam, quindecim millia æris esse χιλίας καὶ πεντακοσίας drachmas in illis assibus, qui decem faciebant denarium sive drachmam, non qui sedecim; quales tamen hoc tempore Romæ obtinebant. Priusquam dimitto ærarios Catonianos, retexendum est, quod imprudenti excidit Manucio ad lib. I in Verrem: Scribas postremi ordinis, sive de plebe fuisse, tanquam dubium sit, mendoso probat argumento. Id, inquit, ex iis verbis, quæ sunt in Cluentiana, licet conjicere: *Persuasi, ut scribam jurati legerent eum, quem iidem isti censores ærarium reliquissent*. Nam inter ærarios nec senatores nec equites Romani, sed homines de plebe referebantur, ut Asconius aliique docent. Falsissimum est in ærarios non fuisse relatos, qui essent senatorii aut equestris ordinis. Quid? Mamercus Æmilius non erat senator? M. Livius Salinator, a Nerone Claudio inter ærarios relictus, senator non erat? Et quum M. idem Livius, præter Mæciam tribum, populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus, ærarios reliquisset, in populo scilicet Romano, in quatuor & triginta tribubus, nullus fuit nec eques nec senator? Ille apud Gellium uberrimus

& ha-

& habitissimus eques cum equo strigoso & male habito, non erat eques Romanus? tamen *relatus in ærarios, ut mos est*, inquit ille lib. IV Noct. cap. XX. Qui illi apud Livium lib. XXIV. *His superioribusque illis equi adempti, qui publicum equum habebant, tribuque moti, ærarii omnes facti.* Plura volens omitto. Nam Asconio frustra denunciat Manucius, qui testatur quidem, cives sic notatos, *ut qui senator esset, ejiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebejus, in Cæritum tabulas referretur & ærarius fieret:* sed hoc non est negare, senatorem aut equitem potuisse fieri ærarium. Hominum de plebe dicitur hæc nota, non quasi isti ab ea immunes, sed quia plebeii priorum immunes, nec poterant aut senatu moveri aut equum publicum perdere: sed senatores moti senatu, equites equo publico ademto, poterant & ærarii relinqui, (ut aliquo modo juvemus Manucium) vel quia jam plebs erant, jam carebant ordinibus suis, & in plebem redacti. eoque jam obnoxii erant isti quoque plebeiæ notæ. Nec injustum est, ut altiores ordines, quo magis eos decet sine labe esse, in conspicuo positos & dignatione præcellentes, eo graviori succumbant infamiæ, eo pluribus notis, si quid peccaverint. Cicero pro Cluentio egregie: *Quis unquam hoc senator recusavit, ut cum altiorem gradum dignitatis beneficio populi Romani esset consecutus, eo se putaret durioribus legum conditionibus uti non oportere?* Et mox: *Converte nunc ad equestrem ordinem atque in cæteros ordines easdem vitæ conditiones: non perferent. Putant enim minus multos sibi laqueos legum & conditionum & judiciorum propositos esse oportere, qui in summum locum civitatis aut non potuerunt adscendere aut non petiverunt.* Denique & Varroni prosit, quod de censu agere cœpimus. Is lib. III de re rust. cap. II loquens de villa publica: *ubi cohortes ad delectum consuli adductæ considant, ubi arma ostendant, ubi censores censu admittant populum.* Vel Fulvio vel Ciacconio videtur legendum, *censum*, hoc est, inquit, ut censeatur. At ego illud oppido elegantius, itaque positum puto, ut significet, quando census agitur, perinde ut *comitiis, ludis, gladiatoribus* vel *munere, Circensibus*, dicebant: dum comitia haberentur, quum ludi fierent, quum gladiatores aut Circenses darentur. Cicero pro Milone: *Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit?* nempe Miloni occidendi Clodium, si voluisset. Suetonius Julio: *Munere, in foro depugnavit Furius Leptinus*, &c. *Ludis, Dec. Laberius eques Romanus mimum suum egit* &c. *Circensibus quadrigas bigasque agitavere nobilissimi juvenes.* Asinius Pollio ad Ciceronem lib. X famil. XXXII. *Gladiatoribus autem ob Fadium quendam, militem Pompeianum (quia, cum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctore sese nolebat, & ad populum confugerat) primum Gallos equites immisit in populum.* Ita legendum: nam & optimæ vulgatæ male expunctum habent τὸ *ob*, sine quo non constat sensus. Pessime autem cum suo vet. cod. Titus Popma: *Gladiatoribus autem Fadium quendam, militem Pompeianum, objecit.* Homines quod non intelligerent τὸ *gladiatoribus*

(Titus

(Titus a Victorio discere potuisset) intruso verbo alieno Pollionem nescio quid faciunt barbarissantem. Neque enim ut *bestiis objici*, ita & *gladiatoribus objici* dicebant.

CAPUT II.

Plutarchus partim defensus, partim notatus in loco de ludis Q. Fabii Maximi Contatoris. Sestertia Plutarcho singula millia nummum. Eandem summam interdum partim sestertiis, partim denariis colligebant. Varro explicatus. Plutarchi, quare hoc fecerit, singularis ratio. Ternarii numeri religio. Triens non æris tantum, sed cujuscumque rei tertia pars ex duodecim. In Livio Scaligeri conjectura probata, in Plutarcho improbata. Summa Livii tota ære concepta, non in parte denariis. In eadem aliquot errores Rualdi.

Quæ proxime in Livio & Plutarcho comparavimus, non sinunt nos oblivisci alterius apud eundem Chæronea loci, qui & ipse in hac materia solet cum Livio comparari. Refert in Fabio Maximo post cladem ad Thrasimenum lacum ludos magnos votos factosque ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος: seu impensa in eos ludos *sestertia trecenta triginta tria, denarios trecentos triginta tres trientem.* Quam summam mox ad Græcam pecuniam revocans ait conficere ὀκτὼ μυριάδας δραχμῶν καὶ δραχμὰς τρισχιλίας πεντακοσίας ὀγδοήκοντα τρεῖς καὶ δύο ὀβολούς. Hinc eleganter demonstrarunt Budæus, Ciacconius, Scaliger, *sestertia* complecti mille nummos sestertios, perinde ut CCL denarios, *drachmamque* & *denarium* eodem pretio esse. Nempe *trecenta sestertia*, coronati fuerunt septem millia quingenti; *triginta tria sestertia*, octingenti viginti quinque: *trecenti denarii*, coronati seu scutati triginta; *triginta tres denarii*, coronati tres, paullulum æris excurrentis. Rursum *octoginta millia denarium* sive ὀκτὼ μυριάδες δραχμῶν æstimantur coronatorum octo millibus, *tria millia denarium* sive τρισχίλιαι δραχμαὶ trecentis, *quingenti denarii* sive πεντακόσιαι δραχμαὶ quinquagenis, *tres & octoginta denarii*, δραχμαὶ ὀγδοήκοντα τρεῖς octo coronatis & prorsus tantodem excurrenti ære. Summæ conveniunt: nimirum coronatorum octo millia CCCLVIII, & excurrentis æris utrobique triginta asses cum triente denarii, qui sunt oboli duo. Quid hic Hotomannus? multa machinatur, ut inepte locutum Plutarchum demonstret, & hanc ejus auctoritatem confringat. Fingit, quia Livianæ hæc summa non convenit, interpretem Plutarchi τὸ *æris*, quo vocabulo omne nummorum genus interdum explicatur, vertisse σηστερτίων ἢ δηναρίων· id accepisse illum, quasi dictum esset, καὶ δηναρίων· quando hæc sestertiorum & denariorum conjunctio sit a Romanis alienissima, & ejusdem prudentiæ, cujus hordeum simul cum tritico serere: tum quod verosimile non sit in tanto luctu civitatis senatum vel pontifices toties illo ternario numero inculcando pueriliter ludere voluisse: tertio quoniam ea tempestate rationes

potius ad aſſem quam ad ſeſtertium aut denarium conferrentur: poſtremo quia *trientem*, quem τριτημόριον Plutarchus appellat, more Romano neque ad ſeſtertium neque ad denarium referre liceat, ſed ad aſſes dumtaxat. nam in voce σηστερτίων Romano more locutum, & vocem *millium* tacite ſubaudiendam reliquiſſe. Habeat tantiſper, quæcumque optat: quamvis inepte ſeſtertios & denarios commiſcuerit Plutarchus: hoc non poteſt nobis auferri, eum *ſeſtertia* pro mille nummis poſuiſſe, planeque oſtendiſſe *trecenta triginta tria ſeſtertia* facere ὀκτὼ μυριάδας τρισχιλίας πεντήκοντα καὶ διακοσίας δραχμάς· has enim ſi ſummæ poſterius conceptæ detraxeris, ſuperſunt τριακόσιαι τριάκοντα τρεῖς δραχμαί, quas etiam vides totidem denariis cenſeri. Quod non ſolerent in iiſdem rationibus ducere denarios & ſeſtertios, quod ea tempeſtate potius ad aſſem quam ad denarium aut ſeſtertium rationes confecerint, verum ſit: at Plutarchus, ſive alium auctorem ſecutus, ſive Livio male intellecto, quum eam ſummam, quam in drachmis definivit, mente concepiſſet, nec per ſeſtertios ſolos, nec per denarios, nec per aſſes eam potuit exprimere, ut ternarium ubique numerum ſervaret, in quo aliquid arcanæ religionis poſuiſſe Romanos vel cæcus videat. In aſſibus fuiſſent octingenta triginta quinque millia octingenti: in ſeſtertiis trecenta triginta quatuor millia trecenti viginti. Nec tamen tam inſolens eſt in computando denarios ſeſtertiis interponi, quam id videri vult Hotomannus. Varro lib. III de re ruſt. cap. II. *Atque in hac villa qui eſt ornithon, ex eo uno quinque millia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis, ut ſexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ.* Ea *ſexaginta millia* utique ſeſtertium ſunt: nam denarium quindecim millia fuiſſent. Cap. VI de pavonibus: *Quem cito ſecuti multi extulerunt eorum pretia, ut ova eorum denariis veneant quinis, ipſi facile quinquagenis; grex centenarius facile quadragena millia ſeſtertium ut reddat; ut quidem Albucius ajebat, ſi in ſingulos ternos exigeret pullos, perfici ſexagena poſſe.* Fulvius Urſinus malit: *facile vicena:* recte, ſi ipſe grex vendatur: ſed eum ſervari vult Varro, & *reddere*, id eſt, fœtu ſuo efficere quadragena millia. Intellexit igitur unumquemque binos quotannis minimum reddere pullos, qui ſinguli quinquagenis denariis venditi tantum reficiunt. Ideo ſequitur *ſi in ſingulos terni exigantur pulli, perfici ſexagena poſſe.* Ergo e binis quadragena. Plinius lib. XVII cap. I. *Cn. Domitius graviter increpuit tanti cenſorem habitare, pro domo ejus ſeſtertium ſexagies identidem promittens. Et Craſſus, addicere ſe, reſpondit, exceptis ſex arboribus. Ac ne uno quidem denario, ſi adimerentur, emptam volente Domitio* &c. Lapis vetus: *Item. Appius. Eutychianus. maritus. ejuſdem. Valerianae. ſcholae. vexillariorum. largitus. eſt.* HS. XXXX. N. *ex. cujus. ſummae. reditu. quotannis. die. ſupraſcripto. natalis. ejus. ante. ſtatuam. lectiſternium. ex.* ✠. CCL. *ponant. ſportulas.* ✠. CCL. *inter. praeſentes. ſibi. dividant.* Illud vero indignum tanto viro, incredibilem & puerilem eſſe luſum in numero ternario. Quid enim manifeſtius ex Livio ipſo, quam religionis neſcio

ſcio quid in ternario toties repetito & pontifices & ſenatum poſuiſſe? Plutarchus: Λόγον δὲ τὸν εἰς τοῦτο τὸ πλῆθος ἀκριβείας καὶ διανομῆς χαλεπόν ἐστιν εἰπεῖν· εἰ μή τις ἄρα βούλοιτο τὴν τριάδος ὑμνεῖν τὴν δύναμιν, ὅτι καὶ φύσει τέλειος, καὶ πρῶτος τῶν περιττῶν, ἀρχή τε πλήθους ἐν αὐτῷ, τάς τε πρώτας διαφορὰς, καὶ τὰ παντὸς ἀριθμοῦ στοιχεῖα μίξας καὶ συναρμόσας εἰς ταὐτὸν ἀνείληφε. Pleni veterum libri ſunt hujus ſuperſtitionis. Quis ignorat, *numero deus impare gaudet?* Quis autem unquam colendorum ſuperûm ritus fuit, in quo diverſo ritu imbutis non aliqua ridicula & puerilia apparerent? Ne unicum quidem & ſolum nunc divinum Chriſtianum excipio. Annon fatetur Apoſtolus nationum Χριστὸν ἐσταυρωμένον Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν; & placuiſſe Deo διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας; Quid de illis dicemus, quæ mera ſunt hominum commenta & ludibria? De *triente*, ſi *triens* non poteſt intelligi niſi aſſis nomiſmatis, quomodo oblitus eſt adeo hujus præcepti, & ſui ipſius, ut in rationibus ad ſeſtertium conficiendis *ſemiſſem*, quem Mæcianus ſimpliciter dixerat pro dimidiato aſſe, acceperit pro dimidiato ſeſtertio, & propterea faſſus ſit ſe non intelligere, quî Mæcianus *ſemiſſem* vocaverit *octavam ſeſtertii partem?* Itane *ſemiſſis ſeſtertii* poteſt eſſe pars dimidia ſeſtertii, *triens denarii* non poteſt eſſe pars tertia denarii? Immo utrumque bene dici ſuo loco, non tantum ex illis conſtat, quæ ad Voluſii locum diſputavimus, ſed etiam inde quod veteres omnia alia per partes aſſis partiri ſolerent. Nam quod *ſeſtertia* dixiſſe illum ait more Romano; niſi Romano more locutus fuiſſet, nec nos nec qui ante nos, hac auctoritate uſi fuiſſemus. Abit tamen a Livio Plutarchus, & hic ejus vix excuſabilis error. Verba Livii lib. XXII cap. X. *Ejus rei cauſa ludi magni voti æris trecentis triginta tribus millibus trecentis triginta tribus triente.* Sic enim omnino ſcribendum adſentimus Budæo & Scaligero, ſatiſque monſtrat etiam in illa diverſitate Plutarchus, quicquid occentet Hotomannus. Hæc ſumma eſt trium millium trecentorum triginta trium coronatorum noſtrorum & aliquantuli æris excurrentis. *Trecenta millia æris*, nummum ſeſtertium centum viginti millia, tria millia coronatorum: *triginta tria millia æris*, ſeſtertium tredecim millia ducenti, coron. vel Philippei noſtri trecenti triginta: CCCXXXIII *aſſes cum triente*, nummi CXXXIII præterpropter, coronati tres, & illud quod dixi æris excurrentis. Quam ſummam ita liceret Græce reddere: ἀπὸ ἀσσαρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν χιλίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν. Sed hoc totum ῥωμαΐζει. Paullo ἑλληνικώτερον· ἀπὸ ἀσσαρίων τριάκοντα τριῶν μυριάδων, τρισχιλίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν. In drachmis ſervata religione ternarii commodius & omnino Græce concepiſſet, quod efficitur, nempe τρεῖς μυριάδες τρισχίλιαι τριακόσιαι τριάκοντα τρεῖς δραχμαί. Itaque ſi non alio uſus eſt auctore Plutarchus, qui, ſtudio præpoſtero laudandi magnificentiam Romanam, ſummam auxerit, (quales non ſemel carpit ipſe Livius) aut in valde corruptum Livii codicem incidit, ſatis mirari non poſſum, quod glaucoma oculis ejus obſtite-

obſtiterit, ut priorem ſummam trecentorum triginta trium millium de ſeſtertiis, poſteriorem trecentorum triginta trium de denariis acciperet. Scaliger in Plutarcho librarii vitium eſſe contendit, refingitque: ἀπὸ σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν χιλιάδων καὶ τριακοσίων τριάκοντα τριῶν. Sed & ſic peccat. Primo interjiciendo χιλιάδων tollit nobis ſibique ipſe præclarum argumentum, quo *ſeſtertia* mille nummis æſtimari & ipſe collegerat, inque eo contrarius eſt ſibi: etſi videatur hic voluiſſe ſancire exemplum χιλιάδος illius σηστερτίας, quam ſomniaverat, quamque omni exemplo veterum deſtitui olim diximus. Deinde non convenit hæc ſumma ſeſtertium CCCXXXIII millium trecentorum triginta trium, iſti ſummæ, quam in drachmis concipit Plutarchus: quippe conficiens coronatorum octo millia trecentos triginta tres: ὀκτὼ μυριάδας τρισχιλίας τριακοσίας τριάκοντα δραχμάς. Aut igitur hæc quoque ſic emendanda erat, aut utraque ſumma intacta relinquenda. Deinde quod ridiculum cenſet, poſtquam ſeſtertiorum meminiſſet, totidem denarios pro minore ſumma ſubjicere, profecto faceret ridicule, qui faceret ignarus denarium quatuor ſeſtertios complecti. Sed non id fecit Plutarchus, qui, quod ipſe non negat, *ſeſtertia* intellexit pondera argenti, mille nummis ſingula conſtantia, *denarios* autem nummos. Rualdus ait optime vidiſſe Scaligerum, vulgatis Livii codicibus addendum: CCCXXXIII *denariis triente.* Atqui non vidit hoc Scaliger: ſed nec voluit nec debuit videre. Nam nihil hic per *denarios* Livius, qui omnem ſummam ære computaverat. CCCXXXIII (ſcilicet, *æris*) *triente*, voluit interponi Scaliger: & recte. *Denarios* hic finxit Plutarchus, ſi auctorem alium non habuit, ut prius *ſeſtertios* finxerat, per quos ſervata religione ternarii numeri exprimere totum non poterat. Plutarchi ſummam ait Rualdus facere vicies mille octingentas nonaginta ſex libras Turonias: & ſcutatum facit trium librarum Turoniarum. Erunt igitur harum viginti quinque millia ſeptuaginta quatuor, hac ipſius computatione: hic enim numerus fit ter ductis octo millibus trecentis quinquaginta octo: qui ſcutatorum numerus fuerat. Falſam illam, quam concepit, Livii ſummam CCCXXXIII *millium æris*, CCCXXXIII *denariorum*, facit reſpondere libris Turoniis non pluribus quam centenis nonagenis, & quidem juſta & argyrognomica computatione. At *trecenta triginta tria millia æris* faciunt, ut diximus, ſcutatorum tria millia trecentos triginta tres, librarum Tur. (ut tres dentur ſcutato) novem millia nongentos nonaginta novem: *trecenti triginta tres denarii* ſcutatos triginta tres & tres denarios, libras Tur. quaſi centum. Quæ conjunctæ ſummæ faciunt librarum Tur. decem millia & nonaginta novem. Denique ſummæ Plutarchicæ & Livianæ diſcrimen addit eſſe decies mille octingentas ſex libras Turonias, vel ſcutatos ter millenos ſexcenos binos. Immo eſt ſcutatorum quinque millium & viginti quinque. nam ſi huic ſummæ addas tria millia trecentos triginta tres, quæ ſumma Livii eſt, habebis ſummam Plutarchi octo millium trecentorum quinquaginta

octo.

octo. Hæc peccavit homo eruditus eopse loco, ubi Sigonio non intellectæ rei nummariæ suspicionem movet. Tanto proclivius est alios accusare, quam quæ alii in nobis accusent, cavere.

CAPUT III.

Liberalitas quorundam principum in remittendis veteribus ærarii debitis. Ausonius tentatus. Immanis trepidatio. Posse legi & lituras. Monumenta. Tacitus restitutus. Obliterata ærarii nomina. Cognitores mollius, qui alias delatores & quadruplatores. Manilii vexatissimus locus ad limam revocatus. Cognitor defensor alienæ litis, præsentium fere, & ultro. Noscere, docere, discere causam. Asconio & Festo lux. Noscere causam, pro, excipere accusationem. Plautus & Cicero explicati. Auctor. Auctor civitatis pro Syndico vel defensore. Horatius correctione prohibitus. Hasta prætoris. Prætores ærarii. Lucrum infame & quandoque suppuratum. Seneca & Tacitus insignibus locis adjuti. Cognitura. Suetonius illustratus. Cognitores & sectores interdum iidem, certe manubiarum socii. Ἔκδικος. *Glossarium vetus expositum. Cognitor urbis. Falciferi defendere templa Tonantis, an Sonantis, quid Martiali. Lucrari pœnam. Digito juvare hastam. Juvare versura. Cicero tentatus. Patriæ fraudati debitor æris. Ponere forum. Gaudere Lyæo.*

Largitionem & coitiones, nummos pronuntiatos, empta suffragia, nummarios judices, conviviis gratiam quæsitam & propinationibus summum jus nundinantes, & inopi ærario divites quæstores, trahentes, vexantes pecuniam, furentesque in damna, denique venales populos, venales curias, & quicquid de ambitu, peculatu, residuis, repetundarum & Cincia legibus, quicquid sumptuariis prohibetur, ne nostra quidem ætas inter cætera probra ferre desiit. At justæ piæque liberalitatis & animi munificentiæ, qua in publicum, qua in privatos bonos, maxima quæque & laudatissima, quibus cœlo tenus extollit caput antiquitas, exempla exoleverunt. Unum tantummodo genus saluberrimæ popularitatis jam antea memoratum repetam, quum Hadrianus Augustus *sestertium novies millies* (sunt nummi nostri ducenties & vicies quinquies centena millia coronatorum, viginti duo & dimidiatus milliones) debitum fisco remisit, syngraphis in foro D. Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis, ut attestatur Spartianus. Cui animi magnitudini quid nostra aut avorum memoria, non summa, sed titulo tantum muneris habet comparandum? At non ille solus ex priscis tot hominum millibus σωτὴρ καὶ ἀγαθὸς περιστάτης. Præiverat primus Augusti nominis, de quo Suetonius: *Tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam, exussit.* Secutus est Marcus. Dio: Καὶ τοῖς ὀφείλουσί τι τῷ βασιλικῷ καὶ τῷ δημοσίῳ πᾶσι πάντα τὰ ὀφειλόμενα ἀφῆκεν, ἀπὸ ἐτῶν ἓξ καὶ τεσσαράκοντα, χωρὶς τῶν ἑκκαίδεκα τοῦ Ἀδριανοῦ· καὶ πάντα τὰ περὶ αὐτῶν γράμματα ἐν τῇ ἀγορᾷ καυθῆναι ἐκέλευσε. Meruit eundem titulum Aurelianus. Vopiscus: *Item quadruplatores ac delatores ingenti severitate persecutus est: tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in foro Trajani semel jussit.* Aurelius

 Victor:

Victor: *Deletæque fiscales & quadruplatorum calumniæ, consumtis igni tabulis monumentisque hujusmodi negotiorum.* Meruit Constantinus, ad quem Eumenius rhetor Flaviensium nomine: *Septem millia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum: & tamen, utrum sufficeret hoc nobis, sæpius requisisti. Remissione ista septem millium capitum viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opem.* Meruit & Julianus, cujus est lex III Cod. Theod. de indulgentiis debitorum: *Omnium titulorum, sive qui ad inlustres viros præfectos prætorio, sive qui ad largitiones nostras pertinent, usque in consulatum primum clementiæ nostræ, reliqua universa concedimus. Atque ut ipsa memoria reliquorum intercidat, chartas omnes, sive quas tabularii civitatum, sive officia judicum, sive officium palatinum, sive discussores habent, quibus tamen ejus temporis & debitorum nomina & debita continentur, undique in medium congregata palam flammis jubemus aboleri.* Nec Gratianus hujus laudis immunis. Ausonius: *Vel unum illud cujusmodi est de condonandis residuis tributorum? quod tu quam cumulata bonitate fecisti? Quis unquam imperatorum hoc provinciis suis aut uberiore te indulgentia dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit?* &c. *Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere jussisti. Videre in suis quæque foris civitates conflagrationem salubris incendii: ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurorum. Jam se cum pulvere favilla miscuerat, jam nubibus fumus involverat: & adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum & sestertiorum notas cum juvantia de ratione cernebant, quod meminerant legi posse & veteres.* In postremis mendum manifestarium. Hotomannus: *cum denariaria ratione cernebant quas.* Conjiciebam: *cum immani trepidatione:* sive *ingenti* vel *insana* mavis; ut Livius XXXII, XVII. *Trepidationemque insanam superstantibus armatis præbuerit.* Dein vidi & Scaligerum voluisse: *cum titubantia & trepidatione.* Finem Acidalius ita concinnabat: *quod meminerant lectum, legi posse etiam verentes:* vel, *legi id posse vetueras.* Veniebat in mentem: *legi posse & lituras:* taciteque carpi aliquem maligniorum principum, qui quod decessor ejus remiserat, & in tabulis publicis cancellaverat induxeratque, recognitum e fugientibus literis exegit. Aut habuit ante oculos Claudii censorium dictum, *cum orantibus familiaribus demsisset cuidam appositam notam: Litura tamen exstat:* Suetonius cap. XVI. Nec silendus Majorianus, extremum lumen occidentis imperii: cujus superest Novella de indulgentiis reliquorum, & in ea: *Sancimus universorum fiscalium titulorum, vel ad arcam magnificentiæ tuæ vel ad utrumque ærarium pertinentium, reliqua usque ad præsentis undecimæ indictionis initium a possessoribus non petenda, quæ sub generalis indulgentiæ beneficio relaxamus obnoxiis.* Etiamne Nero in hunc annulum conscribendus? Tacitus lib. XIII annal. cap. XXIII. *Ejus accusationis auctor exstitit Pætus quidam, exercendis apud ærarium sectionibus famosus, & tum vanitatis manifestus,* &c. *Exiliumque accusatori irrogatum, & tabulæ exustæ sunt, quibus oblitterata ærarii*

monu-

monumenta retrahebat. Scio *monumenta* dici literas etiam publicas. Sed quid sit *tabulis retrahere obliterata monumenta*, non intelligo, etsi transeant eruditi, ceu nemini obscurum. Eodem jure dicam *monumentis retrahere tabulas*, & *libris codices*, *codicibusque libros.* nam hæc *monumenta* & *tabulæ* res eadem. Cicero pro domo de scriptis pontificum: *quos a libidinosa sententia certum & definitum jus religionum, vetustas exemplorum, auctoritas literarum monumentorumque deterret.* Livius lib. XXVI de fœdere Ætolico: *Hæc convenerunt, conscriptaque biennio post, Olympiæ ab Ætolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita.* Nihil hæc juvant fatuam illam scripturam. Suspicor autem Taciti fuisse: *quibus obliterata ærarii nomina retrahebat.* Quæ non sunt aliæ quam ex Suetonio commemoratæ *tabulæ veterum ærarii debitorum*, quarum ille prætextu calumnias struebat. Ammianus Marcellinus lib. XXVI de Petronio: *debita jam inde a temporibus principis Aureliani perscrutans, & impendio mœrens, si quem absolvisset indemnem.* Et inferius: *qui sepulta jamdudum negotia & redivivas tabulas debitorum in diversos ordines excitabant.* Symmachus lib. X epist. L. *Amicus & Castor, quæstus publicos eruentes, inter cætera nomina, quæ judicio persequuntur.* Vide eundem epist. LIV. Duplicem Cæsareæ liberalitatis causam ponit Procopius in arcana historia: Πρῶτα μὲν εἰθισμένον ὂν ἐκ παλαιοῦ ἕκαστον τὸν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἔχοντα, οὐχ ἅπαξ μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλάκις τοῖς τῶν δημοσίων ὀφλημάτων λειψάνοις τοὺς κατηκόους δωρεῖσθαι πάντας, ὅπως μήτε τοὺς ἀπορουμένους τε, καὶ ὅθεν ἂν ἐκτίνοιεν τὰ λείψανα ταῦτα οὐδαμῇ ἔχοντας διηνεκὲς ἀποπνίγεσθαι, μήτε τοῖς φορολόγοις σκήψεις παρέχεσθαι συκοφαντεῖν ἐγχειροῦσι τῶν ὑπὲρ φόρου ἀποτελῶν τοὺς οὐδὲν ὀφείλοντας. Erat genus hominum specie commodorum ærarii vel fisci sua commoda comparantium, (quippe & præmiis invitatorum, quasi essent legum custodes ærario augendo inventarum, ut de Papia Poppæa loquitur Tacitus) qui præfectis subjiciebant obnoxios mulctis aut debitores vel veteres vel latentes. Alii *delatores* & *quadruplatores*; qui mollius, aut ipsi se *cognitores* appellabant: quorum nonnulli quia damnatorum subhastatorumque etiam bona coemebant, iidem & *sectores* erant & dicebantur. Ex hac nota fuit Pætus iste, *exercendis* idem *apud ærarium sectionibus famosus* & veterum ærarii debitorum persecutor. De his pervagatus est Manilii locus, quem viri summates, quorum etiam lusus seria ducere solent, quasi pilam datatim exercendo hoc consecuti sunt, ut ipsi ab eo pro pilis haberentur, lib. V:

Non ullo careat digito, quaque iverit hasta
Defueritque bonis sector, prædamque lucretur
Noxius, & patriam fraudarit debitor æris.
Cognitor est urbis. Nec non lascivit amores
In varios, ponitque forum, se datque Lyæo.

Sic Scaliger, cum legeretur: *Non ullos curant digitos:* &, *Cognitor est. Verbis nec non:* &, *madetque Lyæo.* Quamdiu, inquit, sub hoc signo natus supererit,

nun-

nunquam deerit, qui in sectionibus tollat digitum: nunquam illo vivente peculatum quisquam fecerit, aut repetundarum reus evaserit. *Cognitorem* & *sectorem* esse pœne eundem: nempe qui sectionibus præsit, cujus munus *cognitura:* est ergo proprie, inquit, qui compendii sui causa nullum non genus manubiarum experitur. Negari nequit, duo egregie hic animadvertisse Scaligerum: alterum, cum ritum licendi elato digito in auctionibus usitatum huc accommodavit: alterum cum *cognitorem* fecit *urbis*. Attamen Salmasio de M. Us. cap. XVIII. versus hos Scaliger magis corrupisse videtur. legenti: *Non ullos curans digitos:* &, *Adfueritque*. Sic autem interpretatur: „ Quarumque iverit hasta proscriptionum & auctionum, & bonis sector adfuerit; non ullos curans digitos, eorum nempe, qui sublatis digitis profitentur se redemptores esse ac sectores bonorum hastæ subjectorum; *cognitoris* officio fungitur ad eum defendendum, cujus bona publice veneunt. Item *cognitorem* se & illi præbet, qui criminis alicujus reus bonorum confiscatione pœnam lucratur aut redimit, & pro eo, qui peculatus aut pecuniarum repetundarum tenetur aut de residuis ob administratam pecuniam publicam. In hisce sunt quædam, quæ nullo modo tolerari possunt. Primo *cognitorem* ponit adversarium hastæ & sectori. Sed nec ipse, nec Turnebus, nec Scaliger, nec Heraldus (pace tantorum hominum dixerim) quidquam de illo sani attulere. Turnebus, qui primus pro *consuturis* apud Suetonium e libris antiquis *cognituris* restituit, interpretatur procurationes, cum hominum in foro esset cognitor & procurator. Scaliger nullum non ei manubiarum genus tribuendo, certum aliquod tribuere scisse negat: & *cognitura* Suetonii non est ejus *cognitoris*, cujus meminit Ovidius, quum canit:

Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ.
Quas aliquis duro cognitor ore legat.

Heraldo *cognitores* sunt sectorum prædes. Quod idem notaverat Salmasius „ cap. XVI. Qui sectionem, ait, bonorum redimebant, *notores* sive *cognitores* dabant, qui pro se publico sponderent atque intercederent: qui *cognitores* plerumque & participes lucri, ut socii, cum sectoribus erant. Sed eam significationem a Manilio arcuerat. Nunc Bonum Factum, ut nos quid probabilius. Asconio Pediano, *qui defendit alterum in judicio, cognitor* dicitur, *si præsentis causam novit, ac sic tuetur, ut suam.* Latet aliquid Romani in illo, *causam novit*. Quis enim nostrum in ea re sic locutus fuisset? *Novit* igitur *causam* forte, qui, ut alioqui loquuntur, *didicit*. Nam *docet causam*, cuja res agitur, quum pro se acturum instruit: *discit*, qui defensurus est, Cicero lib. VII famil. ep. XXI. *Silii causam te docui.* Seneca in nobili fragmento apud Augustinum lib. VI de Civ. Dei cap. X. *Sunt qui ad vadimonia sua deos advocent: sunt qui libellos offerant, & illos causam suam doceant.* Plinius lib. III epist. IX. *Legatos interrogabam, docuissentne me aliquid, quod re probari*

probari posse confiderent. Sic *discere.* Cicero lib. II de orat. *Nihil est negotii hujusmodi causam cognoscere. Recte igitur de causa discenda nihil præcipitur.* Et rursum : *nisi forte existimatis a M'. Curio causam didicisse L. Crassum.* Lib. x famil. epist. xxvi. *O mi Furni, quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas.* Plinius dicta epistola : *Indicavimus senatui, ex Norbano didicisse nos publicam causam, rursusque debere ex integro discere, si ille prævaricator probaretur.* Sic judex quoque, cum audit & cognoscit, *discere* dicitur. Virgilius VI, CCCCXXXIII. *Ille silentum Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.* Seneca in ludo de morte Claudii : *Quo non alius Potuit citius Discere causas, Una tantum Parte audita, Sæpe & neutra.* Gellius lib. II cap. IV. *In aliis quidem causis judex ea quæ didicit, quæque argumentis vel testibus demonstrata sunt, sequi solet.* Ita enim legendum est ex optimo Ms. idque ex vet. editione jam monuit Guil. Ranchinus. Potes & interpretari, causam accipit, ut aliter *noscere causam,* nec minus eleganter, est accipere vel admittere excusationem. Plautus Truculento a. II sc. I:

Nunquam amatoris meretricem oportet causam noscere,
Quin, ubi nihil det, pro infrequente eum mittat militia domum.

Ubi dormiunt explicatores. *Causas noscere* dicebantur magistratus populi Romani in delectu, scilicet illorum, qui se a militia immunes esse dicerent: tum enim accipiebant excusationes, non accipiebant nomina illorum, qui justam vacationis causam proferrent: qui non justam, eos cogebant nomina dare. At in re atroci & subita pronunciabant se non vacare noscendis causis immunitatum, sed facturos id bello perfecto cum gravibus minis in eos, qui justam non habuisse judicarentur. Livius lib. III. *Consensu omnium delectus decernitur, habeturque. Quum Coss. pronunciassent, tempus non esse causas cognoscendi: omnes juniores postero die prima luce in campo Martio adessent: cognoscendis causis eorum, qui nomina non dedissent, bello perfecto se daturos tempus: pro desertore futurum cujus non probassent causam: omnis juventus adfuit postero die.* Eodem pertinet hoc lib. IV. *Simul edicitur & justitium: neque aliud tota urbe agi quam bellum apparari: cognitio vacantium militiæ munere post bellum differtur.* Quod libro VII dicit *delectum sine vacationibus habere.* Hujus generis sunt & quæ lib. XXVII cap. XXXVIII narrantur. Sic & eorum, qui militantes missionem honestam aut causariam petebant, *causæ noscebantur.* Livius lib. XXXIV. *Quum milites, qui in legionibus urbanis erant, frequentes tribunos plebis adiissent, uti causas cognoscerent eorum, quibus aut emerita stipendia, aut morbus causæ essent.* Cælius lib. VIII famil. Ciceronis epist. VIII. *De militibus, qui in exercitu Cæsaris sunt, qui eorum stipendia emerita causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, causæque cognoscantur.* Ita & victores illorum, qui ambigui fuissent socii, aut plane in hostium partibus, ita tamen, ut haberent, cur clementiam sperarent, *causas noscebant.* Livius lib. XXVIII, XVI.

 Ipse

Ipse protinus causis regulorum civitatumque cognoscendis Tarraconem rediit. Lib. XXX. *Dictator Sulpicius reliquum anni cum M. Servilio magistro equitum, circumeundis Italiæ urbibus, quæ bello alienatæ fuerant, noscendisque singularum causis consumsit.* Cicero lib. XI ad Attic. epist. VII. *Se audivisse Catonem & L. Metellum in Italiam venisse, Romæ ut essent palam: id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent: prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovisset.* Tacit. II hist. X. *Recens Galbæ principatu censuerant patres, ut causæ accusatorum noscerentur.* At in hac cognitione, etsi haud dubie non omnium valerent causæ, sed etiam quædam rejicerentur, tamen, quia plures valerent, in benigniorem partem cœpit hic sermo usitari, ut *noscere causam* & plerisque istis locis sit probare, accipere excusationem, & ante omnia Plauto. Cui simillima sunt Ciceronis lib. I de legibus. *Ego vero ætatis potius vacationi confidebam: cum præsertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio, consulentibus responderem, senectutisque non inertis grato atque honesto fungerer munere* &c. *Atqui vereor, ne istam causam nemo noscat, tibique semper dicendum sit.* Et appellata ad Atticum epistola: *Quod te excusas, ego vero & tuas causas nosco, & mea interesse puto te istic esse.* Hæc ad Asconii & tot aliorum lucem. Festus: *Cognitor est, qui litem alterius suscipit coram eo, cui datus est: procurator autem absentis nomine auctor fit.* Ut Asconius *præsentis*, ita Festus *coram eo*. In membr. Basil. legi *rem* ἀντὶ τοῦ *litem* & *actor* ἀντὶ τοῦ *auctor*, testatur Barthius. Prius speciem habet. Sed *auctor* interdum qui pro alio gerit atque agit, ut *pupulli auctor* tutor. Cicero lib. I de Orat. cap. XLIX *auctor consilii publici*. Pro Flacco: *Nam ut signum publicum inspexit præclarus iste auctor suæ civitatis, solere suos cives cæterosque Græcos ex tempore, quod opus sit, obsignare ait.* Et mox: *si hunc habent auctorem Tralliani doloris sui, si hunc custodem literarum, si hunc testem injuriæ, si hunc auctorem querelarum.* De quo superius: *Trallianos Mæandrio causam commisisse.* Quasi Syndico aut Defensori. *Cognitor* igitur, qui præsentis in urbe vel conventu, ubi judicium agitur, partes suscipit, & quidem sponte se offerens. Horatius lib. II Sat. V.

Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor. —— *ire domum, atque*
Pelliculam curare jube. si cognitor ipse.

Ubi pervertit sententiam Gifanius legendo: *Si cogitor ipse? Persta atque obdura.* At *si*, ut apud Plautum: *site ludii barbari.* His discriminibus a *procuratore*, qui absentis, nec sine mandato; aliis a *patrono & advocato* distinguitur. Asconius alibi & Donatus in Adelphos Terentii addunt, potissimum *in causa status, quum quis patitur controversiam, an sit ex civibus.* Et interdum a prætore dabatur. Sufficit nunc nobis defensorem esse vel susce-

ptorem alienæ litis, plerumque præsentis & voluntarium. Nam a Verre, libro in eum secundo, *datum* Sthenio absenti *cognitorem* scribit Cicero, & Ovidio *duro cognitor ore* laxius dicitur. Cicero pro Cæcina: *mulierum adsentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam.* Pro Roscio: *Quid interest inter eum, qui per se litigat, & qui cognitor est datus? Qui per se litem contestatur, sibi soli petit; alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus.* Divinatione: *me ultorem injuriarum, me cognitorem juris sui, me actorem causæ totius esse voluerunt.* Livius lib. XXXIX, ut solet, elegantissime: *ne suas quidem simultates pro magistratu exercere boni exempli esse; alienarum vero simultatum tribunum plebis cognitorem fieri, turpe & indignum collegii ejus potestate & sacratis legibus esse.* Ab hac significatione sumptum est, ut delatores & quadruplatores & ἐνδεῖκται honestiore vocabulo dicerentur *cognitores*, tanquam qui causas ærarii & fisci, atque ita populi & principis, susciperent sponte ac tuerentur, cujus operæ pretium partes de proscriptorum bonis consequebantur. Aristophanes Pluto Sycophantam facit dicere; τῶν τῆς πόλεως εἰμ' ἐπιμελητὴς πραγμάτων, act. IV sc. III. Atque huic lucro quia adjungebant ex illis plurimi, ut & ab hasta, quam erexerant, emerent, ideo persæpe iidem *cognitores* qui *sectores*: quod etsi non facerent, tamen erant cognati & socii participesque manubiarum & lucri ex aliena calamitate. Suntque hi proprie, *quos hasta prætoris infami lucro, & quandoque suppuraturo, exercebat*, ut loquitur Seneca de brev. vitæ cap. XI. Recte *prætoris*: nam ab his tum curabatur ærarium. Tacitus lib. XIII annal. *Dein princeps curam tabularum publicarum a quæstoribus, ad præfectos transtulit. Varie habita ac sæpe immutata ejus rei forma. Nam Augustus permisit senatui deligere præfectos. dein ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur, ex numero prætorum qui praeessent. neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores rursum imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero prætura perfunctos & experientia probatos delegit.* Hi ipsi sunt, de quibus Tacitus lib. IV histor. IX. *Prætores ærarii (nam tum a prætoribus tractabatur ærarium) publicam paupertatem questi.* Sic & sub Tiberio idem I annal. LXXV. *Resistentibus ærarii prætoribus.* Id enim contigit sub Tiberio, non sub Augusto, ut perperam Torrentius ad Suetonium Claud. 24. Et sub C. Cæsare P. Aquius prætor ærarii Inscript. CCCLX, 3. nam male notasse se testatur Reinesius Epist. LI ad Rupert. eum fuisse temporibus Aug. vel TiberI. Et sub Augusto SCtum, quod ex Frontino de Aquæductib. adducit Casaubonus ad Suetonium Aug. XXXVI. Neque necesse est suspicari cum Lipsio, per bella civilia, & Principe nullo Romæ, iterum *prætores* esse præfectos, diversos a *prætura perfunctis.* Quam diu enim Princeps nullus Romæ per ista bella civilia? *Prætores* autem *ærarii* dicuntur, quamvis relatione ad alteram prætu-

ram prætorii vel proprætores, ut omnes, qui provinciis præfuere post judicia publica constituta. neque enim in provinciam ibant, nisi post præturam in urbe gestam. itaque pro prætoribus aut prætorii erant proprie, & tamen *prætores* hujus vel illius provinciæ vocabantur. Suetonius Claudio cap. XXIV. *detractaque Ostiensi & Gallica provincia quæstoribus curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores aut utique prætura perfuncti sustinuerant.* Frustra igitur & P. Faber, vir summus, apud Senecam, *hasta præconis*, lib. II Semestrium. Porro illud genus hominum, quod significare Annæum dixi, circa prætoris hastam districtorum, invisum erat omnibus: unde data occasione patiebantur sine cujusquam misericordia, quæ aliis fecerant. Hinc elegantissime Seneca illorum lucrum vocat *infame & quandoque suppuraturum.* Parum feliciter hunc locum viri docti tractarunt. Rævardus missos in bona decreto prætoris intellexit: Gothofredus centumviros & judices, quasi avaros & venalem habentes sententiam: Gruterus captatores testamentorum, quia hæreditatum causæ apud centumviros agebantur. Lipsius cautius ille quidem nullos destinando, & aliquid dicit conveniens suppuraturo lucro: quia, interdum, inquit, mutatio rerum, & rescinduntur quæ sic gesta. Sed anguste nimis. Immo nihil frequentius, quam sub eodem Principe, nulla mutatione rerum, nullo judicio infirmato, delatores & sectores alienorum bonorum sua exempla passos, hoc est, delatos & sub hastam ivisse. Acervi exemplorum apud unum Tacitum. Quod igitur persæpe, qui accusaverant, permixti essent redemptorum societatibus, ea ratio est, cur *cognituras* & *sectiones* conjunxerit Suetonius in Vitellio cap. II. *cujus filius cognituris & sectionibus uberius compendium nactus.* ubi Fulvius *futuris* pag. 492. Muretus II Var. 13 *conciliaturis.* sed male. *Cognituris*, id est, delationibus ad ærarium aut fiscum. In Domitiano cap. IX. *Fiscales calumnias, magna calumniantium pœna, repressit: ferebaturque vox ejus: Princeps, qui delatores non castigat, invitat.* Capitolinus de Marco: *Delationes, quibus fiscus augeretur, contemsit.* Quam explicationem tam commodam & obsequentem & expeditam omnes adhuc eruditi ad illum Suetonii locum magis circumierunt quam attigerunt. Hinc etiam Tacitus, quem *sectionibus apud ærarium famosum* dicit, eundem *obliterata ærarii nomina retraxisse* ait, quod prorsus *cognitoris* est hac significatione. Hinc intelligas licet eruditam Glossarum veterum annotationem: *Cognitor*, ἔκδικος. Nam hi *Ecdici* & defensores civitatum erant, & in primis etiam publicas pecunias curabant & persequebantur. Plinius lib. x epist. CXI. *Ecdicus, domine, Amisenorum civitatis petebat apud me a Julio Pisone denariorum circiter quadraginta millia, donata ei publice ante viginti annos & bule & ecclesia consentiente; nitebaturque mandatis tuis, quibus ejusmodi donationes vetantur.* Qui locus & ad plura, quorum mentionem fecimus hoc capite, est opportunus. Habes enim plane nomen vetus & obliteratum persequentem. Cicero lib. XIII famil. epist. LVI.

Mylasii

Mylasii & Alabandenses pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. Id factum non est: legatos audio missos esse: sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. Agnoscis hinc denique, quam bene copularit *sectorem* & *cognitorem* Manilius, quam non potuerit defensorem hujus rei facere *cognitorem,* qui custos legum & defensor ærarii audire vellet, quam denique scite dixerit *cognitorem urbis.* Nam hoc quoque accidit humanitus viro maximo, ut rejiceret Scaligeri: *Cognitor est urbis.* At verius hoc doctiusque profectum a Scaligero, quam ipse scivit. Quid enim: *verbis nec non lascivit amoris In varios?* Cur potius *verbis* facere dicitur, quod multo gravius exercet factis? Certe non est mica salis in eo vocabulo. Tamen hoc tuetur Salmasius, & permovit Heraldum, ut & ipse periodum sic abrumperet: *Cognitor est:* & eidem insultat, tanquam ingratiis aliquid suum approbanti, fraudemque non ferendam appellat nomen auctoris in ea re dissimulatum. Immo *cognitor* hac notione plane est *cognitor urbis*, seu defensor juris populi, cujus est ærarium: cujus commoda qui persequitur, urbis causam sustinet. Sic Horatius: *Si quæret, Pater Urbium, Subscribi statuis.* Sic Lucanus de Catone: *urbi pater est urbique maritus.* Hos *ærarium defendere* ait Martialis lib. v Epigr. XVI.

Nam si falciferi defendere templa Tonantis,
Sollicitisque velim vendere verba reis,
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,
Ac vario fiet sordidus ære sinus.

Explicant: si velim patronus causas defendere in foro, ubi Saturni falcem ferentis ædes. Nimis laxe. Certum enim genus causarum, & maxime fœcundum pecuniæ tractantibus designat Martialis. Si *velim defendere ærarium Saturni,* id est, causas agere, quæ locupletant ærarium; accusare illos, a quibus mulcta vel alio nomine petitur ærario debitum: aut iisdem patrocinari. Fortassis etiam *falciferi* non *Tonantis*, sed *Sonantis* fecit Martialis, ob æs ibidem numerari solitum. Hoc tunc promiscuum erat, & licebat occupanti, quum nullus esset fisci advocatus, quem primus Hadrianus instituit, teste Spartiano. Quis præterea, *pœnamque lucretur Noxius*, intelliget, criminis reus bonorum confiscatione pœnam lucratur ac redimit? Quid audio? *lucrari pœnam*, est confiscari? At nullam ego hujus criminis graviorem pœnam putabam. Certe pœna est confiscatio, non modus lucrandi pœnam: neque hasta quidquam aliud persequitur. Hostibus hæc pœnarum lucra, quibus qui potitur, *huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur: si funus id habendum sit, quo non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores, ut carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas & distrahendas*, ut præclare Cicero in Quinctiana. Super hoc cognitoris officio dicit fungi aliquem ad eum defendendum, cujus bona publice veneunt. At hasta jam fixa, jam digito sectoris sublato, serum eoque nullum est defensoris officium:

cium: necesse est enim præcessisse condemnationem & rem judicatam esse: itaque talem cognitorem potius nihil moraretur, qui digitum sustulisset, quam sublatum digitum nihil curaret cognitor. Ne dicam de compositione tota orationis & illo minime molli flexu pluralis in singularem, ubi post *feruntur*, sequitur *curans* & *est*. Ergo non miror Heraldum Scaligeri prætulisse sententiam, nisi quod de suo *cognitores* fecit sectorum prædes. Reliquus sensus est omnino melior, modo ex verbis sic conceptis colligeretur: quod recte reponit Heraldo Salmasius, & in ea retractatione vidit, *pœnam lucrari* non posse dici confiscatum: itaque nunc eum facit absolutum. Cognitor, inquit, erit, sive reus pœnam lucretur, id est, absolvatur, sive patriam fraudarit æris debitor: &, Cognitor erit, qui causam defendat rei lege Julia de residuis, sive condemnabitur & bona ejus hastæ subjicientur, & sectionem eorum manceps redimet; sive pœnam lucrabitur & absolvetur, & sic revera debitor æris publici patriam ea pecunia fraudaverit. Sed primo descriptio illa sive condemnati sive absoluti rei, prorsus est inanis & superflua. Deinde ne hoc quidem elici potest ex verbis Manilii, neque particulæ, ET, QUE, significant idem quod *Sive*. Quis enim ita loquentem ferat: *Cognitor tuus ero, & condemnaberis & absolveris:* ut indicet, sive condemnaberis, sive absolveris. Omitto aliorum & Barthii lib. VI Adversf. cap. XXIII molitiones. Sed illis, quæ diximus, sententia Poetæ sic satis interlucet: de verbis nimium promittere nolumus. Scripserim tamen:

Non illi, crudam digito qui juverit hastam
Defueritque bonis sector, pœnamque lucretur
Noxius, & patriam fraudarit debitor æris.
Cognitor est urbis.

Hoc est, Illi signo, Hædo nimirum, non defuerit aliquis sub eo natus, qui digito tolli parato crudæ ac severæ hastæ adsit, & bonis vendendis emtor vel sector sit: non illi quisquam noxius, vel per illud signum nemo noxius & obligatus reipublicæ fraudati æris nomine pœnam lucratus fuerit atque evadet: nam & *urbis cognitor*, urbis causarum defensor, accusator delatorque est, qui fisci & ærarii atque ita populi causas persequatur, est eidem illi signo, sive ille ipse qui sector, sive aliquis sub hoc signo natus. In optimis Mss. habebatur:

Non ullo curam digito qui juverit hastam.

Si *duram*, i. immisericordem, sive *diram*, i. detestandam facere hastam malis, nihil interduim. Sed illud *juverit* haudquaquam debuit mutari. Cicero in Pison. VII. *Stipendio mehercule & frumento Catilinam esse putasses juvandum.* Livius XXXIV, V. *Proximo bello nonne quum & pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ adjuverunt ærarium.* Suetonius Calig. cap. XLI. *Præbita advenientibus pecunia fœnebris, appositique qui nomina palam subnotarent quasi adjuvantium Cæsaris reditus.* Vespasiano cap. XIX. *Convivabatur assidue, ac sæpius recta ac dapsili,*

dapsili, ut macellarios adjuvaret. Plinius lib. VIII epist. II. *Itaque omnibus quidem partem octavam pretii, quo quisque emerat, concessi; deinde iis, qui amplissimas summas emptionibus occupaverant, separatim consului. nam & me magis juverant, & ipsi majus fecerant damnum.* Le. V π. III De jure immunit. *Negotiatores, qui annonam urbis adjuvant.* Vides verbum opportunum esse. Cicero lib. III in Verr. cap. LXXII. *Ut cum senatus publicanos usura sæpe juvisset, magistratus a publicanis pecuniam pro usuris auderent auferre.* Ubi cum nihili sit illud *juvare usura*, scribendum puto: *versura sæpe juvisset.* id est, mutuo, & quidem gratuito. nam *versura* mutuum sive gratuitum sive fœnebre. Fortassis etiam scripsit Manilius: *& patriæ fraudati debitor æris.* Certe sic rotundior foret sententia. Sequitur:

nec non lascivit amores
In varios, ponitque forum sua detque Lyæo,
Mobilis in saltus & scenæ mollior arte.

Semper illud, *ponitque forum*, parum commode interseri mihi visum est, vulgari quidem & recepta explicatione. Scaliger, *fori* appellatione quadruplaturam, secturam & cognituram intelligit: itaque, *ponitque forum*, est illi, abjicit curam fori, sectionis & quadruplaturæ. Barthius addit *ponere* esse seponere, ut *ludicra pono.* Salmasius: pro cognitore scenicus existit & foro renunciat: *verbis*, hoc est, diverbiis fabularum in varios amores lascivit & histrionem profitetur. Conjungit quæ conjungenda non sunt, quasi totum hoc ad histrionem pertineat. In *verbis* interpretandis, quæ male retinet, eruditus nimis est; in *foro* securior. Quis enim melius docere nos poterat, *ponere forum*, esse, in mensa statuere alveum sive tabulam lusoriam, quam qui primus docuit, quid Augusto apud Suetonium sit *forum aleatorium calefacere*? *Ponere* autem, ut Copa in Catalectis:

Pone merum & talos: pereat, qui crastina curat.

Ovidius lib. II Fast. *posito pervigilare mero.* Æschines contra Timarchum: ἀλλὰ διημέρευεν ἐν τῷ κυβείῳ, οὗ ἡ τηλία τίθεται, καὶ τοὺς ἀλεκτρυόνας συμβάλλουσι, καὶ κυβεύουσι. Quam bene autem amoribus & vino interveniant vel tali vel tesseræ, doceant Plauti Asinaria & Curculio. Denique, *sua detque Lyæo*, feci: Scaliger ex Gemblacensis, *suadetque:* antea erat, *madetque.* Barthius, *ponatque forum, madeatque.* Salmasius, *sudatque.* Possis: *ponique forum suadetque Lyæum.* Sed simplicissimum puto: *ponitque forum gaudetque Lyæo.* Nec difficilis mutatio τοῦ *gaudet* in *suadet.* nam *S* & *G* facile confudisse veteres librarios, ad Livium, ubi *senes* ἀντὶ τοῦ *genus*, monstravimus: & Langobardicus character quia primi elementi superiorem angulum habet apertum, (hoc modo, *u*) persæpe inter *A* & *V* vix ullam agnoscas differentiam. Manilius infra: *scelerum facie rerumque tumultu Gaudebunt.*

CAPUT IV.

Auctor de bello Alexandrino correctus. Pacisci sestertio sexagies. Si ἀντὶ τοῦ Etsi. Seneca bis defensa vetus lectio, bis restituta. Dare sestertium, pro mille nummum, vel dare sestertia, sine apposito numero non dicebant veteres. Spartianus tentatus. Dare Linguarium. Sestertio centies objurgatus. Dare beneficium Midæ. Sestertii millies servus. Hirrii villa, intra modicum, seu modici spatii, quadragies sestertio vendita ob piscinas. Plinio, Varroni, Macrobio subsidium. Infusæ culinis arcæ. Valerio Maximo reddita scriptura sua. Opes, Jacturæ, pro sumptu & donationibus. Martialis, Cæsar, Cicero prohibiti a corrigendi conatu. Conditiones.

Cassium Longinum, Hispaniæ ulterioris proprætorem, cum post omnium contracta odia etiam passus insidias fuisset evasissetque, refert Alexandrini belli auctor insidiatores captos, nisi qui pecunia se redimerent, interfecisse. *Nam palam* HS. X *cum Calpurnio paciscitur, & cum Q. Sextio quinquaginta. qui etsi maxime nocentes sunt multati, tamen periculum vitæ dolorque vulnerum pecunia remissus crudelitatem cum avaritia certasse significabat*, cap. LV. Priorem summam Hotomannus facit CCCIↃↃↃ, hoc est, centum millium: quia edebatur antea CCIↃↃ: pro quo tamen Mss. habent X vel *decem*. Ciacconius ambiguum relinquit, fuerintne decem millia, an decies centena millia. Fulvius plane facit *decies*. Narrat eandem rem Valerius Maximus lib. IX cap. IV, etsi variet in personis & pro *Q. Sextio M. Silium* nominet: *quinquagies* autem *sestertium ab illo, ab hoc sexagies pactus*, inquit. Neque aliter Saresberiensis lib. VIII Policr. cap. XV. apud quem pro *Albino Purnio* restituendum *Calpurnii* nomen. In auctore de bello Alexandrino deest τὸ L ante X, scribendumque: *Nam palam sestertio sexagies cum Calpurnio paciscitur, & cum Q. Sextio quinquagies.* Auctor declamat. in Sallustium: *ne causam diceret, sestertio duodecies cum Cæsare paciscitur.* Statim repone: *qui si maxime:* ex Mss. & eodem sensu. Florus lib. II cap. XIX. *quæ si juncta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, simul & ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur.* Ita Naz. codex, & audiri debuerunt eruditi, qui probarunt. L. Annæus Seneca lib. IV de beneficiis cap. XXXVI de illo, qui quid temere & ingratò promiserit: *Si exiguum est, dabo; non quia dignus est, sed quia promisi; non tanquam munus dabo, sed verba mea redimam: ut aurem mihi pervellam, damno castigabo promittentis temeritatem. Ecce, ut doleat tibi, ut postea consideratius loquaris, quod dicere solemus, linguarium dabo. Si majus erit, non committam, quemadmodum Mæcenas ait, ut sestertio centies objurgatus sim.* Ita libri veteres. *Promittentis*, scilicet meam ipsius: nam & mox secum, ut cum alio loquitur: itaque non necesse est, subrogari *promittendi*. At quod sequitur, irritum habuit eruditissimum P. Scriverium. Τὸ *loquaris* ei suspectum vitii est, & magnum illi

verbo

verbo mendum putat ſubeſſe. Quid ita? non potuit auctor exigere ſecum, ſeque tanquam alium appellare, ut congruant *loquaris* & *dabo*. Sic in Epidico Plauti:

Nequam homo es, Epidice, qui tibi libido eſt male loqui?
Quia tute tete deſeris. quid faciam? men tu rogas?

Et ſæpe ſic Comici. Nec infrequentius declamatores. Ut ille: *anime obdura, heri fortior eras.* Dubitat de *linguario*, quia codex unus diſcerpta voce, *linguari juri.* Ergo conjectura: *ut poſtea conſideratius loquar,* HS. *quod dicere ſolemus, linguari juri dabo.* Atqui *ſeſtertium*, ſi nummum ſignificat, quod eſt illud beneficium, quod ſeſtertio redimitur? ſi pondus argenti, non ita loquebantur veteres, *dare ſeſtertium*, ſed, *dare mille nummum.* Non niſi *bina ſeſtertia* dicebant, nec in ſingulari uſurpabant, niſi cum adverbiis. Vult quidem apud Spartianum in Septimio Severo Salmaſius: *multis hortantibus repugnans imperator eſt appellatus apud Carnuntum idibus Auguſtis: qui etiam ſeſtertia, quod nemo unquam principum, militibus dedit.* Et, *ſeſtertia*, inquit, ſunt deni aurei, quos militibus diſtribuit Severus. Dio ſane decennalibus, ſive ἐπὶ δεκαετηρίδ(ι) τῆς ἀρχῆς, frumentariæ plebi & prætorianis dediſſe denos aureos Severum ſcribit: ſed ea largitio cum hac nihil habuit commune, ut præmonuit Caſaubonus. Dein falſiſſimum, neminem principum dediſſe militibus aditialia ſingula millia nummum. Jam Claudius quina dena, an vicena ſeſtertia dedit, primus fidem militum etiam præmio pigneratus. Nero donativum promiſit ad exemplum paternæ largitionis. Quum autem Galba tanta mercede didiciſſet, emi jam militem ab imperatoribus, non legi; quid inſequentes feciſſe putamus? Marcus quidem adſumto Vero vicena millia nummum ſingulis prætorianis dedit, & cæteris pro rata. Pertinax τρισχιλίας δραχμὰς κατ' ἄνδρα, quæ ſunt duodena ſeſtertia, aurei centum viginti. Didius Julianus cum vicena quina promiſiſſet, tricena dedit. Hæc repugnant Salmaſii ſententiæ præter eam, quam dixi, rationem, *ſeſtertia* ſine adjectivo numerali appoſito non adhiberi a veteribus. Aut igitur Caſauboni, *quinquaginta*, ex *quingenta*, quod tamen libri etiam Mss. habuerunt, admittendum, aut ſcribendum: *qui etiam ſeſtertia quot nemo.* Porro in Seneca quid eſt *ſeſtertium dare juri,* non *linguari* modo, ſi ullum eſt, ſed cuicumque? Equidem *jus* illud *linguare,* quod diviſis apicibus ſelectior ille liber Lipſii (qui tamen nihil ad Nazarianum Gruteri) condidit condiitve, Verrino nequius puto. *Linguarium* autem, ut *veſtiarium, calcearium* & ſimilia, recte dictum, alii dudum monuerunt. Fuitque vel proverbium, ut apparet, vulgare, de illis qui ſuo damno procacem & intemperantem linguam habuiſſent, qui quod obeſſet, locuti eſſent, *linguarium dare*, puta *æs, aurum, argentum, ſupplicium.* Elegantior erat, quam ut hoc omnino non caperet: itaque admittit, addito tamen iſto *ſeſtertio: ut poſtea conſideratius loquar*, HS. *q. d. ſ. linguarium dabo.* Seſtertium, inquit, ſi exiguum eſt, dabo: ſed ſi majus eſt,

majore damno redimam, & castigabo promittendi temeritatem: sestertio centies luam. Hic vero linguarium debet vir humanissimus explicatione tam diversa menti auctoris. Plane contrarium dicit Seneca: *si majus erit, non committam, ut sestertio centies objurgatus sim.* hoc est, non dabo, nec a quo liberare me possum obfirmata paullulum fronte adversus expostulationem ejus, quasi destituti, aut aliorum incusantium imprudentiam verborum meorum, patiar ut is a me auferat sestertium centies, ne is vel alius mecum rixetur & fidem desertam exprobret. *Sestertio centies objurgatus*, qui dedit tantum, vel aliam magnam pecuniam, ne objurgaretur: qui pro eo, pro quo satisfacere poterat toleratis amaris verbis, timens inepte aut ob intempestivum pudorem satisfacit magno damno: qui metu parvæ simultatis magnam sibi plagam imponit. Dictum duriusculum, ut Mæcenatis, argutum tamen. *Objurgatio* proprie verbis fit: tamen ad facta transfertur, ut *objurgare colaphis & flagris.* Itaque possis & accipere simplicius, ut apud Terentium: *Geta ferietur munere:* ut *tangere talento, tactus triginta minis: strategemate hominem percussit.* Cicero lib. v ad Atticum. Et lib. vi epist. v. *Meque objurgavit vetere proverbio.* Quintilianus declam. ix. *Post infaustam profectionem velut objurgatus tanto periculo.* Sic, *ut centies sestertio objurgatus sim*, erit, ut ingenti pecunia tactus, percussus, fraudatus sim. Pergit Seneca: *Inter sese utrumque comparabo. Est aliquid, in eo, quod promiseris, perseverare: est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des.* Naz. & meliores, quas inter, quas vidimus, membranæ: *ne inde beneficium des.* Fortassis: *ne Midæ.* cui inutile, quod dedit Liber pater, datori fuit erubescendum. Apud eundem Senecam lib. I Nat. quæst. cap. xvi de Hostio: *Hunc divitem avarum, sestertii millies servum, D. Augustus indignum vindicta judicavit, quum a servis occisus esset.* Perperam An. Schottus corrigit, *sestertium*, perperam delet *avarum* & *servum*, lib. v Observat. Human. Quid potuit melius de homine possesso magis ab divitiis suis quam eas possidente? Plinius lib. ix cap. LV. *Murænarum vivarium privatum excogitavit C. Hirrius ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæsaris dictatoris sex millia numero murænarum mutua appendit. nam permutare quidem pretio noluit aliave merce. Hujus villam (intra quam modicum?) quadragies piscinæ vendiderunt.* Ita recte Budæus, & summa est centenum millium Philippeum vel scutatorum. Sed acriter ei repugnat Pincianus, legique vult contra omnes libros, *pisces*, non *piscinæ:* potuit enim, inquit, unica piscina villam tanti vendere, & possunt in una tantum piscina multi esse & magnæ taxationis pisces. Auctorem dat Varronem lib. III de re rust. cap. ult. *Hirrius circum piscinas suas ex ædificiis duodena millia sestertium capiebat. eam omnem mercedem escis, quas dabat piscibus, consumebat. Nec mirum: uno tempore enim memini hunc Cæsari sex millia murænarum mutua dedisse in pondus, & propter piscium multitudinem quadragies sestertio villam venisse.* Ex cujus verbis colligit, ob *pisces* numerosos, non *piscinas*, vil-

lam

lam Hirrii venisse tanti. Quasi vero cum *piscinæ* appellantur Plinio, intelligamus necesse sit alveos nudos & aquas sine piscibus: quum piscinarum, immo & villarum, quibus adjecta piscatio, pretia ex piscium tum numero tum opinione maxime crevisse norimus vel ex Canii, quod lib. III de officiis Cicero refert, exemplo. Et quid opus suspicari de una piscina, cum diserte Varro, *circum piscinas suas*? Plures ergo fuerunt, & in pluribus tanta & multitudo & æstimatio singulorum piscium effecit, ut tanti villa venderetur. Sed aperiamus originem erroris, cui se implicuit vir magnus, ex dictis „ ipsius: Si ex ædificiis, quæ circum piscinas erant, duodecim millia sester- „ tium capiebat, insumebatque pascendo egregio illo pecore, qua ratione „ piscinæ illæ tantæ æstimationis simul cum villa mediocri pretio *quadra-* „ *gies* sestertii, hoc est, mille aureorum, venire potuerunt? Vides confudisse illum *quadragies* & *quadraginta millia nummum*: hæc enim mille faciunt aureos sive scutatos; illud centum aureorum millia, quod non mediocre, opinor, pretium diceret Pincianus. Simili errore magni viri ad Plinium calamus quamcumque mitellitam Neronis amico constitisse ait quadraginta millibus sestertium nummum, quum cogitaret animus quadragies centena millia, ex Suetonio cap. XXVII. quod non monerem, nisi ex illo jam repetitum neque correctum esset. Perperam igitur & Macrobium reprehendit Pincianus, cujus verba corrigere difficilius erat, lib. II Saturn. cap. XI. *Hujus Hirrii villam, quamvis non amplam aut latam, constat propter vivaria, quæ habuit, quadragies sestertio venumdatam.* Ubi destituit auctorem suum Isacius: adeo Pinciani temeritas in dubio eum posuit. Scribendum autem apud hunc quoque, uti fecimus, *sestertio*, non *sestertium*. Tantum abest, ut audiendus sit Fulvius, cum apud Varronem in hac historiola jubet legi: *quadragies sestertium*. Juxta mendose Meursius de luxu Rom. cap. XIV *quadragies* ait esse exiguum, quum tanti vendita sit sola piscina Luculli. Atqui nec quanti piscina Luculli, sed quanti pisces e piscinis venditi fuerint, Varro, Columella, Plinius, Macrobius commemorant: nec *quadragies* illud fuit aut *quadraginta*, sed *quadringenta* millia: nostrorum decem millia Philippeum. non duodecim, ut putat doctissimus Nonnius de piscium esu cap. VI. qui, quod *tricies sestertio* in vulgatis legitur apud Plinium lib. IX cap. LIV, jure castigat: recte namque Pincianus sensit ex Columella corrigendos in hac narratione cæteros. Sed & mirum, Meursium ibidem *duodena millia sestertium*, quæ non excedunt trecentos scutatos, sive Philippos, nongentos florenos, æstimare sexcentis millibus florenorum. Nam ut maxime Latinum esset *duodena millia sestertia* (quod habet ille, quodque non esse Latinum satis ostensum est) non posset tamen ampliorem summam significare bis & vicies sestertio: quod est quinquaginta quinque millium Philipporum, seu CLXV millium florenorum. Illud autem, seu summam quam ille concipit, sexcentorum millium florenorum, *octogies* Latini dicunt. Sed toto illo

libro in pecunia veteri ad nostram reducenda vix ullus est recte positus calculus. Quia vagari cœpi, juvetur hic & Valerii Maximi conquestio de obsoniorum luxuria lib. IX cap. I. *Inde ab oceani litoribus attracti pisces, inde infusæ culinis arcæ, censibusque edendi atque bibendi voluptas reperta est.* Sic editiones ante Pighium, qui ex corrupto codice: *infusæ culinis ostreæ. Arte censibusque:* luxata oratione & exstincto genere loquendi, quo ceu lumine splendescere sua verba Valerius voluerat. Seneca epist. LXXXI. *Sæpe enim hoc non potuere divitiæ in domum infusæ, quod opportune dati mille denarii.* Idem epist. CXV. *Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia & recta voluntate.* Quintilianus declam. XII. *Pecuniam sine numero infudimus, frumentum sine modo mandavimus.* Plinius lib. XXIX cap. I. *Par & fratri ejus merces a Claudio Cæsare infusa est.* Martial. lib. V epigr. LXX:

Infusum sibi nuper a patrono
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor peregit.

Quorum si meminisset & Lipsius, non fecisset cum sententia, quam jactat, egregia: *infusæ in culinas artes, censibusque.* Nos in tribus Mss. bonæ notæ invenimus, quam probamus vett. editionum scripturam. Et probavit eam Salmasius ad Solinum. Sed & ante illum Colerus. Nec illud moneri, credo, supervacuum fuerit, τὸ *opibus* interdum poni pro sumptu, impensa. Ut Juvenali Sat. III. *magnis opibus dormitur in urbe.* i. somnus Romæ constat magno sumptu: non licet gratis dormire. Senecæ Agamemn. CCLXXXVI. *Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.* Florus lib. III cap. I. *Populum Romanum armis invictum, opibus aggressus est.* Quod si cogitassent Scaliger ad Festum, Lipsius in Epistolicis, Aus. Popma ad Varronem, non ita præcipites ruissent ad corrigendum Martialis lib. III Epigr. LXXV:

Cœpisti puras opibus corrumpere buccas.

Volunt enim contra omnes codd. *Opicus.* At illud præter reliqua carminis firmat ipse lib. V epigr. LXXI.

Impius infando miles corrumpitur auro,
Et tantis opibus vox tacet una tibi.

Jacturas etiam vocant. Sed has *pacturas* dici pugnat ὁ πάνυ ad jus Atticum ,, & Romanum. Apud Cæsarem, inquit, aliquot locis *pacturas & pollicitatio-* ,, *nes* junctas reperire est. Ut, (lib. VI Gall. XII.) *pacturis pollicitationibus-* ,, *que aliquem ad se perducere.* Sic enim scribendum, pro quo hodie scribi- ,, tur, *jacturis.* Quod est ineptum scioli alicujus commentum, qui *pacturam* ,, pro pactione Latinum non putavit. Alio loco (lib. III de civ. extremo) ,, idem mendum occurrit sic corrigendum: *magnis pacturis sibi quisque eorum* ,, *animos conciliabat.* Vulgo est *jacturis.* Apud Hirtium de bello Alexan- ,, drino:

„ drino: *Nemo erat, qui modo aliquam jacturam facere posset, quin aut vadi-*
„ *monio teneretur aut in reos referretur.* Cæcus est aut imperitus, qui non
„ videt ibi legi oportere, *pacturam*, id est, pactionem. Sic ille, ut erat in omnibus incitatus. At Ciceroni nihil frequentius quam hoc sensu *jactura*. Pro Cluentio: *primum illum indicem pecunia corrupit, deinde ipsum Aurium, non magna jactura facta, tollendum curavit.* Pro Flacco: *quæ jacturæ? quanta largitio?* Pro Milone: *qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi.* id est, largiendi de suo. Pro Rabirio: *non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atque jacturis, sed experientia amplificandi patrimonii labentem.* Pro Cælio: *nulli sumptus, nulla jactura, nulla versura.* Habes & lib. II ad Attic. epist. I. lib. XII epist. XXIX. lib. III ad Quintum ep. VIII. Lib. II de officiis bis. Sic & pro l. Manilia, qui prolixius adscribendus locus, quia scopulus eruditorum fuit. Cap. XXIII. *Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. Videbat enim populus Romanus non locupletari quotannis pecunia publica præter paucos: neque eos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut detrimentis accipiendis majori turpitudine affici videremur. Nunc qua cupiditate homines in provincias, quibus jacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur.* De mendo, inquit P. Manucius, convenit inter omnes: correctio non eadem omnibus arridet. Ipse velit: *Videbat enim po. Romani nomine locupletari quot. pec. publica prætores paucos.* Vel, *videbat enim prætores nostros locupletari quotannis.* ut τὸ *videbat*, ad *oram maritimam* referatur. Hotomannus: *Videbat enim populum Romanum.* Pantagatho quoque, *prætores paucos*, & deletum τὸ *non* & τὸ *præter* Ant. Augustino adscribit Fulvius Ursinus. Barthius lib. XXXIV advers. cap. XII ita tuetur vulgatum. Subaudiendam censet particulam *se*. Populus Romanus videbat se non locupletari inde (quasi debuisset) paucos de corpore ipsius prætores si excipias. Genus loquendi par esse Catulliano: *Ait fuisse navium celerrimus.* Nihil in his simile video, neque desidero istam particulam, & tamen vulgatam pisce saniorem judico, & si usquam, doctos viros in scirpo nodum quæsivisse. Particula *præter* idem valet quod *nisi*, vel *præterquam*. Ut apud Sallustium: *cæteræ multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere, præter rerum capitalium condemnatis.* Varro libro I de re rust. cap. XLI. *præter si aliter nequeas.* Suetonius Claudio: *reliquerit eum nullo præter auguralis sacerdotii honore impertitum.* Habet & Justinus. Omnium hæc est sententia: Oportuit omnino bello piratico præfici & oram maritimam provinciam habere Pompejum, non modo quod dux optimus, sed etiam quod sanctus & innocens esset. Nam videbamus omnes, pecuniam publicam, quæ in classium tutelam quotannis ex ærario decernebatur (pro Flacco in mare superum & inferum testatur *erogatum ter*

& quadragies, id eſt, centum & ſeptem millia quingentos coronatos) qua milites, ſocii navales, fabricatores navium, & qui his circa portus & ſtationes neceſſaria præbuiſſent, frui deberent; eam videbamus intercipi a paucis, inter paucos quaſi prædones ſtrangulari: prætorem forte, quæſtorem, unum alterumve legatum & horum miniſtros: hos autem nomine & ſpecie ornandarum claſſium nihil aliud efficere, quam ut novis quotannis cladibus, identidem ſemiplenis & male inſtructis navibus per piratas direptis & abductis, pudor imperii augeretur. Porro doctorum hominum ſenſus merguntur *jacturis* iſtis, quarum meminit Cicero. Schottus lib. I Nodor. cap. III legit, *vaſariis:* non *jacturis*, inquit, quæ nondum factæ erant profectis nondum in provinciam mercatoribus. Barthius intelligit jacturas populi Romani in tantis apparatibus provincias petentium: qui ſane ſumtus jactura publica fierent: vel corrigit: *quibus vecturis, quibus conductionibus.* Sed *jacturæ* ſunt largitiones, pecuniæ datæ, pronunciati per tribus nummi, aut, ut ipſe ſupra dixit, diviſi magiſtratibus & hominibus gratioſis, quorum ſuffragatione poteſtates & provincias acceperant. Seneca quoque de vita beata cap. XXIII. *Donabit ex recta & probabili cauſa: nam inter turpes jacturas malum munus eſt.* Videtur ſcripſiſſe: *ob malum.* Cælius ad Ciceronem epiſt. IV de Cæſare: *qui ſolet infimorum hominum amicitias ſibi qualibet impenſa adjungere.* Potuiſſet dicere: *quantislibet jacturis. Conditiones* autem ſunt pactiones cautionibus & ſyngraphis factæ, promiſſa pecunia vel gratia. Suetonius Cæſare cap. XXIII. *Ad ſecuritatem ergo poſteri temporis, in magno negotio habuit obligare ſemper annuos magiſtratus, & e petitoribus non alios adjuvare, aut ad honorem pati pervenire, quam qui ſibi recepiſſent propugnaturos abſentiam ſuam: cujus pacti non dubitavit a quibuſdam jusjurandum atque etiam ſyngrapham exigere.* Sic vocabulum *conditio* ſæpe Ciceroni accipitur. Lib. II de inventione: *Cum omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem veniſſent, utrum ſatius fuerit amittere milites, an ad hanc conditionem venire.* Actione I in Verrem: *manſit in conditione atque pacto, uſque ad eum finem, dum judices rejecti ſunt: poſteaquam rejectio judicum facta eſt, renuntiata eſt tota conditio.* Neque enim ibi admiſerim, *conductio*, quod habent quidam libri.

CAPUT V.

Salluſtio de Vellejo, & hujus viciſſim de illius loco fax accenſa. Valeria lex de argento ære ſolvendo, ſeu quadrante creditoribus ſolvendo. Semiſſe creditum ſolvere in dies. Cæſaris & Livii verba reſtituta. Sorte creditum ſolvere, Plinii minoris locus obſcuriſſimus declaratus. Quincuncem agri addicere ex ſeptingentis aut nongentis millibus. Accipere pretium quincuncis agrorum ex nongentis millibus. Viceſimam quincuncis agrorum emere ex nongentis millibus. Ad l. XL D. *de hæredibus inſtit. aliquid diſputatum. Altera tertia, non ſunt duæ tertiæ partes, ſed e tribus ſecunda pars tertia. Manilius fortean reſtitutus. Inter cœlum & terram*

& terram intervallum binorum Zodiaci signorum. Dimetiens, tertia pars ambitus præterpropter. Alter unus de duobus, non duo. Unus & item alter. Denarius alter pro uno & altero. Alter semis.

Apud Sallustium pridem vitiatum erat, & ne nunc quidem satis explicatum est, quod legitur in bello Catilinario cap. XXXIII. *Sæpe majores vestrum, miseriti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ ejus opitulati sunt: ac novissime, memoria nostra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære solutum est.* Horum ultima, quibus obscura & imperfecta videbantur, addiderunt: *ære communi solutum est.* Scio illud Cornelii Nepotis in Aristide: *quo factum est, ut filiæ ejus publice alerentur, & de communi ærario dotibus datis collocarentur.* Verum nihil juvit hæc intempestiva audacia. Quare enim *argentum* potius quam *æs* solutum dicitur *ære* illo *communi?* Et quod vestigium illius rei in cætera historia? Tum auctoritate Nonii Marcelli & Ms. codicis olim τὸ *communi* rejecit Aldus Manucius, qui & sententiam alterius patere ait. Non ita patet tamen, ut non necesse sit illam reserari, multosque adeuntes fastum pati jussit, qui se primæ admissionis esse opinabantur. Hotomannus pro argenteis, puta denariis, æreos vel certe subæratos denarios acceptos interpretatur. Aus. Popma suspicatur Mallium respicere ad legem Liviam, quæ octavam æris partem argento miscuit, latam M. Livio Druso in seditioso tribunatu, quod lucrum fuerit æri alieno dissolvendo. At doctus ille Ciacconius etiam accuratius hoc perpendendum censet, & Glareanus adhuc dubius quærit, cur plerique libri τὸ *communi* abstulerint. Castilioneus & Colerus viderunt respici legem Valeriam, *ut debitoribus quadrans solveretur*, Vellejo commemoratam: & ille quidem, Ære igitur, inquit, argentum solutum est, id est, quadrante; Colerus ut repudiavit τὸ *communi* etiam hoc argumento, quod nusquam lectum, circa illud quidem tempus, ex ærario debita soluta, sed *ære*, inquit, sive *quadrantibus* solutum est argentum, hoc est, pro denario assis: lex Valeria fuit, ut debitoribus quadrans solveretur. Recte admonent Velleji Paterculi: nam is unus ex omni, quæ nobis superest, antiquitate Sallustio lucem hac in re fœnerat, & ab eodem mutuam accipit. Lib. II cap. XXIII. *In hujus locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem solvi jusserat.* Ubi nemo pejus optimo Aldo: ut usura annua quadrante solveretur: fuisse autem quadrantem centesimæ, tres: igitur ternos nummos ex centenis pendi usuræ nomine Flaccum voluisse. Quem jam Popma confutavit. Sed & Colerus, quum hunc *quadrantem* interpretatur pro denario assem, fallitur vehementer. Hic enim non *quadrans*, sed minus etiam *unciæ*: *semuncia* quippe *sicilicus*, seu sextadecima pars, atque adeo pro senisdenis unus, pro centenis seni & quarta pars unius: cum quadrans requirat pro senis denis quatuor, pro duodenis tres, pro quatuor unum, pro centenis vicenos quinos. Ergo, pro sestertio assem, dicere voluit, debuit certe Colerus: & ea

& ea interpretatio cum Sallustio tum Vellejo apte congruit. Sallustio, quia *sestertius* argenteus, non minus quam denarius; *as* ex ære: Vellejo, quia sestertii pars quarta sive *quadrans* est as: unde pro portione, qui pro sestertio assem, idem pro asse quadrantem, pro dupondio semissem, pro victoriato dupondium, pro denario sestertium, pro aureo Romano sex denarios & sestertium, pro mille nummis ducentos quinquaginta; denique pro omni debito quartam ejus partem solvit, ac tres (haud dubie totius crediti, non usurarum tantum, quia dubitari video) pereunt creditori. Mitior illa Cæsaris σεισάχθεια, de qua Suetonius: *deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat.* Hinc etiam liquet, quam ἀπροσδιονύσως Velleji locum adscripserit, ubi auctores, qui nummuli ærei *quadrantis* mentionem faciunt, colligit Hotomannus. Nam *quadrans* ille, non nomisma est, sed quarta pars cujuscumque summæ, tres unciæ assis cujusvis crediti: & hic adhibetur, ut Martiali *dodrans* lib. IIX epigr. IX.

Solvere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hylas: nunc vult solvere dimidium.

Et *uncia* lib. IX epigr. IV.

Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturque dei vendere, quicquid habent,
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse deum.

Ut Cæsaris æstimationes possessionum & solutiones per arbitrum irritas faceret, M. Cœlius Rufus prætor, causa debitorum suscepta *legem promulgavit, ut sexies seni dies sine usuris creditæ pecuniæ solverentur.* Hæc verba sunt Cæsaris lib. III de bello civili cap. XX: sed in quibus Cæsar quæritur. Glareanus monet, τὸ *seni dies* abesse plerisque libris; reliqui sensum esse, ut sine usuris per sex partes solverentur. Sed non fert sermo Latinus, *sexies solvere debitum* pro sex æquis partibus. Camerarius suspicatur, *sexies, senos in dies:* ut habuerint sex tempora solutionis, & singulis intervalli sex dierum spatia. Nihilo Latinius. Paullus Manucius, *sexenni die:* filius ejus Aldus, *sex pensionibus:* Hotomannus, *sexies senis Idibus*, quod sit triennio menstruis pensionibus. Præter illud, quod in duabus primis conjecturis notavimus, & istæ & omnes labuntur in idem vitium, ut parum juvent debitores: minus certe quam Cæsaris ratio, quæ dodrante creditores jubebat esse contentos. Ms. Læv. quondam Torrentii: *ut se exisseni dies.* Unde horum, quæ proxime diximus, memori facile est facere: *ut semisse in dies sine usuris creditæ pecuniæ solverentur.* Hoc est, ut dimidio crediti restituto sine usuris (iis, quæ solutæ essent, sorti imputatis) satisfacerent debitores, eoque non præsenti, sed *in dies*, id est, pensionibus, quæ convenissent illis quorum res agebatur; vel potius, annua, bima, trima die, sive triennio æquis pensionibus. Quoniam

niam enim multis in contractibus utebantur illa triplici die, seu solutione per tres pensiones, breviter dixit, *in dies*, eos scilicet, quos nemo ignorabat plurimum celebrari & destinari in solutione, quæ partibus sive pensionibus fieret. Cæterum Torrentiani codicis varietates communicavit mecum Nic. Heinsius, non hac occasione modo, non admonitione perpetua consociatissimæ voluntatis cum maxime animo præsens meo, sed etiam quia justissimum dolorem partimur. quando, dum ille in Suconibus est publice, ego hæc meditor, accipimus ambo juxta amaros nuncios, decessisse illi patrem, mihi hospitem incomparabilem; nomen ingens & sanctum, qua patet eruditio; suavitate carminis, facundia in utroque sermone, rerum divinarum & humanarum scientia, genio & indole scriptorum, elegantia vitæ, neminem infra suorum temporum, paucis æquatum; quamvis maturum annis, & omnibus qua munerum, qua honorum, quæ ingenio procedunt, emeritis stipendiis; felicem in primis, quum claram successionem inclitorum studiorum servavit abeunti domus, lugens intestinum funus pietate. nam orbitas literarum est. nisi tamen hæc quoque tristis ei accessit gloria, quod, ubi illas, perque illas sese, sideribus intulit, cum sequiore sui parte sepulcro conditas invitus & hoc unum (si qua relictorum Manibus cura) mœrens abstulit. Eadem excerpta mihi concessit David de Willem, trium Arausionis Principum judicio in consiliis probatus, facta manu Justi Lipsii, qui in eandem conjecturam incidit: addiditque explicationis vice: „ ut dimidiatis „ duabus partibus, idque die dato solverent. Quæ verba haud facilia intellectu excusat ejus festinatio, & quod illa sibi, non aliis, scripsit. Non puto in illo sensu, quem nos dedimus, esse quod quemquam offendat. Ut *semisse creditas pecunias solvere*, sic *sorte creditum solvere* dixit Livius, si licuisset per librarios, lib. VI cap. XXXVI. *An placeret fœnore circumventam plebem, ni potius quam sortem creditum solvat, corpus in nervum ac supplicia dare?* Ubi non minus anhelant docti viri. Glareanus delet *τὸ ni*, carpente Sigonio, quum sensus sit, ni prius usuram quam sortem solvat. Sed neque sensus hic Livii est, nec video quomodo eum sensum ex sic conceptis verbis exsculpamus. An *creditum* est sola usura, & aliud *sors* est, aliud *creditum?* Gab. Faernus apud Ursinum: *ni plus quam sortem creditam.* Salmasius de Usuris cap. I. *ni totius sortem crediti.* Non enim, adjicit, propter usuras non solutas, quæ tunc admodum leves erant, utpote uno in centenos annuo pendendo taxatæ, sed propter sortem ipsam, si ei solvendæ impares essent, in nervum & compedes abducebantur. Immo & propter hanc & propter illas: nam qui usuris tam levibus non erat solvendis, multo minus sortem reddere poterat. Sed utcumque se habeant ista, certe quod tribunos dicere Salmasius negat, id eos dicentes facere omnino Livius voluit. Non enim lege sua sortem imminuebant tribuni: salvam illam fœneratoribus præstabant: usuris tantum eos carere jubebant, & quod usurarum

nomine accepissent, id sorti adscribere. Itaque non possunt exprobrare divitibus, quod totius sortem crediti poscant, quam nemo illis negabat: sed hoc exprobrant, quod sorte non sint contenti, mercedes addi velint, quas solas illis rogatio tribunicia detrahebat. Duo Mss. *ni potius quam sorte creditum.* Unus: *plebem potius quam sortem creditam.* Campanus quoque τῷ *ni* caret. Scribimus ergo: *An placeret fœnore circumveniam plebem potius, quam sorte creditum solvat, corpus in nervum ac supplicia dare?* Cogitandum qualescumque fuerint usuræ, (non enim necessario ad legem fuerunt, quam necessitas sumentium & potentia dantium fœnus & dissimulatio magistratuum, qui ipsi e fœneratoribus, subinde tacito consensu tollebat) plurium annorum debitas fuisse, quasdam sorti appositas nova progenie usurarum pullulasse; denique quacumque ratione ita excrevisse, ut si reciderentur a credito & condonarentur, potuerit finis inveniri æris alieni. Hæc caussa plebiscitil tribunicii. Rogantque latores: sustinerentne divites esse tam crudeles, ut mallent cives obæratos tenere in vinculis & cruciatu, quam crediti (quod duabus partibus constabat, sorte & usuris) majore & præcipua parte recepta liberare: quam fœnus recipere sine usuris. Creditum fœnus non luitur sola sorte restituta: usuræ accedant, oportet. Id autem volebat lex, quam tribuni ferebant, ut sorte contenti essent fœneratores: si nempe de capite deducto eo, quod usuris pernumeratum esset, & in partem sortis cedente, reliquum triennio æquis portionibus redderetur. A *quadrante & semisse* proficiscimur ad *quincuncem*, non magis intellectum hactenus. Egregium & commemoratione dignum exemplum duorum mutua humanitate & liberalitate certantium, quum possent, uter esset malignior, alterius animo salvo pudore suo acquiescere, est apud Plinium lib. VII epistola XI. Hi Plinius ipse & Corellia: vicit, qui debuit, quia incepit, vir; nec minor palma matronæ, vel quia repugnavit & vinci indignata est. Verba ad Fabatum prosocerum scribentis: *Miraris, quod Hermes libertus meus hæreditarios agros, quos ego jusseram proscribi, non exspectata auctione, pro meo quincunce ex septingentis millibus Corelliæ addixerit: adjicis, posse eos nongentis millibus venire, ac tanto magis quæris, an quod gesserit ratum servem.* Ad idem negotium pertinet ejusdem libri epist. XIV. *Tu quidem honestissime, quod tam impense & rogas & exigis, ut accipi jubeam a te pretium agrorum, non ex septingentis millibus, quanti illos a liberto meo, sed ex nongentis, quanti a publicanis partem vicesimam emisti.* Præscribitur passim in argumentis posterioris epistolæ ex Maria Catanæo, ducenta sestertia Corelliæ Plinium remisisse. Neque sensit aliter Budæus, qui in tertio de asse scribit Plinium ducenta millia nummum pro accessione pretii contempsisse, emptrice etiam hoc petente, ne ratum non habere videretur, quod a liberto suo gestum erat. Accedit tertius: „Publicani, inquit, cum viderent contractum Hermetis damnosum fisco, „interveniunt, eoque deducunt rem, ut pro septingentis millibus, quibus

„Hermes

„ Hermes addixerat, nongenta daturam Corellia promitteret. Sed cum „ *vicesimam partem* tanti emisse Corellia dicitur, non ita intelligendum est, „ ac si tota summa fisco ac vectigali cedere debuerit, sed quia vicesima pars „ illius summæ eo redigenda esset. Nongenta millia sestertium sive nongen- „ ta sestertia faciunt XXII millia quingentos coronatos nostros. Tanti igi- „ tur Corellia emerat quincuncem Plinii. Vigesima hujus summæ ex mille „ CXXV cor. (nummum XLV millibus) constabat. hanc vindicabant publi- „ cani sive procuratores. Relinquebantur adhuc solvenda a Corellia XXI „ millia CCCLXXV coronati, (DCCCLV millia nummum.) hanc summam of- „ ferebat illa Plinio: sed Plinius recusabat, ratum servans, quod libertus „ Hermes ante contraxerat. Contentus itaque septingentis millibus (quæ „ XVII millia D cor. efficiunt) quod erat ad nongentorum summam reli- „ quum, hoc est, tria millia DCCCLXXV coronatos remisit. Hæc hominis elegantissimi ac viri singularis quo largiora sunt, eo plus in illis corrigendum. Neque enim sive septingenta sive nongenta Plinius accepit vel accipere debuit: neque quincuncem Plinii tanti emit Corellia: neque vicesima quincuncis Pliniani fuit tam grandis: neque sive ducenta sive CLV millia Corelliæ Plinius remisit. Cur autem laborat in explicando sermone, qui per imprudentiam Catanæo excidit? non enim Plinius dicit *nongentis* emisse a publicanis Corelliam, sed *ex nongentis*, quæ multum differunt. Sed rem, ut sese habet, exponamus. Quum Plinio hæreditarii agri venissent circa Larium, ibique Corellia possidere optasset, *quincuncem* suum (tantum enim illi venerat) per Hermam libertum suum Corelliæ statim adscripsit, non exspectata auctione cum cohæredibus. As vel hæ possessiones universæ æstimabantur *nongentis millibus:* quo asse in suas uncias diviso, singulæ fuerunt LXXV millium, nostrorum mille octingentorum septuaginta quinque coronatorum. Sic *quincunx* Plinii valuit CCCLXXV millibus: hoc est, novem millibus CCCLXX coronatis. At ille pro solita sua liberalitate ducentis nonaginta uno millibus sexcentis sexaginta quinque nummis, hoc est, septem millibus ducentis nonaginta uno coronatis semisse, suam illi partem addixit: quasi as fuisset septingentorum millium, hoc est, septendecim millium quingentorum coronatorum, & singulæ unciæ quinquaginta octo millia CCCXXXIII (hæc enim duodecies insunt septingentis millibus, nisi quod addendi sunt quatuor) hoc est, mille CCCCLVIII coronatos quadrantem efficerent. Hoc significat Plinius, quum scribit agros *pro suo quincunce ex septingentis millibus addictos, & pretium accipi ex septingentis*, non *ex nongentis.* Ex alienis hæreditatibus vicesima pars fisco vindicabatur: eam exigebant publicani: & sic quoque ex his agris hæreditariis vicesimam partem. Id onus quando cum emtione simul sustinebat Corellia, publicanis non fuit satis visum, pretio agrorum omnibus noto, recipere vicesimam istorum ducenorum nonaginta unius millium sexcentorum LXV nummum sestertium, velut

quincuncis e septingentis millibus: quæ vicesima faciebat quatuordecim millia quingentos octoginta tres nummos, seu trecentos sexaginta quatuor dimidiatum coronatos. Non enim ex liberalitate Plinii, sed ex rei pretio agros æstimantes exegerunt *vicesimam quincuncis ex nongentis millibus*, velut asse, decerpti: quæ vicesima erat HS. octodecim millium septingentorum quinquaginta, coronatorum quadringentorum sexaginta octo dodrantis. Corellia, magni animi fœmina, ut pretium agrorum didicit a publicanis, intellexit se nobili calliditate, an callida liberalitate, Plinii esse circumventam. Itaque datis ad illum literis impense rogavit postulavitque, ut pateretur justum sibi pretium solvi velut *quincuncis ex nongentis millibus.* Quod ille tenax honesti propositi se concessurum negavit, & quidem eo animo, quo matronæ summa cum reverentia dilectæ nihil negare consuesset. Remisit igitur illi octoginta tria millia trecentos triginta quinque nummos, hoc est, duo millia octoginta tres coronatos trientem. Hæc nisi mens Plinii est, ne Latinus quidem sermo est: non enim dicimus, *addicere* aliquid *ex mille nummis, addicere ex nummo sestertio, addicere ex septingentis* aut *nongentis*, quod sit, tanti venditum tradere; sed *addicere mille nummis, addicere nummo sestertio, addicere septingentis* aut *nongentis.* In quibus præpositio quidem, sed non *Ex*, verum *Pro* desideratur. Agri igitur *pro quincunce ex septingentis millibus addicti* sunt, quorum quinque partes ita venierunt, ut as vel universi æstimentur millibus septingentis. *Vicesimam quincuncis emere ex nongentis millibus*, est, ita pendere quinque partium vicesimarium vectigal, quasi duodecim partes vel as sit pretio nongentorum millium. Quod ipsum genus est loquendi non protritum. *Emi* enim *vicesima* videtur eo, quod pro vicesima solvitur. Sic apud Ciceronem, *emere & vendere decumas:* illud est publicanorum conducentium, hoc ærarii locantis. Lib. III in Verrem: *Dixisset hæc, quæ vulgo dicere solebant, non se decumas emisse, sed bona fortunasque aratorum.* Et rursus: *sed ne legem quidem venditionis decumarum, neve vendundis aut tempus aut locum commutarent.* Item: *ut vini & olei decumas & frugum minutarum, quas ante te quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent.* Lib. III famil. epist. VIII. *Ne in venditionem tributorum & illam acerbissimam exactionem inducerentur sumptus minime necessarii.* Livius XLIII, II. *Ne magistratus Romanus cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet.* Demosthenes in Neæram: ἐωνημένους τὴν πεντηκοστὴν σίτου. A *quincunce* libet redire ad *semissem*, qui non minus homines doctos vexavit in l. XL D. de hæred. Inst. *Igitur in hoc casu semisses fient, ita, ut alter semis inter eum, qui dominus instituti hæredis fuerit, & substitutum æquis portionibus dividatur.* Postremum explicari cœpit: *alter semis*, id est, duo semisses. Nec de re fortassis ambigendum: sed quæ pro illa interpretatione quasi domo numerant, quæ tamen versura facta clamat ab se sumpta Scaliger ad Manilium, non sunt in aspero & probo. Jactatur in primis Manilius lib. I.

Nam

Nam quantum a terris atque æquore signa recedunt,
Tantum bina patent, quantumque inciditur orbis
Per medium, pars efficitur tum tertia gyri
Exiguo dirimens solidam discrimine summam.
Summum igitur cœlum bis bina recedit ab imo,
Altera bissenis ut sit pars tertia signis.

Quantum est intervalli, inquit, inter terram & signa, tantum est spatium binorum signorum, tantum spatii bina signa occupant. Jam quanta est diametros circuli, tanta & parum ultra (hinc enim *Exiguo dirimens*) est pars tertia peripheriæ, seu tantæ tres partes constituunt peripherian. Plinius lib. II cap. XXIII: *Nam cum* CCCLX *& fere sex partibus orbis solis ex circuitu ejus patere appareat circulum, per quem meat, semperque dimetiens tertiam partem ambitus & tertiæ paullo minus septimam colligat, apparet demta ejus dimidia (quoniam terra centralis interveniat) sextam fere partem hujus immensi spatii, quod circa terram circuli solaris animo comprehenditur, inesse altitudinis spatio.* Ergo summum cœlum ab imo abest quatuor signorum spatio, pergit Manilius, (etsi hoc abruptum, & interponendum erat, in medio sitam esse terram)

Altera bis senis ut sit pars tertia signis.

Interpretatur Scaliger & ejus discipuli, inter quos professus ad Martialem Scriverius: *altera tertia*, hoc est, duæ tertiæ. Quo sensu autem? ut sint duæ tertiæ bis senis signis. Falsum: tres enim hujusmodi tertiæ sunt signis bis senis, quarum singulæ signa complectuntur quatuor. Scaliger quidem: Accedat altera tertia, id est, duæ tertiæ, nimirum octo: fient bis sena signa. Sed qua arte ex Manilio eliciet illud *accedat?* qua vi? An, *ut sit*, est, accedat? Frustra jactatur prisca Latinitas. Ea quo sensu *alteram tertiam* dixerit, docet Cæsar lib. I Gall. *Propterea quod Ariovistus rex Germanorum in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani occupavisset, & nunc de altera parte tertia Sequanos decedere juberet.* Eum tamen huc applicare non possum: nisi *alter* sumas pro quovis uno, sitque: ut ita diametros hexagoni orbis, vel intervallum, quod inter summum & imum cœlum est, sit una pars tertia duodecim signorum. Durum hoc: & luxati aliquid esse suspicatus & Scaliger est: itaque duos sequentes versus inter duos, quos adduximus ultimos, interponit, hoc modo:

Summum igitur cœlum bis bina resurgit ab imo.
Sed quia per medium est tellus suspensa profundum:
Binis a summo signis discedit & imo,
Altera bissenis ut sit pars tertia signis.

Sed præter illud postremi versus dubium ne sic quidem bene transit oratio. A summo, ait interpretans Scaliger, ad imum sunt quatuor signa. Sed quia tantum est hinc ad summum cœlum, quantum ad imum, propterea hinc ad sum-

ſummum bina, & ad imum totidem. Quo illud, *Sed?* vel *Nam* vel *Ideo* exſpectabam. Equidem Manilium hic non agnoſco, niſi ſcribamus:

Nam quantum a terris atque æquore ſigna recedunt,
Tantum bina patent: quantumque inciditur orbis
Per medium, pars efficitur tum tertia gyri
Exiguo dirimens ſolidam diſcrimine ſummam.
Sed quia per medium eſt tellus ſuſpenſa profundum,
Binis a ſummo ſignis diſcedit & imo.
Summum igitur cœlum bis bina reſurgit ab imo
Æthere, biſſenis quæ ſit pars tertia ſignis.

Habes rectam & naturalem orationem, & ſententiam, quam auctor voluit. Quantum inter cœlum & terram ſpatii eſt, tantundem eſt binorum ſignorum. Eſtque regula generalis, ut dimetiens occupet tertiam partem circuli. Sed quia terra centralis eſt, & in medio inani pendet, neceſſe eſt eam, ut binis a ſummo cœlo ſignis diſtat, ita etiam binis diſtare ab imo. Ergo ſummum cœlum ab imo cœlo vel æthere quatuor ſignis diſtat: & ſic collecta eſt tertia pars circuli duodecim ſignorum. *Quæ ſit pars tertia*, ut dixerat, *pars efficitur tum tertia.* Ubi tamen dubito, annon ſcripſerit: *tanto efficitur pars tertia.* Nihilo magis juvant, Virgilii *alter ab undecimo annus*, & Livii *altero & viceſimo anno*: utrobique enim unus & certus annus ſignatur, & *alter* ibi ſecundus, non duo junctim. Ecce tibi, qui e Servio proferat ad Ecl. III. *Alter de duobus dicitur.* Sed videamus verba: *Male quidam privignum accipiunt: alter enim de duobus dicimus, non de tribus: unde Alter de noverca intelligemus.* Illudit igitur Merillius nobis hoc exemplo: nec enim vult Servius *alter* eſſe idem quod duo, ſed *alterum* intelligi unum de duobus, non de tribus. Nec accipiendum, aliter Capri: *Alter de duobus, Unus de pluribus.* Eugraphius cum ſuo arguto intellectu, *unus & item alter*, tres accipiendo nugatur. Livius lib. XLI. *Exitu prope anni diem unum ſupplicatio fuit ob res proſpere geſtas in Hiſpania &c. & alterum diem ſupplicatio fuit ad Cereris.* Univerſum utique non niſi biduum intelligit. Curtius lib. v. *Ebrio ſcorto de tanta re ferente ſententiam, unus & alter, & ipſi mero onerati, adſentiunt.* Quaſi eſſet, *unus aut ſummum duo.* Majorem ſpeciem habent, quæ notavit Scriverius, Martialis lib. IX epigr. XXXII. *quam totam redimit denarius alter:* & Juvenalis Sat. VI. *de quo ſextarius alter Ducitur ante cibum.* Nam quod addit, *quis Lentulus alter?* ἀπροσδιόνυσον. Si tamen attentius conſideres, nondum iſta Julianum excuſant: intelligitur enim *denarius alter* poſt unum datum, *ſextarius alter* poſt unum ante ductum: at qui hic intelliges unum ſemiſſem jam diviſum? Voluſius quidem Mæcianus, & ipſe JC, *alterum ſemiſſem* non dicit niſi pro parte dimidia aſſis: *In ſemiſſe ſunt unciæ ſex, ſextantes tres, quadrantes duo, triens & ſextans, quincunx & uncia: deeſt aſſi alter ſemis.* Denique ſi ſic locutus eſt Julianus, moroſa κακοζηλία & ſine exemplo boni ævi locu-

locutus est: Cujacii contra conjectura tam est arguta, ut facile jurisconsultorum elegantissimum probet. voluit enim, *AS* una voce Juliano prolatum, quasi siglis scriptum, reddidisse librarios, *alter semis*.

CAPUT VI.

Septies millies Cæsaris male æstimatum Scaligero. Idem amplius quatuor millibus talentum. Ut & ducenties quinquagies centenis millibus denarium. Scaliger confudit septingenties & septies millies. Non felicior idem in æstimando vicies septies millies Tiberii. Ἑξηκονταεπτακισχιλίας μυριάδας *non dicebant Græci: ut nec* πεντακοσιακισχιλίας δραχμάς· *sed has* πέντε μυριάδας δραχμῶν, *illas* ἓξ μυριάδας μυριάδων ἑπτακισχιλίας μυριάδας. *Dio defensus, alibi correctus. Novies millies a Vitellio paucis diebus absumptum* δύο μυριάδες μυριάδων δισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι μυριάδες. *Dio & Zonaras emendati. In eodem lapsu Hotomanni & Scaligeri. Suetonius tentatus. Favor archimimus. Funus Vespasiani centies sestertii.*

S*epties millies* a Cæsare depositum ad Opis abstulisse & intervertisse M. Antonium ex Cicerone & Vellejo notum est. Plutarchus ait Calpurniam τὰ πλεῖστα τῶν χρημάτων ab se transtulisse ad Antonium εἰς λόγον τὰ σύμπαντα τετρακισχιλίων ταλάντων, in Antonio: in Cicerone ait fuisse δισχιλίας καὶ
,, πεντακοσίας μυριάδας. Ridicule interpretatur eam summam, inquit Scali-
,, ger: ridicule certe, si eandem intellexit. Sed quare? utraque, inquit, im-
,, mane quantum *septies millies* excedit. Plane aliorum fuit vir maximus, cum hæc scriberet. Prior summa in nummis est nongenties sexagies; (non nongenties sexies, ut vult Rualdus) in drachmis δισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι μυριάδες, ducenties quadragies centena millia denarium: desunt ἑκατὸν μυριάδες, Latine *quadragies sestertium*, ad integrum millies. Posterior in nummis est millies, τάλαντα ᾗ τετρακισχίλια ἑκατὸν ἓξ καὶ ἑξήκοντα, μναῖ πέντε καὶ τριάκοντα. Minorem siluit Plutarchus, ut rotundaret majorem. Ita septies millies alteram septuplo, alteram paulo amplius excedit. Sed quid Scaligero *septies*
,, *millies?* quæ sunt, inquit, tantum drachmæ 17500000: hoc est, δισχίλια ἐν-
,, νεακόσια ἑκκαίδεκα τάλαντα, μναῖ εἴκοσι. Plane occupatissimus fuit, cum hæc in chartam subito conjiceret. Centies septuagies quinquies centena millia denarium, Græce χίλιαι καὶ πεντήκοντα καὶ ἑπτακόσιαι μυριάδες, non faciunt ultra septingenties sestertium, nostrorum decies septies CL millia aureorum vel coronatorum. Ne talentorum quidem ratio respondet. Nam δισχίλια ἐννεακόσια ἑκκαίδεκα τάλαντα μναῖ εἴκοσι faciunt sexcenties nonagies novies CXCII millia sestertium nummum, 69992000, in nostro ære 1749800, decies septies centena quadraginta novem millia octingentos aureos. Desunt igitur μναῖ εἴκοσι ad explendum numerum, quem dedit in drachmis, octo millia in sestertiis, ducenti aurei in nostris. Voluit dicere μναῖ τεσσαράκοντα. Sic erit ipsum septingenties. Jamque vides, nescio qua fraude *septingenties* pro *septies millies* districto gravioribus obrepsisse. At septies millies ipsum in

drachmis

drachmis facit *μυριάδα μυριάδων (ἢ μυρίας) ἑπτακισχιλίας καὶ πεντακοσίας μυριάδας*, Latine millies septingenties quinquagies centena millia denarium, 175000000: in talentis viginti novem millia CLXVI, minas XL: in nostris aureis centies septuagies quinquies centena millia, seu milliones septendecim cum dimidio. Pecunia, quam Tiberius confiscatam repositamque reliquit, & Cajus non toto vertente anno helluatus est ac profudit, Suetonio dicitur *vicies septies millies sestertii*, Caligula cap. XXXVII. Sunt sestertiorum 2700000000, denarium 675000000. Hactenus bene Scaliger: sed subjicit, hoc est, ἑξηκονταεπτακισχίλιαι πεντακόσιαι μυριάδες. Perperam: & hoc genus efferendi numeri Græcis inauditum. Neque enim ultra ἐννεακισχίλιαι progrediuntur: nam pro δεκακισχίλιαι μυριάδες dicunt μυριὰς μυριάδων: & sic deinceps δύο μυριάδες μυριάδων pro εἰκοσακισχίλιαι· τρεῖς μυριάδες μυριάδων pro τριακοντακισχίλιαι μυριάδες. Qui postremus numerus respondet duodecies millies sestertio, talentis quinquaginta millibus, millionibus coronatorum triginta. Quis crederet hellenismi tam perito viro tam absurdam numerationem excidisse? Par error est Meursii, qui cap. I de Luxu apud Dionem lib. XLI. ἀντὶ ξ, πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν, corrigit, πεντακοσιακισχιλίων. At ex Græcis πεντήκοντα μυριάδες. Suidas. δέκα γὰρ δὴ μυριάδας ἀργυρίου „ ἐπὶ δισχιλίαις καὶ πεντακοσίαις. Milliones, pergit Scaliger, quinque sexcenta „ viginti quinque millia scutatorum Franciæ solatorum. Quid hoc leve & nugatorium Caligulæ audio, in quo Suetonius, tanquam in simpulo, fluctus movet? Immo designavit ille summam, quæ continet coronatorum milliones septem & sexaginta cum dimidio. Vel, inquit, πέντε μυριάδες μυριάδων ἑπτακισχίλιαι πεντακόσιαι. Hoc quidem ἑλληνικώτερον, sed non convenit notis barbaris numerorum: sunt enim 575000000: hoc est, quinquies millies septingenties quinquagies centena millia denarium. Itaque deest una μυ- „ ριὰς μυριάδων. Apud Dionem (rursus Scaliger) lib. LVIII. πέντε γοῦν μυ- „ ριάδας μυριάδων καὶ πεντακοσίας καὶ πεντακισχιλίας· ὡς δ' ἕτεροι, ὀκτώ τε καὶ δισχι- „ λίας καὶ πεντακοσίας. Prior summa concordaret cum Suetonio, si pro πεν- „ τακισχιλίας legeretur ἑπτακισχιλίας. Ita nunc quidem apud Dionem legitur: sed idem est error, qui proxime notatus: deest enim μυριὰς μυριάδων. nam πέντε μυριάδες μυριάδων πεντακόσιαι καὶ ἑπτακισχίλιαι, vicies ter millies sestertium; μυριὰς μυριάδων, quater millies sestertium: quæ conjuncta faciunt vicies septies millies. In Xiphilino est ἑπτακοσίας καὶ ἑπτακισχιλίας. Sed ne hæc quidem summa quadrat. Notis bene expressit denariorum numerum: isque pronunciandus, sexies millies septingenties quinquagies centena millia denarium, Græce ἓξ μυριάδες μυριάδων καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑπτακισχίλιαι μυριάδες δραχμῶν. Itaque si pro πέντε scribatur apud Dionem ἕξ, erit illa ipsa summa, quam Suetonius nuncupat. Snellius florenos Hollandicos facit 223022847, hoc est, bis & vicies millies trecenta viginti duo millia octingentos quadraginta septem. At alibi reddit coronatorum 67500000, hoc est, sexcenties

septua-

septuagies & quinquies centena millia. Hoc recte: sed ea summa triplicata florenorum efficit bis millies vicies quinquies centena millia. A. Vitellium *novies millies sestertium* paucis mensibus intervertisse testis est Tacitus lib. 2. Historiarum. Xiphilinus dicit δύο μυριάδας μυριάδων καὶ δισχιλίας καὶ πεντακοσίας, hoc est, bis millies ducenties quinquagies centena millia denarium, 225000000. Summæ conveniunt, conficiunturque coronatorum ducenties vicies quinquies centena millia, seu duo & viginti milliones semis. Hinc igitur emendandi Dion & Zonaras, apud quos utrumque, δύο μυριάδας μυριάδων, καὶ χιλίας καὶ πεντακοσίας: quod non potuit aliter vertere Wolfius quam bis millies centies quinquagies centena millia denarium. Sed hæc summa vehementer ab illa Taciti discrepat, inquit Hotomannus: si δισχιλίας legeremus & vocem μυριάδας repeteremus, tum vero proxime ad eam accederet: nam illa summa quadruplicata sestertium efficit decies millies centena millia. Sic Hotomannus, ubi tamen frustra dubitat, an vox μυριάδες sit repetenda: semper enim utique repetenda est in hujusmodi locutionibus: & sunt hi gradus, μυριάδες μυριάδων, μυριάδες δραχμῶν, δραχμαί. Deinde male subducit: nam δισχιλίας legendo non tantum prope acceditur ad summam Taciti, sed ipsa ad assem exprimitur. Tertio obscurum est illud, & tamen etiam erroneum, summam Dionis, si legatur δισχιλίας, quadruplicatam sestertium decies millies efficere. Dubium enim potest alicui fieri, utrum significet ὀκτὼ μυριάδας μυριάδων, ὀκτακισχιλίας, & iterum ὀκτάκις πεντακοσίας (quæ essent τετρακισχίλιαι, & quia Græci non sic loquuntur, sed ita summam hanc concipiunt, ἐννέα μυριάδες μυριάδων, δισχίλιαι μυριάδες, hanc, inquam, summam) efficere sestertium decies millies: quod nec voluit, & longissime distat; an vero, quod voluit dicere, istos numeros quibus denariorum summa explicatur, quadruplicatos in sestertiis (quatuor enim sestertios continet denarius) efficere dictam decies millies sestertii summam. Hoc eum voluisse non ambigo, quod tamen est falsum, ut experimento apparebit. Δύο istæ quidem μυριάδες μυριάδων quater ductæ reddunt octies millies: sed δισχίλιαι μυριάδες, cum χίλιαι sint Latine centies centena millia denarium, quadruplicatæ non reddunt nisi octingenties in sestertiis, nec πεντακόσιαι μυριάδες, cum ipsæ sint quinquagies centena millia denarium, quadruplicatæ plus efficiunt quam ducenties: hoc ergo ducenties illoque octingenties additis ad octies millies fit tantum *novies millies*, uti fieri debet, non *decies millies*, uti computarat Hotomannus. Si decies millies efficeret, propior erat Suetonii summæ altera, quam Wolfius expressit: efficit enim octies millies sexcenties sestertium: & sic ab illa distaret tantummodo quadringenties sestertio, cum Hotomanni summa toto millies distet. Jam Scaliger, Zo-
„ naræ locus, inquit, est luculentus, sed insigniter mutilus: nam Zonaras ita
„ scriptum reliquerat: ὡμολόγησε εἴκοσι δύο μυριάδας μυριάδων καὶ χιλιάδας πεν-
„ τακοσίας &c. δεδαπανηκέναι. Ubi vulgo: ὡμολόγησε δύο μυριάδας μυριάδων

„ & χιλίας πεντακοσίας. *Novies millies sestertium*, sunt denarium, vel, ut ipse „ loquitur, drachmum 225000000: quæ sane sunt εἴκοσι δύο μυριάδες μυριά- „ δων καὶ χιλιάδες πεντακόσιαι μυριάδων. Sic Scaliger, iterumque recte notis expressit denariorum, seu drachmarum numerum: sed in pronuntiando immanem in modum erravit. Μυριὰς μυριάδων, sive μύριαι μυριάδες Græcis, quæ Latinis millies centena millia denarium, sestertium quater millies, talentum sedecim millibus amplius, aureorum nostrorum seu coronatorum centies centena millia, seu decem milliones. Quid igitur εἴκοσι δύο μυριάδες μυριάδων? quid nisi vicies bis millies centena millia denarium, sestertium octogies octies millies, CCCLIV millia talentum, & quod excurrit, coronatorum milliones ducenti viginti? At non hic sistit, sed pro minore summa & excurrenti ære apponuntur πεντακόσιαι χιλιάδες μυριάδων. Nunquam graviorem calculi errorem vidi. Ubi legit unquam istas χιλιάδας μυριάδων? Cur non & postea fecit ἑκατοντάδας χιλιάδων μυριάδων? & istarum deinde ἑκατοντάδων rursus πεντηκοντάδας? & sic in infinitum? Eodem sane jure potuisset. Sed patiamur genus loquendi, & summam subducamus: apparebitque, ut eam dicere soliti sint Græci. Χιλιὰς μυριάδων, quam comminiscitur præter usum veterum, esset, quas illi dicunt χιλίας μυριάδας, centies centena millia denarium, 10000000. Δέκα χιλιάδες μυριάδων forent δεκακισχίλιαι μυριάδες, quomodo non dicebant Græci, sed pro illis erat ipsa μυριὰς μυριάδων, vel μύριαι μυριάδες, millies centena millia denarium, 100000000. Ἑκατὸν χιλιάδες μυριάδων forent δέκα μυριάδες μυριάδων, decies millies centena millia denarium, 1000000000: sic διακόσιαι χιλιάδες μυριάδων forent εἴκοσι μυριάδες μυριάδων, vicies millies centena millia denarium 2000000000: & sic deinceps. Denique πεντακόσιαι χιλιάδες μυριάδων Scaligeri Græcis dictæ fuissent πεντήκοντα μυριάδες μυριάδων, quinquagies millies centena millia denarium, 5000000000: quod idem ducenties millies sestertium, in talentis octies millies centena tria millia trecenta triginta tria cum minis viginti, coronatorum milliones quingenti, seu quinquies millies centena millia. Vides æs excurrens immensum quantum excedens principalem summam. Jam si hæ summæ conjungerentur, Græcis erant pronunciandæ non isto syrmate, quo facit vir illustris, sed multo brevius, ἑβδομήκοντα δύο μυριάδες μυριάδων, septuagies bis millies centena millia denarium, 7200000000, in sestertiis ducenties millies octogies octies, talenta duodecies centena millia, milliones septingenti viginti, seu coronatorum septies millies & vicies centena millia. Hoc est de magnis majora loqui. Nunquam contigisset divinum virum tantopere παραλογίζεσθαι, nisi aut stans pede in uno, jamque instantium, non præsentium totus, aut dum sopor calculos calvitur, & manibus nitidum doctis opus effluit, nimius animi rem imperfectam relinquere, & sibi ipsi, *alio die*, dicere recusasset. Suetonius Vespasiano cap. XIX. *Sed & in funere Favo archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut mos est, facta ac dicta*

ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa constaret, ut audiit H S. *centies, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Duo sunt hic animadvertenda, quæ sospitatores magnos Suetonii, Torrentium & Casaubonum, fefellerunt. Nomen archimimi omnino cum Turnebo & melioribus scriptis putamus esse *Favor*, non *Favo:* sive ex omine popularis studii, sive ex eventu id histrio ille adsciverit. Et certe quod refertur, ingenium & elegantiam mimicam sapit. Sic *Amor* nomen est viri in marmore Romano:

Conditus hic Amor est dictus de nomine patris:
Heu miseri patris conditus hic amor est.

In alia inscriptione idem est fœminæ nomen. *Favor* quoque vocabulum hominis in quarta fol. CCCCLXXIX. *Appio. Nigrino. Favori. Herminæ. Helpidi. Calæ. Jucundæ. Jucundinæ. Libertis. Suis.* Immo a neutris finxerunt masculina. Ut *Auxilius* Grammaticus apud Ausonium: *Obsidius* apud Florum. Sic *Corculus, Desiderius, Tympanus. Præsidius* apud Procopium. Deinde refingendum omnino, ut in parte vidit Budæus: *ut audivit sestertio centies, exclamavit, centies sibi sestertium darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Repetit ipsam procuratorum vocem, quam miratur & dolet mimicus ille Flavius. Magnitudo contumeliæ, quam pro pecunia suscepturum se ostendit, requirit summam non mediocrem. Nam si *centum sestertia* ideo contendimus stare oportere, quod sic magis appareat avaritia, videamus, ne impulsus eadem ratione alius obtrudat nobis *centum sestertios.* Principem merere centies velle, ut sepultura careat, satis magna & detestabilis avaritia est. Nullum est certius argumentum sordium in avaro, quam perinde ei deesse, quod habet, quam quod non habet. Adeo naturalem & insitam fuisse significat illi Principi pecuniæ cupiditatem, ut etiam mortuus, si quis manium sensus, si intelligeret tantum impendii factum in funus suum, id ægre fuerit habiturus; malletque in thesauris argentum conditum relinquere, nunquam usurus, quam extremi muneris honorem recipere: quin immo putaret tanto dono quamvis ignominiam cadaveri suo oblatam abunde compensari. Sic ille, de quo Lar familiaris in Aulularia:

Is quoniam moritur, (ita avido ingenio fuit,)
Nunquam indicare filio id voluit suo,
Inopemque optavit eum potius relinquere,
Quam eum thesaurum commonstraret filio.

Placet igitur magis summa grandior, *centies sestertium:* videlicet ducentorum quinquaginta millium Philippeum nostrorum: non *centum sestertia,*
„ quæ tantum faciunt duo millia quingentos. Scaliger: Quis dubitare possit
„ ibi legendum: *ut audivit sestertiis centum.* Recte quod utramque summam congruere debere existimavit: sed majorem requiri jamdudum bene collegit Budæus: quod verosimile non sit, Neronem, damnata memoria, ho-

ſtem publicum judicatum, ducentorum millium impenſa funeratum eſſe: Veſpaſianum laudatiſſima memoria, relicto ſucceſſore filio optimo & piiſſimo, centum millibus. Neque enim fingunt procuratores, ſed, quod factum eſt, reſpondent.

CAPUT VII.

Senes ab jureconſultis reperti ad coemtiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa, apud Ciceronem. De illis Hotomanni, Manucii, Scaligeri, Marcilii, Gutherii, Salmaſii ſententiæ confutatæ. Venditiones imaginariæ ſeſtertio uno nummo, ſed non neceſſario ter dato, ut in emancipationibus filiorum. Cur ibi ter? Jus patriæ poteſtatis ab Romulo inſtitutum. Partitio, genus legati; non modus interimendorum ſacrorum. Caput partitionis. Cicero de legibus alio loco illuſtratus; alio de conjectura forte ſanatus. Partitiones, ut regulæ, definitiones, præcepta. Teſtamentum per æs & libram male dicitur modus interimendorum ſacrorum. Non fiebat curiatis comitiis, ſed privatim, ſignatoribus & teſtibus advocatis. Hæres, qui a ſacris liberari cupiebat, comparato ad id ſeni mancipabat hæreditatem per æs & libram venditione imaginaria, a JC. reperta. Eam velut nactus ille titulo mancipationis, non ut hæreditatem, ſed ut rem emptam, ſacris liberam, interveniente ſtipulatione, reddebat hæredi.

Non abhorret a tractatione pecuniæ veteris quæſtio de *ſenibus coemptionalibus* apud Plautum & Ciceronem: de quibus cum veteris conjecturæ pœnitere nos non debeat, eam non paucis locupletatam & confirmatam hic quoque reponemus. Quod antequam facimus, ſeparandum ab illis aliud genus ſenum, de quo Cicero in oratione pro L. Muræna cap. XII. *Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti ſunt.* Hos *ſenes* plerique omnes * confundunt cum *ſenibus coemptionalibus*, qui apud Plautum & eundem Ciceronem appellantur. Non poterant autem hos cum illis conglutinare, niſi interveniret tertium genus coemptionis, qua matrimonium contrahebatur: ſcilicet ut vara vibiam ſequeretur. Dicamus, ait Hotomannus, ſenes orbos matrimonium per coemptionem contraxiſſe: qua ratione accidebat, ut eorum uxores ſacrorum ſociæ ſuæque illis hæredes eſſent. At hæ ſimul atque alteri nubebant, in ejus ſacra tranſibant: atque ita ſenis illius ſacra interibant. Senes *repertos* ait Cicero ad coemptionem faciendam: non igitur erant ipſi teſtatores. *Repertos* ait ab his, qui conſuluntur: erat igitur imaginaria, umbratica, defunctoria, iſta coemptio, non vera, ſolida, ſeria: qui per luſum uxorem ducit, & eodem tempore de ultima ſua voluntate decidit, non ludit. Denique *repertos ingenio* iſtorum: non igitur accidebat naturaliter, & ipſa occaſione ſic ferente, ut in illo caſu, quem format Hotomannus, qui nullis etiam JC. intervenientibus ſacra abolebat. Præterea non univerſale hoc beneficium redditur iſta explicatione, ſed tantummodo indulgetur orbis. At vero

* Adſcripſit Pater: [Alciatus 9 Parerg. 19.]

vero cujus acuminis eſt, contra deſtinationem teſtatoris, & expectationem juſti hæredis, ingenti calliditate ad ignotum & extraneum hæreditatem averti? Saltem addidiſſet, hanc mulierem, poſt mortem teſtatoris hæredi legitimo ut nubat, damnari. Sacra onerabant hæreditatem: parcus quidam deorum cultor, qui ſacra interire patiebatur, gratificabatur hæredi: quomodo igitur capularis & acheronticus duceret uxorem, eaque relicta hærede illum ſpe ſua & jure interverteret? Adeone quiſquam eſſet iratus diis, ut, dum illis cum lenone Plautino manum adiret, ad extraneos transferri patrimonium ſuum gauderet, & agnatos forte benemeritos (nuſquam enim major reverentia orborum quam Romæ) fraudaret? Subtilius Paulus Manucius ad orationem pro Muræna comminiſcitur certum genus bonorum ſacris obnoxiorum, & ſenes coemiſſe illa bona, quæ qui haberent, ſacris adſtringerentur. Quod ut alicubi contigiſſe poſſit videri, ita plurimum ſacra erant totius hæreditatis, quod vel ex proverbio conſtat, *Sine ſacris hæreditas*. Itaque hic „ etiam in ſubſidium arceſſit coemptionem matrimonii cauſa. Coemptio au„ tem, inquit, actio illa tota dicebatur, cum ſenibus illis eam partem bono„ rum, quæ ſacris obnoxia eſſet, coementibus reliqua omnia mulieris in ma„ riti poteſtatem dotis nomine tranſibant. Pro Flacco. *In manum*, inquit, „ *convenerat. nunc audio: ſed quæro, uſu an coemptione*. Et mox ad verbum „ *interimendorum:* tollendorum, ut ea interimerent, neque iis mulieres ad„ ſtringerentur. Quæ verba Manucii ipſo illo ritu vetere ſunt obſcuriora, certe vix adſequi potui quid vellet. Sane facit alios ſenes quam teſtatorem, quod non fecerat Hotomannus. Interim hiſce bona, quæ onerata ſunt ſacris, concedendo tamen fraudat hæredem: neque enim tam profuſi erant in religionem, ut bona illa, quibus ſacra adhærebant, & ex quorum fructibus fiebat impenſa, ſumptu eſſent minora, nec ei ſufficerent: quæ profecto cauſa idonea fuiſſet, cur citius & religio & teſtatoris voluntas negligeretur. Quin etiam nimis anguſtam ſpeciem hæc interpretatio fingit: nam hæredem non aliam patitur quam uxorem & orbam,aut certe filiam unicam:quæ poſtea cum maritum nolit obligare ſumptui in bona dotalia ſacrorum nomine præſtando, hac illuſione utatur: cum profecto, ſi bonorum ipſorum partem alienet, illuſio non ſit. Sed mittamus ænigmata: neque enim Sphingem domi „ habemus. Idem ille ad lib. VII Famil. Quod ſi quis roget, inquit, qui„ nam ſint hi ſenes, quos ait Cicero *coemptionum faciendarum cauſa Juriſcon„ ſultorum ingenio repertos;* dicam eſſe tutores illos, quibus patresfamilias eam „ poteſtatem reliquerunt, ut filiæ ſuæ, cum nuberent, coemptionem ſine eo„ rum auctoritate facere non poſſent. Sed ſic quoque totum hoc ſubſidium JCtorum, ad ſolas reſtringitur mulieres, quæ coemptionem feciſſent: quibus nullo erat peritorum juris ingenio opus: ſed de more & inſtituto venientes in poteſtatem viri amittebant paterna & priora ſacra. Præterea quod eſſent ſub tutoribus mulieres, non eſt inventum Juriſconſultorum, quos in

 contra-

contrarium invenisse ait Cicero genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur. Cur autem tutores illos necesse erat omnes esse senes? Neque ex oratione pro Flacco quicquam tale colligitur, sed tantummodo coemptionem facere non potuisse mulieres, nisi tutoribus auctoribus. Nulla ibi mentio *senum*, nulla *sacrorum interimendorum*. Scaliger ad Festi: *Puri, probi, profani, sui auri*: ubi agit de modis sacrorum abolendorum, ita cen-,, set: Aut fiebat alio genere imaginariæ venditionis, quæ vocabatur *co-,, emptio*, adhibitis *senibus coemptionalibus*, qui asse Cajano, hoc est, nummo ,, sestertio dicis causa ter accepto & rursus reddito hæredem absolverent. Cautius sane quam priores, & de matrimonio silet. Sed istos senes nemo dixit *coemptionales*. Neque explicat, quare in his senibus sacra interierint, curve non transferre ipsi ea in hæredes suos aut caput obligare piaculo viderentur, sumptis sacris, quæ erant neglecturi. Quod addit, ter potissimum accepto & reddito sestertio, (repetitum & Aus. Popmæ ad Lib. v Varronis de L.L.) id hausit ex ritu emancipationis filiorum, de quo Cajus lib. I Instit. tit. VI. & Theophilus lib. I tit. XII. Sed illa cur tribus mancipationibus, eoque ter dato nummo, duabusque manumissionibus, & denique remancipatione ac manumissione fieret, causam video. Nam Romulus adeo sanctum jus patriæ potestatis fecerat, ut ter vendendi filii facultatem daret patri: post primam & secundam mancipationem, si quo casu liber esset factus, in patris potestatem recidebat. Dionysius: Καὶ τοῦτο συνεχώρησε τῷ πατρὶ, μέχρι τῆς τρίτης πράσεως ἀφ᾽ υἱοῦ χρηματίσασθαι, μείζονα δοὺς ἐξουσίαν πατρὶ κατὰ παιδὸς ἢ δεσπότῃ κατὰ δούλου. θεράπων μὲν γὰρ ὁ πραθεὶς ἅπαξ, ἔπειτα τὴν ἐλευθερίαν εὑράμενος, αὐτοῦ τὸ λοιπὸν κύριός ἐστιν· υἱὸς δ᾽ ὁ πραθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, εἰ γένοιτο ἐλεύθερος, ὑπὸ τῷ πατρὶ πάλιν ἐγίνετο. Κἂν τὸ δεύτερον ἀπεμποληθεὶς καὶ ἐλευθερωθεὶς, δοῦλος, ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς, τοῦ πατρὸς ἦν· μετὰ δὲ τὴν τρίτην πρᾶσιν ἀπήλλακτο τοῦ πατρός. Id igitur jus ut solveretur imaginaria mancipatione, ter illam repeti necesse erat, & sic ter nummum appendi, vel dari & accipi. Eapropter & adoptio non erat justa, nisi naturalis parens *tertia mancipatione filium in jure cessisset*, ut est apud Gellium lib. v c. XIX. Boethius in Topica: *Civitatis Romanæ jure liberi retinentur in patrum arbitrio, usque dum tertia mancipatione solvantur.* Theophilus de bonor. possess. Εἰ συνέβη με τὸν ἐμὸν υἱὸν ποιοῦντα ἐμαγκίπατον δοῦναι σοι αὐτὸν εἰς πρῶτον μαγκίπιον καὶ δεύτερον καὶ τρίτον, καὶ σὺ ἠλευθέρωσας αὐτὸν, καὶ αὐτεξούσιον ἐποίησας. Sed hinc nequaquam colligendum, in omni negotio, quod per æs & libram gereretur, ter datum nummum. Cumque non possit afferre causam Scaliger, cur trina mancipatione opus esset in sacris abolendis, frustra nobis venditat ternarium illum ,, numerum. Marcilius ad LL. XII Tabb. Si hæreditas sacris adstricta esset, ,, vendebat illam fiducia interposita hæres seni capulari Acherontico, ut eo ,, cis paucos dies mortuo reciperetur hæreditas jam ut empta res, non ut le-,, gata aut relicta, eoque sacris adstricta. Solet hic, perinde ut Africa, sem-

per ali-

per aliquid parere novi, & fere monſtroſum. Primum, ſi expectanda hæredi mors erat illius capularis ſenis, non profecto negotium erat imaginarium, ſed vere & cum ſummo periculo hæredis ſenex ille poſſidebat. Quid ſi autem ſenem illum diu etiam dilatum Orcus recipere nollet? An interea rebus hæreditariis abſtinendum erat hæredi? Majori hoc fraudi eſſe poterat, quam ipſa moleſtia ſacrorum. Denique non hæres, celebrata hac imaginaria venditione, interpoſita fiducia habiturus erat rem defuncti velut emptam, ſed ſeniculus ille: cujus quia mortem expectat hæres, utique denuo recipit rem ut relictam, non ut emptam. Nemo confidentius quam Gutherius de jure Pont. lib. II cap. VI. tres ait inventos eſſe modos, quibus hæredi liberatio quæreretur, Partitionem ſcilicet, Teſtamentum per æs & libram, Coemptionem. Hæc omnia ὕπουλα, & quantamcunque ſpeciem habeant, οὐδὲν ὑγιές. *Partitionem* ego memineram eſſe legati genus, quo legatarius accipiebat tantundem quantum hæres ſeu dimidiatam hæreditatem, vel ſi plures hæredes eſſent, tantum quantum omnes hæredes. Theophilus lib. II tit. XXIII. Τὸ γὰρ παλαιὸν ἦν πέμπτον γένος ληγάτου, ὃ ἐλέγετο παρτιτίων, ἤτοι μερικόν· κατελιμπάνετο δὲ τοῦτον τὸν τρόπον. *Titius mihi hæres eſto, & cum Seio dividito in dimidia portione.* Hinc ſcribendum in Gloſſis Nomicis: Παρτιτίων, μερικόν. non Παρτίτιον. Ea adeo non erat cauſa liberandi quemquam ſacris, ut definiat apud Ciceronem lib. II de legibus Scævola, proxime hæredes adſtringi ſacris, *qui morte teſtamentove defuncti tantumdem capiat, quantum omnes hæredes:* & iterum Scævola & Coruncanius, *qui tantundem caperet quantum omnes hæredes, ſacris alligari.* At Gutherius, partitionem, inquit, voco diviſionem „ pecuniæ a teſtatore factam teſtamento inter hæredes legatariumque ſe„ cundum tabulas teſtamenti. Nihil ſubtilius: & aliud, ut video, eſt teſtamentum, aliud tabulæ teſtamenti: nam diviſionem iſtam facit teſtator te„ ſtamento ſecundum tabulas teſtamenti, ſi diis placet. Ab hac, inquit, co„ hæredes *particulones* dicti ſunt, quod partes illis invicem factæ. Hic rurſus, quid partes factæ invicem? Si cohæredes invicem ſibi fecerunt, non ergo teſtator teſtamento ſecundum tabulas teſtamenti. Denique falſum eſt ab hac partitione cohæredes dictos *particulones:* nam iſta *partitio* non eſt inter cohæredes, ſed inter hæredem & legatarium, aut ſi plures ſunt, inter „ cohæredes, & legatarium. Ad *partitionem* tamen, inquit, decurſum eſt, „ ut legatariis conſuleretur, ne tantundem caperent, quantum omnes hære„ des, ſacriſque hoc modo alligarentur. Falſum hoc quoque: nam qui *partitionem* faciebat, hoc eſt, legatario tantum relinquebat, quantum hæredi vel omnibus hæredibus, is legatarium adſtringebat ſacris. Qui nollet adſtringere ſacris legatarium, is minus ei relinquebat quam hæredi vel omnibus hæredibus. Hoc juris pontificii ait eſſe Cicero, ſed huic acceſſiſſe ex jure civili inventum, quo pecunia ſacrorum moleſtia liberaretur: nempe *ut centum nummi deducerentur.* Ita enim minus erat futurum. Ergo *partitione* facta,

facta, hoc eſt, ſi legatario uni erat relicta pars dimidia hæreditatis, is legatarius partiarius deductis centum nummis neceſſitatem quidem ſacrorum evitabat: non ideo tamen *partitio* eſt modus ſolvendi ſacris, magis quam hæredis inſtitutio; neque ideo fiebat, ut ſacris ſolveretur legatarius. Nec vero cum Cicero ait cap. XXI *partitionis caput ſcriptum caute:* vocabulum *partitionis* accipiendum pro illo genere legati, de quo diximus: ſed eſt τεχνικὸν, ut cum *regulæ*, *definitiones*, *caſus*, *quæſtiones*, *theoremata* dicuntur: ut cum Cicero *partitiones oratorias* ſcripſit. Dixerat ſuperius: *Jureconſulti ſæpe, quod poſitum eſt in una cognitione, id in infinita diſpartiuntur.* Et mox: *Hæc nos a Scævola didicimus, non ita deſcripta ab antiquis.* Lib. I de orat. *Ut primum omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat.* Has ergo Scævolæ *partitiones* intelligit Cicero, & *caput partitionis*, ut ad Trebatium lib. VII ep. XXII. *tamen id caput, ubi hæc controverſia eſt, notavi.* Aſconius ad primum in Verrem cap. XLVI. ubi Cicero: *in illo capite Annejano de mulierum hæreditatibus: Proprie,* inquit, *juris capita dicuntur.* Pro quo nobis Gutherius facit de partitionis capite deducentem teſtatorem, & de partitionis capite centum nummos deberi. Sed eo facilius hoc ei condonamus, quod & Scaliger dicto loco inter modos perimendorum ſacrorum eſſe ait *caput partitionis in deducendis centum nummis.* Hæ ſunt verborum præſtigiæ, ne ipſi quidem, qui ea protulit, intellectæ, quæ nos barones olim ſtupebamus. Quodſi omnino *partitionem* in verbis Ciceronis accipere libeat genus legati, τὸ *caput* tamen aliter, quam diximus, accipi non poteſt: & *caput partitionis* erit definitio vel exceptio de partitione. De deductione, in qua inſoleſcit Gutherius contra Fr. Balduinum, nihil habeo dicere: manifeſto enim corrupta ſunt Ciceronis verba, neque poteſt inde quicquam bene colligi, antequam corrigantur. Cogitabam: *Atque etiam dat hoc Scævola caput partitionis, ut ſi in teſtamento deducta* * *ſacra non ſint, ipſique minus ceperint, quam omnibus hæredibus relinquatur, ſacris ne alligentur.* Sed hoc eſt in tenebris. Alius deinde Gutherio modus perimendorum ſacrorum, ut per æs & libram hæredes teſtamenti legatariis ſolverent. Quod quis intelligit? niſi voluit, legatarios. At quod continenter ſubjicitur, quam intelligo, tam falſum eſſe ſcio. „Quod genus teſtamentorum fiebat curiatis comitiis pro collegio pontificum. Omnia jura confundit hic coquus. Quid audio? teſtamentum per æs & libram factum eſſe calatis comitiis? Atqui didiceram ex Juſtiniano tertium hoc, ſeparatum a Comitiali & procincto, genus fuiſſe teſtamenti: & expreſſius ex Theophilo, quum multi præcipiti morbo correpti morerentur inteſtati, quod neque comitia inſtarent (bis enim tantummodo in anno ea comitia calabantur) neque bellum eſſet, inventum tertium genus teſtandi

* Adſcripſit: Meurſius hinc probat, deductam eſſe ſubſtantivum, ut offenſa, Crit. Arnob. 4 cap. 10 p. 93.

ſtandi per æs & libram, quod citra comitia, citra procinctum, fieret. Neque abit ab illis Gellius lib. XV cap. XXVII, quem contrarium ſibi teſtem dat Gutherius. Hic interponit, ut cæteri, *ſenes coemptionales*, homines de trivio ocioſos, qui omnes auctiones ſectarentur, ut quæ venalia proſcribebantur, pretio modico conducti licitarentur, quo emptoribus calorem adderent, reſque pluris veniret. Mirum ergo Ciceroni lib. VII Famil. ep. II. *licitatorem potius apponam, quam illud minoris veneat.* & lib. III de officiis: *non licitatorem venditor, non qui contra ſe liceatur, emptor apponet:* mirum non libuiſſe illi potius *coemptionalem*, quam *licitatorem* dicere. Hos *ſenes coemptionales*, ut familiæ emptores, tradit certis conditionibus emiſſe hæreditatem, ut ſcilicet pecuniam hæredi legatariiſque ſolverent, quam teſtator illos habere volebat: quo pacto pecuniam ex ſtipulatu debitam, nec legatarios ſolum, ſed & filios, qui emancipatione ſui hæredes eſſe deſierint, nec in familia teſtatoris fuerint, ſacrorum onere ſublevatos. Sed Cicero ait: *per æs & libram hæredes teſtamenti ſolvant:* non dicit: *hæredibus teſtamenti pecuniam ſolvant:* quæ immane quantum diſcrepant. Sed eoſdem ſenes, quos ſignificat Cicero, eſſe familiæ emptores, non veroſimile: Secus in omni teſtamento per æs & libram eo ipſo, quod res inter teſtatorem & familiæ emptorem agebatur, hæres ſacris ſolutus fuiſſet. Emebant, inquit, hæreditatem, ut pecuniam ſolverent. Si eandem intelligit hic hæreditatem quam pecuniam, cur tanquam duas res ponit? ſi diverſas res intelligit, non erat negotium imaginarium, & ſenes illos non homines de trivio, ſed bene locupletes oportebat eſſe. Quorſum autem hic illa mentio filiorum emancipatorum? Salmaſius ad Plautum & ipſe, quos ſacrorum interimendorum cauſa Juriſconſulti adhibuerunt, proprie dictos eſſe vult *coemptionales*, nec in aliis emptionibus locum habuiſſe. Cur? niſi quia ſic placet. Eos res aliquot hæreditatis, velut mancipia, coemiſſe, & ſic cum viderentur hæreditatem ipſam coemiſſe, ſacris etiam illis, quæ cum hæreditate conjuncta erant, obnoxios factos: ſed cum capulares eſſent, ipſis mortuis ſacra illa etiam exſtincta fuiſſe & interempta, nec ad eorum hæredes tranſiſſe. Sed qua ſimulatione mancipia illa poterant repræſentare totam hæreditatem, cum ſuis ſibi adjunctis ſacris? Novo hic ingenio opus eſt ad hæc mancipia toti hæreditati ſubdenda & ſubſtituenda piacularia. Unde coementes hujuſmodi mancipia ſacris obnoxii fiebant? Sextum ergo genus Scævolæ conſtituendum fuit ſacris alligatorum, qui hæreditariæ quidquam rei coemiſſent. Cur denique ad illos, ad quos morte capularium ejuſmodi ſenum redibat mancipiorum proprietas, non propagabantur eadem ſacra, cum quibus accepiſſent ea iſti ſenes? Cur ad hæredes eorum non tranſibant, ſed ipſis mortuis interimebantur? Si integra exſtaret pars illa libri ſecundi de legibus Ciceronis, qua de ſacris perpetuis tractat, res, credo, declarata foret ſatis: nunc facilius aliorum opiniones rejicere, quam ipſi certiorem prodere poſſumus.

fumus. Tentemus tamen & nos aliquid, ne fimus afymboli. Præbebunt occafionem verba Ciceronis lib. II de Legibus cap. xx. *Quin etiam cavent, ut cui plus legatum fit, quam fine religione capere liceat, is per æs & libram hæredes teftamenti folvat: propterea quod eo loco res eft ita foluta hæreditate quafi ea pecunia legata non effet.* Et fequenti: *Rurfus facris liberantur. Hoc vero nihil ad Pontificum jus, & e medio eft jure civili, ut per æs & libram hæredes teftamenti folvant: & eodem loco res fit, quafi ea pecunia legata non effet, fi is cui legatum eft, ftipulatus eft id ipfum, quod legatum eft, ut ea pecunia ex ftipulatione debeatur.* Hæc quidem de certo genere folvendi facris loquuntur, fimilitudine tamen in univerfum juvare nos poffunt. Æs & libra, cujus hic mentio, non eft ea, qua teftamentum fit, nec quæ inter teftatorem & familiæ emptorem adhibetur, (nam hic emptor, ut hæreditatem, & pro hærede emebat, eoque adftringebat illum facris) fed alia inter hæredes legatariumque. Sic nos cum per æs & libram facris hæredem folvere volumus, non accipimus eam, quæ teftando interveniebat, fed quæ poft teftatoris mortem hæreditatemque aditam ufitabatur inter hæredem & comparatum hominem fenem, qui hæredem folveret. Itaque poterat poft quodvis teftamentum, & in hæreditate etiam inteftati, atque adeo in quinque illis generibus, quæ Scævola facit eorum, qui facris alligarentur, adhiberi. Subornabat hæres hominem fenem, tanquam graviorem auctorem: (*intereft enim nonnunquam a fene potius aliquid fieri, quam a juvene.* Modeftinus l. xv de fideicomm. libert.) ei ut in legitima mancipatione, advocato libripende ac teftibus, vendebat hæreditatem non ut hæredi, nec pro hærede, ut teftator familiæ emptori, fed ut poffeffori alieno: fenex dato dicis caufa nummo feftertio eam coemebat, & non fecus ac fectionis emptor & poffeffor liberam eam nullis adftrictus facris quafi fuam faciebat: poftea res in ftipulatum deducebatur, & emptor ac dominus fiduciarius ftipulato hæredi quafi ex fponfu eandem tradebat; communi jure, quo nihil tam naturali æquitati conveniens effe fancitur, quam voluntatem domini rem fuam in alium transferre volentis ratam haberi. Sic exftinguebatur nomen hæredis & hæreditatis, & fic etiam facrorum hæreditati adnexorum, & lucrofiore titulo poffidebat, qui graviore prius, ut hæres, poffederat. Coemptio autem illa imaginaria vim eandem obtinebat, quam in emancipationibus liberorum. Ibi enim pater uno aut duobus nummis, ut loquitur Cajus, in fimilitudinem pretii acceptis, filium fiduciario patri vendebat, ifque mox illum manumittebat: quod cum iterum factum effet, tertio rurfus emptum a patre naturali juvenem fiduciarius pater non manumittebat, fed velut fuum naturali patri remancipabat, a quo tum denique manumiffus fiebat fui juris. Sed & donationibus interdum hujufmodi venditiones imaginariæ interponebantur, ut ea non donatio, fed emptio venditio videretur. Ut cum Serviliæ ampliffima prædia ex auctionibus haftæ nummo Cæfar addixit,

teste Suetonio. Hi porro senes ad coemptiones faciendas adhibiti sacrorum interimendorum causa cum *senibus coemptionalibus* nihil habent commune, nisi partem vocabuli, quo alterorum opera, alterorum status significatur. De quibus aliquid certius, opinor, aut verius licebit pronunciare.

CAPUT VIII.

Praeceptum ad tutelam rei familiaris pertinens: quae supersint, uti veneant. Virgilii versuum notissimorum, sed adhuc non intellectorum, sententia. Abdere domo, exigere, excludere. Jumenta rejicula ob valetudinem & aetatem, ut & mancipia trita & veterana alienata, sed & vendibilia. Catonis monitum exemplo ipsius confirmatum. Senes coemptionales qui Plauto & Curio in epistola ad Ciceronem. Venales. Decuria servorum venalium. Decuria turdorum. Quae singula parum vendibilia, in cumulum data venui. Accessio candelabri Corinthii Ctesippus. Plinii locus eximius illustratus. Impudentia libidinis. Improbius natus. Improbus color. Improba plantae tegmina. Suetonius, Seneca, Valerius Flaccus explicati. Natura. De senibus coemptionalibus Victorii, Manucii, Camerarii, Turnebi, Marcilii, Salmasii opiniones rejectae.

Inter prima Oeconomices monita est, ἀφ' ὧν τις ὠφελεῖσθαι δύναιτο, χρήματα εἶναι ἀξιοῦσθαι, verbis Xenophontis lib. IV ἀπομνημ. hoc est, eas res facultatum numero ducere, ex quibus utilitatem percipere possis. Cujus autem nec possessio est emolumento nec damno penuria, eo se credere opulentiores non decet homines frugi. Quid de illo dicemus, quod non modo proventu nullo possidentem auget; sed etiam sumptu mactat atque impendiis? *Proprie bona dici non possunt, quae plus incommodi quam commodi habent*, inquit Javolenus. Ejusmodi igitur aut nihil habendum, aut primo mercatu alienandum censent sapientes. Cato de re rustica cap. III. *Quae supersint, uti veneant.* Et mox: *vendat boves vetulos, armenta rejicula, oves rejiculas, lanam, pelles, plaustrum vetus, ferramenta vetera, servum senem, morbosum, & si quid aliud supersit, vendat. Patremfamilias vendacem, non emacem esse oportet.* Hinc verum sensum indagabimus documenti Virgiliani lib. III Georg. de equo generoso:

> *Hunc quoque ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis*
> *Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectae.*

Guilielmus Canterus lib. VI Novar. Lect. cap. VIII posteriorem hujus sententiae partem cum priore ait pugnare, nisi scribatur auctore Jo. Aurato: *abde domo, & turpi.* Quod placuit etiam Ob. Giffanio, non aliam, credo, ob causam, quam quod fractorum versuum, quales ille multos nimis veterum Poetarum constituit, (adeo in summa eruditione malum se Poetam dissimulare non potuit) numerum augeret. G. I. Vossius de Constructione pag. CLXVIII *domo* exponit in domo. Caeteri omnes fere commentatores, & complures alii docti viri Servium secuti τὸ *nec* dividunt, ut sit: *& ignosce*

 senectae,

senectæ non turpi: sensu duplici: ut aut commendetur patrifamilias etiam in bruta benignitas, quam equum senio confectum alendo otiosum domi ostendat, aut significetur tales operibus domesticis adhibendos esse: quod & in epistola ad Canterum monuit Gisanius, quam edidit Gabbema pag. DCXLIV. Sed enim *abdere* passim quidem abscondere significat, ut hic quoque acceperunt: quamquam sic *domi* legendum fuisset: interim non est hæc princeps vocis notio, in qua opponitur τῷ *addere*, & notat excludere, amovere, a se abjungere. Sic Tibullus lib. II Eleg. I.

Sancte veni dapibus festis, sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc, precor, abde faces.

Hinc amove, amotas habe. Silius lib. VI de Brutio aquilifero:

Tenuis opum, nec gente nitens linguave, sed asper
Ense, nec e Volsca quisquam vir gente redemit
Plus ævi. nec magna anima puer abdere sese
Pubescente gena castris optaverat.

Quod nihil aliud est, quam exesse castris. Et apertissime imitatus Virgilium Nemesianus in Cynegetico:

Sin vero hæc cura est, melior ne forte necetur,
Abdaturve domo.

Dixerat antea: *primos contemnere partus:* &, *non omnes nutrire minores.* Sententia igitur Virgilii est: Hunc quoque optimum equum signisque & re probatum, postquam senio aut morbo incurabili utilis tibi esse desiit, exclude domo, aliena, nec te misereat impotentis ejus senectæ. Idem Varro instillat in re pecuaria lib. II de re rustica cap. I. *Præterea scire oportet in grege, quot fœminas habeat, quæ parere possint, quot arietes, quot utriusque generis suboles, quot rejiculæ sint alienandæ.* Et inferius de bubus & vaccis: *Item ut in reliquis gregibus pecuariis, delectus quotannis habendus, & rejiculæ rejiciendæ, quo locum occupent earum, quæ ferre possunt fructus.* Quin & de gallinis Columella lib. VIII cap. V. *Sicut in cæteris pecoribus eligenda optima & deteriora vendenda. Servetur etiam in hoc genere, ut per autumni tempus omnibus annis, cum fructus earum cessat, numerus quoque minuatur.* Et fuisse hujus quoque tritæ & veteranæ mercis pretium quodcunque, discimus ex verbis Varronis l. II. *In emptione alias stipulandum statim esse e valetudinario, alias e sano pecore, alias e neutro.* Equidem principes & nobiles viros, qui selectis plurimis equis gaudent alendis, sensum illum de equo vetulo aut morboso domi coercendo, & misericordia erga eum, nisi forte unicus sit quasi Bucephalus aut Cyllarus, omnino repudiaturos puto. Facile enim valetudinarium & senum jumentorum veluti prytaneum, majus ipso stabulo, quo boni continentur, adquirerent. Ego regiis inustos insignibus onera trahendo, aquam portando, immunditias domuum & viarum publicarum avehendo vilissimis de plebe hominibus diurna æra merere sæpe conspexi. Juvenal. Sat. VIII.

Sed

Sed venale pecus Corithæ posteritas &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit,
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum. Dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, tritoque trahunt epiredia collo.

Quod autem aliis præcipit Cato, id ipsum servasse testis idoneus Plutarchus: nam cum dixisset, nunquam eum mancipium plus mille quingentis emisse denariis (faciunt sex millia nummum, scutatos CL) quod nec molles nec formosos desideraret, sed valentes ac laboriosos, ut equisones, bubulcos, & hujusmodi, subjungit: καὶ τούτους πρεσβυτέρους γενομένους ᾤετο δεῖν ἀποδίδοσθαι καὶ μὴ βόσκειν ἀχρήστους· ὅλως δὲ μηδὲν εὔωνον εἶναι τῶν περιττῶν, ἀλλ᾽ οὗ τις οὐ δεῖται, κἂν ἀσσαρίου πιπράσκηται, πολλοῦ νομίζειν. Vides *abdere* Virgilii Plutarcho esse ἀποδίδοσθαι: utque ostendat in servis id quidem durius, vulgare vero in jumentis: Πλέω τὸ τοῖς οἰκέταις ὡς ὑποζυγίοις ἀποχρησάμενον ἐπὶ γήρως ἐλαύνειν καὶ πιπράσκειν. Et sane Chæronensis Philosophus cum ea in re disputat, lautorum magis hominum delicias, quam diligentis & attenti patrisfamilias institutum ob oculos habuit. Ejusmodi vero mancipia rejicula & veterana, quod non ita facile emptorem invenirent aut minimo æstimarentur, solebant vel plura in cumulum vendere, vel quasi mantissam & appendicem dare melioribus, ut qui bene habitum bene conciliare cuperet, imparem contubernalem simul acciperet. Unde *senes coemptionales* dicebantur, hoc est, simul venales. Plautus Bacchid. a. IV sc. IX.

Nunc Priamo *nostro, si quis est emptor, coemptionalem senem*
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi oppidum expugnavero.

Habeo venalem senem coemptionalem, hoc est, ex eo genere, in quibus singulis vix quisquam facit pretium, sed qui auctioni aliorum accedunt. Vendam, inquit, ubi oppidum expugnavero. Nempe fructus victoriæ est captivos sub corona vendere. Tota allegoria de Ilio expugnando, & Priamo capiendo venumque dando, nihil significat aliud quam *captum*, hoc est, deceptum, iri senem. *Capitur* urbs, cum expugnatur: *capiuntur* homines ejus incolæ, simulque mancipantur aut venum eunt: *capitur* denique, qui parum cavit aut fraudari se patitur. Ista dicit, hoc intellectum vult servus. Ne dubitetis captum iri, jam promitto veno positurum. Quod autem certius captivitatis argumentum, quam liberum hominem ita venisse in potestatem insidiantis, ut vendi possit? Lib. VII famil. epist. XXIX, quæ est Curii ad Ciceronem: *Sum enim* χρήσει μὲν *tuus*, κτήσει δὲ *Attici nostri. ergo fructus est tuus, mancipium illius: quod quidem si inter senes coemptionales venale proscripserit, egerit non multum.* hoc est, si mihi inter rejicula istiusmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit, vendideritque me, parum rei fecerit. Quare? quia inutiles sumus & nullius pretii. Ita de se modeste. Recordare nunc, *venales* κατ᾽ ἐξοχὴν dici de mancipiis venui. *Grex venalium*,

 Plautus

Plautus Aulul. III, III. Cistell. II, VII. Rudente: *Venales illic ductitavit, quisquis est: non est misericors.* Trinummo: *Mercaturamne an venales habuit?* Cic. lib. v in Verr. *Illi ad deprecandum periculum proferebant alii purpuram Tyriam, vina nonnulli Græca venalesque Asiaticos.* Lib. I de Orat. *Manilianas venalium vendendorum leges ediscere.* Quæ si extarent, nunc opinor juvarent nos. Seneca epist. LXXX. *Detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant.* Ita & *coemptionales senes.* In venalibus autem quantumvis viles, mutilos, effœtos, locum invenisse indicat Seneca Epist. XLVII. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & eum, qui illi impegerat titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam servus ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem præco experitur.* *Decuriam* dicit illum gregem, ut Columella lib. I cap. ult. *Classes vero non majores quam decem hominum facienda, quas decurias appellaverunt antiqui.* Sic *Turdorum decuria vel corona* apud Martialem in Xeniis lemma est epigrammatis XLIX, ita conjunctis duobus vocabulis, quæ singula habent alii, in Ms. quondam Pircheimeri, nunc Arondelliano. Sed de isto etiam inter servos infimo genere, ne quis putet eorum pretium non esse, audiamus Aug. Busbequium epist. III. „Captum usu membrorum servum nihilominus herus alit, nec est ita debilitatus quisquam, quin operæ ejus sit „aliquod pretium. Memini me redimere non ignobilem militem Hispa„num, qui ordines apud suos duxerat: quem cum membris omnibus ex „vulneribus debilitatum Turca emisset, rationem tamen iniit, qua fructum „ex eo caperet. Trajecit eum in Asiam, ubi anserum greges aluntur: qui„bus pascendis operas ejus locabat, ex quo non contemnendum lucellum „faciebat. Et mox: Herus servi labore vivit. Turcæ maxima, qua publi„ca, qua privatim, e servitiis emolumenta capiunt. rem familiarem servo„rum operis præclare tuentur. ideoque proverbio negant eum pauperem „videri, cui vel unicus servus sit. Denique, quæ singula liceri aspernantur homines, ea plura in unum pretium missa aut addita desideratioribus sive mancipiis sive rebus, haudquaquam mirari par est: quum quotidie videas & in auctionibus, majoris pretii quæ sunt, singula, viliora acervatim protrudi. Sed servi plane coemptionalis exemplum lepidissimum præbet Plinius lib. XXXIV cap. III. *Accessio candelabri talis fuit Theonis jussu præconis Clesippus fullo, gibber, & alio præterea fœdus aspectu, emente id Gegania* HS. *quinquaginta millibus, eademque ostentante convivio emptum, ludibrii causa nudatus, atque impudentia libidinis receptus in torum, mox testamentum, prædives numinum vice illud candelabrum coluit, & hanc Corinthiis fabulam adjecit, vindicatis tamen moribus nobili sepulcro, per quod æterna super terras Geganiæ dedecoris memoria duraret.* Hæc Cimmeriis tenebris involuta & fatetur ultro & conatu ipso illustrandi probat egregius ille Hermolaus Barbarus: edit autem hunc sensum: Clesippum illum aspectu fœdum

fœdum & candelabri HS. L comparati fabrum, a Gegania emptore primo ludibrii causa, mox etiam libidinis receptum: hæredem quoque ab eo scriptum, numinis & dei vice candelabrum illud a se factum habuisse, ut cujus occasione prædives factus esset, & hanc fabulam Corinthiis adjecisse, acceptum videlicet id omne referendo æri Corinthio. Addit & Græcum hominem *Geganiam* credi posse. Vir præstantissimus præter alia, quæ ibi peccat, ex fullone fabrum, ex Gegania muliere Romana Grajum facit virum Geganian. Quum cujuscujus auctio fieret, præco Theon candelabro Corinthio pretioso coemptionalem dedit servum nihili, pravissimo corpore, fullonem Clesippum. Nam eo nomine nunc & ipse utor, etsi dubitem, an non fuerit Ctesippus, quo & Herculis filius apud Pausaniam in Corinthiacis pag. CXVII, & Ctesippus Pæaniensis occurrit apud Platonem in Phædone. *Jussu* ait *præconis*, nam apud dominam hastam illorum imperium est & moderamen theatri auctionarii. Id candelabrum cum appendice homuncionis comparavit quinquaginta millibus Gegania, vidua nobilis & locuples. Eam emptionem dum frequenti convivio ostentat, productus quoque, &, ut vitia corporis manifestiora jocos præberent, nudari jussus Clesippus præter exspectationem non modo candelabri accessio, sed pars suæ partis & Hellespontiaci dei insignibus pulcer apparuit: atque ita putres oculos dominæ fregit, ut propter nescio quos metus nocturnos timida mulier sola cubare non sustinens, adsciverit illud amuletum in lectum, dein & in tabulis primæ ceræ secundo versu notaverit. Manumisit, maritum, hæredem sumpsit. Ille Corinthium, cui nisi adhæsisset adplicitus impar a domino præcone, nunquam ad res tam opimas pervenisset, non secus ac fatum suum veneratus, obtinuit inter posteros, ut mentione hujus generis vasorum orta, Clesippea quoque commemoraretur ἀποθέωσις. Ut plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Jovis positum, majestati regiæ consecravit Gordius, teste Justino lib. XI., & de nodo jugi fabulam in posteritatem impetravit. Et simile servi coemptionalis exemplum in Appiano libro IV Civilium pag. DCIII. ὁ θυρωρὸς τῇ οἰκίᾳ συμπεπραμένος. *Impudentia libidinis* significat draucum, *improbius natum*, ut eleganter σκοπίζει Suetonius, & pudore tam sarto tecto, ut in hunc diem viros literarum principes eluserit. Verba sunt in Vespasiano cap. XXIII. *Utebatur & versibus Græcis tempestive satis, ut de quodam proceræ staturæ improbiusque nato: μακρὰ βιβὰς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος*. Torrentius corrigit, *improbiusque irato*. Casaubonus interpretatur τῷ κακῶς πεφυκότι, hominem deformi proceritate corporis. Duo alii summi viri hactenus sagaciores, quod sententiam viderunt, eam latere sub his verbis nescii, alter *vasato*, alter *mutoniato* rescribentes. Salmasius ad Spartianum & rursus de Trapezitico fœnere pag. DCCXXXVIII observat, *improbum colorem* vocari purpureum: id inde, quod quicquid nimium est, modumque & normam excedit, *improbum* Latinis: ita *improbius natum* Suetonio, qui pro-

ceræ

ceræ ſtaturæ fuit, & juſtam excedentis: nam etiam *naturam* veteres pro ſtatura ponere. Cujus exemplo G. I. Voſſius de harmonia Evang. lib. II cap. VII dicit *improbius natum* de grandioris ſtaturæ homine. Hic vera mixta falſis. Verum eſt *improbum* pro immodico, nimio, magno dici: & ſic *improbam Tyron* apud Martialem, *improbi coloris lacernas* apud Senecam accipio non purpurei modo, ſed inter purpuras eximii, ſaturi, præſtantioris illa quam Cicero dicit pro Sextio *plebejam purpuram*. Nam illud Lipſii dilutum, qui cenſet *improbum* appellari *colorem*, qui nondum fuerit tritus, & impudentiæ vel audaciæ aliquid haberet. Quaſi non luxus jam tum nimis feciſſet tritum. At *improba tegmina* pedum pro calceis purpureis apud Valerium Flaccum non patior mihi venditari. Lib. VI de homine Partho:

Inſignis manicis, inſignis acinace dextro,
Improba barbaricæ procurrunt tegmina plantæ.

Nihil aliud videtur dicere, quam modum pedum longe excedentia; quæ magis decere nunc quoque nobis aula Gallica perſuaſit. Sic alibi dicit *improba arva* invidendæ fertilitatis & cæli: *non improba legi Divitis arva plagæ.* Sic apud Græcos ἀσελγὴς, ut patet ex Heſychio in Κελὸς ἀσελγοκέρως, dictus ita ab Platone Comico διὰ τὸ μέγαν εἶναι. τὸ γὰρ ἀσελγὲς οὐ μόνον ἐπὶ τοῦ ἀκολάστου ἔταττον οἱ παλαιοὶ, ἀλλ᾽ ἔστιν ὅτε καὶ ἐπὶ τοῦ μεγάλου, etſi & aliam conſiderationem addat. Quam prope ſcopum deflexit Salmaſius, quum cogitavit *improbius natum* eſſe, quem diceres aliter *improbæ naturæ?* Prorſus enim Suetonio, figura loquendi verecundiſſima, *improbius natus* eſt homo *improbæ naturæ.* Ut tamen *naturam* accipias non pro ſtatura (ita enim bis idem diceret Suetonius, & præcipuum dicti ſalem non tangeret) ſed ut in Priapejo: *Natura eſt quoniam ſemper aperta mihi:* ut apud Ciceronem lib. III de natura deorum, cap. XXII: ut apud Minucium Felicem, *parentis ſui adorare naturam.* Hoc eſt illud δολιχόσκιον ἔγχος. Diogenes Laertius in Diogene Cynico:

Μειράκιον εὔμορφον ἀφυλάκτως ἰδὼν κοιμώμενον, νύξας, ἐπέγειραι, ἔφη,
Μή τίς σοι εὕδοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.

Hoc exemplum unicum inter omnia dicta, *ne prætextatis quidem abſtinuiſſe* Veſpaſianum. Sic igitur quoque haſtatus fuit Cleſippus ille *acceſſio candelabri*, coemptionalis, cui cum ſoli venundando irrauceſcere nollet præco, Corinthio, facile lautiorum aliquem ſollicitaturo, hominem mantiſſam poſuit. Πρόσδομα vocat Maximus Planudes in vita Æſopi: Κερτομῆσαί με πάρες τὴν ἐμπορείαν, ὅτι τοὺς ἀξίους σου παῖδας ἀφεὶς τὸν αἰσχρὸν τοῦτον εἵλου. θάτερον τῶν λοιπῶν ὤνησαι, τοῦτον δὲ πρόσδομα λάβε. Curius ſe vix ait prodeſſe Attico, cujus ſit κτῆσιν, poſſe, niſi proſcribatur ab eo venalis, inter mancipia veterana, quæ plerumque in cumulum venduntur, aut aliis rebus vel mancipiis melioribus acceſſiones dantur: & ſic quoque non multum. Facit huc in pecore vendundo conventio, cujus meminit Varro lib. II de re ruſtica cap. II. *In emptione jure utimur eo, quod lex præſcripſit. in ea enim alii plura, alii pauciora exci-*

excipiunt. Quidam enim pretio facto in singulas oves, ut agni chordi duo pro una ove adnumerentur, & si cui vetustate dentes absunt, item bina pro singulis ut procedant. Facit constitutio Impp. in God. Theodosii de tironibus: *Qui spurca amputatione digitorum, declinat usum armorum, non evadat illa, quæ vitat, sed insignitus macula ferat impositum militiæ laborem, qui declinaverit dignitatem. Ipsis quinetiam provincialibus, qui ex horum ausis juniorum sæpe patiuntur penuriam præbendorum, hæc optio immobilis decernatur, ut tempore delectus agitandi, ubi commune cœperit conveniri, duos mutilos juniores pro uno integro eminentiæ tuæ dispositionibus offerant.* Utcunque autem unum tantum prædicet coemptionalem venalem, tanquam *Sardum venalem*, Chrysalus Plautinus, tamen venditori, si modo nihil ei esset subiti, si fastidia ferre posset, ne sic quidem desperandum fuisse, exoriturum, qui vel unum talem reciperet in frivola sua, attestatur mihi Busbequius. Comparentur & aliorum sententiæ. P. Victorius perbelle se defunctum putavit, si nos differret ad Calendas Græcas: quæ sint *coemptiones* & qui *coemptionales senes*, verba propria juris, nunc pœne obsoleta minute pertractare animum sibi non esse: cum opus fuerit, declaraturum: Ciceronis tantum locum in orat. pro Muræna apposi-
„ turum. Paulus Manucius: Non opinor hoc dici: si me Atticus, manci-
„ pium suum, venale proscripserit, inter senes qui *coemant*, sed inter senes,
„ qui *coemptiones faciant*. Aliud est enim *coemere*, aliud *coemptionem* facere:
„ *coemere* notam habet significationem: *coemptionem facere* est, cum mulier
„ in manum viri convenit solenni quadam stipulatione, qua se invicem coe-
„ mebant. Dicit ergo Curius: si venale proposuerit mancipium senibus coemptione uxores ducentibus. Quod autem genus auctionis concipere animo vel fingere possumus, quo mancipia venalia distrahebantur inter senes potissimum, & eos matrimonium coemptione ineuntes? Et quid cum istis senibus Curio? Post multa, quibus & coemptionem sacrorum causa inter-
„ miscet: In eam igitur coemptionem tutorum omnium consensu & aucto-
„ ritate fieri solitam jocari Curius voluit, cum de se tanquam de mancipio
„ vendendo loqueretur: ad verbum autem potius quam ad sententiam re-
„ spexit. Tu potius immo, vir optime, quam Curius: nam ille quid scriberet, scivit, nec verbum posuit, quod non egregie ad sententiam pertineret: tu multa huc attulisti, quibus cum vocabulis *coemptionalium senum* aliqua adfinitas soni & litterarum, sententiæ nulla prorsus. Achill. Statius in app. ad Topica legit: *quod quidem si inter vos senes concionales venalem proscripserit.* Joac. Camerarius: Venetam lectionem nos sequimur, *senes coemptionales*, id est, qui factitarent coemptiones. Turnebo videtur *proscribere venale inter senes coemptionales*, esse, in tabula auctionis proponere rem hac conditione venalem, ut proprietas tantum penes emptorem sit, nec res tota proscribatur & alienetur. Nimia mira, sed quare? Scilicet κτήστου καὶ χρήστεος meminit Curius: Attici ait sese esse κτῆσιν, Ciceronis χρῆσιν: Atticum, si hoc mancipium

inter ſenes coemptionales proſcribat, acturum non multum. Ergo *proſcribere inter ſenes coemptionales* eſt tantum proprietatem vendere. Vides quam male hoc colligatur. Si maxime is eſſet eventus, & vendendo Atticus inter iſtos ſenes nil niſi proprietatem transferret, id evenire judicandum eſſet, non quia iſti eſſent ſenes aut coemptionales, aut mancipium inter ſenes coemptionales, ut volunt, proſcriptum; ſed quod ipſe tantum κτῆσιν, non χρῆσιν poſſideret. Sive inter ſenes, ſive inter juvenes, ſive hominibus inter ſenem juvenemque auctionetur, qui nil niſi proprietatem habet, nil niſi proprietatem vendit. Sed maximum hujus & priorum interpretationum vitium eſt, quod in hac phraſi, *proſcribere inter aliquos*, putant *τὸ inter* alligare verbo *emptores*, cum omnino alliget vendendos & emptioni ſubjectos. Nam ipſum *proſcribere* tam generale eſt, ut nullum certum & definitum genus emptorum admittat: palam, publice omnibus, qui velint & poſſint emere, venum exponere ſignificat. Juvat Ulpianus l. XI §. III D. de inſtitor. act. etſi de alio proſcribendi genere illic agatur. *Proſcribere inter paucos* definitos non eſt proſcribere. *Senes coemptionales* ait eſſe, qui ad coemptiones libenter accedunt, & libenter emunt. Quæ vero iſtorum ſocietas & conjuratio, ut ſoli excluſis aliis obſiderent haſtam? Quæ illa haſta, ad quam aliis accedere non licuit? ubi juveni, ubi viro nemini digitum tollere? Unde autem bonorum hominum emacitas tantum contraxit mali, ut non poſſint emere niſi proprietatem? Quæ eſt illa proprietatis ſine fructu, ſine ſpe fructus coemptio, ad quam libenter homines & quidem ſenes accedant? Ariolatur deinde, juriſconſultos forſan ad perimendum in ſervitiis uſumfructum coemptionem quandam inveniſſe: & cauſas ejus, quod nuſquam eſt nec fuit, inquirendo gnaviter χαλκῶν μυῖαν θηρεύειν, lib. I Adverſ. cap. XXVIII. Hotomannus Curium ita interpretatur: Si inter eos ſenes, qui multos ſervos coemunt, venale hoc mancipium proſcripſeris. Sed præter illa, quæ diximus, hi quoque quod genus ſenes, qui multos ſervos coemunt? Cur ſenes potius quam viri? Aut ubi forum illud, in quo ſolis ſenibus venalia proponebantur? Marcilius hanc Plauto ſententiam affingit: Herum meum faciam ego, ut ſit hodie tanquam ſenex coemptionalis, quia ut ſeni coemptionali non manet hæreditas, ita nec hero meo manebit pecunia. Sed ſenibus his coemptionalibus nihil cum hæreditate. Qui ad coemptiones hæreditatum adhibebantur, etſi nihil adquirebant alienum, non tamen fraudabantur ſuo, nec decipiebantur, quippe qui ſcirent, quid agerent. Non poteſt igitur dici *facere* aliquem *ſenem coemptionalem* pro fraudare pecunia. Nec vero Plautus dicit: *faciam ſenem coemptionalem:* ſed *vendam:* oportet igitur eſſe ſimilitudinem aliquam hujus ſenis & illorum qui venduntur: non qui emunt. *Venire* autem pro decipi, dixit hac fabula: *O ſtulte, ſtulte, neſcis nunc venire te: Atque in eo ipſo adſtas lapide, ubi præco prædicat.* Milite: *una hic & Palæſtrio me habent venalem.* Item, pergit Marcilius, *ſenex coemptionalis* emit hæreditatem: at ego hunc ſenem coemptiona-

ptionalem ipſum venalem habebo & vendam profecto. Acumen egregium! Quid doctius? nam vendere ſenem, frigidum; vendere autem ſenem, qui ſolet emere, ac præſertim hæreditatem, quamvis ſalſum atque facetum. Nihilo melior tertia obſervatio, uſurpatam in coemptionibus illis imaginariis proſcriptionem quoque imaginariam: quod ſit in epiſtolis familiaribus, *inter ſenes coemptionales proſcribere*. Hæc revera imaginaria ſunt: hoc eſt dicere quod neſcias, ut ſcire aliquid imperitis videare. Salmaſius quoque de his ſenibus ad coemptiones adhibitis ſacrorum cauſa cenſet capiendum locum „Curii. Mancipia enim ſi forte hæreditaria ab illis ſenibus coemebantur, „qui proprietatem tantum eorum emebant, cum uſus maneret pænes ipſum „hæredem. Per fictionem enim celebrabatur hæc venditio, quo hæres ſa- „cris teſtatoris poſſet liberari. Primum illa diſtinctio hic proprietatis & uſus eſt Turnebi, cui jam reſpondimus. Deinde ſi proprietas erat ſenum, uſus hæredis, non erat fictio, non imaginaria venditio: vere enim aliquid conſequebantur: & qui proprietatem habent, profecto non habent nihil, quum poſſint intervenire caſus, quibus uſusfructus ad proprietarium redeat: At in imaginaria coemptione, qualis hæc quidem fuit, qualis cum pater filium emancipandum vendebat, nihil conſequebatur emptor, quod rem ejus augeret: omnia erant mimica, defunctoria, in ſpeciem. Infelices vero Juſtinianum & juriſconſultos, qui inter modos conſtituendi uſusfructus & ſeparandæ proprietatis ab uſu non poſuerint *coemptionem ſacrorum perimendorum cauſa*, quum præſertim, ut credibile eſt, tam frequenter fieret. Adfert tamen vir ingenioſus & rem novam, *ſenem coemptionalem* poni pro decrepito, quia ſenes in extrema tegula ætatis conſtituti eligerentur ad coemptiones faciendas. Multo ergo minus egerit, opinor, Atticus, ſi non ſenibus potius decrepitis quam crudis & validis mancipium ſuum licitandum offerat? Quid refert, quæſo? Aut quid juvat ſic refrigerare optimos veterum ſenſus? Nec neceſſe eſt adeo decrepitum ſtatui Nicobulum, qui, quamvis hoc ætatis, deſtinet navigare, poſſit amare. Denique jocatur, inquit, Comicus, cum ſenem ſe venalem habere ſervus pronuntiat, cum inter ſenes coemptionales ſervi hæreditarii proſcriberentur: at ſervus hic nequam dominum ſuum coemptionalem proſcribit venalem. Jocus hic Marcilii, non Plauti. Totum hoc malo fundamento innititur: *ſenes* nimirum *coemptionales* eſſe eoſdem, quos *ad coemptionem faciendam* adhibitos *ſenes* ait Cicero: eos fuiſſe decrepitos: eos emiſſe mancipia hæreditaria, *inter ſenes proſcribi* eſſe ſenibus venale proponi: quæ omnia vaticinantis, non conjectura aliqua probabili aut ratione agentis ſunt, ut tamen nihil ſani ſenſus efficiatur. Unus eſt omnium, qui paulo propius ad verum acceſſit Theodorus Adamus Siberus. ei *ſenex coemptionalis* γέρων συμπεράσιμος, συνωνήσιμος, nihil aliud quam emptionalis vel venalis, περάσιμος ἢ ὠνήσιμος, & *inter ſenes coemptionales proſcribere*, in foro aut in loco, ubi ſenes coemuntur aut veneunt.

Vere vidit, hos *senes* esse servos: ipsum genus servorum definire non potuit. Oportet autem *coemptionales* esse aliquid angustius quam *venales:* alioqui hæc vox & Plauto & Ciceroni, tam superflua, adhibita non fuisset.

CAPUT IX.

Livius correctus & illustratus. Senex concionalis. Humiles urbani. Iterum restitutus Livius. Urbani adsidui cives. Plauto lux. Assiduitas. Urbanus pro Scurra & vicissim. Suetonius a corrigendi conatu prohibitus. Per jocum testandi gratia signatum. Libellorum, quibus vitia & acta Principum traducebantur, variæ formæ. Epistola nomine exercituum. Tacito lux. Rustici Romani. Adsignare, condonare, dedere. Cedere unius testimonio. Valerius Maximus emendatus. Clarus imagine.

Sed ut appareat nihil adhuc sani de *coemptionalibus* illis *senibus* protulisse viros doctos, consideranda sunt & quæ apud Livium leguntur lib. III extremo, ubi eosdem mala ave inducere conantur: *Scaptione hic concionali seni adsignaturos putarent finitimos populos? clarum hac fore imagine Scaptium nomen? populum Romanum quadruplatoris & interceptoris litis alienæ personam laturum?* Aricini & Ardeates cum de proprietate finitimi utrisque agri sæpe armis dimicassent, præpostero ordine juris via rem componere tentarunt, & disceptatorem sumpserunt populum Romanum. Perorata causa & tribubus jam ad suffragia ferenda citatis, P. Scaptius de plebe homo octogenarius prodit, & impetrato per tribunos, ut ad populum agere liceret, adfirmat agrum controversum fuisse aliquando finium Coriolanorum, captis Coriolis jure belli populi Romani factum; non decere populum rem suam prædonibus, sive Aricinis sive Ardeatibus, adjudicare. Cum Scaptio hæc edisserenti plebs aures daret, ægre tulerunt Patres, tantam Romanæ justitiæ labem inuri, & inter cæteram indignationem verba, quæ citavimus, jaciunt. Quæ parum sana dudum visa sunt eruditis: ego nihil ibi mendi esse censeo, ubi maxime illi suspicantur, binas tamen voces ex scholio adjectas recidendas. *Concionali* Glareanus mutat in *concionanti:* Sigonius, P. Manutius, Marcilius, & Gutherius in *coemptionali.* Verum exstat ea vox integre tum in aliis Mss. tum in uno ex Pall. & sane mutanda non est. Liv. lib. I, ubi descriptionem classium centuriarumque ex censu ab Servio Tullo factam enarrat: *Ex iis, qui centum millium æris aut majorem censum haberent,* LXXX *fecit centurias, quadragenas seniorum ac juniorum: prima classis omnes appellati: seniores ad urbis custodiam ut præsto essent; juniores, ut foris bella gererent.* Erat autem Romæ genus hominum otiosum, qui omissis rebus aliis id fere solum curabant, ut concionibus interessent, atque ibi turbas darent. Quales describunt Athenis Apostolorum Acta cap. XVII. Ἀθηναῖοι δὲ πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον. Ii merito *concionales*, quodque id emeritis aut quibus ætas serior agendi moliendique

ſegnitiem impoſuerat, proclivius eſſet, *concionales ſenes.* Livius lib. III in oratione T. Quinctii: *At Hercules cum ſtipendia nobis conſulibus, non tribunis ducibus, & in caſtris, non in foro, faciebatis, & in acie veſtrum clamorem hoſtes, non in concione Patres Romani horrebant; præda parta, agro ex hoſte capto, pleni fortunarum gloriæque ſimul publicæ, ſimul privatæ, triumphantes domum ad penates redibatis: nunc oneratum veſtris fortunis hoſtem abire ſinitis. Hærete adfixi concionibus, & in foro vivite.* Lib. VI. *Cœpere a fame mala, ſive adverſus annus frugibus fuit, ſeu dulcedine concionum & urbis neglecto agrorum cultu.* Hos *otioſos urbanos* vocat Appius Claudius lib. V, ubi diſputatur de præda Vejorum; utrum ea publicanda, an in ſtipendium militi ſervanda eſſet. Atque ex his ſunt illa *forenſis factio,* homines humiles & nullius negotii, quibus per tribus diviſis campum corrupit Appius Cæcus, lib. IX extremo. Et inde appellat *humiles urbanos* Livius: *Flavium dixerat Ædilem forenſis factio, Ap. Claudii cenſura vires nacta, qui ſenatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat: & poſteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes; urbanis humilibus per omnes tribus diviſis, forum & campum corrupit.* Sic enim ſcribendum: non, ut editur, *opes urbanas.* Ex hac nota circumforanei, ſubroſtrani, ſub-baſilicani, canalicolæ, umbratici, qui pœne toto die πλήθουσαν ἀγορὰν faciebant, adeoque adſidue forum terebant & urbem tenebant, ut nec ruri nec militiæ unquam agerent: Quos *urbanos adſiduos cives* vocat Plautus Trinummo a. I Sc. II.

Nihil eſt profecto ſtultius, neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque perjurius &c.
Quam urbani adſidui cives, quos ſcurras vocant.

Fruſtra hic nos docent *adſiduos* dici pro locupletibus & facile munus facientibus, ab aſſibus duendis vel dandis, aut ab adſidendo in conciliabulis aut deſidiabulis, in quibus hoc hominum genus aſſidue garriendo & traducendo abſentes bonas horas conterat. *Adſiduitas* dicitur illorum, qui quotidie comparent, & ob oculos verſantur. Cicero in Piſon. XXVI. *In hac quotidiana aſſidua urbanaque vita.* Alibi claſſicus aſſiduuſque idem Gell. VIII, 8, & XVI, 10. Cicero Topic. c. 2. Et lib. I in Verrem: *Homo ſcilicet aut induſtria aut opera probata, aut frugalitatis exiſtimatione præclara, aut denique, id quod leviſſimum eſt, adſiduitate.* Inter vias, quibus ad honores pervenitur Romæ, ponit *aſſiduitatem:* quod ipſe interpretatur optime in orat. pro Plancio, cap. XXVI & XXVII. & Quintus de petitione, ubi inter alia: *Jam adſiduitatis nullum eſt præceptum, verbumque ipſum docet, quæ res ſit: prodeſt quidem vehementer nuſquam deeſſe: ſed tamen hic fructus eſt adſiduitatis, non ſolum eſſe Romæ atque in foro,* &c. Pro Muræna: *agitat rem militarem, inſectatur totam hanc legationem, adſiduitatis & operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum.* Suetonius Tiberio: *ut vitato adſiduitatis faſtidio, auctoritatem abſentia tueretur.* Propertius lib. II eleg. 33. *Elevat aſſiduos*

copia longa viros. Cic. XII ad Attic. 33. *Medici adſiduitas*, id eſt, perpetua præſentia. Cato de re ruſtic. cap. 145. *Aſſiduos homines quinquaginta præbeto:* qui aſſidue præſto ſint ad opus, ut aſſidui ac domeſtici apud eundem Ciceronem pro Cæcin. cap. XXII. Sed proximum Plauto illud Ciceronis pro Sex. Roſcio: *Quaſi vero mihi difficile ſit, quamvis multos nominatim proferre vel tribules vel vicinos meos, qui ſuos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas adſiduos eſſe cupiunt.* Sic Plautus *urbanos adſiduos* dicit, qui perpetuo in urbe degunt, operis expertes, rumorum appetentes. L. Æmilius apud Livium lib. XLIV. *Si quem id facere piget, & otium urbanum militiæ laboribus præoptat, e terra ne gubernaverit: ſermonum ſatis ipſa præbet urbs, loquacitatem ſuam contineat.* Sic *urbani competitores* apud Ciceronem I Att. I, de quibus vide Victorium lib. XIV Var. Lect. 12 aliter ſtatuentem. Ex hoc genere advocati illi Pænuli Plautini & advocati nocturni Petronianæ ſcenæ, & diviſores ſequeſtreſque apud Ciceronem, & operæ Clodianæ & præcones & ſalutigeruli anteambuloneſque, cœnarum & ſportularum ſectatores, tum paraſiti, omne denique genus otioſorum. Erant inter hos homines natura dicaces, & ad quævis dicteriis prompti, non in tempore & cum cauſa, & ut proficerent aliquid in ſuſcepto negotio (quibus rebus oratorem facetum a ſcurra ſeparat Cicero) ſed ut ridiculi viderentur, & totum diem & ſine cauſa: quidam, quod ingenio deerat, impudentia & conſuetudine ſupplebant: clientes regibus ſupparaſitari & vel teſtimonium falſum perjuriumque præſtare ſueti, quoſvis alios probris inverecunde laceſſere: inter ſeſe & alios riſum tam præbere quam captare: apud ſordidam plebem, quia quotidie occurrebant, & admiratione ingenii & inſectatione bonorum conſpecti & grati, eoque miſcere cætus gnari & faciles. Moſtellaria a. I ſc. I. *Tu urbanus vero ſcurra, deliciæ popli.* Euripides Bacch. DCCXVI. Πλάνης κατ' ἄστυ καὶ τρίβων λόγων. Talis & ille lib. IV ad Herennium: *Scurra exhauſto rubore.* Phædro *ſcurra notus urbano ſale.* Apud Horatium I Epiſt. 12. *Urbanus cœpit haberi Scurra vagus.* Unde *Urbanus* pro ſcurra. Suetonius Julio cap. XX. *ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum teſtandi gratia ſignarent, non Cæſare & Bibulo, ſed Julio & Cæſare Coſſ. actum ſcriberent.* Læv. Torrentius monet inverſa eſſe verba, legendumque: *cum quid teſtandi gratia ſignarent, per jocum non* &c. Ego vero teſtationem illam omnem jocoſam, non ſeriam, fuiſſe exiſtimo: etenim ſi quid habuiſſet gravis & ſerii negotii, non pateretur is, qui advocaſſet, inſtrumentum veritatis & fidei cauſa conſcriptum ejuſmodi ludibriis auctoritatem perdere. Ergo illud *per jocum teſtandi gratia ſignatum* fuiſſe cenſeo genus libelli, quo publica vitia traducebantur. Quorum libellorum crebra mentio apud Suetonium: ut & variarum formarum, quibus concipiebantur. Interdum carmina erant: interdum edicta, ut Julio cap. LXXX & Vitellio cap. XIV: interdum tituli ſtatuarum, ut Julio cap. LXXX, Nerone XLV: interdum ſententiæ, ut apud Tacitum V annal. 4: interdum

epiſtolæ,

epistolæ, ut illa Agrippæ juvenis nomine, Octavio LI, & communi nomine legionum, ut legatis consularibus simul cum exercitu triumphalia darentur, Claudio cap. XXIV. Cujus & meminit Tacitus lib. XI Annal. cap. XX, non intellectus Cluverio lib. III Germ. antiquæ cap. VII. Curtium Rufum ei occasionem dedisse ait Tacitus opere militari *in agro Mattiaco* recludentem specus quærendis venis argenti. Lipsius *Mazyacum* Africæ illum agrum facit: Cluverius pugnat pro *Mattiaco* Germaniæ: in cujus argumentis unum modo perspicue falsum notare libet, literas Curtium occultas composuisse nomine exercituum. Non enim Curtius illas composuit, quem illæ invidia maxime onerabant, sed aliquis urbanus: neque illius proprie militis nomine, qui Curtio suberat, ut necesse fuerit plures quam duas legiones fuisse, quæ nomine *exercituum* venirent: sed *communi nomine legionum*, ut ait Suetonius, quæ scilicet ubicunque essent. ita ut auctor ejus haberet ob oculos & Corbulonis fossam & Curtii metalla, & quæ plures per provincias similia tolerabantur, quod non siluit Tacitus. Sic nihil impedit, quo minus credamus urbanos quosdam fecisse instar instrumenti vel testationis, qua acta illius anni, larga materia, vel aliquid eorum, tanquam interesset scriptam hanc extare memoriam, nec crederentur, nisi plane confirmata subscriptione testium & signatorum, mixtis jocis seriisque specie joci, notarentur. Sic certe *urbani* eidem Suetonio in Vespasiano: *Unde quidam urbanorum non infacete: siquidem petenti, ut & in se aliquid diceret, dicam, inquit, cum ventrem exonerare desieris.* Et vicissim *scurra* pro urbano vel pagano. Plautus Epidico: *Scurra es.* Ep. *Scio te esse quidem hominem militarem.* Truculento: *quem scurræ laudant, manipulares mussitant.* Hi saniori parti civium merito contemnebantur, ex prisco instituto, quum vera Romuli proles, ut ait Columella, assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitabatur, & rusticam plebem præponebat urbanæ: quum proceres civitatis in agris morarentur, & ubi consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum: unde qui eos evocabant, *viatores* nominati. Inde honestum nomen plebeii ordinis *rustici Romani.* Cic. pro Sextio in *Optimatium*, hoc est, qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocat *municipales rusticosque Romanos.* De senectute: *Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos & familiares meos.* Lib. I de divinatione: *Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis.* Tib. Atinium *de plebe hominem* appellat Livius. Marcus filius ad Tironem: *Habes ubi deponendæ tibi sunt urbanitates; rusticus Romanus factus es.* Meminit & Varro apud Festum in *Prærogativa.* & lib. III de re rustic. c. I. Et hinc conquerebatur Varro patresfamilias falce & aratro relictis intra murum correpsisse. Cæterum ejusmodi concionalem hominem depingit Cicero in orat. pro Cluentio: *homo maxime popularis, qui omnes rumorum & concionum ventos colligere consuevisset.* Lib. II ad Q. Fratrem ep. III. *Concio-*

nario

nario illo populo a se prope alienato. Et de iisdem lib. I ad Atticum: *illa concionalis hirudo ærarii, misera & jejuna plebecula.* Ex hoc numero Scaptius ille *concionalis senex*, non *coemptionalis*, quod longe aliud genus est. Nunc novus oboritur scrupulus, quomodo dicantur *adsignaturi Scaptio finitimos populos:* non enim Scaptio, sed sibi, id est, populo Romano, id facturi erant: nec populos, sed unum agrum inter duos populos finitimos controversum. Ea de caussa Andreas Schottus locum lacerum scilicet ita putat integrandum: *Scaptione concionali sene judice agrum sibi adsignaturos putarent; apud finitimos populos clarum hac fore imagine Scaptium nomen?* lib. III Observ. Hum. cap. XXXVIII. Nos facili brachio hanc difficultatem amolimur. Interrogatio est ad invidiam composita: itaque *finitimos populos* ὑπερβολικῶς dicit pro aliquanta possessione finitimorum populorum. Scaptio autem tribui, quod illo suadente & perferente, in illius ferentis gratiam, tribuitur cuicunque, recte nec minus invidiose censemus. Sic apud Tacitum lib. III annalium: *ut effusi in lacrimas sæva & detestanda Quirinio clamitarent: cujus senectæ atque orbitati & obscurissimæ domui destinata quondam L. Cæsari uxor ac D. Augusto nurus dederetur.* Lepida nimirum, quam ille adulterii veneficiique & quæsivisse in domum Cæsaris per mathematicos detulerat, videbaturque damnaturus. Lib. XVI. *audiret insontem, neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto.* Cicero pro Cœlio: *in ea civitate ne patiamini illum absolutum muliebri gratia, M. Cœlium libidini muliebri condonatum.* Pro Scauro: *ut M. Æmilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria, sordidissimæ, levissimæ, vanissimæ genti, &, prope dicam, pellitis testibus, condonetur.* Ubi And. Patricius, Lego, inquit, *condemnetur.* Ovidius lib. VIII Metam. CXVI. *Patris ad ora? Quem tibi donavi.* Justinus XXII, 3. *A quo infensissimo hosti fortunæ sociorum donatæ sint.* Seneca ad Marciam cap. XXII. *Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Sejanus patrem tuum clienti suo Satrio secundo congiarium dedit.* Talis exaggeratio lib. II Livii: *fame jam se sicut hostes peti &c. nisi C. Marcio vincti dedantur tribuni, nisi de tergo plebis Romanæ satisfiat.* Quia ille auctor erat premendæ plebis, donec præsidium tribunicium ipsa sibi abrogaret. Sic Valerius Maximus lib. II cap. II. *Indignum existimantes, illecebris & suavitati literarum pondus & imperii auctoritatem donari.* Ubi male Pighius *domari.* Et similiter idem l. IV c. I. *discedens adjecit, ita sibi credi oportere, si & alii idem adseverassent, quoniam unius testimonio aliquem cedere pessimi esse exempli.* hoc est, ut Tacitus, dedi, per unius testimonium damnari. Ita autem scribendum ex Ms. bibliothecæ S. Victoris: etsi repugnet Colerus. Vulgo male, *credere* & *esset.* Phrasis, ut in *cedere præmio.* Valerius Flaccus lib. V. *gregis cessit cui regia.* Statius: *queis regni cessit fortuna secundi.* Jam vero apud Livium vocem *putarent* scholion esse, atque omnino exstirpandam certum habeo. Scimus orationibus illis infinitivis frequentissime insubidos corruptores

ptores intempestiva hujusmodi sufflamina substrinxisse, atque ad Livium ipsum multis exemplis docuimus. Eodem numero habemus τὸ *nomen*, quod neque in illis scriptis Codd. quos consuluimus ipsi, neque in Pall. exstare cognovimus. *Clarum hac fore imagine Scaptium*, decentissima tralatione est, hac actione nobilem & celebrem Scaptium fore. Notum est *imagines* fuisse insigne nobilitatis apud Romanos. Quod igitur accidit hominibus novis, qui ad honores curules admissi jus imaginis accipiunt, aut quod nobilibus sunt imagines, argumentum ingens gloriæ, id Scaptio hanc actionem, quasi aucto agro publico dolent fore apud populum: qui tamen ipse populus eadem actione invidiosum quadruplatoris & interceptoris litis alienæ nomen sibi quærat. Ergo oppositio est inter populum Romanum & solam Scaptii personam, non nomen vel gentem Scaptii. Salustius in orat. Marii: *Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverso corpore: hæ sunt meæ imagines, hæc nobilitas.* Agnoscimus ergo nitorem Livianum: *Scaptione hic concionali seni adsignaturos finitimos populos? clarum hac fore imagine Scaptium? populum Romanum quadruplatoris & interceptoris litis alienæ personam laturum?*

CAPUT X.

Proverbium: Sardi venales, alius alio nequior. Festus a duplici conjectura defensus. Vernæ, optimum genus servorum. Vernilis dicacitas. Vernaculi. Suetonius illustratus. Tacitus correctus. Vernacula urbanitas. Petronius emaculatus. Sardi Sardiniæ, non Sardium cultores. Sardorum contumacia & detrectatio serviendi. Corsi optimi servi. Ludorum Capitolinorum mos. Præconum dicacitas. Ciceronis locus illustratus & vocibus subditis exoneratus. Hipponacteo præconio addictus.

Contulimus superius *senes coemptionales* cum *Sardibus venalibus* proverbio & ipsis appellatis: de quo quia olim nos dicturos aliquid promisimus, libet fidem liberare. Notum est proverbium: *Sardi venales, alius alio nequior:* auctoribus Festo & Plutarcho in quæstionibus Romanis ortum ex ritu in ludis Capitolinis usitato, in quibus auctio simulabatur Vejentium, & novissimus producebatur senecio cum toga prætexta bullaque aurea, præfante atque incinente præcone: *Sardi venales, alius alio nequior.* At in Romulo Plutarchus ab ultimo regis hujus mortalium operum cum Vejentibus prælio arcessit originem: traductum eorum ducem in triumpho, provectæ ætatis, sed visum imprudenter nec pro ætate rem gessisse: inde θύοντας ἐπινίκια, senem per forum in Capitolium trahere prætextatum cum bulla puerili, & hoc carmine præconis. Vejentes nempe Etrusci, at Etrusci Lydorum coloni, Lydorum caput aliquando Sardes. Sed præterquam quod a Sardibus ἐθνικὸν non est *Sardi*, nimis longe petita est hæc denominatio Vejentium,

 & vix

& vix poetæ permittenda: nedum ut Romanum vulgus in Vejentibus illudendis ex ultimis Tuſcorum antiquitatibus appellationem illorum eruerit. Alia refertur ſententia Capitonis apud Feſtum: Tib. Gracchum, collegam P. Valerii Faltonis in conſulatu Sardiniam Corſicamque ſubegiſſe, nec prædæ quicquam præter mancipia, quorum viliſſimam multitudinem fuiſſe. At Jo. Meurſius, tanquam duplici ignominiæ vocabulo homines nequiſſimos *Vernales & Sardos* appellatos ſcribit, & ut nugaciſſimam nec unius aſſis utramvis interpretationem Feſti proſcribit, lib. III Miſcell. At enim quare *vernales* nequiſſimi homines? aut ubi vernæ omnium nequiſſimi? in lenonum, credo, aut cauponum ædibus. Alioqui vernas optimum fuiſſe putabam ſervorum genus, utpote, qui herili domui eam, quam ingenuus quiſque patriæ, caritatem & curam præſtarent, atque adeo tranſmarinis & advectitiis, aut ex hoſte captis, de lapide emptis, longe anteponerentur. Dicacitas ſane vernilis, nempe ab indulgentia dominorum profecta, adagio jactatur. Unde & in urbe homines viles, dicaces & procaces, plerique libertinæ conditionis & vernilem laſciviam etiam exſuta ſervitute retinentes, *vernaculi.* Sic Martiali *vernaculorum dicta & probra linguæ circulatricis* eadem. Suetonius in Vitellio cap. XIV. *Nullis offenſior quam vernaculis & mathematicis, ut quiſque deferretur, inauditum capite puniebat.* Ubi ſollicitarunt inſignes viri, *veraculis, vericolis, divinaculis,* ſubſtitutis. Tandem interpretati ſunt γόητας, ψηφοπαίκτας, θαυματοποιὺς, Caſaubonus & Salmaſius ad hiſtor. Auguſtam. Sane Zonaras in hac ipſa re referenda conjungit ἀστρολόγυς καὶ γόητας. Sed nimis anguſte ſpeciem pro genere ponit. Et hi *vernaculi*, ſed non ſoli, nec præ aliis, nec potiſſimum hic intellecti: omnes enim ſcurras, intemperantia oris notos, includit hoc vocabulum; omnes qui ſordidas capturas ridiculis dictis otioſam aut tranſeuntem plebem allicientes & lactantes adjuvabant: quo ex numero complures recenſet Martialis lib. I epigr. XLI. Vitellius cur præſtigiatores potiſſimum odiſſet, cauſa nulla erat; ſed erat, cur illos, quos fatentur Martiali *vernaculos* dici, εὐτραπέλυς, dicaces & ſcurriles & mimicos homines, quia in illum larga dictorum materia, & minus parcebant principi repentino. Nota Suetonii ars & ſubtilitas, maxime notabilia in quoque genere breviter complecti, dein ſingula exemplis adfirmare. Hic quæ duo dixerat, & *vernaculis* & *mathematicis* infenſum fuiſſe Vitellium, uno exemplo, ſed in utrumque ſufficiente, comprobat: *exacerbatus, quod poſt edictum ſuum, quo jubebat, intra Kal. Octobris urbe Italiaque excederent, ſtatim libellus eſt propoſitus, & Chaldæos edicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem uſquam eſſet.* Nam prædictum de morte Vitellii eſt mathematicorum: at id proponi formula edicti, non præſtigiatoris eſt nec θαυματοποιῦ, ſed hominis faceti, quales in iſto ordine ſcurræ, urbani, aretalogi, *vernaculi.* Illud recte, quod ibidem correctiorem Salmaſius advocat Tacitum ſine mentione correctionis,

unde

unde non advertit editores. lib. III histor. cap. LXXXIIX. *Incuriosos milites, vernacula urbanitate, quidam spoliavere, abscissis furtim baltheis, an accincti forent, rogitantes.* Quum legerem apud Pichenam, aliquod vitium hic latere, quod Flor. & Ven. verbo essent auctiores: *vernacula utebantur urbanitate:* & viderem sic impressum in Frobeniano exemplari: non dubitavi scribere: *vernacula, ut rebantur, urbanitate.* Idemque Salmasio in mentem fuisse apparet, quia non aliter adducit Taciti verba. Ut Justinus XX, II. *Obtentoque, ut rebantur, quod petebant.* Locum Taciti habuit in mente auctor Queroli, cum scriberet: *Ubi illi sunt, qui urbane fibulas subducunt, quique curtant baltheos? Vernaculi* tamen & inde potuerunt appellari, quod *urbanitatem* propria nota *vernaculam* dicebant genuinam & intra Romana pomæria natam. Cicero lib. IX ep. XV. *Moriar, si præter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ & vernaculæ festivitatis agnoscere.* Bruto: *Tincam, non minus multa ridicule dicentem, Granius obruerat, nescio quo, sapore vernaculo.* Lib. VII ad Att. ep. II. *Mehercule est, quam facile diligas, αὐτόχθων in homine urbanitas.* Cornelius Nepos Attico: *Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum.* Utrumque alludens Petronius: *o hominem acutum atque urbanitatis vernaculæ fontem!* Ita enim scribendum: non *vernulam,* neque enim a verna *vernulus:* neque *verniliam,* quod Scaligero placuit, juxta decens ac si quis *puerilIam, juveniliam, seniliam* diceret: denique utramque vocem analogia respuit. Nec *frontem* subjecissent memores Plautini Trucul. a. II sc. VII. *fons vitii & perjurii.* Sed vernarum præter cæteros servos scelera, & inde *vernales* pro omnium nequissimis nuspiam reperire est. Nihilo melius, *Sardos,* vetustissimis dictos versipelles & callidos, quia *sardare* apud Nævium *intelligere* explicat Festus. Conjectura tippula levior. De Nævii *Sardare* nihil statuere possumus: est enim ἐκ τῶν ἅπαξ εἰρημένων. etsi ut *Gallare, Græcari,* dictum videatur: sed si *Sardus* intelligens & callidus, quomodo statim *Sardi* omnium nequissimi? Astutum hominem cum dico, nondum vincere illum astutia servos omnes Comicos adfirmo. *Syros* ergo potius *venales* faceret, ex dicto Ciceronis, de quo est apud filium lib. II de oratore, solitum dicere, Italos *homines similes esse Syrorum venalium; ut quisque optime Græce sciret, ita esse nequissimum.* Sed, inquit, nec a *Sardibus* nec a *Sardinia* populi possunt *Sardi* cognominari. Nimirum quia Sardes Σαρδιανὸς, Σαρδὼ autem vel Σαρδὼν Σαρδόνιος ἢ Σαρδῷος ἐθνικὰ faciunt. Ægre fero excidisse homini doctissimo, Sardiniæ cultores non posse dici *Sardos.* Cicero igitur, Livius, Silius, totque alii nesciverunt gentile a Sardinia formare. Tigelliusque non a patria *Sardus* Horatio dicitur, nec cum pestilentiorem eum patria sua dixit, respexit ad gravitatem cœli Sardiniæ Cicero. Sed quis melior hujus proverbii auctor ipso Tullio, lib. VII Famil. epist. XXIV. *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem.* Nempe Phameam, & M. Tigellium Hermoge-

nem, nepotem illius, modulatorem optimum, in Sardinia natum, ut notat Acron. Ex quo apparet non recte Scaligerum in Festo constituere: *Sardi venales, id est, alius alio nequior.* Nam ista, *alius alio nequior*, pars sunt proverbii, non explicatio Festi. Apparet etiam Vejentium auctionem non dedisse principium isti dicto: a Sardibus enim non *Sardi*, sed *Sardiani* dicuntur: ut & format per errorem Plutarchus: Σαρδιανοὺς ὠνίους. Aurelius Victor: *Tib. Sempronius Gracchus prætor Galliam domuit, consul Hispaniam, altero consulatu Sardiniam, tantumque captivorum advexit, ut longa venditione res in proverbium veniret: Sardi venales.* Imo prætor Hispaniam domuit, consul Sardiniam, hostium cæsis aut captis octoginta millibus: quam quidem etiam in altero consulatu provinciam habuit, sed nullis magnopere celebratis rebus in ea gestis. Testis Livius lib. XLI. Fuit autem consul cum C. Claudio Pulchro, qui ex Istria & Liguribus triumphum meruit V.C. anno IↃLXXVI. Capito autem altius arcessit, nempe ab V.C. IↃXV, quo consules fuere hujus avus Tib. Sempronius Gracchus, P. Valerius Falto. Quo sane anno Sardinia Pœnos sine pugna cessisse Romanis, testis Zonaras, quod ipsi bello mercenariorum laborarent: inde autem triumphatum fuisse vix credibile est, certe non constat. Ex alterutro horum sine dubio natum est illud proverbium. Pessime servisse Sardos testatur Eustathius Dionysii Scholiastes: *Καὶ οἱ κατέχοντες αὐτὴν θηρίων εἰσὶν ἀγριώτεροι, καὶ οὕτω βοσκηματώδεις, ὥστε ἢ ἀνδραποδισθέντες ἢ οὐκ ἀνέχονται ζῆν ἢ ζῶντες ἀπειθίᾳ καὶ ἀναισθησίᾳ τοὺς ἔχοντας ἐπιτρίβουσι καὶ οἱ αὐτοὺς κτώμενοι δεσπόται, εἰ καὶ τὸ τυχὸν τίμημα καταβάλλουσιν ὑπὲρ αὐτῶν, ὅμως μεταμέλει αὐτοῖς ὕστερον.* Quæ verba apud Strabonem lib. v. (*ἀπαθείᾳ* ibi legitur *ἀντὶ τοῦ ἀπειθίᾳ*) referuntur de Corsis; apud advocantem inde Eustathium ita, ut & de Sardis & de Corsis possint accipi: sed de Sardis, non de Corsis, vera sunt, sive hic error fuerit Strabonis, sive aliquid habeant nævi exemplaria. Casaubonus quoque miratur infamari servos Corsos a Strabone, quos contra laudaverit Diodorus Siculus, testatus mancipia Corsica *διαφέρειν δοκεῖν τῶν ἄλλων δούλων εἰς τὰς κατὰ τὸν βίον χρείας, φυσικῆς ταύτης ἰδιότητος παρακολουθούσης.* Causam præterea indomitæ hujus contumaciæ in Sardis probabilem suppeditat Diodorus lib. IV & V. Jolao coloniam Thespiadarum in Sardiniam deducenti oraculum datum, *ὅτι τοῖς τῆς ἀποικίας ταύτης κοινωνήσασι διαμένει τὰ τῆς ἐλευθερίας ἅπαντα τὸν αἰῶνα.* atque ideo nec Carthaginienses nec Romanos quantiscumque cladibus ita universam insulam subigere potuisse, ut non plurimi repudiata omni jurisdictionis externæ patientia in montes illos Insanos refugerint, & per antra & specus sylvasque ferarum quam hominum imperantium consortia ferre maluerint. Et Livius Ilienses Sardiniæ gentem ne sua quidem ætate omnem perpacatam fatetur lib. XL. Tacitus, quatuor millia libertini generis, Judaica Ægyptiave superstitione infectos, in Sardiniam, coercendis illis latrociniis, ablegatos sub Tiberio scribit. Hinc & Floro gentium illius insulæ *feritas & gens contumax vi-*

max vilisque morti, memoratur. Eo autem proclivior Strabonis error, quod Pausanias lib. x refert ex Cyrno insula non parvam manum seditione pulsorum in Sardiniam transfretasse, montibusque occupatis sibi oppida muniisse, & ab Sardis patrio ipsorum nomine Corsos appellatos: hos, ut & Ilienses, qui in montanam insulæ regionem item profugerant, cum jam omnia tenerent Libyes, nunquam in illorum potestatem venisse: Græcos fere prope omnes (intellige, qui non simul refugientes se barbaris illis miscuerunt) ab iisdem deletos: quod non tam crudelitate fecisse crediderim, quam quod unquam bona fide toleraturos Pœni eos imperium suum desperarent. Satis jam constat de Sardiniæ Sardis: sed quid hi ad ludos Capitolinos? Negari non potest ritum fuisse in istis ludis, ut imaginaria auctio Vejentium celebraretur, quorum agmen claudebat seniculus bis puer cum prætexta & bulla: quem morem adhuc suo tempore, ἔτι νῦν, frequentatum clare adfirmat Plutarchus. Præcones in illis mancipiis jumentisve, quæ non promptos invenirent emptores, dicacitatem suam exercuisse, vel ex Appuleii lib. VIII Miles. notum est. Postquam igitur Sardi non semel rebellantes devicti, qui de captivis sub corona venierant, nequiter serviendo dederunt occasionem proverbio de suæ nationis mancipiis, ex eo tempore præcones in ludis Capitolinis cæteris jocis in mancipia minimi pretii hanc quoque adjecerunt præfationem: *Sardi venales, alius alio nequior.* Usus autem proverbii tutissimus non in negotio infinitæ prolixitatis atque inexplicabili (ut, respiciens solum illud *longa venditione* apud Victorem, statuit Erasmus) sed vel in mercimoniis nihili & fastidiendæ abundantiæ vel in duobus pluribusve ex ea nota mortalibus, ut cui palmam improbitatis & nequitiæ tribuas justius, conteris & dubites, præsertim si vel ipsi sese vel alii illos venditent. Quales Octavium, Lepidum, Plancum, Asinium post Mutinense prælium Cicero & senatus experti. Qualis Græcis ἀγορὰ κερκώπων. Est autem in eadem Ciceronis epistola, quod nec sanum mihi esse videtur, nec satis intellectum: *Olim cum regnare existimabamur, non tam ab ullis quam hoc tempore observor a familiarissimis Cæsaris omnibus, præter istum. Id ego in lucris pono non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum jam tum puto esse Calvi Licinii Hipponacteo præconio.* Postrema sic interpretatur Manucius, studiosum esse cœpisse eorum versuum, quos Calvus Hipponactis more scripserit in Ciceronem, quod hic prætor patrem illius Licinium Macrum condemnaverat. Ego vero Hipponacteum carmen ab Licinio Calvo in ipsum Tigellium strictum fuisse censeo. Nam quid est studiosum esse versuum? num libenter eos legere? Si quia docti & diserti erant, auctoris ingenio, non odio ejus, in quem facti erant, placebant: sin, quia Ciceronem oderat, & gaudebat ejus contumelia, alia gravior præcesserat caussa simultatum, neque pro magno putaret Cicero non coli ab homine carmina in ipsum scripta legente. Calvus immo Tigellium olim probroso carmine infamaverat,

 & me-

& meritis, opinor, inusserat turpitudinis notis. Hoc dicit ἀλληγορικῶς Cicero *addictum Hipponacteo præconio.* Præconum est proclamare venales eorumque prædicare virtutes & artes, ut citius emptorem inveniant: iidem addicebant emptori, seu jubebant emptorem ducere emptum, ubi de pretio convenerat. Cicero pro Rabirio Postumo repetundarum reo: *tua, Postume, nummo sestertio a me addicuntur. O meum miserum acerbumque præconium!* Ita proscripsit proclamavitque Hipponacteo carmine Tigellium, & prædicavit publicavitque illius scelera & vitia, & hominem duraturæ in æternum infamiæ quasi addixit Calvus. Suspicor autem supervacanea esse duo verba: *puto esse:* ut fuerit, *non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum jam tum Calvi Licinii Hipponacteo præconio.* Eum præsertim, inquit, quem jam ante tot annos ita prædicavit Calvus, ut Hipponax Anthermum & Bupalum: quasi præco venalem exposuit cum ornamentis omnibus, tradiditque infamiæ velut proprium & addictum. Et ad talem quoque interpretationem videtur discedere Torrentius ad Horatii Epod. VI.

CAPUT XI.

Mercedes Grammaticorum & Rhetorum. Ovidius emendatus. Censum fraudare thure. Honores habiti & salaria e fisco constituta. Tentata lex VI. D. *de Excusationibus.* Συνθμοί. *Sacerdotiis quatenus immunes sophistæ. Philostratus defensus.* Αἱ μύριαι ἐκ βασιλέως. Οὐχ αἱ μύριαι τῶν ἀνδρῶν. *Philostrato iterum lux. Sexcenti aurei* μύριαι καὶ πεντακισχίλιαι δραχμαί, *non tantum* δισχίλιαι. *Tentata & lex X de Pollicitationibus.* Τρεῖς μυριάδες *usuris semissibus pariunt* MDCCC *denarios.* Δισχίλιαι πεντακόσιαι μυριάδες, *millies sestertium. Roscii sexagies binis millibus emptum. Quum dicuntur tot millia nummum, sestertios intelligi, non denarios. Eoque male duo millia reddidisse Plutarchum* δισχιλίας δραχμάς, *& frustra defendi. Plautus tentatus. Appulejo in Apologia vetus scriptura firmata. Cato qui dicatur in stipe Apollinis accepisse denarium? Cato quindecimvir. Quindecimviri sacerdotes Apollinis. eoque domi cortinas habebant. Unde Valerio Flacco lux.*

Primus e Sophistis Protagoras mercede docuit, πρῶτος γὰρ παρέδωκεν Ἕλλησι πρᾶγμα οὐκ μεμπτόν, inquit Philostratus: & idoneam rationem subjicit: ἃ γὰρ σὺν δαπάνῃ σπουδάζομεν, μᾶλλον ἀσπαζόμεθα τῶν προῖκα. Fere ut Aristides in Alexandrum tom. I pag. CXLIX. Τῆς μὲν τοι τέχνης οὐκ ἠξίωσε λαμβάνειν μισθόν. ἐδόκει γὰρ αὐτῷ λυσιτελεῖν τοῖς νέοις μαθημάτων ἕνεκα πλείω προϊέσθαι. Ab eo tempore grammaticis & rhetoribus, modo disciplina & adsiduitate scholas tuerentur, ampla emolumenta non defuerunt. M. Antonius Gnipho de mercedibus non paciscebatur, eoque plura ex liberalitate discentium consequebatur. Remmius Palæmon ex schola quadragena annua capiebat. Tantidem docendum conduxit Calvinum Esicium equitem Romanum L. Appulejus. Verrius Flaccus habitationem in palatio & centena sestertia in annum ab Augusto meruit. Taceo servos literatores immanibus pretiis emptos, dein manumissos. Julius Cæsar addidit honorem, omnes liberalium artium

docto-

doctores, quo libentius & ipsi urbem colerent & cæteri appeterent, civitate donando. Tamen eos extra classem projecisse & non nisi capite censos fecisse volunt Ovidium lib. III Fastorum:

Nec vos turba feri censu fraudata magistri
Spernite. discipulos attrahit illa novos.

Olim legebatur *sensu*, quod quidam ex his, quos interpretantur, juvare se crediderunt loco Persii, Sat. III. *non sano laudanda magistro*; Sc. Gentilis in Parergis loco Platonis, ubi pædagogos ἀποβαρβαρίζοντας nominat, quod sint ingenio illiberali & aspero. Nuper *censu* placuit. Sed non huic generi, quam cuivis alii, magis hoc conveniens: cum sint & in illis tam qui habeant censum, quam qui careant, prout quisque frugi aut quæstus contemptor est. Orbilii quidam & Valerii: quid qui quadragena, qui centena annua caperent? At alii, non hoc vult, inquiunt, Ovidius, sed fraudatos minervali, quod hoc die solvebatur. Quare autem hi quoque magis, quam omnes mercedem merentes, ubi in fraudatores inciderunt? Quid vulgarius & nunc & olim, quam milites fraudari stipendio a centurionibus? Quis ideo milites dixit *turbam censu fraudatam?* Tamen, ut hi præter cæteros fraudarentur, bene sibi explicuisse visus illustris adolescens: fraudis causam dedisse ferias, quum a parentibus data in magistrorum stipendium ludis & bellariis destinarent pueri, metu postea & pudore ad scholas accedere non ausos, reliquisse didascalos sine mercede, sine discipulis: ideo potissimum, *novos attrahit*, dici, quia veteres emanerent. Sed cur necesse fuit minerval istud pueris committi, quorum inter manus strangulabatur? non poterant in jure petere, ut Protagoras ab Euathlo? Jam emanendi & itandi omne arbitrium penes pueros erat ipsos? Denique scio illud: *Ars illi sua census erat:* non solent tamen veteres *censum* pro salario aut dubio reditu dicere, quum sit ipsum statum, ut sic loquar, & fundatum patrimonium. In quo valde improbandus sermo diserti hoc seculo scriptoris: *militare munus annuumque muneris censum offert Caprio: offerendum censum annuum duorum millium florenorum: non solvendum autem hunc censum* &c. quæ nunquam Roma vetus audiit. Quid ergo est? nempe graviore morbo laborare hunc Ovidii versum, haud scio, an ita curandum:

Nec vos thure, feri, censum fraudare, magistri,
Spernite. discipulos attrahit illa novos.

In Mss. invenimus *fraudante* & *fraudate*. Nec pœniteat vos, duri magistri, detrahere aliquantum patrimonio, quod in thus deæ libandum impendatis. *Censum fraudare*, ut *fraudare genium*. Statius in Lacrimis Etrusci:

Quam dives in usus
Natorum totoque volens excedere censu.

Spernite fraudare, ut, *Sperne repugnando tibi tu contrarius esse*. Idem, quod *noli*. Sic Grammatici. Rhetoribus Vespasianus quum ingenia & artes maxime fo-

me foveret, primus ex fisco annua centena constituit: & M. Fabium Quintilianum ex Hispania Romæ inquilinum stipendium e fisco accepisse testis Eusebius. Ab Trajano honor & dignatio tanta dicendi magistris & sapientiæ professoribus, ut per eum spiritum & sanguinem & patriam recepisse studia prædicent Plinius & Juvenalis. Hadrianus omnes professores honoravit & divites fecit: in summa familiaritate Epictetum & Heliodorum philosophos, tum grammaticos & rhetoras habuit: doctores, qui professioni suæ inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a professione dimisit. Antoninus Pius grammaticis & rhetoribus & philosophis per omnes etiam provincias & honores & salaria detulit. Finivitque numerum, quot quibus in civitatibus exhiberi publice deberent: metropoles gentium quinque ut tuerentur rhetores, grammaticos totidem: juridici conventus (sic enim Plinius vocat, quos Lex dicit *habere forum causarum, vel loca judiciorum*, dictos inde, quod magistratus provinciales ibi jurisdicendi causa conventus & fora agere solerent, & vicini populi eodem disceptandi ergo concurrere) quatuor qui docerent utramque doctrinam: reliquæ minores civitates tres sophistas & grammaticos totidem. In philosophis numerum non terminavit, quia rariores reperiebantur, sed hæreses sive disciplinas elegit, e quibus, si daretur, omnibus aliquos probarent atque alerent, Stoicos, Platonicos, Epicureos, Peripateticos. Honorum loco præcipuas immunitates & vacationes munerum duco: *immunes esse gymnasiis, sacerdotii stantes, & neque ad frumenti & vini & olei emptiones & præpositiones, & neque judicare, neque legatos esse neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum cogi.* quæ verba sunt L. VI π. VIII D. de excusationibus. Sed haud dubie corrupta: quid enim est *sacerdotii stantes?* Cujacius ἀτελεῖς γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυνῶν, ἐπισταθμιῶν recte interpretatur: sed ipsum *epistathmiis* interponere violentum sit. Petitus in Misc. legit: *gymnasii, sacerdotii, stati:* & dixisse *stati*, quod erat alicujus magistratus: quando Hesychius: Στάτοι, ἀρχή τις. forte περὶ ἐπισταθμίας. Sed hoc est in tenebris micare. Στατὸς quidem, vox notæ significationis, nihil ad ἐπισταθμίας. Sed & hæ non ἀρχή τις, sed munus erant. Cicero lib. I in Verrem: *ostendit munus illud suum non esse: se, cum suæ partes essent hospitum recipiendorum, tum prætores & consules, non legatorum asseclas recipere solere.* Grotius: *sacerdotiis, metatis.* Non ineleganter: nec pertinaciter adverser, si quis imbiberit: propius tamen literis sit: *sacerdotiis, stathmis.* Metata σταθμοί. Eustathius in ε Il. Αἱ δὲ ἱστορίαι σταθμοὺς οἴδασι λέγειν καὶ τὰς ὡρισμένας εἴτ' οὖν τεταγμένας ἐνοδίους ἀναπαύλας τοῖς εἴτε ἱππεύουσιν εἴτε πεζοδρόμοις. ἃς καὶ ἀλλαγὰς ἔλεγόν τινες. οὕτω γὰρ τοσοίδε σταθμοὶ ὁδευθῆναι λέγονται πρός τινων. καὶ τοσούσδε σταθμοὺς εἶναι ἀπὸ τοῦδέ τινος τόπου εἰς ἄλλον φαμέν. Cæterum ex hac lege Philostratum in Adriano corrigit Petitus: Ἀγασθεὶς δὲ αὐτὸν ὁ αὐτοκράτωρ ἐπὶ μέγα ἦρε δωρεαῖς τε καὶ δώροις. καλῶ δὲ δωρεὰς μὲν τάς τε σιτήσεις καὶ τὰς προεδρίας καὶ τὰς ἀτελείας καὶ τὸ ἱερῶσθαι, καὶ ὅσα ἄλλα λαμπρύνει ἄνδρας. Immunes, inquit,

inquit, erant sacerdotii: itaque si honos habendus erat Adriano, immunis esse debebat. Legit ergo: καὶ τὰς ἀτελείας ἐς τὸ ἱερῶσθαι. Immo immunes erant, si vellent. Quando enim privilegiariis non licuit favori pro se introducto renuntiare? Nam etsi quædam erant sacerdotia, in quæ *delecti specie religionis omnes fortunas effundebant*, ut loquitur Tacitus XIV ann. tamen alia erant lauta & non recusanda. Unde Philostratus, ubi Scopeliani patrem ἀρχιερέα τῆς Ἀσίας fuisse ait: ὁ δὲ στέφανος οὗτος πολὺς καὶ ὑπὲρ πολλῶν χρημάτων. Sic Smyrnæi πάντας τοὺς οἴκοι στεφάνους ἐπὶ τὴν τοῦ Πολέμωνος κεφαλὴν συνήνεγκαν. Quod si factum est ante rescriptum Antonini, at non illud quod Euodianum provexisse notat τὰς μὲν οἴκοι τιμὰς ἐς τοὺς ἀρχιερέας τε καὶ στεφανουμένους τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων, τὰ δὲ τῆς φωνῆς ἆθλα ἐς τὴν Ῥώμην καὶ τὸν ἐκεῖθεν θρόνον. Sic complures & annonam procurasse & legationes obiisse, & aliis, quæ excusare poterant, muneribus ultro functos legimus. Neque enim aliud voluit Antoninus, quam quod exprimit Constantinus l. 1 Cod. Theod. de Medicis & Profess. *Fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus.* Salaria quæ e fisco grammaticis, rhetoribus & philosophis decreta, μυρίας δραχμὰς statuunt Lucianus in Eunucho: καὶ τὰ ἆθλα οὐ βοείη τις ἦν κατὰ τὸν ποιητὴν, οὐδ' ἱερεῖον, ἀλλὰ μύριαι κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐφ' ὅτῳ συνεῖναι τοῖς νέοις. iterumque: ἀξιόπιστον καὶ πρέποντα τὰς μυρίας, ἃς χρὴ παρὰ βασιλέως ἀποφέρεσθαι: & Philostratus in Theodoto: Προέστη δὲ καὶ τῆς Ἀθηναίων νεότητος ἐπὶ ταῖς ἐκ βασιλέως μυρίαις. rursum in Chresto: Ἀδριανοῦ δὲ καθιδρυθέντος εἰς τὴν Ῥώμην, ἐψηφίζοντο μὲν οἱ Ἀθηναῖοι πρεσβεύσασθαι ὑπὲρ Χρήστου, τὸν Ἀθήνησιν αὐτῷ θρόνον ἐκ βασιλέως αἰτοῦντες. Ὁ δὲ παρελθὼν εἰς αὐτοὺς ἐκκλησιάζοντας διέλυσε τὴν πρεσβείαν, ἀλλά τε διαλεχθεὶς ἀξιόλογα, καὶ ἐπὶ πᾶσιν εἰπὼν, οὐχ αἱ μύριαι τὸν ἄνδρα. Quibus Philostrati locis indiligentem interpretem fuisse recte monuit ad Pium Capitolini Salmasius: & prior quidem facile intelligitur: posterioris animanda interrogatione putem illa: Οὐχ αἱ μύριαι τὸν ἄνδρα; ut intelligas, αἰτοῦσι vel ζητοῦσι. Sensum autem nobis oportet esse ambiguum, qui nihil proximorum istis verbis divinare possimus. Sunt autem ita concepta, ut & Sophistæ modestiam præferre possint, quasi diceret, annon αἱ μύριαι virum quærunt, ut ait Lucianus, αὐτοῖς πρέποντα; se talem esse dissimulans: & arrogantiam dicam an fiduciam superbiamque meritis quæsitam, ceu non ille τὰς μυρίας, sed αἱ μύριαι ipsum ambirent. Ut in Armorum Judicio vir ille militaris:

quæritur istis
Quam mihi major honos, conjunctaque gloria nostra est,
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.

Cæterum μύριαι δραχμαὶ, sive Pius, ut Capitolinus, sive Marcus, ut Philostratus videntur velle, eas grammaticis, rhetoribus & philosophis primus contulerit, efficiunt Romanæ monetæ sestertia quadraginta, aureos quadringentos; at nostræ coronatos mille. Sic recte Salmasius ad Augustam „historiam. Pergit: Tatianus rhetor ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους eos in stipen-

 „dium

,, dium accepisse dicit, quæ sexcentorum aureorum summa, non μυρίας ,, δραχμὰς, sed μυρίας δισχιλίας continet. Hic passus est ἀνθρώπινόν τι. debuit enim dicere μυρίας καὶ πεντακισχιλίας. Centum aurei Romani sunt decem millia nummum, duo millia quingenti denarii. Ergo sexcenti, sexaginta millia nummum, quindecim millia denarium, nostri coronati mille quingenti. Deinde Tatianum cum Luciano & Philostrato in concordiam ita redigit vir summus, ut hos breviter ac rotunde μυρίας dixisse putet, quamvis darentur μύριαι καὶ δισχίλιαι: & ideo scribendum esse apud Eumenium de scholis restaurandis, *sexagena millia nummum*, (non *sexcenta*) quæ summa reddat μυρίας καὶ δισχιλίας δραχμάς. At μύριαι καὶ δισχίλιαι δραχμαὶ, duodecim millia denarium, sunt XLVIII millia nummum sestertium, CCCCLXXX aurei Romani, CIↃCC coronati. Voluit igitur utroque loco μυρίας καὶ πεντακισχιλίας scribere. *Sexagena* pro *sexcentis* legendum apud Eumenium præcepit Casaubonus ad Suetonii Othonem: contra quod ipse fatetur eruditissime a doctis viris disputatum: sed se illis non moveri. Si tamen diligenter inspicias Eumenium, & quæ ad illum Livinejus, (nam hic, opinor, est, qui contra Casaubonum disputavit) fortassis movebere: omnino enim Eumenii erat singularis & extra communia ponenda persona. Vindicat & Eumenio *sexcenta* sua Petitus, sed ejusdem erroris se alligat in aureis ad denarios reducendis. Adducto enim Tatiani loco, Aurei sexcenti, inquit, sunt μύριαι καὶ δισχίλιαι δραχμαὶ, sive sexagena millia nummum. Immo, καὶ πεντακισχίλιαι. Sed nec Tatiani cum Philostrato conciliatio, quam facit Salmasius, accipienda est. Ille enim: Ὥστε παρὰ τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους λαμβάνειν τινάς. Dicit τινὰς, ergo non omnes: &, ut rem exaggeraret, quod maximum paucis eximiis concessum, nominat; non ordinarium & promiscuum. Hanc vim particulæ τινὰς agnoscit etiam Casaubonus. * Nunc ad alia. Modestinus JC. in l. X D. de Pollicitationibus: *Septicia certamen patriæ suæ pollicendo, sub hac conditione pollicita est, ut sors* (τριῶν μυριάδων) *apud eam remaneat, & ipsa usuras semissales ad præmia certantium resolvat.* Valde vellem, satis mihi esset animi ad exstirpandum τὸ *pollicendo*, tanquam librariorum, non auctorum Juris additamentum: certe sic convenientior ,, veteri Latio flueret oratio. Τρεῖς autem μυριάδες, inquit ὁ πάνυ, cap. VII ,, de M. V. in illa lege sunt *triginta millia denariorum*, quæ semissibus usuris ,, reddunt annua *decem & octo millia denariorum*. Ita passim loquuntur au-

,, ctores

* Adscripsit Pater. [In τοῖς μυρίαις adde errorem Reinesii lib. III cap. 6 p. 446 & p. 463.] Qui est certe ingens. Nam quum in primo loco ex Luciano citasset μύριαι κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν, vertissetque *in annos singulos mille drachmæ*, addit; Neque μυρίαι, ut vertit Micyllus, *decies mille nummum* sunt, sed *mille drachmæ*. Item in posteriore quum e Photio citasset θεωροῖς δὲ μυρίας ἐπέδωκεν, addita versione *decem minarum millia*, subjicit, Μυρίαι autem h. l. sunt mille drachmæ h. e. decem minæ, talenti pars sexta &c. quæ sunt indigna eruditione & fama ejus viri.

„ ctores Græci, qui sub imperio Romano scripserunt: ut apud Dionem in „ Nerone, δισχίλιαι πεντακόσιαι μυριάδες de denariis intelligendæ, quæ summa „ *ter millies sestertium*, ut mos erat Romanis loqui, efficiebat. Duo hic errores immanes. Semisses usuræ sortis centum denariorum sunt annui denarii sex, mille denarium sexaginta, decem millium sive μυρίων δραχμῶν sexcenti: ergo triginta millium sive τριῶν μυριάδων mille octingenti. At octodecim millia semissibus usuris quotannis solvenda sortem requirunt trecentorum millium. Qui vero octodecim millia in triginta stipulatus est, idem sex millia in decem millia, sexcentos in mille, sexaginta in centum pactus est, atque adeo quinas, ut ait Horatius, mercedes capiti exsecuit. Ita ex quinis centesimis semisses fecit usuras vir illustris. Nihilo levius peccatum in loco Dionis. Nam quum μυριὰς sive decem millia denarium sint quadraginta millia sestertium; πεντακόσιαι μυριάδες, quinquagies centena millia denarium, ducenties sestertium; χίλιαι μυριάδες centies centena millia denarium, quadringenties sestertium; necessario δισχίλιαι πεντακόσιαι μυριάδες, ducenties quinquagies centena millia denarium, sunt *millies sestertium*, non amplius. Et tamen quasi emendaturus quod hic fuerat offensum, in Erratis substitui jussit: summa *sexies millies*. Hic tertius error haudquaquam decedens prioribus. Sexies millies sestertium Græce dicitur μυριὰς μυριάδων πεντακισχίλιαι μυριάδες, millies quingenties centena millia denarium. At ter millies sestertium ἑπτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι μυριάδες. Atque ita prorsus apud Dionem legitur, quem inspicere non permisit sibi ὁ πάνυ, ut Lamias turres & pectines solis loqueretur. De Seneca: οὐσίαν ἑπτακισχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων ἐκτήσατο. Quod *ter millies* apud Tacitum dici, nemo ignorat.

Roscii bona, quæ erant sexagies, *duobus millibus nummum* emisse Chrysogonum Sullæ libertum, commemorat Cicero. Plutarchus δισχιλίων δραχμῶν, notatus ob id a Scaligero, quando *nummus* & *sestertius* apud omnes utriusque linguæ auctores passim ἀντιστρέφονται. Rualdus, qui Plutarchum accusat, tanquam in summis pecuniæ Romanorum Græco nomismate declarandis nunquam satis accuratum, quod sibi tam laxe permittit, hoc saltem in loco non concedit Scaligero, & satis prolixe *nummum* aliquando Latinis pro denario usurpatum esse probare contendit. Quod, opinor, haud ignoravit Scaliger: sed censuit, quod verissimum est, quoties dicunt Latini, *mille nummum*, *duo millia* & deinceps *nummum*, tum eos non alios quam sestertios, ut erat in formulis, *nummi unius*, *assium quatuor*, intelligere. Plauti ex Pseudolo & Truculento verbis exsultat. Sed ne huic quidem tacuit Scaliger, *nummum*, quippe palliatos introducenti, aliter accipi, tantum in eo lapsus, quod drachmam statuit pro didrachmo. Cæterum quia Plautus illis locis pro didrachmo ponit, frustra istis utitur Rualdus ad faciendum *nummum* drachmam. Nihilo verecundius, quod Theophilum χιλίους νούμμους reddere *mille asses* obtestatur. Quid? tam ineptum putavit Scaligerum, ut nesciret

laxe vocabulum *nummus* dici de quavis pecunia ex ære, auro, argento, ferro, corio? Hoc voluit, *nummum* κατ' ἐξοχὴν esse sestertium, & quum Latini vetustiores certum appellant numerum nummorum, tum eos intelligere non aliud genus, quam sestertios. In loco Pseudoli, etsi parum intersit, componit disjungenda. nam *nummus* ille *argenti* a. I sc. I v. XCV. & sc. III v. LXVI. non proprie est illa drachma, qua restim se velle dixerat emere Callidorus, sed simpliciter quodvis argenteum nomisma: neque enim tetradrachmum aut obolum aut triobolum facilius reperiebat quam drachmam. Quod si esset, tamen in palliata foret is nummus Græcus: ut etiam apud Terentium in Heautontim. ubi sine dubio *mille nummum* sunt, quas antea *mille drachmarum argenti*, post *decem minas* dicit. Ego si auferre possem, Plautum quoque, ut Terentium, *nummum* pro drachma dixisse ita acciperem in loco vexatæ interpretationis, Mostellar. a. II sc. I. *qui hastis trium nummorum causa subeunt sub falas.* Lipsius & Puteanus tres asses intelligunt: Scaliger & Petitus ad Ll. Att. tres ἡμιχρύσους triginta drachmas argenti: quibus supra responsum. Hotomannus tres obolos facit, qui sint seni asses. At obolus binos asses habet cum semisse & sextante, octo nimirum chalcos, cum tribus chalcis as respondeat. Nam drachma vel denarius sex obolos, sedecim continet asses, obolus octo chalcos. Ergo drachma XLVIII chalcos: quos si dispenses per sedecim asses, cuique assi veniunt tres chalci: ter enim sedecim sunt XLVIII. Ita chalci octo, bini asses & octo duodecimæ assis, hoc est semis & sextans. Sed si mihi concedatur, Plautum dixisse *nummum* pro drachma, vincam depromptum hoc ex Aristophanis Acharnensibus:

Ὁρῶν πολιοὺς μὲν ἄνδρας ἐν τῇ τάξεσι·
Νεανίας δ', οἵους σὺ, διαδεδρακότας·
Τοὺς μὲν ἐπὶ Θρᾴκης μισθοφοροῦντας τρεῖς δραχμάς.

Eoque nihil pertinere ad militem Romanum, sed ejus loci, ubi scena est. De mure Casilini vendito non est quod miseretur Casaubonum, cui hæc bella observatio non venerit in mentem. Non statueret ille nunc aliter quam olim, si tam corpore quam per gloriam viveret. Verissimum enim est quod statuit, auctores, qui *ducentis nummis*, quique *ducentis denariis* vel *drachmis* ajunt venditum, dissentire: neque unquam vel Plinius vel quisquam in pretio rei non Græcæ describendo *nummum* pro drachma posuit. Cicero claudit agmen lib. III in Verrem: ubi, quum Verrem induxisset dicentem: *mihi frumento non opus est, nummos volo:* fingit excipientem aratorem Siculum: *non speraveram me ad denarios perventurum.* Quid si dixisset, *pecuniam volo, argentum volo, æs volo:* colligeret inde, *pecuniam, argentum, æs,* necessario esse denarium? At hoc sonant verba illa personati Verris: non enim præcise denarios poscit, sed pro frumento pecuniam. Sic mox: *Senatus te voluit mihi nummos dare, me tibi frumentum metiri: Tu eos nummos, quos mihi*

Senatus

Senatus dari voluit, ipse habebis; a me cui singulos denarios dari oportuit, binos aufers? Ne *denarii* quidem præcise hic sunt formæ denariorum, sed quaterni sestertii, sive in quatuor formis, sive in una. Sic paullo ante: *Quid ergo a me tibi nummorum dari potest, quum senatus tibi quaternos nummos dederit?* Ubi *quaterni* isti procul dubio sunt sestertii: sed priore membro *nummi* „ quævis pecunia. Nam illa interrogatio: quum bona Roscii fuerint sexa- „ gies, qui potuit vel ausus est ea usque adeo elevare Chrysogonus, ut so- „ lum bis mille sestertios in eorum pretium offerre non erubuerit? hæc, inquam, interrogatio vix decet eruditum hominem. Quasi non paris impudentiæ sit duo millia denarium offerre pro eo, quod est sexagies, & bina sestertia? Quasi non amplissima prædia in istis auctionibus sestertio nummo addicta sint? Appulejus in Apologia refert, apud Varronem lectum sibi Q. Fabium, *cum quingentos denarios perdidisset, ad Nigidium consultum venisse: ab eo pueros carmine instinctos indicasse, ubi locorum defossa esset crumena cum parte eorum, cæteri ut forent distributi: unum etiam denarium ex eo numero habere M. Catonem Philosophum, quem se a pedissequo in stipe Apollinis accepisse Cato confessus est.* Casaubonus hic sensit aliquid esse moræ, ideoque le- „ git *in stipem.* hoc est, inquit, cum vellet stipem Apollini conferre: quod „ tamen apparet eum non fecisse, negotiis, credo, præter expectationem impeditum. Quærit etiam cur a pedissequo acceperit pecuniam Cato? Et respondet, quia olim moris non fuerit, ut viri honesti per urbem incedentes pecuniam secum gestarent; pedissequorum illos comitantium id munus & onus fuisse. Et adfert elegantia, ut solet, sed, quod ipse ominatus est sibi, præter institutum. Hæc tamen certatim secuti Voverius, Gentilis, Elmenhorstius. At Flor. *in stipe*, ut editum olim. Et, si quid video, verius est. Non conferre illam stipem Apollini Cato voluit: in quo novum sibi nodum fecit vir summus, & satis perfunctorie solvit: sed ut famulus Apollinis, si quis unquam, castus & sanctus, dei sui nomine accepit. Quindecimvir erat libris Sibyllinis. Plutarchus: Ὁ δὲ Κάτων ἐπειδὴ τὴν ἱεροσύνην ἔλαβεν Ἀπόλλωνος. Stipes diis infundi solitas, atque adeo etiam Apollini, notius est, quam ut debeat probari: quum diserte Livius manifestet xxv, 12 & Festus in v. *Apollinares.* Has, ni fallor, sacerdotes accipiebant, & inter se partiebantur. Intelligo igitur pedissequum illum nescio cujus aut suæ aut domini religionis causa denarium illum stipem Apollini solenni die dedisse, & Catonem sacerdotem cava manu accepisse. Neque enim soli Augusto usitatum, quod scribit Suetonius cap. XII. *Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens.* Ergo *in stipe*, est dum stipem nomine Apollinis accipit, inter cæteras stipes. Quindecimviros autem fuisse sacerdotes Apollinis adeo certum est, ut & insigne sacerdotii, tripodis instar, domi haberent. Unde intelligendum illud Valerii Flacci in principio: *si Cymææ mihi conscia vatis Stat casta cortina domo.* In

quo mire laborarunt interpretes, & inter alios Barthius tribus locis Adversariorum. Significat autem Valerius, se Quindecimvirum esse, & Phœbum ita sibi propitium optat, ut ipse domi cortinam ejus religiose castus sacerdos habeat. Servius ad III Æneidos: *patriasque obtruncat ad aras: Hinc ergo & Delphinum ajunt inter sacrata Apollinis receptum: cujus rei vestigium est, quod hodieque Quindecimvirorum cortinis Delphinus in summo honore ponitur: & pridie quam sacrificium faciunt, velut symbolum, Delphinus circumfertur, ob hoc scilicet, quia Quindecimviri librorum Sibyllinorum sunt antistites: Sibylla autem Apollinis vates & Delphinus Apollini sacer est.* Nihil ad Flaccum interpretandum accommodatius.

CAPUT XII.

Petronius emendatus. Sicel, vox nihili. Dipondius pro didrachmo non dicitur Latine. Lupini aurum comicum, non veri nummi. Cicer lupinusque tenuiorum esca. Quadrans minima ærea pecunia Romanis. Lex Sempronia cur semissis & trientis mentionem faciat. Septunx, bes, dextans, deunx &c. non fuerunt nummuli. Quadrans ultimus, ὁ ἔσχατος κοδράντης, non fuit nummus a quovis alio quadrante diversus. Locus Euangelistæ Matthæi. Κοδράντης τὸ πᾶν, quomodo Hesychio. Male dicuntur æreæ monetæ duo genera fuisse, quorum alterius maximus libra, alterius uncia æris constiterit. Assarius dictus as non tantum, cum sicilico æris constitit, sed etiam, cum semuncia.

Petronius Arbiter: *Mihi plane placet emere, quamvis nostrum sit, quod agnoscimus, & parvo ære recuperare thesaurum, quam in ambiguam litem descendere. Sed præter unum dipondium sicel lupinosque quibus destinaveramus mercari, nihil ad manum erat.* Tentaverunt horum verborum medicinam principes in litteris viri, Turnebus, Cujacius, Scaliger. Turnebus legit, *unum dipondium scilicet lupinosque:* constare autem lupinos adsimulasse veros nummos. Cujacius interpretatur *dipondium sicel* a vilitate, quod penderet drachmas duas: esse enim *sicel* apud Latinos & Græcos quartam partem unciæ & stateris medietatem drachmas appendentem duas, apud Hebræos autem unciæ esse pondus. Scaliger probat: *præter unum dipondium sicilicum, quibus lupinos:* vel *dipondium sicilicumque:* quod nunc editiones perambulat. Nos vero cur non acquiescamus Turnebo, in causa est, quod *lupinos*, quamvis aurum esset comicum, tamen nemo erat tam insipiens, ut in foro justaque emptione eos pro ære, nedum pro auro, sibi pateretur obtrudi. Cur Cujacio, quod illud *sicel* est sine exemplo auctorum melioris ævi dumtaxat; quod *siclus* non debet cum *sicilico* confundi, quod illa ἀκυρολογία *dipondii* pro didrachmo est intolerabilis. Cur Scaligero, quod *sicilicus* apud Romanos ponderis numero aut divisoris, nunquam nummi, fuit; vixque infra quadrantem, certe non infra sextantem nummus percussus. In rationibus ad denarium sicilicus quidem varie componitur, cum assis partibus ad partes æris

æris explicandas: ſed nunquam cum aſſe, nedum cum dipondio. Neque in vulgari ſermone iſtis ratiocinatorum formulis utebantur. Poſt hos Barthius quoque quaſi exploratum tradit, *dipondium* bidrachmam dicere, *ſicel* enim *dupondium* duas drachmas valere, quia ſive Priſcianus ſive Remmius:

Drachmam ſi gemines, erit is quem dicier audis
Sicilicus.

Patere autem *lupinos*, aurum illud comicum, monetam tamen alicujus pretii fuiſſe ex auctore carminis de ponderibus:

Semioboli duplum eſt obolus: quem pondere duplo
Gramma vocant, ſcriptum noſtri dixere priores.
Semina ſex alii ſiliquis latitantia curvis
Attribuunt ſcripto, lentes veraciter octo,
Aut totidem ſpeltas numerant triſteſve lupinos
Bis duo.

Ergo repoſitum voluit: *unum dipondium ſicel, lupinos quinque, quibus deſtinatum quiremus mercari*, lib. XXI Adverſ. cap. VI. Hæc quoque jam confutata ſunt; nam & *bidrachmæ* & illius *dipondii* pro iſta bidrachma eoſdem habet auctores, id eſt, nullos. Ne autem Priſciano vel Remmio abuteretur, ipſe titulus libri monere illum poterat, qui eſt de ponderibus, non de nummis. An *ſcriptula, lentes, ſpeltæ* fuerunt nummi? Juxta profecto ac lupini. Nos Hebræos ſiclos & imaginarium *ſicel ſicilicumque* nummum ex Petronio relegamus: *lupinos* autem cum Scaligero mercem, non nummum, accipimus: & ſcriptum ab auctore cenſemus: *præter unum dipondium, quo cicer lupinoſque deſtinaveramus mercari.* In cœnam puta pauperculam & Cynicam: ut apud Lucianum in Fugitivis ait Philoſophia, χρυσίον μὲν ἢ ἀργύριον ὐδὲ κεκτῆσθαι ἀξιῶ, ὀβολὸς ἱκανὸς, ὡς θέρμους πρίασθαι. Conjungit eadem Horatius lib. II Sat. III.

In cicere atque faba bona tu perdaſque lupinis.

Apud eundem de Arte: *fracti ciceris & nucis emptor.* Et ipſe de ſua pertenui cœna lib. I Sat. VI.

Inde domum me
Ad porri & ciceris refero laganique catinum.

Sic & in Martialis cœnula lib. V epigrammat. LXXVIII,

Et fervens cicer & tepens lupinus.

Hic me admonet Savoti & recte notatum contra Turnebum, Muretum, Lambinum, *lupinum* nummum non fuiſſe (etſi propterea non neceſſe erat corrigi apud Horatium: *quid diſtent erva lupinis:* nec docendi eramus, *erva* diſſyllabon eſſe) & perperam traditum, multo plura fuiſſe æra pecuniaria, quam adhuc credidimus. Plutarchus in Cicerone ſcribit τὸ λεπτότατον χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην dixiſſe Romanos. Id Savotus non tantum negat, verum & *ſcriptulum*, & *ſextulam*, & quaſcunque partes æris facit Voluſius

Mæcia-

Mæcianus, formas fuiſſe ſignatæ pecuniæ exiſtimat. Quod ſi quis obſtrepat, ponderum potius illa vocabula quam æris eſſe, ei putat ſilentium impoſitum verbis Voluſii: *Ponderis eadem diviſio, quæ æris.* At enim illa *diviſio* æris haudquaquam ſignificat totidem eſſe formas pecuniæ æreæ, qua tum utebantur: ſed has fuiſſe quondam partes æris rudis, & ut multum concedamus, etiam ſignati gravis; poſt aſſem ſextantarium, certe uncialem factum tantummodo nomina adhibita ad omne ſolidum dividendum, ad pondera & menſuras explicandas; ad pecuniam extra illam communem cauſam non adhibita, niſi in rationibus ad denarium & victoriatum, excurrenti æri exprimendo. Formæ autem nummi ærei publicæ non fuerunt bonis temporibus præter dipondium, ſeſquaſſem, aſſem, ſemiſſem, trientem, quadrantem. Cujus rei argumentum evidens & elegans præbet lex Sempronia: *ut ſemiſſe & triente plebi frumentum daretur*, ut eſt in epit. Livii LX. Quid enim opus dicere *ſemiſſe* & *triente*, ſi *dextans* nummus fuiſſet? Semis & triens conjuncti in partibus æris efficiunt dextantem vel decuncem. Voluſius: *In dextante ſunt unciæ decem* &c. *Semis & triens.* Peccant ſimilia Hotomannus, qui *ſeptuncem, beſſem, dextantem, deuncem, ſeſcunciam, unciam, ſemunciam, ſextulam*; Snellius, qui *ſembellam, unciam, ſextulam*; Capellus, qui *unciam, ſembellam, libellam, lupinum, ſicilicum*, nummos æreos faciunt. Plutarchus autem quemadmodum ignorare potuit, quod ſuo tempore λεπτόταλον eſſet æs in pecunia? Reſpondet lepide Savotus, ambiguum eſſe vocabulum *quadrantis*; ſignificare enim & quartam partem cujuſvis ſummæ, & formam nummi, & ſi qui veterum *quadrantem* dicant minimum æreorum nummorum, eos intelligere *noviſſimum quadrantem*, qui diverſis ſeculis diverſo pondere fuerit. At diſtinctio illa ſignificationum vocis *Quadrans* hic perfrigida eſt, quum dubitet nemo, quin Plutarchus quadrantes illos, a quibus Clodia *Quadrantaria* dicta eſt, non partem quartam ſummæ cujuſvis, ſed nummulos veros intelligi voluerit. Deinde falſum eſt *noviſſimum quadrantem* eſſe proprium genus minuti æris, ſeparatum ac diſtans vel pretio vel pondere a quolibet alio quadrante. Origo erroris verba ſacrata apud Matth. cap. v. Οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην. Hic ego quidem ſcio Græcos nonnullos τὸν ἔσχατον κοδράντην peculiarem nummum interpretari: ſcio etiam & miror Jac. Cappellum eos ſequutum, cui hic nummulus eſt æreus tantilli pretii, ut vix duodecimam Attici grani argentei partem æquaret: adeo ut DCCCLIX iſtiuſmodi quadrantes pretium Atticæ drachmæ non ſuperarent. Salmaſius quoque magnam inſcitiam vocat dicere, a Marco non aliter uſurpatam vocem κοδράντης atque a Matthæo, nec *quadrantem* dici poſſe *ultimum*, qui in ſpecies ulteriores & minores nummos dividatur. „ Matthæo κοδράντης nummus eſt, inquit, & quidem ultimus minimuſque, „ quod convenit cum ſignificatione quadrantis Romani, qui λεπτότατος fuit „ Romanæ pecuniæ. At apud Marcum δύο λεπτὰ dicuntur quadrantem ef-
„ ficere.

„ ficere. Ergo Marco κοδράντης non est ultimus nummus, sed τὸ λεπτόν. „ idemque cum Luca magis convenit, qui λεπτὸν ἔσχατον facit, quam cum Matthæo. Hæc omnia miror magis, quam sequor. Quid est enim verbis sacratis vim facere, si hoc non est? Ἕως ἂν ἀποδῷς τὸ ἔσχατον κοδράντην, ait, hoc est, donec ita satisfacias, ut ne quadrans quidem unicus apud te subsideat, tibi remittatur, mihi exigendus restet. Pro eodem potuisset *trientem*, *semissem*, *assem*, *dupondium*, *obolum* ponere. Itaque Lucas justa libertate usus λεπτὸν ἔσχατον, nihil a Matthæo sensu diversus dixit. Plauti *diobolare scortum*, & *homo trioboli*, & Vatinii *simius non semissis*, & M. Senecæ *dipondii lenonis*, pretio non differunt, non quasi bini oboli sint Græcis proprie tantumdem, quantum Romanis nummus dipondius, quod falso inculcant ad Pœnolum Plautinam, quum bini oboli sint drachmæ pars tertia, dipondius octava, sed quod hi omnes, qui istis æstimantur, pretii sunt unius, hoc est, aut nullius aut vilissimi. Genera hæc loquendi sunt translata, certum & parvum pro quovis minimo vel nullo designantia: & omnia juxta minimum vel nullum pronunciant hoc usu, etsi proprie & aliquid nec omnium minimum dicant. Sic igitur *ultimum quadrantem* solvere cogitur, non qui dat nummum tam minutum, ut in alios minores dividi non possit (ita enim & *quadrantem ultimum* solveret, qui nihil daret præter hunc nummum) sed qui tanta acerbitate debitum exigitur, ut ne quadrans quidem illi condonetur. Sic Horatius lib. II epist. II.

collecta viatica, multis
Ærumnis lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat.

Eodem sensu, *ad extremum assem*, *ad teruncium*, *ad quadrantem* potuisset dicere, si libuisset, aut versus pateretur. Idem lib. I Sat. I.

Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.

hoc est, totum consumatur, ad nihilum veniat. Cicero pro Roscio: *Hic nisi planum facit* HS IↃↃↃ *ad libellam sibi deberi, causam perdit.* Hoc est, sic ut ne libella quidem una desit. Nihil igitur differt ille *quadrans ultimus* valore ac pretio a primo & medio. Nec alius quadrans Matthæi, alius Marci: nec quamvis ultimus, ideo nequit habere infra se minores formas, λεπτὰ vocitata Marco, quæcumque demum illa fuerint: non enim Romana fuerunt, tum utique. Ut si *obolum ultimum* dixisset, non propterea huic alius esset obolus, octo vel decem chalcis æstimatus. Hinc etiam intelligendus Hesychius, quum ait: Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ τέταρτον τοῦ φόλλεως. Scaliger accipit, quasi diceret, quadrantem ab aliis pro toto folle, ab aliis pro quarta „ parte poni. Et mox ad eadem verba: Deest, τοῦ φόλλεως. τὸ πᾶν τοῦ φόλλεως. „ id est, sumitur pro tota stipe, quæ follem constituit. At Hesychius respexit verba Euangelistæ, apud quem qui ultimum quadrantem jubetur solvere, ab eo petitur omne debitum ne minima quidem parte deducta. Sal-

 masius

masius adversus Cercoetium hoc vidit: sed addit, id ad significationem *assis* etiam referendum esse: nam *as τὸ πᾶν, τὸ ὁλόκληρον*, unde *ex asse*, ex solido, & *ad assem solvere* dicitur, qui totum solvit; dein quia as sub primis & mediis imperatoribus quadrantem æris habuit. Prior ratio rursus confundit assem divisorem & pecuniam: nam aliter dicitur *hæres ex asse*, aliter *ad assem solvere* vel *perdere:* ibi *as* tota est hæreditas, hic minimus nummus: est enim ita solvere vel perdere, ut ne quidem, qui solvi debeat, vel perdi possit, as unicus supersit. Assem autem sub primis imperatoribus quadrante æris constitisse Plinius credi non patitur. Scribit alibi Savotus, videri usque ad tempora Volusii duo tantum differentia pondera æreæ monetæ Romanis habita: alterum per libram, alterum per unciam divisæ: prius maximam formam fuisse assem libram pondo, postea maximam fuisse assem uncialem: ut quemadmodum quarta pars libræ fuerit prior quadrans, ita quarta pars unciæ fuerit posterior, & sic duarum drachmarum. His in paucis quot peccata? sestertios & victoriatos & denarios octies vult mutasse pondus, de quo silentium apud omnes veteres altissimum: æream pecuniam bis tantum usque ad ætatem Volusii Mæciani, quum palam testetur Plinius, & nemo ignoret asses signatos a libris pondo ad sextantes æris, ab sextantibus ad uncias, ab unciis ad semuncias devenisse. Rursum maximam formam æreæ pecuniæ gravis fuisse ait assem libram pondo: quid ergo sesquas? quid dupondius? Maximam formam æris imminuti fuisse uncialem, verum quidem est, si de dupondio intelligas, sed repugnat aliis ejus opinionibus. Didicit enim a Salmasio sestertium illum æreum, qui bonis temporibus nunquam fuit; dein pugnat contra Salmasium, assem non fuisse infra semunciæ pondus. Hoc recte. Quando ergo semuncialis as, uncialis dupondius, quis locus unciali æreo sestertio? Aut igitur hic non fuit, aut fuit dupondio major, & nisi binas pependit uncias, non potuit esse *πετρασσάριον*, ut volunt. Denique Volusii tempore ait fuisse posteriorem quadrantem, & quidem duarum drachmarum pondere. Hoc quî potest, quum as non fuerit alius tempore Volusii quam qui tempore Plinii fuit, nimirum semuncialis, hoc est, quatuor drachmarum? Ergo semis constabat sicilico, hoc est, duabus octavis unciæ, quadrans dimidiato sicilico seu octava una vel tribus scriptulis. Ut quum asses librales essent, semisses erant sex unciarum, quadrantes trium: postquam asses sextantarii facti, semisses unciales, quadrantes semunciam æris habuere: ex quo asses unciales, hoc est, quatuor sicilicorum, semisses semunciales, seu binorum sicilicorum, quadrantes sicilicum, seu duas octavas unciæ retinuere. Hoc enim analogia requirit. Itaque mira & inexcusabilis inconstantia est Savoti, pag. 185 adfirmantis experientia ponderandi nummos compertum sibi, priscos Romanos etiam ante Volusii ævum habuisse nomismata scriptulum unum pendentia, & p. 186 subjicientis probabile esse, primis Imperatorum temporibus minimas ex ære formas non

desce-

descendiſſe infra duas drachmas ſeu ſicilicum ponderis. At hæc ſex ſcriptula ponderis ſunt: & utrumque falſum. Non ergo nec prior nec poſterior quadrans nominatus ab ea, qua volunt, cauſa: & tamen ſalva eſt Plutarchi auctoritas, quadrantem nummorum æreorum fuiſſe minimum. Unum ei poteſt objici de ſextante, idque ex dicto Granii præconis apud Tullium, & Livio lib. XXIX. *Sextante ſal & Romæ & per totam Italiam erat.* Nam qui Menenio dicuntur *ſextantes collati*, palam eſt æris gravis fuiſſe. Varro autem non nummos tantum, quod ſubinde ingerit Hotomannus, ſed etiam partes æris ſive libræ exſequitur, qui non fuerunt nummuli. Pro Plutarcho dicere poſſumus, fuiſſe olim prima atque altera mutatione, poſt abundantiore pecunia, majoribus rerum pretiis, feriri deſiiſſe, ut libellæ, ſembellæ, teruncii. Notanda & Agricolæ falſa ſubtilitas. Quum lege Papiria aſſes ſe-
„ munciales factos dixiſſet, Iſtiuſmodi autem, inquit, aſſis dimidium a Græ-
„ cis dicitur ἀσσάριον, a M. Terentio Varrone *aſſarius*, apud quem eſt l. I
„ analogiæ, *equum publicum mille aſſarium eſſe:* ejus autem aſſarii duplum,
„ id eſt, aſſem ipſum ſemuncialem, Græci δυπώντιον nominavere. Quaſi ſemuncialis as non fuerit dictus *aſſarius.* Quare autem *aſſarius* ſit dimidium aſſis? aut quis diminutivum dixit idem eſſe quod dimidiatum? Ergo *ſeſtertiolum bis decies* Martiali erit decies ſeſtertium: *centum aureoli* eidem quinquaginta aurei. Græci ſane aſſem, qui ſicilicum æris ſub ſerioribus Principibus habuit, dixere & ἀσσάριον, non quia dimidium eſſet aſſis ſemuncialis, ſed quia verus & uſitatus illius temporis as erat, non minus quam antea verus as fuerat, qui ſemunciam æris habuit: etſi fuiſſent & ſextantarii & unciales. Itaque & tum, cum ſemuncia conſtitit, Latinis *aſſarius*, Græcis ἀσσάριον dicebatur. Teſtes Polybius, Plutarchus, Varro. Quid igitur hunc poſtremum contra ſe adducit? illius ævo dimidium aſſis ſemuncialis, non *aſſarius*, ſed *ſemiſſis* dicebatur: non enim erat as, niſi ſemuncialis: & eum tamen *aſſarium* vocat. An *mille aſſarium* interpretabitur quinquaginta aſſium? Nihilo acutior eſt in τῷ δυπουντίῳ. Græci nunquam aſſem appellavere δυπούνδιον, ut nec Latini *dupondium:* ſed quod æris olim aſſem conſtituebat, id poſtea factum eſt binorum aſſium: idque tum dictum eſt *dupondii* nomine, non quaſi as ſemuncialis fuerit Græcis δυπούνδιον, ſed quia id ipſum duos aſſes valebat. Nec dubitandum, ſi quis Græcorum Latinam pecuniam verbis in ſuum ſermonem flexis expoſuit tum, cum ſemunciales erant aſſes, eum tales duos dixiſſe δυπώντιον, perinde atque idem æris Latinis erat *dupondius.*

CAPUT XIII.

Ad l. II *Cod. de vet. numiſm. poteſt. obſervata. Conſtantinus auctor ſolidi quatuor ſcriptulorum. Ergo non potuit* VII *in uncia,* LXXXIV *in libra putare. Scriptulum* CCLXXXVIII *pars libræ. Legis* I *Cod. Theod. de ponderat. emendatio probata. Uncia nunquam* XXVIII *ſcriptulorum. Cur leg.* I *Cod. de ponderat. truncaverit Tribonianus. Nummus argenteus*

Servii Tullii non fuit quatuor scriptulorum. Valentinianum non imminuisse libram auri, cum pretium idem relinqueret. Qui circumforanei metalli æstimatione aucta succurrerunt angustiis publicis aut æri alieno, nummos, non libram, mutare soliti. Constantinus, ut auream, argenteam, æream pecuniam mutarit. Pro aureo plus septem scriptulorum fecit solidum scriptulorum quatuor: pro denario trium scriptulorum fecit milliarensem scriptulorum quinque amplius: pro sestertio argenteo follem æreum. Proportio auri ad argentum & utriusque ad æs qualis inde fuerit. LXXII *solidi libra auri*, LX *milliarenses libra argenti*, XII *folles libra æris. Constantinus gaudens mutationibus veterum institutorum. Libra mutata, ut volunt, maxime noxia ærario. Valentinianus fisci studiosus. Libra occidua quid in actis Marcellini Papæ. Non bene dicitur hæreditas pondo libræ comprehensa, pro assis vel æris partibus divisa. Occiduum non idem est quod minutum.*

Jam de tabula manus. nam & admonuerat *ultimus* ille *quadrans* aliquem huic operæ modum esse debere; & satis erat Romam ære vel nummis divitem juvisse. illam quanto magis libras auri crepantem, tanto moribus & sermone subæratiorem pauperioremque libebat differre. Revocavit ab ipsa calce nos ænigma illud legis II Codice de veteris numismatis potestate, Pyleo, Accursio & Andrea, Johanne de Platea, Luca de Penna, Bartolo, Spinello, Angelo & Purpurato & Covarruvia, Cujacio, Ant. Fabro, Dyno, Hotomanno, Balduino, rejectis & valere jussis, agitatum nuper a viro meritis & honoribus amplissimo Jac. Gothofredo. Verba hæc sunt: *Pro imminutione, quæ in æstimatione solidi forte tractatur, omnium quoque pretia specierum decrescere oportet.* Ubi pæne vocabulum nullum esse non obscurum intellectu ait inter-„ pres novissimus. Quænam enim *imminutio* illa est? quænam *solidi æstima-„ tio?* quid est *imminutionem tractari?* & quidem *in æstimatione solidi?* quæ „ sunt *species* illæ *omnes?* quid sibi vult vox *forte?* quis intelligat illam defini-„ tionem, pretia specierum decrescere oportere pro imminutione, quæ tra-„ ctata fuit in æstimatione solidi? Sic difficultatis lenocinio sententiæ suæ favorem quærit. Prima est *imminutio.* Vult Constantinum, quum aureos XLVIII in libram, quaternos in unciam cudi mos esset, statam LXXXIV solidorum libram effecisse, qui singuli quatuor scriptulorum essent: Valentinianum seniorem, non pondere aureorum deminuto, verum extrinseca, ut loquitur, tantum aureæ monetæ mutatione facta, ejusque æstimatione & potestate seu valore impositicio aucto, LXXII solidos in libram, & sic sex in unciam accepto ferri jussisse. eam *libram Occiduam* dictam in actis Marcellini Papæ. & hanc *imminutionem* intelligi. Videamus, quæ possint his contradici. Constantinum audio libram effecisse LXXXIV solidorum, qui singuli quatuor scriptulorum essent. Hæc monstra sunt & simul stare non possunt. Octoginta quatuor nummi, scriptulorum quatuor singuli, conficiunt omnia trecenta triginta sex scriptula. Atqui totius libræ non sunt nisi CCLXXXVIII scriptula. nam *scriptulum* sive scripulum *assis ducentesima octogesima octava pars*, ut inquit Volusius. Cuditur igitur nobis libra quatuordecim unciarum, quippe in qua sint ipsa XLVIII scriptula ultra justum numerum, qui in

uncia

uncia est quatuor & viginti. Additur, proinde solidos septem, quatuor scripulorum, in singulas uncias a Constantino Magno taxari. Hoc æque injustum est. Si septem solidi putantur in uncia, hi non possunt esse quatuor scriptulorum, sed trium sunt & paullo plus quinta parte scriptuli vel paullo minus sextante: si sunt quatuor scriptulorum solidi, non possunt in uncia, nisi sex, in libra nisi LXXII, putari. Hic intentatur nobis lex I Cod. Theod. de Ponderatoribus: *Si quis solidos appendere voluerit, auri cocti septem solidos, quaternorum scriptulorum, nostris vultibus figuratos, adpendat pro singulis unciis; quatuordecim vero pro duabus: eadem ratione servanda & si materiam quis inferat, ut solidos dedisse videatur.* Quæ verba resecta esse ait in Cod. Justiniani, quia postea imminutus aureorum in libram numerus, a Valentiniano scilicet, l. XIII Cod. Theod. de Susceptoribus: *Illud etiam cautionis adjicimus, ut quotiescumque certa summa solidorum pro tituli quantitate debetur, & auri massa transmittitur, in* LXXII *solidos libra feratur accepto.* quæ in Cod. Justiniani eodem titulo quinta est. Hic quantum providentiæ Triboniano, tantum socordiæ Theodosio & ejus amicis adscribitur. si enim hæc sub Valentiniano mutatio contigit, perinde facta erat Theodosio codicem suum promulgante, atque Justiniano suum postea: & sic superflua, quippe abrogata, illa constitutio Constantini. Sed verba illius mendosa coarguit hoc ipsum, quod diximus, septem nummos scriptulorum quatuor ex uncia, & quatuordecim ex sextante confici non posse, quia uncia nunquam habuit supra quatuor & viginti scriptula; septem autem nummi quaternorum scriptulorum ad viginti octo scriptula excedunt. Hæc ratio fuit Guid. Pancirollo, & diligenti nummorum spectatori Savoto, cur VI pro VII, & XII pro XIV, qui numeri facile confunduntur, censerent in rescripto Constantini corrigendum esse: quorum confidentiam & gravem errorem appellari audio; sed & rationem invictam, quæ illos ad hanc conjecturam perduxit, quasi nulla foret, dissimulari video. Nimirum acquievit illustrium virorum Cæsaris Baronii & Jos. Scaligeri suspicioni, qui, ut istud tam confragosum complanent, sub Constantino imaginantur unciam viginti octo scriptulorum. Sic vero & dimidia sextula non mansisset duorum, non drachma trium, non sextula quaternum, non sicilicus senum, non binæ sextulæ octonum, non semuncia duodenum scriptulorum, non scriptulum sex siliquarum: sed hæc quoque proportione augeri oportuit. Tantam mutationem accidisse in ponderibus, cujus nulla excogitari causa possit, præter meram libidinem, fidem non habet. Deinde quid fuit necesse Theodosium, quid postea Alaricum, Constantini, si talis fuit, constitutionem repetere, quam dudum, ut volunt, Valentinianus antiquaverat? & sic pugnantibus inter se tam manifeste legibus turbare subjectos? & exactoribus vexandi censuales, magnam partem imperitos & fraudi obnoxios, fenestram aperire? quum ipsi, quod Valentiniano scilicet placuit, secuturi essent. Propius vero est,

 utrum-

utrumque divale reſcriptum verbis diverſis ad eundem intellectum tendere & Tribonianum legi I Cod. Juſtin. de ponderat. partem detraxiſſe, quia non aliud ſignificabat, quam traditum præcedente titulo de Suſceptoribus lege v. nempe libram auri acceptam referri debere LXXII ſolidis numeratis: non enim hi plurium nec pauciorum ſinguli quam quatuor ſcriptulorum, nec niſi ſex in uncia, duodecim in duabus eſſe poterant. Eoque priuſquam unciam XXVIII ſcriptulorum, rem inauditam & incredibilem, fingam, cum Savoto in Pancirolli ſententiam diſcedere malo. Sed nec illud ſincerum, quum denarii LXXXIV ſignarentur e libra, denarium quatuor ſcriptulorum fuiſſe prodi a Varrone annali tertio, apud Chariſium: etſi ſit e Scaligeri conditis. Verba fragmenti hæc ſunt: *Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt: is quatuor ſcriptulis major fuit quam nunc eſt.* Diximus illum nummum, etſi certatim a Scaligero, Salmaſio, Savoto, *denarius* vocetur, fuiſſe extraordinarium, & monumentum potius quam pecuniam; nec in uſum veniſſe, quum altero demum poſt ſeculo argentum ſignare cœperint Romani. Præterea non *quatuor ſcriptulorum* ille nummus, ſed *quatuor ſcriptulis major* quam Varronis tempore dicitur. A Valentiniano audio imminutam libram auri σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ, ſic ut ea non ἰσοστάσιος eſſet veteri Conſtantinianæ; ſed ἰσοδύναμος, utpote LXXII ſolidorum ejuſdem ponderis, cujus fuerant ſolidi Conſtantini, libra effecta, cujus eadem æſtimatio eſſet, quæ antea, quum LXXXIV ſolidos complecteretur. Hic inſolens auribus accidit meis, ſeptuaginta duos ſolidos aureos tantundem valere, quantum octoginta quatuor ejuſdem omnino ponderis ac materiæ: nec per naturam rerum, in eodem imperio, nullo magno a Conſtantino ad Valentinianum uſque interveniente caſu, cui res tam peregrina feratur accepta, fieri poteſt. Mutationes monetæ ſolent fieri, ut reſpublica lucretur. Nullum autem lucrum reipublicæ poteſt obvenire in auro, argento, ære pecuniario, niſi per ipſos nummos, ſive imminutos, quibus tamen eadem maneat poteſtas, quæ gravioribus aut ſincerioribus fuit; ſive patiendo creſcere illorum pretium ſupra juſtum, dum erogantur, & revocando edictis ad verum modum, quum vacuum eſt ærarium & colligit. Sic proceſſit Solonis σεισάχθεια, dum e mina non niſi LXXII vel LXXV antea denariis vel drachmis ſufficiente, centum fiunt ejuſdem pretii in uſu publico. Sic æs contractum profuit Romanis, dum aſſis unius materia in ſenos, tum duodenos, denique vicenos quaternos procuditur. Libra quidem tam argenti quam æris utriſque fuit quæ fuerat. Itaque ad omnes omnino cives tam locupletes quam pauperes hoc pertinebat auxilium; non parti civitatis gratificabatur aliorum bona, quod pernicioſarum largitionum proprium eſt. Adſecutus eſt ſimilia & longe majora commoda Conſtantinus, non libram auri, ſed nummos novando. *Aureus* Romanus priſcus erat ſeptem ſcriptulorum & quintæ ſcriptuli; quod alibi dicimus duas drachmas & duas quintas drachmæ.

nam

nam quinta duodecim sexagesimæ, duæ quintæ viginti quatuor sexagesimæ. Quadraginta feriebantur e libra. Septies quadraginta sunt CCLXXX: quadraginta quintæ partes scripuli faciunt octo scriptula integra: ita fiunt CCLXXXVIII scriptula libræ. Pretium tamen aureo erat XXV denariorum, quasi septem scriptulis & simplo vel dimidiato scriptulo constaret, ut imputarentur in libram nummariam trecenta scriptula: quæ respondent tribus millibus scriptulorum argenti; hoc est, mille denariis, quaternis millibus sestertium nummum. Raris, opinor, utique sub Imperatoribus, inerat accessio illa super septimum scriptulum: ut solent officinæ minimum lucrum non contemnendum putare. Itaque canescente imperio pondus illud paullatim recisius, vix ut staterem didrachmum veterem Atticum æquaret, quum tamen XXV denariorum ei pretium maneret, molliorem occasionem dedit Constantino, ut pleraque alia, sic & nummos & proportionem inter aurum, argentum, æs, consuetudine jam latenter mutatam, decreto mutandi. *Solidum* itaque pro aureo fecit, quaternorum scriptulorum, seu quatuor & viginti siliquarum; quales LXXII libræ, sex unciæ auri attribuebantur; pretio nummi prioris ex proportione, quæ olim inter aurum & argentum fuerat, quasi tredecim denariorum & duorum obolorum. Sed hos denarios etiam abolevit Constantinus, & pro illis introduxit *milliarenses*, graviores denario, XXVIII siliquarum & quatuor quintarum siliquæ: quum denarius octodecim tantum siliquarum fuisset. Hi sexaginta libram argenti faciebant, quinque unciam; duodecim solido taxati. L. I Cod. Theod. de expensis ludorum: *Cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, alia materia diptychis: nec majorem argenteum nummum fas sit expendere, quam qui formari solet, cum argenti libra una in argenteas sexaginta dividitur: minorem dare volentibus non solum liberum, sed etiam honestum esse permittimus.* Sic aurum ex proportione ad argentum decupla, quæ sub consulibus & prioribus principibus obtinuerat, crevit eo, ut una pars auri quatuordecim & amplius commutaretur paribus partibus argenti; libra argenti, continens milliarenses sexaginta, æstimaretur quinis solidis; & ita quatuordecim argenti libræ responderent septuaginta solidis, hoc est, minus duobus solidis quam libræ: quum prius decem argenti libræ unam auri, & quatuor aurei tanto graviores libram argenti æquassent. L. un. utroque Cod. de argenti pretio q. thes. inf. *Jubemus ut pro argenti summa quam quis thensauris fuerit illaturus, inferendi auri accipiat facultatem, ita ut pro singulis libris argenti quinos solidos inferat.* Cæterum ut olim denarius senos denos æris, sestertios quaternos complectebatur, ita milliarensis jam *folles* vicenos quaternos, qui non assibus, sed priscis sestertiis comparabantur. nam *follem* quatuor asses interpretatur Suidas. Intellige asses, non semuncia, ut aliquanto etiam post Plinii ævum fuerunt, sed sicilico seu duabus octavis unciæ æris constantes. unde Hesychius: Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ τέ-

τας ἐλον

τεῖζον τ φόλλεως. Nimirum as est iste quadrans, quadrante unciæ æris constans, & quartus in folle. Etenim follis uncialis: duodecim folles, libra æris: CXX folles, decem libræ: ducenti quadraginta folles, libræ viginti. Hi *folles* & ante fuerant, & pro sestertiis aut paullo minus ambulaverant, sic ut quinque denarium facerent. Est & alia *follis* interpretatio in Glossis Nomicis, ut & *milliarensis:* sed de his nunc non agimus. Quoniam igitur *milliarensis* viginti quatuor folles pensabat, libra argenti milliarenses sexaginta; eadem argenti libra mille quadringentis quadraginta follibus, hoc est, CXX libris æris æstimetur, oportet: ut argentum ad æs tum sese habuerit, quemadmodum pars una ad pares partes centum & viginti. quum vetustissimis temporibus libra argenti millenis æris æstimaretur; at ex quo sedecim assibus semuncialibus censebatur denarius, hoc est, octo æris unciis; libra argenti, quæ centum habebat denarios, comparabatur mille sexcentis assibus, hoc est, libris æris LXVII, detractis octo assibus. Adeo quo plus auri argentique Romam venit, crevit pretium æris. *Solidus* vero, quia duodecim milliarensibus vertebatur, singulis quatuor & viginti follium; tantundem faciebat, quantum CCLXXXVIII folles, & sic XXIV libræ æris: nam viginti quatuor duodecies ducta conflant istum numerum. Pro vicenis quinis tamen libris æris sibi patiebatur fiscus solido satisfieri ab illis, qui æris collatione tenebantur, ut hoc lucello invitati mallent aurum quam ipsum æs inferre. Hinc L. II Cod. Theod. de collat. æris: *Æris pretia, quæ a provincialibus postulantur, ita exigi volumus, ut pro viginti quinque libris æris solidus a possessore reddatur.* Quem numerum mutari non est necesse. Uncia igitur auri ut senis solidis, ita follibus mille septingentis viginti octo, quæ sunt CXLIV libræ, constabat: libra viginti millibus septingentis triginta sex follibus, hoc est, mille septingentis viginti octo libris: eratque aurum ad æs, ut unum ad mille septingenta viginti octo. At vetustissima auri libra ad decem millia librarum æris extollebatur: assibus semuncialibus factis, libra auri ut mille denariis vel quaternis millibus sestertium nummum censebatur, quibus pares erant XL aurei, singuli viginti quinque denarium aut centenum sestertium, ita assium faciebat sedecim millia, hoc est, æris libras sexcentas septuaginta, demptis octoginta assibus seu tribus libris triente: aureus ipse quadringentis assibus, hoc est, sedecim libris & besse vel sedecim assibus contentus erat. Falsus igitur Ant. Augustinus lib. II Emend. cap. IX, quum ait, aliis constitutionibus singulos solidos viginti libris æris æstimatos, argenti libram solidis quinque: itaque libram auri æstimatam argenti libris XIV sescuncia sicilico; æris vero libris MCCCCXL: argenti libram æris libris centum, hoc est, sestertiis sexcentis, denariis CL. Quadruplex, ni quintuplex, hic error. Pro viginti libris vicenas quinas vel quaternas ponere debuit. Sescuncia sicilicus argenti libræ sunt octo milliarenses & unius dodrans, sive folles octodecim. Nam libra argenti, ut *as*, milliarenses habet LX: ejus

deunx, milliarenſes LV: *dextans*, milliarenſes L: *dodrans*, quadraginta quinque: *bes*, quadraginta: *ſeptunx*, triginta quinque: *ſemis*, triginta: *quincunx*, viginti quinque: *triens*, XX: *quadrans*, XV: *ſextans*, X: *ſeſcuncia*, ſeptem milliarenſes & dimidiatus, hoc eſt, folles duodecim: *uncia*, quinque: *ſicilicus*, milliarenſis & unius quadrans. At libra auri, LXXII ſolidis conſtans, quia quinque ſolidi faciunt argenti libram, complectitur argenti libras XIV, quæ reſpondent LXX ſolidis, & milliarenſes XXIV, qui pro duobus ſolidis ſunt, & duas quintas partes libræ argenti conſtituunt, quippe quæ quinque ſolidis, ſexaginta milliarenſibus abſolvitur. De auri & argenti ad æs proportione jam dictum eſt. Sane ſeſcunciam illam ſicilicumque ſupra XIV libras reprehendit olim & Car. Molinæus quæſt. C. de uſuris: recteque ait fuiſſe quatuor uncias, id eſt, trientem ſive milliarenſes XX, & quatuor quintas unciæ partes, hoc eſt, quatuor milliarenſes: quinque enim milliarenſes habet uncia. Sed ibidem dupliciter peccat: primum, quum argentum ad æs, perinde ut Auguſtinus, proprie centuplum fuiſſe ait, hoc eſt, unam libram argenti valuiſſe centum libras æris tum temporis adfirmat, quum valuerit CXX: dein quum hanc proportionem fuiſſe jam vult a ſeculo Aurelii Alexandri, cujus exiſtimat eſſe l. *Quotieſcumque.* v Co. de Suſceptoribus. Id quod & inſcriptio & ſubſcriptio refutat. Illa ſic habet: *Iidem AA. ad Germanianum* C. S. L. hoc eſt, non *Aurelius Alexander*, ut ille accepit, ſed *Iidem Auguſti.* nempe Valentinianus & Valens, a quibus & profectæ præcedentes duæ conſtitutiones. Hæc ita: *Datum Romæ* VI *Id. Januar. Lupicino & Jovino coſſ.* Hi ſub iſtis Auguſtis tertii fuere conſules, non ſub Alexandro. Ex ſuperioribus igitur liquet, immenſum quantum profeciſſe arcas imperatorias, poſtquam aurum tanto minutius tanto majus argenti pretium, argentum paullo gravius tanto plures æreos nummos, libra utraque tanto plures quam proxime libras æris, ære interim & ipſo in uſu fori manente, valuit. Eaque omnia ſunt comparata mutatis nummis, libra ubique eadem manente. Hæ res novæ in ſignata pecunia Romana tantæ ſunt, prorſus ut deceant non alium quam Conſtantinum: qui, ut cærimonias & religiones pie probeque ſine controverſia, ita cæterorum domi militiæque inſtitutorum quædam dubium an ſalutariter, omnia certe callide & aſtute commutavit, adeo ut tum cognomini ſuo parem ſe credidiſſe videatur, ſi nihil reliquiſſet, quale acceperat. Quem impetum viri Deus arcana vi ad bonum Chriſtiani ſacramenti convertit. Nec offendare, quod advocatis e Codice Theodoſii & Juſtiniani locis præfixa fere ſunt ſeriorum principum nomina: ſolent namque ſtatuta prioribus ſæpe pro occaſione renovare principes & magiſtratus, nonnunquam ſua; quod in pecunia neceſſarium in primis reddit aviditas negotiantium: & Codicis utriuſque conditores, quum plurium eadem de re a pluribus principibus eodem modo reſcriptorum copiam haberent, uſi libertate ſua, remotioribus omiſſis ætati ſuæ proxima adamaverunt.

runt. Solidum quaternorum scripulorum Constantini esse nemo dubitat, qui septuagies bis formatus libræ convenit unice: & hæc mutatio in auro alias traxit. Sic Leucon & Dionysius tyranni, ut apud Polyænum & Aristotelem est, sed in pecuniæ penuria, nummum alia forma percussum, duplum valere jussere, salva & illi libra. Valentiniani autem, quam fingunt, curta & trunca libra, quid argumenti aut utilitatis habuit? quid foret, nisi largitio exhauriens ærarium, & possessores latifundiorum pauperans, cum lucro, non tenuiorum, sed opulentiorum e conductoribus? Quum enim vectigalia & tributa fere omnia auro æstimarentur, & ad aurum redigerentur, astutissime consequuntur, ut pro LXXXIV solidis, quos adhuc pendebant, quibus libra auri erat adscripta, in posterum septuaginta duos, nulla parte meliores, numerarent. Quis non videt, neminem hoc juvisse illorum, qui maxime remissione indigebant, nempe, qui minus auri libra penderent? illos vero, qui amplissima prædia tenebant, & ex illis multas auri libras sive fisco sive privatis conferebant, aurum reipublicæ & dominis agrorum detractum gessisse corbibus? Non tam bonus fuit Valentinianus, nec tam inconsultum ejus consilium, ut tanto fisci damno provincialium ditioribus potius quam egentioribus subvenirent. Ammiani de illo elogium est lib. XXX. *Aviditas plus habendi sine honesti pravique differentia & indagandi quæstus varios per alienæ vitæ naufragia, exundavit in hoc principe flagrantius adolescens.* Et Jo. Antiochenus eum facit φροντίζοντα καὶ τῆς θησαυρῶν ὑποδοχῆς, etsi addat δικαίας. Itaque miror quomodo laudet Ammianus postea *tributorum sarcinas mollientem.* Mollierit autem? non tamen hoc est publicas & privatas optimorum civium fortunas censualium & mancipum locupletissimis condonare. Denique habemus hac parte consentientem Salmasium de Usu-
,, ris cap. XVI. Libra auri semper fuit ἰσοστάσιος ἢ ἰσοδύναμος, etsi non fue-
,, rit omni tempore ἰσάριθμος. Ergo libra Augustea XLVIII aureorum
,, æqualis erat pretii (nempe quod ad pondus) cum Justinianea LXXII solidorum. Ubi quod quadraginta octo aureos ponit in libra Augustea, ortum ex eo, quod aureum Romanum præcise didrachmum sive sex scriptulorum statuit; diximus legem monetæ quadraginta ex ea formari voluisse: quem numerum ut avaritiam & malos mores sæpe superasse credibile est, (neque aliud vult Plinius) ita bonos principes censendum identidem reduxisse & servandum mandasse, donec solidum suum introduxit Constantinus & totam rationem monetæ immutavit. Et hoc sensit ipse Salmasius,
,, quum ad Solinum pag. 988 scripsit: Aureliano imperante in auri libram
,, non plures quam quadraginta aureos cudi legitimum fuit. Nam idem aureus, nisi aliquanto pejor, fuit tempore Aureliani, qui Augusti. Petavius quoque, quem in subsidiis collocat Gothofredus, etsi Constantini seculo libram ad LXXXIV pervenisse statuat aureos, eodem corrupto numero legis I de Ponderat. inductus, tamen id ponderi aureorum mutato, non li-

bræ,

bræ, attribuit. Hoc certum & indubitatum eſt, æris, argenti, auri, infecti, facti, ſignati, unam eandemque libram, atque illam duodecim unciarum fuiſſe Romanis, quamdiu fuerunt ſui; non Vandalorum aut Gothorum aut Francorum aut Saxonum provincia. Quin immo & ſub iſtis, donec marca barbarica ubique introduceretur. Hic me cupientem abſolvere, quod inſtitui, lacinia reprehendunt & morantur Martialis interpretes ad lib. VIII epigr. LXXI:

Libra fuit quinto Septiciana quidem.

Mirabar quid in mentem veniſſet ei, qui ſcriberet hic intelligi libram octo unciarum cum ſemuncia, quæ Romanis bello attritis defluxerit ab unciis duodecim: quum vidi bonum hominem ἀνθέρικας τῶν θησαυρῶν nobis appoſuiſſe e penu Raderi. Is ample ac fidenter, ita ut apud illos, qui veteres ,, non bene legerunt, fidem mereri poſſit. Eſt, inquit, libra octo unciarum ,, cum ſemuncia, ratione primæ libræ & maximæ. Nam primum libram Romanam, ſive pondo, ſive aſſem, duodecim uncias complexam; bello Punico primo propter reipublicæ difficultates ſextantem de juſta libra detractum, ita ut dextans remaneret & haberet idem partium cum integra libra: unde apud Plinium legi, *percuſſos aſſes dextantario pondere*, quod ſit, detracto ſextante e juſta & prima libra. dein Annibale infeſto de ſextante rurſus detractam unciam, ita ut libra Romana dodrantem ſeu novem uncias contineret. denique Papiria lege unciales aſſes ſive dodrantales rurſum imminutos percuſſo aſſe ſemunciali: quam libram octo unciis & ſemuncia conſtitiſſe: eamque eſſe Septicianam: aut certe non juſtum primæ libræ pondus XII unciarum; ſed vel dextantem vel dodrantem. Hæc falſiſſima. Locum Plinii notiſſimum, qui de pondere æris ſignati reciſo agit, ad libram, qua omnia, quæ pondere cenſentur, examinantur, nunquam mutatam transtulit. nec illum, ut in omnibus libris legitur, ſed ut corruptus eſt infelici manu Alciati & Philandri. Ne verba perdamus, ipſe ſe Plinius vindicet. Lib. XXXIII cap. III. *Libræ autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque ut aſſes ſextantario pondere ferirentur. ita quinque partes factæ lucri, diſſolutumque æs alienum. Poſtea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes unciales facti. Mox lege Papiria ſemunciales facti.* Serpunt peccata doctorum virorum. Alciatus *ſextantarios aſſes* interpretabatur, quibus ſextans detractus, & legebat: *quinta pars facta lucri.* Philander & hoc, & jam *dextantario pondere*, ſcribi jubet, & ſecum ait ſentire Alciatum. Neuter de omni libra hæc accepit, ſed de aſſe librali. Raderus *libram, pondo, aſſem*, rem prorſus eandem putavit, & quod de uno diceretur, idem de omnibus poſſe dici: ex quo fonte manavit etiam, quod Scaliger & Philander pedem appellari *pondo*, Baronius *hæreditatem*, ut mox dicemus, *libræ pondo comprehenſam* ſcripſerunt: ſed nemo deſcendit quouſque Raderus: & tamen invenit, cui errorem tantum probaret. *Libræ*

pondus æris imminutum, accepit, quasi esset, pondus æris & cujuscumque rei imminutum in libra: sed satis ostendunt proxima scripsisse Plinium: *Libra autem pondus æri imminutum:* id est, assi, vel in asse. Quam absurdum autem *unciale* & *semunciale* esse, cui uncia & semuncia detracta est? *unciale* esse „ idem quod dodrantale? Attamen, inquit, ita convenit huic loco, quum „ Poeta a quatuor libris descendat ad dupondium seu binas, tertio anno ad „ libram, quarto ad dextantem, quinto ad *Septicianam*, id est, dodrantem, „ vel dodrantem cum semuncia. At quis illi vaticinatus est de libra tertio, de dextante quarto anno? Nam Martialis nil nisi:

Tertius & quartus multo inferiora tulerunt.

An *multo inferiora* necessario sunt libra & dextans? Cur utroque anno non libram & aliquot uncias intelligi licet? puta & selibram, dein & trientem vel quadrantem. Ut sine dubio capienda ista *inferiora*, cum quinto fuerit minus, & tamen libra, quæ unica fuit harum rerum duodecim unciis constans. Brodæus in contrarium majorem & antiquam facit *Septicianam*, forte a Septis appellatam, quasi negotiatoriam; alteram aliquot unciis minorem, medicinalem. Sed nec a Septis belle *Septicianam* dicas, nec *Septicianam* negotiatoriam; nec libra medica, quicquid de illa fuerit, hic secludenda erat poetæ, quasi esset metus, ne quis illam intelligeret, nisi adderetur vox negotiatoriam significans. Hactenus scire possumus, *libram Septicianam* esse libram veram & hujus generis unicam duodecim unciarum argenti *Septiciani*, quod appellat lib. IV epigr. LXXXIIX. *argenti sex scriptula Septiciani.* Sed quodnam argentum *Septicianum?* Ita deterius videtur dixisse, inquit Had. Junius, ut infra *libram Septicianam*, id est, improbioris argenti. Aurifabrum alii conjectant Septicium: Raderus *Septicianam*, quasi septuncianam. Nihil in his omnibus ne verosimile quidem. Suspicor potius a loco & agro Septiciano sic appellatum, tanquam ibi putei fuerint, unde eruebatur. Sic *Dalmaticum metallum* pro auro. Hujus agri mentio est apud Aggenum Urbicum de controversiis agrorum: *Est alia inscriptio, qua diversa significatio videtur esse, in quo loco inscribitur:* SILVA ET PASCUA AUT FUNDUS SEPTICIANUS COLONIAE AUGUSTAE CONCORDIAE. Equidem & in inscriptionum corpore celebrantur Septicii, & notus ex Plinii præconio ille C. Septicius lib. II epist. 9 & aliunde alii; ab quorum aliquo nomen sortiri ille ager potuit, & hinc argentum illi repertum similiter vocari; atque ac æs Sallustianum & Livianum, utrumque a metallorum dominis appellatum teste majore Plinio XXXIV, I. Et certe sic Suetonius in Tiberio cap. XLIX jus metallorum quoque in privatis videtur agnoscere; & manifeste Tacitus lib. VI annal. cap. XIX aurarias Sexti Marii Hispaniarum ditissimi fatetur, quod explicare videtur Strabo lib. III pag. CXLVIII. Ἔστι δὲ καὶ νῦν τὰ ἀργυρεῖα, οὐ μέντοι δημόσια, οὔτε δὲ ἐνταῦθα, οὔτε ἐν ἄλλοις τόποις. ἀλλ' εἰς ἰδιωτικὰς μετέστησαν κτήσεις. τὰ δὲ χρυσεῖα δημοσιεύεται τὰ πλείω. Talis igitur &

Septicius

Septicius quidam videtur illa metalla exercuisse. Ecce autem aliud dubium: ubi gentium illa *Augusta Concordia?* Non est Italica ad Timavum. Quid si ponamus in Hispania? Habet illa quidem *Juliam Concordiam:* sed quid prohibuerit & *Augustam* adoptare? nisi utraque eadem. Certe bellorum, quæ pia, & unde triumphare posset, gessit Augustus, vel præcipua ipse gessit in Hispania, & non modo coloniis militum suorum eam replevit, sed & pleraque indigenis castra sua habitanda dedit. Quin & majoris partis Juliarum illum auctorem esse censeo. Præterea Tarraconensis lapis: *Fulviae. M. F. Celerae. Flam. Perpet. Concor. Aug. Fulvius. Diadochus. Lib. Patronae.* Sed eam *Concordiam Augustam* inter deas ponit Scaliger. At non minus commode hic *Flaminica perpetua* coloniæ *Concordiæ Augustæ* intelligi potest, quam in aliis monumentis pronunciatur *Flaminica coloniæ Emeritensis perpetua, Flaminica municipii Castulonensis, Flaminica municipii Eborensis perpetua, Flaminica Mutinæ, Pisauri, Viennæ.* Habuit & Africa *Concordiam Ulpiam Trajanam Augustam.* Sed si *Septicianus* ille ager Concordiæ Augustæ Coloniæ in Hispania fuit, *Septicianum* illud ipsum argentum est, quod *Hispanum* lib. VIII epigr. LXXXVI. *nulla venit a me Hispani tibi libra pustulati.* Sic enim recte Gruterus restituit e Mss. in quibus & nos invenimus: non, *Argenti tibi.* Satis intelligitur & isthoc nomine. Omnium pulcherrimum id testatur Plinius lib. XXXVI cap. VI. tantum abest, ut *Septicianum* deterioris notæ cum Junio accipiamus. Nec agnosco tam frigidum & ineptum, quam faciunt hic τὸ *quidem:* sed nec admiror illorum *quid est?* Dicit Martialis: *Quinto anno venit mihi donata libra argenti; sane Septiciani; fateor, Septiciani:* relinquens intelligendum: *sed tamen tantum libra, quum stare aut crescere debeant munera, & quatuor olim miseris. Libra* igitur *Septiciana,* ut mox in *cotyla selibra rasa,* id est, argenti rasilis. Vellejus Hispaniensis triumphi, quem Cæsar Divus egit, apparatum *argento rasili* constitisse scribit. Coronas ex cinnamo *interrasili auro* inclusas, Plinius lib. XI cap. XIX. Sed tamen, ajunt, hanc Valentiniani libram acta Papæ Marcellini *occiduam libram* vocant, quum LXXII testes in Synodo Sinuessana productos ita circumscribunt: *Hi omnes electi sunt viri libra occidua, qui testimonium perhibent, videntes eum sacrificasse.* Iterumque: *Intra hæc* LXXII *testimonia* &c. *quoniam in* LXXII *solidorum libra occidua in reparationem surgit annus.* Fateor: scio etiam, quid hic Baronius & Scaliger. Ille ait inolevisse apud antiquos morem, ut interdum ponderum notis numerum consignarent atque distinguerent: sic hæreditatem integram *pondo* unius libræ comprehensam, & partes ejus secundum libræ pondus in alia quoque minora pondera, ut a Volusio Mæciano scriptum sit, divisa: ita septuaginta duo, numerum, *libræ* nomine significatum, quod tot solidos contineret auri libra, dictamque *Occiduam* ad differentiam alterius, quæ contineret LXXXIV solidos. Hic præterquam, quod libram illam LXXXIV solidorum unico Theodosiani Codicis vitiato

loco niti diximus, imitandum non est, quod hæreditatem *pondo libra comprehensam* nullo auctore scribit: neque admittendum, ex eo, quod hæreditas *as*, partesque ejus *semisses, trientes, quadrantes*, &c. dicuntur, jus cuiquam, aut analogiam pati, vocem *libram* vel hoc vel illo pro numero poni. Nam partes libræ sunt translatæ ad hæreditatem, non quod pro numero justum esset poni pondus, sed quia sunt eædem partes assis, quatenus *as* est, non pondus, sed divisor omnium sectilium. Numquid casti sermonis ætate inventus est, qui *minam considentium* pro centenis dixerit, aut *talentum legionis* vel *exercitus* pro senis millibus? Verum tamen est, hic viros *electos libra occidua* dici pro septuaginta duobus, propterea quod tot solidos auri libra hoc tempore contineret: sed hæc κατάχρησις est, vel, ut verius dicam, κακοζηλία & improba translatio, digna miseris illius ævi argutiis, nihilo sanior quam *aureos vitæ* pro quinis vicenis annis nuper finxerunt. Non solus tamen sic locutus iste actuarius, sed & Palladas lib. I. Ἀνθολ. εἰς γραμματικούς.

Λίτραν ἐτῶν ζήσας μετὰ γραμματικῆς βαρυμόχθου
Βουλευτὴς νεκύων πέμπομαι εἰς ἀΐδην.

Brodæus & Obsopœus duodecim annos interpretantur ex duodecim unciis libræ. Quod risu excipit Scaliger: sed numquid ipse rectius? Videndum ait, quum diversæ sint libræ LXXXIV & LXXII denariorum, utram intellexerit Palladas: tot enim annos dicere se consenuisse in nugis Grammaticorum, quot sint argentei in libra. At mihi exploratum est, λίτραν ἐτῶν esse duos & septuaginta annos, propter tot solidos in auri libra. Primum, quod contra istos valet, deridet hominem, (malim enim esse epitaphium grammatistæ, in quo ipse mortuus introducitur loquens) qui longissimam ætatem in tristibus ineptiis consumsisset. Dein, quod & contra Scaligerum, scribebat Palladas eo tempore, quo illa solidorum & auri libra multo magis quam æris & argenti, & prope sola frequentabatur. Colligimus ætatem ejus, quam incertam habent viri summi, ex epigrammatibus in Gessium, quæ libri secundi quinque totum titulum εἰς πολυμηροὺς occupant, duo exstant lib. III εἰς ἄνδρας οὐκ ἐπισήμους, unum lib. IV εἰς εἰκόνας ῥητόρων, ea acerbitate conscripta, ut appareat hominem nescio quid ab illo læsum fuisse. Gessium autem Ἰατροσοφιστὴν floruisse imperante Zenone Isauro, testis Suidas. Meminit ejusdem inter alios illius ævi Damascius apud Photium. Sed *occiduam* & Scaliger dici vult istam libram contemplatione alterius Constantinopolitanæ. Quod non satisfacit Gothofredo, quamvis ab illis duplicem istam libram acceperit: mavult *occiduam* interpretari a Valentiniano imminutam, audetque subjicere, *occiduum* passim Christianis scriptoribus & poetis hujus ævi, ne vetustiora adferat, dici pro imminuto. Vide quid magnis hominibus pro imperio loquentibus & probationes fastidientibus credas. Proferat vel unum, & vicerit. Sic, inquit, Claudiano *occiduus sol*. Ergone occidens sol est im-

est imminutus? aut minutus est occidens? At Seneca epist. XCII. *Quædam soli quoque obstant: at solis vis & lux integra est inter opposita: & quamvis aliquid interjaceat, quod nos prohibeat ejus adspectu, in opere est, ac cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor.* Sic etiam quoties occidit, non est oriente minor. Sic, pergit, *occiduæ partes* Theodosio Novella secunda. Quis, malum, plagam mundi occidentalem somniavit imminutam? Sic Prosper: *Quorum animas mundus non tenet occiduus.* At quis, obsecro, ille mundus, si imminutus? Item: *Factum est æternum, quod fuit occiduum.* Mortale, fragile, intelligo, ob compositum ei *æternum*, quod est immortale: sed quis *imminutum* dixit pro mortali, fragili, caduco? Nullo modo stare potest ista interpretatio. Quamvis autem difficile sit hujusmodi scriptorum sententias adsequi, nisi prope aliquas ineptias venias, tamen commodissimum videtur, *Occiduam* simpliciter intelligere Romanam sive Italicam auri ex ordinatione Constantini in LXXII solidos divisam libram, non alicujus intuitu Constantinopolitanæ, quæ nunquam fuit, sed earum, quæcumque aliæ variis in gentibus residuæ esse poterant. Etsi enim una in toto imperio publice prævaleret, verisimile tamen est, non omnes, quas in Græcia & Asia differentes minas varii auctores prodiderunt, exolevisse. Occiduarum autem partium prima semper Italia, quandoque etiam *Hesperia* ob id ipsum appellata. Sed quæcumque sit illa *occidua libra*, certe *occiduum* non est curtum, præcisum, imminutum, ne his quidem scriptoribus. Hic perhibendum testimonium est doctissimo viro: nihil habet hæc diatriba melius, quam quod Actorum ista verba, *in* LXXII *solidorum libra occiduæ annus aperitur*, Scaligero quoque conclamata, explicat ex L. un. Cod. utroque de oblatione votorum: *Quando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri solidi* LXXII *obryziaci Principibus offerendi devotionem animo libenti sufferimus.* Atque hæc de imminutione.

CAPUT XIV.

Tractare rationes, pecuniam. Versare pecunias. Suetonius defensus. Vertere, de negotiatione mercium. Subversari. Plauto vetus lectio restituta & eadem explicata. Persio lux. Tractare religiones, jus civium. Tractare vel impendere imminutionem in æstimatione solidi, sermo futilis & nullius mentis. Libram imminutam non esse causam vilitatis annonæ. Decem modii frumenti solido, semper caritas. Cassio apud Ciceronem lux. Collectores aurum fiscale inferebant in massis obryzæ, jussu Valentiniani, non in nummis. Auro semper inest aliquid argenti aut levioris metalli, quod decoctione separatur & interit. Hæc est illa imminutio, quæ taxatur in æstimatione seu probatione solidi ad obrussam. Codex Theodosianus bis emendatus. Species fiscales aut ipsæ aut in pretiis præstabantur. Pretia specierum decrescere quid. Aurum coronarium non decrescebat pro imminutione vel intertrimento obryzæ. Rursus Codici Theodosiano medicina.

Sequitur in rescripto: *quæ in æstimatione solidi forte tractatur*: cujus tres, sed omnes juxta abhorrentes interpretationes offeruntur. Prima, *tractandi*

ctandi verbum τῆς λογαριϰῆς proprium esse: & significare idem quod calculum subducere, computare, λογαριάζειν. ergo *imminutionem tractatam* dici subductam, taxatam, definitam. Concedo *tractare rationes & pecuniam* dici rationalem vel dispensatorem, dum officium habet administrare res vel pecunias alicujus. Sic Plautus Asin. a. IV sc. IV. *Ferox est viginti minas tractare sese.* Cicero in Cæcilium: *eras enim tu quæstor: pecuniam publicam tractabas.* Lib. V in Verrem: *ut is pecuniam tractaret, quem ipse præfecisses.* Asconius in lib. I de Q. & Cn. Postumiis: *Hi sunt, qui extraordinarias pecunias Verris tractabant.* Suetonius *versare* dicit in Galba cap. IX. *Nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque adfixit.* Ubi nollem præstantissimo Casaubono suspectum esse τὸ *pecunias*, & forte tollendum aut scribendum: *versanti in pecuniis.* Immo *versanti pecunias* est tractanti. Sic Virgilii *versemus oves* Ecl. ult. Servius explicat, *exerceamus & tractemus.* Dicitur, ut hoc obiter moneam, & de mercium negotiatione. Plautus Curculione a. IV sc. I in Velabro ait inter alios esse

Vel qui ipsi vortant vel qui aliis ut versentur præbeant.

Sic ediderunt de sententia Lipsii: & ei sensum mutuantur a Turnebo & Lambino: qui fallant & evertant alios bonis, vel alios fallendos præbeant, aut iis fallendis consilium dent. Mihi jamdudum visum tolerari posse chirographum: *Vel qui ipsi vortant, vel quî alii subversentur, præbeant.* Quod cum & nonnemini suboluerit, Plauti tamen ille mentem assequi non potuit. Vel qui mutent merces suas minuscularii negotiatores, vel qui præbeant institoribus merces, quibus exerceant negotium sub aliis, quas mutent alienas dominorum vice. Nam *subversari* eos dicit, ut *suppromum, Subballionem, sublingionem.* Sic accepit & Persius Sat. V.

saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper a sitiente camelo,
Verte aliquid.

Fallitur idem, quem modo nominavi, vir magnus, quum *vertere* putat ab agricultura petitum: aut *verte*, esse, averte, decipe, circumscribe. Nam *vertere*, ut *mutare merces* apud Sallustium & Tacitum. Itaque recte Scholiastes vetus: *Negotiare & speciem pro specie commuta.* Asconius ad lib. I Verrin. *Vortumnus autem deus invertendarum rerum est, id est, mercaturæ.* Alludunt & Plautus in Mostell. a. III sc. I. *jam homo in mercatura vortitur:* & Gellius lib. I cap. XII. *qui in negotiis sordidis diversantur.* Sic igitur *versare & tractare pecuniam* intelligo: feram quoque *tractare rationes* dici non modo de omni officio, sed etiam de uno actu, si cum maxime subducat. Sed longe aliud sonat *tractare rationes*, aliud *tractare imminutionem libræ in æstimatione solidi.* Nihil hic tractatu vel supputatu opus. Simul decreta est a principe imminutio libræ; non habent, cur eam subducant, taxent, definiant

colle-

collectores. Jam definita est. Taxatur, cujus ambiguum est pretium: subducuntur rationes, quarum summa collecta non est, aut quarum summæ collectæ diffiditur. Hic præcipit princeps certum: LXXII *solidi libra sunto:* posthac non licet illis interponere consilium suum, nec dubitare de imminutione. Tractare accipiendo numeratos solidos probos illorum munus est, non imminutionem libræ, si qua facta est. Succedit altera explicatio, hanc vocem, *tractatur*, pertinere ad tractatum, qui habitus in consistorio Principis, & eandem imminutionem quæ ibi tractata subductaque fuit. Scio apud Livium lib. XXXIII: *ibi consilia decem legatorum tractabantur:* apud Tacitum IV ann. *Igitur tractatis religionibus placitum, instituto Flaminis nihil demutari:* &, *Tiberius jus civium, preces sociorum tractabat:* &, *apud Patres etiam tum cuncta tractabantur.* Sed ut hæc vis verbi huc quadret, fingendum est Valentinianum eopse temporis momento, quo consilium habebat de imminuenda libra, incerto adhuc, quid sedere posset consultantibus, istam epistolam dictasse. Neque enim aliter dicere poterat, *tractatur:* nec figurata dicendi ratio, qua præsens obit vices perfecti, hic locum invenit. Quam sit autem hoc pronum ad fidem, interroget aliquis credulitatem suam. Quæ, obsecro, tanta potuit esse festinatio, qua prohibebatur exspectare usque adeo, donec consilium finiretur? Tandem, inquit, voce *tractatur*, indicari videtur conversatio, usus publicus: ac si diceret imperator: pro imminutione, quæ in usu publico jam exercetur, impenditur. Ubi quid monstri est, *impendere imminutionem?* Quod idem forsan & de *exercenda imminutione* rogare possem: sed æquum me habebit: sit Latinum, *exercere* vel *tractare imminutionem in æstimatione solidi*, ut significet, uti vulgo libra auri imminuta ob solidum pluris æstimatum: tamen & huic & prioribus explicationibus refragatur particula, *forte.* Nam nec quod observant ministri a principe jussi, neque quod ab eodem propositum est deliberandum in consilio, nec quod recepit usus ex constitutione principis, id ipse princeps *tractari forte* diceret. Huic malo succurrit suspicione injecta, vocem illam a Triboniano allitam, vel positam esse *forte* ἐξηγητικῶς, ac si diceret Imperator, quæ nominatim facta fuit per æstimationem solidi. Ego vero tam caussam nullam video, cur Tribonianus hic alleverit τὸ *forte*, quam cur Gothofredus aut *forte* interpretetur *nominatim*, aut omnino illud *nominatim* in tali sermone infulciri posse existimet. Sed jam tædet ire per singula istius λογοδιαῤῥοίας, quæ pulverem potius quam lucem offundit, & liquido testatur, virum eximium cum materia sua luctari. *Species* non male facit duplices, & quæ fisco pendebantur, & quæ in foro venales habebantur: sed rursus inclinat in pejus, quum posteriores huc trahit, & tandem concludit: „Pro proportione imminutionis factæ ἐν τῇ ὁλκῇ seu ἀθροίσματι, pro pro„portione libræ auri numero aureorum imminutæ, proque rata æstima„tionis auctæ solidorum seu aureorum, qui libræ ὁλκὴν efficiunt, aut ob

 „vel

,, vel propter æstimationem nominatim aureorum factam, per consequens ,, quoque specierum omnium annonariarum, rerumque adeo seu mercium ,, venalium, in foro pretia decrescere oportere. Hic etiam *ὡς τὰν, Ἀρκαδίαν αἰτεῖς.* Prorsus enim contrarium evenit, & crescente pretio nummi crescunt etiam pretia omnium specierum. Sic constat longe plus comparari potuisse aureo Hungarico, cum XXVI obolis sive stuferis censeretur, quam nunc postquam centum. Testatur Emanuel Demetrius, semodium frumenti, anserem saginatum, libram butyri, quatuor vini sextarios, sex stuferis coempta A. C. MDI, quo illa taxatio aurei obtinebat in Belgio: quæ ubi nunc toto aureo emas? Agnoscit hoc ipse in fine suæ dissertationis, quum ait hanc legem esse de aucta aurei æstimatione ob auctam materiæ auri æstimationem *, & quidem tractatu seu decreto Principis, quo casu pretia specierum decrescere oporteat; non vero injuste, quo certe casu cæterarum rerum & specierum pretia necessario crescant. Quasi vero tale decretum Principis quidquam habeat præter insignem injustitiam. Neque edictum ullum imperatorium efficiet, ut negotiatores, quod ipsi LXXXIV aureis compararunt, id repente nullis magnis casibus temporum intercedentibus, ad aulæ libita, LXXII ejusdem ponderis ac materiæ divendere velint: nec vereantur, tam immane augmentum aurei nummi non posse diu consistere atque in eodem tenore manere. Dein quota quæque pars rerum venalium libra auri, quota pars solidis emitur? Itaque hoc annonæ laxamentum tantummodo profuisset illis qui minime illo indigebant; nimirum libras & solidos in foro, non minutos & æreolos, vexantibus & trahentibus. Hanc tragulam vidit in se ,, conjici posse, sed levi flexu & corpore se exiturum sperat. Neque hic agi- ,, tur, inquit, præcise de emptione ad solidum: quid enim, si minus solido ,, species constet? sane & hic minuetur pretium, puta, ut minus præstetur ,, minoris monetæ, quæ sub solido est, & solidum efficit per *κερματισμόν.* His paucis obiter insertis quantum silet? nempe simul cum aucta solidi æstimatione adauctam pariter æstimationem argentei æreique numismatis: deinde & libram argenti libramque æris pariter imminutam esse pro portione: quod quia inexplicabile sibi videbat, in tanta occasione affirmare diligenter vitavit. Rerum venalium pretia augentur decrescuntve, prout illarum copia vel penuria est; legem ejusmodi generalem in perpetuum sibi poni non patiuntur. Non alio exemplo utar, quam quod ipse attulit, vocatque casum illustrem proportionis propositæ. Valentinianus jussit, ut modii duodecim frumenti solido venderentur, nullo refragante. At Julianus Antiochensibus, quum in sterilitate decem tantummodo modii solido venirent, apertis

* Ut facit Nicephorus apud Zonaram tom. III. *Ἦν δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ χρημάτων ἥττων, ὡς ἔοικε. Μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὶ τοῦ νομίσματος ἐξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος, ἐκεῖνος τὸ τεταρτηρὸν ἐπενόησε, κολοβώσας αὐτὸ κατὰ τὸν σταθμόν.*

apertis horreis publicis quinos denos dedit.* Hymettius, hoc ipſo Valentiniano imperante, in Africa, pariter ceſſante anno & mendacibus fundis, in magna caritate, e conditis Cæſareis frumenti denos modios ſolidis pro beneficio conceſſit: dein proveniente ſegetum copia repoſuit in condita, quantum depromſerat, ſed tricenis modiis ſolido comparatis: & quum interpretis compendium ad ærarium miſiſſet, tamen eo non contentus bonus Valentinianus, quem in libra quavis demere ſibi octo ſolidos jure debitos fingimus, virum integerrimum, quaſi aliquid avertiſſet, bonorum parte mulctavit. Theodoſius Numidas ſingulis ſolidis tritici modia quadraginta adærare juſſit, Nov. XXIV. C. Caſſius ad Ciceronem ſcribit, penes Dolabellam *ternis tetradrachmis triticum fuiſſe.* hoc eſt, tritici modium, non medimnum, ut vult Manucius. Nam medimnum venire ternis tetradrachmis, caritas quidem eſt, ſed non tanta, quam pro re mira & ſibi læta Caſſius Romam nunciaret. *Tetradrachma terna*, denarii duodeni. Medimnus, ſex modia. Fuiſſet igitur modius duobus denariis. In Cæſaris caſtris ad Ilerdam ad denarios quinquaginta in ſingulos modios annona pervenit. Ex his liquet, quod Valentinianus duodecim modios ſolido vendi juſſit, factum, non quia libra minuta ſolidus creverat, ſed quia modice uberaverat proventus anni. Quum deni modii ſolido vendebantur, de illius ſententia libra LXXXIV ſolidorum comparabantur DCCCXL modii. Igitur ſi libra imminuta manſit ἰσοδυνάμος, iidem DCCCXL modii debuerunt coëmi LXXII ſolidis. Satis magnum lucrum eſt, quum detractis libræ octo ſolidis, & ſic frumento octoginta modiis, LXXII ſolidis antea conſtarent DCCLX. At ſi in duodenos modios pendebatur ſolidus, LXXII ſolidis confiebant DCCCLXIV ſolidi. Ubi nunc libra ἰσοδυνάμος, quamvis imminuta? Non igitur propter auctam æſtimationem ſolidi vilius frumentum fuit, ſed ob aliam cauſam, quam poſuimus, proventum videlicet anni. Caritatem annonæ fuiſſe olim, quum decem modii ſolido venirent, id ait verum tantum eſſe, poſtquam libra ad LXXII ſolidos redacta eſt, aucta ſolidi æſtimatione; non quum LXXXIV ſolidis conſtiterit. Species ſubtilitatis inanis & evanida. Decem modii tanto auri, quantum ſolidus continebat, ſemper fuit annonæ caritas. Non dicam, anno V.C. DLII, frumentum magna copia ex Africa advectum ædiles binis æris † in modios diviſiſſe, ut eſt apud Livium lib. XXXI. Ciceronis ævo in Sicilia ſeſtertiis nummis binis tritici modius erat, ſummum ternis, ut noſcitur ex frumentaria. Ergo decem modii ſeſtertiis vicenis, hoc

* Etiam Baſilius Macedo, quum in templo vidiſſet cives quoſdam triſtes ob annonæ caritatem, quum δύο μεδίμνους σίτου cogerentur εἰς νόμισμα χρυσοῦν ἐξωνεῖσθαι, dicitur εὐθὺς τοὺς βασιλικοὺς σιτῶνας ἀνοιγῆσαι, καὶ δώδεκα μεδίμνους σίτου νομίσματος ἑνὸς ἀποδίδοσθαι, ut narrat Zonaras libro III.

† Adſcripſit pater. [Barth, 57 ad. 18 p. 2715.] Ubi hic certe hariolatur imperitiſſime, quia legit *binis æreis*, fabricans æreum, nummum ſcilicet Romanis ita vocatum.

hoc est, quinque denariis. At solidus quatuor scriptulorum etiam vetere auri ad argentum decupla proportione respondebat tredecim denariis trienti. Senatus, sive ut socios potius juvaret quam premeret, sive quia Romæ omnia cariora, eodem tempore frumentum publice coëmendum æstimaverat quaternis sestertiis, hoc est, denario. Sic quoque tamen caritas est: nam decem denariis constarent modii decem, solido tredecim. Sed olim perdo verba & terebratum pertundo. Utinam vero quid rectius! Nihil vetat tentare. Jusserant Valentinianus ac Valens aurum, quod quocumque titulo thesauris principis colligebatur, non in nummis inferri, sed in massis, ut non nisi purissimum perveniret ad fiscum, & decoctione deperirent, quæcumque in eo essent reliquiæ venæ sequioris. Tres in eam rem constitutiones habet Codex Theodosii, duodecimam & tertiam decimam de susceptoribus, tertiam de ponderatoribus: quarum prima & secunda emissæ sunt Gratiano & Dagalaipho consulibus Nemauso, ut videtur legendum, præteritæ Justiniano, media sequente anno Lupicino & Jovino, cujus partem illam recidit Justinianus. Postremæ verba sunt: *Si quid ex proscriptionibus vel condemnationibus deposcitur, si quid ex cæteris titulis, qui annui atque solennes sunt, vel veteres vel recentes, aut peculiaris in singulos aut certa in paucos, aut uniformis in cunctos cogit indictio; non in materia conferatur, sed sub conditionalium oculis ac periculis diu multumque flammæ edacis examine in ea obryza detineatur, quem ad modum pura videatur.* Naturaliter autem in liquefactione nummorum aureorum evenit intertrimentum, quum omni auro, ut ait Plinius lib. XXXIII cap. III, *insit argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte.* Sic de argento Livius lib. XXXII. *Carthaginienses eo anno argentum in stipendium impositum primum Romam advexerunt. id quia probum non esse quæstores renuntiaverunt, experientibusque pars quarta decocta erat, pecunia Romæ mutua sumpta, intertrimentum argenti suppleverunt.* Eo modo ne sibi quoque obreperetur, imperatores providerunt. Lex XII. *Nulla debet esse causatio, quin solidi ex quocumque titulo congregati in massam obryzæ soliditatemque redintegrentur. Et ita fiat omnis illatio, ut largitionum & prosequutorum allectorumque fraudibus aditus obstruatur.* Ubi scribendum, *largitionalium*, ut sequente: *vel allecti vel prosecutores vel largitionales.* Eadem sequens sic incipit: *Quotiescumque solidi ad largitionum subsidia perferendi sunt, non solidi, pro quibus adulterini sæpe subduntur, sed aut idem in massam redacti, si aliunde qui solvi potest, habere materiam, auri obryza dirigatur, pro ea scilicet parte, quam unusquisque defendit.* Et hæc vitiosa. Lege: *sed aut iidem in massam redacti, aut si aliunde, qui solvit, potest habere materiam.* deinde, *dependit.* Hanc suspicor esse illam *imminutionem, quæ in æstimatione solidi forte taxatur:* nam sic dictasse imperatores censeo, non *tractatur*, quod locum hic tenet non suum: quam imminutionem forte taxant, factam esse si forte judicant deprehenduntque, qui ei negotio præsunt,

ſunt, dum æſtimatur vel probatur ſolidus obryza, creditus habere juſta quatuor ſcriptula ſive quatuor & viginti ſiliquas auri, quum decocti purgatique aliquanto minus inveniatur. Novella Majoriani de curialibus: *Præterea nullus ſolidum integri ponderis calumnioſæ adprobationis obtentu recuſet exactor, excepto eo Gallico, cujus aurum minore æſtimatione taxatur.* Species fiſcales interdum præſtabantur ipſæ, interdum in pretiis vel pecunia quanti illæ æſtimarentur: quod in aliis vetitum, in quibuſdam conceſſum. L. XVIII de erog. mil. ann. *Ne quis pro ſpeciebus annonariis pretia tentet exigere.* L. XX, quam ſeptimam eodem habet Juſtinianus: *Nulli militarium pro his annonis, quæ in provinciis delegantur, repudiata ad tempus ſpecierum copia & inopiæ occaſione captata pretia liceat poſtulare.* L. I de excoct. & tranſl. ann. *Opinatores, quibus ſpecies in diverſis provinciis delegantur, ut pretium majore taxatione depoſcant.* L. XVII de cohort. princip. *Cum ante placuiſſet, ut a primipilaribus ſecundum diſpoſitionem D. Gratiani ſpecies horreis erogandæ comitatenſibus militibus ex more deferrentur, limitaneis vero pretia darentur, nunc placuit, ut aurum ad officium inluſtris per Illyricum præfecturæ, cum certa taxatione, id eſt, pro LXXX libris laridæ carnis, pro octingenis etiam libris olei, & pro duodenis modiis ſalis ſinguli ſolidi perferantur.* L. II, quæ prima Juſtiniano de fabricenſ. *Omnibus fabricis non pecunias pro ſpeciebus, ſed ipſas ſpecies ſine dilatione inferri præcipimus.* L. VIII de ann. & trib. *Nemini aurum pro ſpeciebus urbis Romæ liceat exigere.* L. XXIV eod. *Textrinis & gynæceis ex more a corporatis Carthaginis ſpecies ſolitas præſtari cognovimus, ſed immodica pro hiſdem reddi pretia, quod in diſpendium nolumus fieri corporatorum: atque ideo ſublimitas tua pretiorum modum ſtatuat.* Videtur excidiſſe negandi particula: *non præſtari.* L. IV Tributa in ipſis ſpeciebus inferri: *Earum rerum, quæ in præbitionibus canonicis vel debitis ex more poſcuntur, non ſunt pretia ſpecierum, ſed ipſæ, quæ poſtulantur, ſpecies inferendæ:* &c. *neque ſub taxationibus pretiorum diſpendioſis occaſionibus adquieſcant.* L. un. ne conlocatio per logog. *quicquid etiam vel in pretiis vel in ſpeciebus ad logographos detulerit.* Le. II de equor. conl. *quamprimum equorum, qui curatorio nomine flagitantur, in pretio maturetur exactio.* Quo & pertinet lex XXIX de ann. & trib. L. un. Qui a præbit. tir. *Tirones, quorum pretia exhauſti ærarii flagitat neceſſitas, præbere.* De quibus & lex XIII de tiron. *Ampliſſimi ordinis petitionibus annuit noſtra clementia, ut pro tironibus pretia tribuantur. Damus itaque optionem, ut quod conducibile ſenatui videtur, eligendi habeat poteſtatem, id eſt, aut tirones aptos officiis militaribus præſtent, aut pro ſingulis* XXV *ſolidos numerent.* Hoc *adærare ſpecies* dicebant. Lex XXVIII de erog. mil. ann. *præter eas annonas, quæ adærantur, id tantum in ſpecie præbeatur, quod militaris flagitarit inſpectio.* Novella XXIII Theodoſii: *Has autem militares annonas, cum provinciales pro longinqua difficultate itineris in adæratione perſolverint, unius annonæ adæratio quatuor per annum ſolidis æſtimetur. Ne vero neceſſitatis occa-*

sione, in expeditione milite constituto carioris cuiquam vendere liceat pretia necessariarum rerum &c. Hæc igitur *pretia specierum* videntur, quæ Valentinianus ait *decrescere oportere pro imminutione, quæ in solidi æstimatione taxatur.* hoc est, summam, quæ pro speciebus datur, jubet minorem haberi, quam voluit ille, qui solidos dedit, eoque suppleri, quatenus deprehenditur aurum in probatione solidorum imminutum. Tanquam qui pro speciebus debitis auri libram habet inferendam, pro ea præstat LXXII solidos. Sed in decoctione tantum deperiit, ut massa inde conflata non pendat CCLXXXVIII scriptula, quot esse oportet ad integrandam libram, sed tantummodo ducenta octoginta. Pro hac imminutione igitur decrescunt etiam pretia numerata, ut jam ille censeatur, non LXXII, sed LXX solidos tantum contulisse, & super illud, quod expendit, necesse habeat addere duos auri probi solidos, qui suppleant ista octo scriptula, quæ justæ libræ defuerunt. Nimirum dictum erat in l. III de ponder. *sub conditionalium oculis ac periculis flammæ edacis examine aurum detineri debet.* Nihil aliud volunt hæc *pericula,* nisi, ut illis decrescat, non fisco, quod imminutum est. Hæc etiam confirmat l. IV de auro coronario, exceptionem continens ab hac Valentiniani constitutione: *Quæ diversarum ordines curiarum, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus prospere gestis admoniti, in coronis aureis signisque diversi generis obtulerint, in quacumque fuerint oblata materia, in ea suscipiantur: ne id quod voluntate offertur, occasione obryzæ incrementi necessitatis injuria consequatur.* Hoc rescriptum quid vult, nisi, quod in aurum coronarium offertur, id pro imminutione, quæ in æstimatione solidorum aut materiæ forte taxari posset, non decrescere? & ideo suppleri cogi non oportere? *Obryzæ incrementum* possis intelligere, quod requirit illa, ut redintegretur, si quid in excoctione decessit. Valde tamen suspicor Imperatores dictasse: *occasione obryzæ intertrimenti:* prætextu ejus quod in examinato ad obrussam minus invenitur. Et eleganter ajunt, *id quod voluntate offertur, non debere consequi necessitatis injuriam:* id est, non debere subjectum esse illi acerbitati, quæ adhibetur in illo, quod necessario præstatur: quæ acerbitas in collatione voluntaria pro injuria esset. Idque merito: nam *quæ dono contingunt, minus scrupulose probantur,* ut ait Columella. Peccavit ea in re Nero, quum parans expeditionem adversus Vindicem, exegit ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam, ut plerique omnem collationem palam recusarent. Peccavit Galba, quum oblata ad conflandum à Tarraconensibus e vetere templo Jovis corona aurea librarum quindecim, tres uncias, quæ ponderi deerant, jussit exigi, teste Suetonio.

CAPUT

CAPUT XV.

Solidus, Milliarensis, Follis, & ante Constantinum. Aureum non accepisse Solidi nomen ex eo, quod pondere similis esset assi. Assem non poni pro solido aureo apud Cassiodorum & in Cod. Theodosii. Solidus dictus ad discrimen aureorum semissium & tremissium. Lampridius defensus & explicatus. Bilibres formæ aureæ Heliogabali. Sestertiæ auri, apud Apollonii Tyrii fabulatorem. Quomodo dans decem aureos una forma Imperator, triginta aut quinquaginta aut centum dare cogatur. Heliogabalum ex libra auri quinquaginta aureos percussisse, caret auctore atque teste. Centenarium, pondus auri librarum centum, a centenariis Heliogabali formis appellatum. Viginti centenaria, quid nostræ pecuniæ Olympiodoro apud Photium, quid in argento Romano. In duplici taxatione solidi, quam faciunt docti, quæ potior. Milliarensis, drachma Æginetica, schellingus Britannicus, pares. Μονὰς, *sex millia.* Ἑκατὸν μονάδες λιτρῶν. *Covarruviæ æstimatio solidi improbata.* Ἑξάγιον. *Solidus Romanus argenteus, quem tres cuderunt insignes viri, rejectus.*

Vara vibiam, ut ajunt. Quoniam posterioris Romæ divitiæ nobis hic sive in mensam sive in solum venerunt, non possumus, quin illis paullum immoremur, & hoc quoque collybo manus decoloremus. Nomina pecuniæ a Constantino introductæ fuerunt & ante Constantinum. *Solidus* idem, qui priscis *aureus*; *milliarensis*, qui & *minutus* & *argenteus*, pro *denario*; *follis*, qui *sestertius*, sed ex ære, dicti. Sic solidus erat viginti quinque minutorum vel milliarensium, ut xxv denariorum aureus: minutus vel milliarensis quinque follium, ut denarius quatuor sestertium nummum: follis quatuor quadrantum seu æreolorum, ut sestertius quatuor assium. Sed unde ista vocabula? *Solidum* Salmasius appellatum esse, qui ante *aureus*, passim inculcat, * quod *assis* & *aurei* aliquando factum est æquale pondus, duæ drachmæ, illius in ære, hujus in auro: quod *solidus* nihil aliud significet quam assem, unde *ex asse* & *ex solido* dicatur eodem sensu: quod *assem* pro aureo posuerint Cassiodorus & codex Theodosianus. Sane solidus in rationibus *as*, ut olim denarius: utque hæreditas, jugerum, pes, omne integrum, quod in duodecim secari placet, est *as*: sed solidum appellatum ab aliqua similitudine assis signati, quam placuit summo viro, tam inimicum est rationi. Hæc perpetua illius offensiuncula, miscere assarium cum asse, seu assem, quo emimus, cum asse, per quem partimur. Hoc tenebras ei offudit in usuris assibus, semissibus, &c. explicandis: hoc in Hesychii κοδράντῃ. *Solidum* dixisse veteres Romanos pro assario, nullum uspiam vestigium est: *assem* posteriores extra ratiocinium, quo de inferius, usurpasse pro aureo minime probant, quæ adducit. Video apud Cassiodorum, *quæ militibus præbentur, in assem publicum debere imputari*: id est, detrahi ei summæ, quæ tributi nomine penditur: item, *paravedorum & annonarum præbitionem in assem*

* Cujacius 7 Observ. 33.

assem publicum constituimus imputari. &, *ut trina illatione servata*, *assem tributarium devotus exsolvat.* Nec dissimilia alibi: sed *assem* hic pro solido au-
„ reo poni non censeo. Et ipse, ubi, inquit, *assis* vel tributum & census idem. Recte: non ergo *solidus*, sed *solidum*, sive totum quod provincia confert.
„ Tamen subjicit: Quibus omnibus locis pro tributo dicitur quidem, sed
„ pro solido aureo accipiendus. Immo quia pro tributo vel censu dicitur, non accipiendus pro solido: tam mehercle quam nec vocabulum *census* vel *tributum* pro solido toleratur. Quid? an totæ provinciæ singulos pendebant solidos? Nam (pergit) *canonicos solidos* & *canonicos asses* dicebant de tributo. Video *canonicos solidos* appellare Cassiodorum: sed eundem dicere video non *asses publicos*, sed *assem publicum*, *assem tributarium*, Codicem Theodosii *præteritum assem publicarum functionum.* *As* igitur his locis non solidus, sed potuit fieri, ut multi solidi; tota collatio, sive solidis, sive alio genere pecuniæ, quinimmo & speciebus constans. Sed & didrachmum aureum Romanum jamdudum repudiavimus: qui si quando, subrepsit magis quam jure percussus est, ut ex illo pondere, quasi justo, nomen accipere potuerit. Censemus igitur, quod etiam Budæo suboluit, atque a Budæo habent cæteri, in usum venisse id vocabulum, quum *semisses* & *tremisses* aurei sunt inventi ab Alexandro Severo: tum, quia plures erant aureorum nummorum figuræ, singularibus opus fuit nominibus. Et accidit prorsus contrarium in argento. Priscis Romanis erant argentei nummi propriis vocabulis, *denarius*, *victoriatus* sive *quinarius*, *sestertius*, quia diversi ponderis & pretii erant ex una materia. Postea intermissis *victoriato* & *sestertio* solus in usu mansit *denarius*: itaque sine adjectione alia *argenteus* dici cœpit. Contra iisdem Romanis una fuit olim forma nummi ex auro: itaque non nisi *aureus* nuncupabatur: quo vocabulo differebat ab argenteis & æreis, quales erant cæteri nummi. Dein *semisses* & *tremisses*, aurei & ipsi, additi sunt: ad horum igitur differentiam pro communi *aurei* vocabulo accepit vocabulum *solidi*, quo dignosceretur a sui generis & materiæ nummis, non solidis, sed partibus ejus. *Solidus* igitur dictus, non a pondere, æquante scilicet assem æreum, sed quod esset integer, quum alia ejusdem metalli nomismata vel semisses vel trientes ejus essent. Lampridius Alexandro Severo: *Tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam cum ad tertiam partem vectigal auri decidisset, tremisses; dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset. Quos quidem jam formatos in moneta detinuit, exspectans si vectigal contrahere potuisset, ut eosdem ederet. Sed quum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos jussit, & tremisses tantum solidosque formari. Formas binarias, ternarias & quaternarias* * *& denarias etiam atque amplius usque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi*

* Adscripsit pater. [Error Agricolæ apud Hostum p. 695.]

ſolvi præcepit, neque in uſu cujuſquam verſari: atque ex eo his materiæ nomen inditum eſt, quum diceret plus largiendi hanc eſſe imperatori cauſam, ſi quum multos ſolidos minores dare poſſet, dans decem vel amplius una forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. Ex hoc loco quinquaginta aureos in libram percuſſiſſe Heliogabalum mirifice conficit Villalpandus. Nam quum denarias etiam atque eo amplius uſque ad bilibres & centenas percuſſas fuiſſe formas tradat Lampridius, tricenas (ita loquitur, cum *centenarias* & *tricenarias* dicere debuiſſet) etiam atque librarias factas fuiſſe non vult ambigi; quum præſertim Imperator ipſe has tres formas ſeorſum commemoret; eam nimirum, quæ triginta aureos continuerit, alteram, quæ quinquaginta, hoc eſt, librariam, ac tandem illam, quæ centum, hoc eſt, bilibrem. At quas ille præſertim Imperatori commemoranti tribuit tres formas, eas non tribuit illi Lampridius: facit enim dicentem, non, *una forma triginta & quinquaginta & centum dare*, ſed, *dans decem vel amplius una forma, triginta & quinquaginta & centum dare:* quorum verborum longe alium ſenſum mox edemus. Dein etſi dixiſſet Alexander, quod fingit ille, quæ neceſſitas tamen, quinquaginta aureorum formam eſſe librariam? Suſpicari hoc Villalpandum liquet, ſed nequaquam id confirmare Lampridium. Repugnat magis. nam ſi aureorum quinquaginta forma eſt libraria, centenaria haud dubie erit bilibris. At *bilibres* & *centenarias*, tanquam diverſas, & hanc quidem illa majorem, ponit Lampridius: ergo quinquagenariam, ſi eam agnoviſſet, noluiſſet eſſe librariam. Salmaſius quoque ob propinquam huic cauſam offenditur *bilibribus*, quum *bilibres* & *centenariæ* quatuor tantum aureorum pondere potuerint diſtare: ſiquidem octo & quadraginta aurei in libram auri de ipſius ſententia ſignabantur: ſic duæ libræ ſex & nonaginta aureos habebant: eoque ſupponit *librarias*. Et hic fructus eſt illius opinionis, qua aureum cum aliis fecit didrachmum. Nos autem non agnoſcimus in libra præter quadraginta. Quod quandoque fuerunt plures, quod didrachmi, quales ſub uno Alexandro Severo complures agnoſcit Savotus; id vitium fuit monetæ, quod Heliogabalum, hominem profuſiſſimum, admiſiſſe credibile non eſt. *Bilibres* igitur accipimus, quæ octoginta aureis mutabantur: ſic ſatis magna inter formas *bilibres* & *centenarias* differentia eſt. Nam formæ *centenariæ*, a numero aureorum, quibus æquabantur, ſic appellatæ, erant binum ſemis librarum, & hoc nomine poterant dici *formæ ſeſtertiæ*. Et forte ita dictæ fuerunt: forte hinc accepit ille, qui Apollonii Tyrii fabulam conſcripſit, ut *ſeſtertias auri* pro duabus libris & ſelibra diceret. Sic enim: *Perfecto loculo, regalibus ornamentis exornat puellam, & in loculo poſuit, &* xx *ſeſtertias auri ad caput ejus poſuit.* hoc eſt, quinquaginta libras. Iterum: *Quicumque hunc loculum inveneris, habes viginti ſeſtertias auri. peto ut decem habeas, decem funeri impendas.* id eſt, ad utrumque viginti quinque libras. Et rurſum: *Ego in præſenti centum ſeſtertias auri, &*

dit, si quis amplius, decem dabo super. Illæ sunt CCL libræ. Item: *si enim poteris facere, dabo tibi* XXX *sestertias argenti & totidem auri.* Libras puta septuaginta quinque. Denique: *& donavit* CC *sestertias argenti.* Quæ sunt quingentæ libræ. Exspectabo, num quis de his melius. Sed hoc, inquit Salmasius, confirmant sequentia: *dans decem vel amplius una forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur.* Ubi *quinquaginta* intelligit librarias, quod XLVIII aurei libræ imputabantur, duo autem aurei excurrentes supra libram formæ *librariæ* non tollerent appellationem. De his quoque verbis aliud nobis videtur, quæ attigerunt etiam Scaliger & Casaubonus, quasi auctoris menti repugnaret vulgata lectio, substituentes; *dans decem vel amplius, quam si una forma* XXX &c. Acceperunt τὸ *plus largiendi*, quasi esset, majoris liberalitatis, tanquam quæ cohiberetur nimia donorum magnitudine: quum Imperator & auctor id accipiant pro immodica & prodiga reique publicæ damnosa largitione: quod recte animadvertit Salmasius: sed quum delet τὸ *dans,* quum tricenarios, quinquagenarios, centenarios, intelligit cum Villalpando singulos nummos, videtur ab utriusque scopo discedere. Volunt enim, cogi principem ad effusionem pecuniarum, si, quum minores istis formis solidos complures dando satis liberalis possit videri, dum dat, verbi gratia, non nisi decem aut amplius una forma, quia parum sit unum modo nummum dare, minimum triginta per tres denarias formas; cui paullo plus, quinquaginta in quinque denariis formis; cui liberalius, centum in decem formis denariis dare cogatur. Est & nodus in illis: *atque ex his materiæ nomen inditum est*; quæ suspecta Casaubono & inducenda videntur. Salmasius ad centenarias formas refert bene: sed nimis laxe interpretatur: quasi exinde nomen *centenarii* in usu remanserit, & usurpari cœptum sit de quacumque materia centum libras pendente: id quod ter ibidem repetit. At si hoc dixit Lampridius, falsum dixit: nam hic usus vocis antiquissimus, & ante Heliogabali avos natos frequentatus, ut lib. I demonstravimus. Respexit igitur sola auri *centenaria*, significatque inde ortum, ut vox ab solidorum numero formæ imposita, in posterum materiæ auri ob librarum numerum attribueretur, diceretturque καθ' ἐξοχὴν & simpliciter *centenarium* de centum libris auri, & de tot solidis, quot imputantur in centum libras auri. Glossæ Nomicæ: Κεντηνάριον, λίτραι ρ. κέντον γὰρ Ῥωμαῖοι τὰ ρ φασιν. Olympiodorus apud Photium refert Symmachum in prætura filii sui viginti centenaria auri erogasse. Πρόβος, ait, ὁ παῖς Ἀλυπίου, τελέσας τὴν οἰκείαν πραιτούραν κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ Ἰωάννου τυραννίδος, δώδεκα κεντηνάρια χρυσοῦ ἀνήλωσε. Σύμμαχος δὲ ὁ λογογράφος, συγκλητικὸς ὢν τῶν μετρίων, πρὶν ἢ τὴν πόλιν ἁλῶναι, τοῦ παιδὸς Συμμάχου τὴν πραιτούραν πληροῦντος, εἴκοσι κεντηνάρια ἐδαπάνησεν· ἑπτὰ δὲ ἡμέρας οἱ Πραίτωρες τὰς πανηγύρεις ἐτέλουν. Quæ *viginti* „ *centenaria*, ait ὁ πάνυ ad Spartianum, non aureorum millia quadraginta „ efficiunt, ut ad hunc locum rationem subduxit vir eruditissimus: immo „ effi-

„ efficiunt centum sexaginta quatuor millia aureorum, qui tunc erant Ro-„ manis in usu, nostrorum autem trecenta viginti octo millia. Sed male subduxit & ipse: sunt enim centum quadraginta quatuor millia, nostrorum ducenta octoginta octo millia, ut bini, quod ille voluit, in solidum Romanum imputentur. *Centenarium*, libræ centum: libra, solidi LXXII: centies septuaginta duo sunt septem millia ducenti: tot ergo solidos unum complectitur centenarium, scutatos quatuordecim millia quadringentos. Ergo *decem centenaria*, sive mille libræ auri, solidorum septuaginta duo millia: ergo viginti, seu duo millia librarum auri, CXLIV millia. Reddit ibidem ista *viginti centenaria*, viginti octo millibus librarum argenti: recte proportione auri ad argentum quatuordecupla, & numero rotundo: secus quia aurum ad argentum tunc erat, ut unum ad quatuordecim & duas quintas, singulis quinque auri libris argenti accrescunt duæ; denis quaternæ, centenis quadragenæ, millenis quadringenæ, binis millenis octingenæ. Video alios doctos viros solidum non facere tanti. Etenim Budæus *vicenos solidos*, pretium minimum servi decem annis majoris, apud Justinianum, Commun. de leg. l. III reddit nostros aureos tricenos; maximum, *octogenos*, centenos vicenos: ita ut singulos uno & semisse taxaverit. Lipsius lib. II Admirand. XX illa *centenaria* facit ducenta millia scutatorum, & *duodecim* Probi *centenaria*, mille ducenta pondo, solidos octoginta sex millia quadringentos, nostrorum CXX millia: qui ex ista computatione sunt CLXXII millia octingenti. Videtur sic progressus. Libra auri Romana, quum aurei ex ea fierent quadraginta, nostrorum singuli duorum & dimidiati scutatorum, universa scutatis nostris centum æstimabatur. Postea novatis nummis, in septuagenos binos solidos libra divisa est: sed eadem prorsus libra, quæ fuerat, quum quadraginta in eam aurei ferirentur. Igitur hanc quoque LXXII solidorum libram non amplius scutatis nostris centum æstimandam putavit: & quemadmodum quadraginta illi priscæ *monetæ domini* sic æstimantur singuli, ut nostris centum scutatis omnes conveniant; ita & septuaginta duos posterioris monetæ, quum non plus auri haberent quam isti, sic indicatura dispensandos, ut non amplius centum nostris & ipsi responderent. Sic LXXII solidos accepit pro scutatis centum; triginta sex istos, quinquaginta nostros; octodecim istos, viginti quinque nostros; novem istos, duodecim nostros cum dimidiato seu quinque denariis: sic unum contulit uni, trienti, tribus obolis & oboli tertiæ parti; seu scutato, tribus denariis, quinque obolis, trienti; vel, ut planissime dicam, scutato, XXIII stuferis, & tertiæ stuferi parti. Sic *centenarium* fecit decem millia scutatorum: *decem centenaria*, seu mille pondo auri, centum millia; *viginti centenaria*, id est, duo millia pondo, ducenta millia. Et justa esset hæc æstimatio, nisi auri pretium crevisset, ac longe alia fuisset inter aurum & argentum facta proportio. Nam quum scutatum nostrum decem denariis æstimemus, drachma

autem auri tum faceret quatuordecim prisci argenti denarios & tertiam denarii partem cum eo, * quod excurrit; solidus (qui habebat drachmam & scriptulum, & sic valebat denarios quatuordecim & quatuordecim scriptula argenti cum triente scriptuli, quatuor denarios & bessem facientia, qui jam novendecim denarii sunt) longe ultra scutatum & tertiam ejus partem evagatur, & paucis assibus minus accedit ad duos scutatos. Quarum minutiarum Romanos nullam rationem duxisse apparebit, si solidum cum ipso illo, quicum tunc mutabatur, argento conferemus. Milliarenses sexaginta conjiciebantur in libram argenti: ergo quinque in unciam: quinquies enim duodecim sunt sexaginta. Ergo milliarensis schellingo Britannico par erat, nostris decem stuferis. Sic sex milliarenses, faciebant tres florenos, seu scutatum: duodecim milliarenses, duos scutatos, sex florenos. Atque id pretium solidi. Sexaginta milliarenses, argenti libra, sic respondebant decem coronatis, triginta florenis. Eas libras quum quatuordecim & quincuncem minus quinta parte unciæ haberet auri libra, comparabatur DCCCLXIV milliarensibus, qui forent CCCCXXXII floreni, CXLIV coronati. Scaligerum quoque id solido pretium posuisse animadverti. Chrysostomus in Acta Apostolica homil. XI: Εἰ πάντες καὶ πᾶσαι τὰ ἑαυτῶν ἐνταῦθα ἐκένωσαν χρήματα καὶ χωρία καὶ κτήματα καὶ οἰκίας, τάχα ἂν ἑκατὸν μονάδες λιτρῶν χρυσίου συνήχθησαν. Dixisse illum *μονάδα* pro sex millibus, constat ex Anastasio Sinaita: quod primus observavit Casaubonus, ejusque rationem reddere conatus est Salmasius ad Hist. Aug. quoniam solidus sex millibus denariorum æreorum illius temporis censebatur. Quod hausit, opinor, ex Cassiodoro lib. I epist. X, etsi interdum ad septem millia, interdum ad septem millia & ducentos hujusmodi æreolos augesceret, ut videre est ex Novella Theodosii de pretio solidi. Scaliger igitur ad Casaubonum epist. LXXXIV ἑκατὸν μονάδας λιτρῶν, sexcenta millia pondo auri, ait esse coronatorum solatorum 86400000, ut calculones nostrates vocant, milliones LXXXVI & præterea quadringenta millia coronatorum. Non fefellerunt eum calculi. *Centum centenaria* sunt decem millia librarum auri, septingenta viginti millia solidorum, quaterdecies centena quadraginta millia coronatorum, sestertium quingenties septuagies sexies. *Mille centenaria*, sunt centum millia librarum, septuagies bis centena millia solidorum, centies quadragies quater centena millia coronatorum, quinquies millies septingenties sexagies sestertium, quatuordecim milliones & quadringenta millia coronatorum. *Duo millia centenariorum*, ducenta millia librarum, centies quadragies quater centena millia solidorum, ducenties octogies octies centena millia coronatorum, undecies millies quingenties vicies sestertium, XXVIII milliones & octingenta millia Cor. *Tria millia centenariorum*, trecenta millia librarum, ducenties sedecies centena

* Adscripsit pater, [Recte. nam fere quincuncem.]

centena millia solidorum, quadringenties tricies bis centena millia scutatorum, decies septies millies ducenties octogies sestertium, quadraginta tres milliones & coronat. ducenta millia. Ergo *sex millia centenariorum*, sexcenta millia librarum sive ἑκατὸν μονάδες λιτρῶν, quadringenties tricies bis centena millia solidorum, octingenties sexagies quater centena millia coronatorum, tricies quater millies quingenties sexagies sestertium, milliones LXXXVI & quadringenta millia. Quam summam expressit Scaliger. Didacus Covarruvias, quia solidus tertia parte vetere aureo fuerit minor, itidem & tertia parte pretii a vetere distare colligit. Falsum utrumque: non enim sex, sed septem minimum scriptulorum fuit aureus vetus, quem ille cum aliis didrachmum putavit: deinde ex decessione auri sequeretur imminutio pretii tanti, quanti erat aurum detractum, si utroque tempore eadem auri æstimatio fuisset. At non fuit, quum aureus, quod suæ habebat materiæ, decies tantum faceret in argento; solidus quaterdecies. Itaque propter demptum aurum non quidem æquat pretio solidus aureum, sed tamen nec tanto est inferior, quanto fuisset proportione inter aurum & argentum immutabili. Facit septendecim denariorum, dein sestertium LXVI & dimidii paullo plus. At septendecim denarii sunt octo & sexaginta sestertii. Sed video quid voluerit, utcumque se expresserit. Solidum voluit esse denariorum sedecim & quatuor obolorum, sestertium LXVI & bessis: hæ enim duæ tertiæ sunt viginti quinque denariorum & centum sestertium. Sed cur istos denarios jubet esse scriptulorum quatuor, qui scilicet quatuor & octoginta libram impleverint? cur sic demum servari pronuntiat proportionem inter aurum & argentum, quæ tum erat? Nam iste tam gravis denarius, si unquam fuit, ex quo *sestertium* pro mille nummis valuit, esse desiit: & omnes antiqui in summis destinandis denarios drachmis pares, libram centenariam agnoscunt. Præterea non est hoc servare proportionem, quæ tum erat inter aurum & argentum: nam septendecim denarii, quatuor scriptulorum singuli, colligunt omnia sexaginta octo scriptula; at quaterdecies quatuor (habet autem quatuor scriptula solidus, & singula auri scriptula quatuordecim scriptulis argenti valent, ut minutias transeamus) non excedunt quinquaginta sex. Hi ergo solidi a Constantino sunt, quatuor, ut toties dictum, scriptulorum, eoque seni in unciam: unde & *sextulæ* Latinis, Græcis ἑξάγια vocantur. *Hexagium* esse solidum, quod primus, ni fallor, monuit Scaliger, eleganter ostendit locus Arithmetices ἀδεσπότου, in Καυχίον apud Meursium: Καυχίον εἶχέ τις ἑξαγίων ν. ἀφ' ὧν ἦν χρυσάφιον ἑξαγίων κ· ἄσημον ἑξαγίων ιε· χάλκωμα ἑξαγίων ι· καὶ κασσίτερος ἑξαγίων ε· hoc est, totidem solidorum. Priusquam hinc abeo, spongiam me poscit vir eximius & πολυγράμματος ad extergendam maculam, quæ sedit lib. XI Adversf. cap. XX, *solidum* Romanis fuisse

Adscripsit Pater [Ciacconius pag. 130.]

fuisse nomisma argenteum, pendens sextam partem unciæ, unde & *sextula* appelletur, cujus rei testem esse Isidorum lib. XVI cap. XXIV. Et auctor hic quidem est, *solidum* alio vocabulo *sextulam* dici, quod de illis sex uncia compleatur: sed eam unciam argenti, eum solidum argenteum nomisma, id vero temperavit scribere Isidorus. Contra, *Hunc*, inquit, *vulgus aureum solidum vocat, cujus tertiam partem ideo dixerunt tremissem*, &c. At ne quis dubitet de sententia tam nova hominis doctissimi, adjicit, solidum Romanum facere apud Germanos sextam partem thaleri. Nimirum *Thalerus*, sive *Dalerus*, est, quem Agricola & alii *Uncialem* vocant, octoque drachmis vel denariis æstimant: quemadmodum dimidium ejus, XXV stuferos Belgicos, *semuncialem* & *tetradrachmum*, quadrantem (ein Reichsort) *didrachmum* licet vocare. Hinc quem sextum in argenti uncia solidum Romanum fingit, eum sextæ Thaleri parti comparat. Sed hic solidus Romanis ignobilis, neque in usu fuit, nisi forte Calendarum Græcarum mercatu. Præivit tamen ei Cappellus, qui solidum Romanum argenteum facit grana, si diis placet, Romana centum ἀνὴρ ῥέπων· nam solidos argenteos hujusmodi quinque unciam argenti explere juberi in Codice Theodosiano de expensis ludorum. At nulla ibi mentio solidi argentei: sed is, qui circumscribitur nummus, milliarensis est. Accedit tertius, optimus Gassendus, qui solidum ait cum potuisset initio duobus solatis exæquari, commutatum in speciem argenteam, quæ & ipsa sic degeneraverit, ut existimari possit in solidum nostrum usualem abiisse. Nam initio Romanus aureus duos solatos & dimidiatum valuit, postea solidus binos: is vero Romanis nunquam in speciem argenteam immutatus: sed, ut supra diximus, Franci occupata Gallia, ad imitationem Romani solidi, & ipsi solidum aureum quadraginta denariorum suorum, dein argenteum nummum eodem vocabulo duodecim denariorum, percusserunt: & hic est argenteus, qui degeneravit in suetum nobis solidum.

CAPUT XVI.

Milliarensis, antiquus denarius, quod his mille constabat libra auri, ut centenis libra argenti. Glossæ Nomicæ emendatæ, an illustratæ. Zonaras explicatus. Balsamo correctus. A Constantini temporibus frequentior auri mentio in summis pecuniæ designandis, & unde hoc. Milliarensis posterior viginti quinque siliquarum. Milliarensis tertius XXVIII *siliquarum. Follis, crumena. Follis, pecuniola ære dupondii, pretio sestertii. Libra argenti quingentorum follium. Viginti quinque millia follium, vicena sestertia, emeritum prætorianorum, dein omnium veteranorum. Mutationem istam nummi recte referri ad Constantinum. Locus Codicis Theodosiani, qui obsistere videtur, expensus. Folles olim quinque denarium, vel milliarensem, postea viceni quaterni faciebant. Folles, eadem summa in argento, quæ priscis sestertia.* βαλάντιον, *non* παλάντιον, *apud Epiphanium legendum. Follis ad denarium, Follis ad milliarensem,* ὁ κατὰ δηναρισμόν, ὁ καὶ ἀργυρισμόν. *Glossarum Nomicarum locus illustris enarratus. Follis, aurum oblaticium senatorum.*

Millia-

Milliarensis nomen primum tulit ipse vetus denarius, quia millesima pars seu millesimus nummus hujus generis erat in libra auri, vel unus ex illis, quibus argenteis millenis auri libra pensabatur. Glossæ Nomicæ: Μιλιαρήσιον, τὸ χιλιοστὸν τῆς χρυσῆς λίτρας· μίλε γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ χίλια καλοῦσι, καὶ οὕτω κατεκερμάτωσε τὸ πόσον τῆς λίτρας, ἵνα δι' αὐτοῦ σώζηται τὰ χίλια μιλιαρήσια, ὥστε κατὰ νόμισμα λαγχάνει μιλιαρήσια ιδ. Nam qui quasi *militarensem* dictum volunt, alludunt, non docent. A *mille milliarius* & *milliaris*, *milliare*, dicitur: unde *milliarensis*. Libra auri, decem libris argenti respondens, quod ad denarios attinet, erat milliaria. nam argenti libra, centum denarii, quadringenti sestertii: unde *sestertia libra*, quam *sestertium* dixere, mille sestertium nummum, CCL denarii. E libra autem auri feriebantur aurei quadraginta, singuli viginti quinque denarium, centenum sestertium. Huc si respexit Glossarum auctor, legendum est: ὥστε ἕκαστον νόμισμα λαγχάνει μιλιαρήσια κε. Sed &, κατεκερμάτωσαν. nimirum οἱ Ῥωμαῖοι. De his superius, & quæ hic attingenda fuerunt, etiam ea, quæ illic exposuimus, confirmant. Hujus centenariæ libræ meminerunt quoque, etsi non suo loco, Canonum interpretes ad XVII Concilii Nicæni. Zonaras: Πολυαρίθμων γὰρ ὄντων τῶν τόκων, βαρύτεροι τῶν ἄλλων ἑκατοστιαῖοί εἰσιν. ὥσπερ γὰρ τοῖς νῦν αἱ λίτραι μέχρι τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἀριθμοῦνται· οὕτω τοῖς παλαιοῖς αἱ ἑκατοντάδες ἦσαν. Καὶ ἦν ὁ τόκος τῶν ἑκατὸν νομισμάτων νομίσματα δώδεκα· διὸ καὶ ἑκατοστιαῖος ἐλέγετο, ὡς ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν ἀπαιτούμενος. *Ut nunc*, inquit, *in libris*, auri puta singulis, *septuaginta duorum* solidorum *est numerus*; *ita olim libræ*, argenti nimirum, *erant centenariæ*, seu nummis centenis constabant, videlicet drachmis, denariis, milliarensibus. Interpres perperam & obscure: *Ut hoc tempore libræ ad septuaginta, duabus additis, numerantur, ita prisci habuere centurias.* Quas, malum, *centurias?* quibus autem *duabus?* Balsamon: Κἂν γὰρ, φησὶν, οὐκ ἀπαιτεῖ ὁ κληρικὸς ἑκατοστιαίους τόκους βαρυτάτους, ἤτοι ὑπὲρ ἑκάστης ὑπερπύρων λίτρας ὑπέρπυρα δώδεκα· ἑκατοστιαῖοι γὰρ παρὰ τῶν κανόνων ἐκλήθησαν οἱ ἑκατοστιαῖοι τόκοι· ὡς ἐκ παλαιοῦ τῆς λίτρας μὴ ποσουμένης εἰς ἐξάγια οβ, κατὰ τὸ σήμερον ἐνεργοῦν, ἀλλὰ εἰς ρ. Editur apud Balsamonem: ὑπέρπυρα υ δώδεκα. Ubi aut nota delenda est, aut τὸ ὑπέρπυρα, nam illa ipsa nota significat ὑπέρπυρον, ut observavit Scaliger ex Scholiaste Harmenopuli. Itaque ex margine ea vox irrepsit. Porro hi auctores verum sumunt, modo de argenti libra intelligas, cujus apud vetustiores frequentior mentio, quum quantumvis magna pretia argento æstimarentur: unde & populus Romanus devictis gentibus argentum semper imperavit, non aurum, ut & notavit Plinius. At postea ad auri libram & solidos omnia æstimata, etiam sæpe, quæ in ære numerabantur: de quo docte Salmasius ad Alexandrum Severum Lampridii. Præcipue a Constantini temporibus, cujus rationem dat auctor incertus in Noticia imperii: *Constantini temporibus profusa largitio aurum pro ære, quod antea magni pretii habebatur,*

vilibus

vilibus commerciis adsignavit: sed hujus avaritiæ origo hinc creditur emanasse. Quum enim antiquitus aurum argentumque & lapidum pretiosorum magna vis, in templis reposita, ad publicum pervenisset, cunctorum dandi habendique cupiditates accendit. Sed illi, ut inceperam dicere, vere sumunt, centenariam fuisse libram, male tamen colligunt dictam inde *centesimam* usuram. Ut ergo libra argenti centum denariis, ita decem libræ millenis denariis, sive quaternis millibus sestertium, pensabantur: quibus & ipsis libra auri. Denarius tum erat trium scriptulorum, octodecim siliquarum, ut & milliarensis primum. Crevit postea milliarensis & factus est plus quatuor scriptulorum, viginti quinque siliquarum, crescente pretio auri. Tum & aurum nummo detractum est, postquam materia facta est pretiosior, quamvis major esset copia, quia plurimum usitabatur & ab omnibus appetebatur. Minore illius copia vulgus ære & argento lætum & contentum erat. Argentum in nummis adauctum est, postquam vilius, quam fuerat, ejus pretium contra aurum factum est. Denarius referebat siliquam auri & dodrantem siliquæ paullo plus, in argenti siliquis octodecim. Siliqua enim auri tum faciebat decem siliquas argenti: dodrans siliquæ auri erant septem siliquæ argenti cum semisse. At proportione auri ad argentum quatuordecupla & duarum quintarum facta, siliqua auri valuit pro quatuordecim siliquis argenti & duabus quintis partibus siliquæ: dodrans siliquæ auri pro decem siliquis & semisse & quinta & semisse quintæ. Hinc milliarensis & ipse siliquam auri & dodrantem paullo plus æquabat, sed in argenti siliquis viginti quinque. Atque hic est milliarensis, de quo Glossæ Nomicæ: Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐξ ἀργυρείων λεπτῶν τοῖς στρατιώταις διδομένων, καὶ διὰ τοῦτο μιλιαρησίων καλουμένων· ἔχει δὲ ἕκαστον τῶν πιέτων λεπτῶν ἀργυρείων κεράτιον ἓν ἥμισυ τέταρτον. Sexaginta octo libram implebant, & erant singuli follium viginti unius: nam auri siliqua duodecim censebatur follibus, dodrans siliquæ follibus novem. Rursus incidit mutatio, & crevit milliarensis, ut viginti octo haberet siliquas argenti & quod excurrit, censereturque auri duabus siliquis, unde & δικέρατον vocatus est, follibus XXIV: hi LX libram efficiebant: de quibus capite præcedenti. *Milliarensem* inde dictum, quod mille generis ejus nummis auri libra responderet, observavit ante nos Dion. Petavius, alia ratione inductus. Glossæ Nomicæ testantur, CXXV milliarenses priores æquasse posteriorum centenos novenos & novem nummos sive folles, qui faciant novem solidos & milliarensem & novem nummos. Hinc ille sic colligit. Si milliarenses centum viginti quinque exæquant novem solidos, & CCL milliarenses octodecim solidos; ergo quater ducenti quinquaginta, hoc est, mille milliarenses explebunt solidos LXXII, quæ est auri libra. Sed Glossarum auctor supra illos novem solidos addit excurrentes milliarensem unum & novem nummos sive folles. Ergo octodecim solidi non sunt pares CCL milliarensibus præcise, sed CCLII, & octodecim follibus: viginti

viginti ſeptem ſolidi non trecentis ſeptuaginta quinque, ſed CCCLXXIX & tribus follibus: triginta ſex ſolidi non quingentis ſolum, ſed quingentis quinque milliarenſibus & ſemiſſi ſive duodecim follibus: & ſic LXXII ſolidi, mille undecim milliarenſes adæquant. Nec non vidit hoc Petavius. nam paullo poſt re accuratius expenſa XXII ſiliquas auri, hoc eſt, undecim δικέρατα, ſive milliarenſes, excurrere deprehendit: Itaque videndum ait, an per illud tempus ſolidus paullo plus XXIV ſiliquis pependerit, hoc eſt, præterea viginti duas ſeptuageſimas ſecundas, vel undecim triceſimas ſextas unius ſiliquæ, aut certe ex auri libra præter LXXII ſolidos etiam tertius ſeptuageſimus, paullo levior & ſiliquarum tantummodo viginti duarum, percuſſus fuerit, ut cum milliarenſibus millenis auri libra adæquaretur. Hujuſmodi effugia quærere neceſſe habet nimia ſubtilitas: quum liceret dicere propter rotunditatem numeri millenarii tantulæ iſtius acceſſionis rationem nullam duxiſſe auctores nominandi milliarenſem. At vehementer ſuſpectam facit opinionem ſuam homo doctiſſimus, quum ſtatuit primum pondus milliarenſium in auro fuiſſe δικέρατον, adeo ut DCCCLXIV in libra auri cenſerentur; neque tamen conſtitiſſe in eo pondus, ſed ei detractum eſſe, ut mille imputarentur in auri libram; indeque *milliarenſes* appellari cœptos. Quod enim nomen habuerunt Latinum, quæ erant dicebanturque Græcis δικέρατα? Auctor immo Gloſſarum perinde milliarenſes appellat, qui binarum auri ſiliquarum eſſent, quam qui ſiliquæ & dodrantis: atque ita ex hypotheſi Petavii fuit appellatio milliarenſium, antequam mille ducerentur in libra. Hoc offendiculum vitare potuiſſet, ſi vidiſſet non detractum ponderi milliarenſium primo, ſed adjectum fuiſſe, & minores tempore anteceſſiſſe; graviores eſſe, quos ſolos libri legum & hiſtoriæ agnoſcunt, adeo ut abſque doctis illis Gloſſis eſſet, eos ignoraremus. Tamen, uti diximus, altius adſcendendum eſt ad auri libram in argento millenariam faciendam: nimirum ad id tempus, quo quatuor millibus ſeſtertium, mille denariis, quadraginta aureis, viginti quinque denariorum ſingulis, auri libra æſtimabatur: & ipſe hic denarius ante Conſtantinum & monetam mutatam vocabulum *milliarenſis* ſortitus eſt. Huc ne pervaderet Petavius in eruditione tanta, viam ſibi ipſe præcidit: dum aureum veterem non vult niſi didrachmum atque adeo cum ſtatere confundit: dum eundem contra omnia teſtimonia auctorum viginti quatuor denariorum facit, & quidem, ut ait, μικρολογίᾳ circumſcripta maximeque rotundum numerum conſectando, ob utrumque jure Savoto reprehenſus: dum temporis illius proportionem inter aurum & argentum eligit duodecuplam: dum libram auri drachmis taxat mille centenis quinquagenis binis: dum ex libra aureos cuſos XLVIII definit: dum denique milliarenſem imbibit ſucceſſiſſe didrachmo, atque ex eo ortum habuiſſe, qui Græcus nummus, Romanis nullus unquam fuit. Gloſſarum tamen auctor eodem, nempe ad numerum milliarenſium priorem reſpexiſſe

videri poteſt, cum ait: ὥστε κατὰ νόμισμα λαγχάνει μιλιαρήσια ιδ. ſcilicet, ἡ λίτρα. non enim ιβ, ut habet Petavius, milliarenſes priores cum poſterioribus confundens, quum prioribus fere quatuordecim conſtitiſſe ſolidum Conſtantini ipſe alicubi fatetur. De his explicabis illud: *adeo ut in nomiſma, ſive ſolidum libra ſortiatur milliarenſes quatuordecim.* Itaque etſi proprie LXVIII hujuſmodi milliarenſes argenti libram facerent, videntur ob rotundum numerum ſeptuaginta in eam imputati, quatuordecim in ſolidum, ut his quoque obtinentibus quinti ſolidi libra argenti æſtimarentur. Sic pauci milliarenſes millenos excedunt. Quod additamentum cum leve putaret ille Anteceſſor, ſciret autem a millenario numero dictos eſſe *milliarenſes*; ad hoc genus adplicuit, quod ad primum ſic dictum nummum, hoc eſt, denarium, proprie referendum erat. De pondere & pretio milliarenſis nihil a quoquam adfirmari poſſe autumabat Petavius, quod ea res penderet a ſolidi æſtimatione, dein ex auri ad argentum proportione: quæ utraque diverſa temporibus & prope arbitraria fuerit. Nunc ſatis utramque expeditam habemus. Ille tribus viis rem tentabat, ſed omnibus devius. Primo milliarenſes, quales in ſolidum duodecim, in auri libram octingenti quatuor & ſexaginta incurrebant, æſtimat proportione duodecupla, & dat eis pretium obolorum octo, pondus ſiliquarum viginti quatuor. Fruſtra hoc: quia certum eſt, eos milliarenſes uſitatos non fuiſſe, niſi poſtquam aurum ad argentum fuit ut unum ad quatuordecim & quod excurrit. Deinde aggreditur milliarenſes, qui permutabantur ſolido fere quatuordecim, quum CXXV novem ſolidos valerent: & eos ſolidos milliarenſeſque comparat ratione quatuordecupla. Tum, inquit, DCCCLXIV ſiliquæ, quot in libra auri ſunt δικέρατα, ſi per XIV dividantur, conſurgent in unamquamque libram argenti LXI & quinque ſeptimæ. Fingit LXII, & ſic facit milliarenſem novem obolorum, pondere viginti octo ſiliquarum. At hi milliarenſes, qui fere quatuordecim ingrediebantur ſolidum, non erant δικέρατοι, ſive duarum ſiliquarum auri, ſed ſiliquæ & dodrantis, argenti ſiliquarum viginti quinque, non viginti octo: itaque in auri libra non DCCCLXIV, ſed paullum ſupra mille cenſendi: iidemque ſunt, qui prima mutatione argenti propemodum denariorum in auri libra numerum retinuerunt. Sed, inquit, rurſum fere ſexta parte deminuti ſunt, ut non jam octingenti ſexaginta quatuor, ſed mille argentei in libram deinceps imputarentur. Plane contrarium eſt verum: primo enim mille propemodum minus differentes a denariorum, quorum in locum ſucceſſerant, numero, & minore argento; dein graviores & octingenti ſexaginta quatuor auri libræ exæquati. Horum non octo, quod iterum hic inculcat, ſed decem obolorum pretium erat. Ex quo apparet multa quidem de his nummis hominem acerrimum notaſſe ac ſciſſe, ſed omnia turbata, indigeſta, confuſa, ut ei forte potius ceſſerit, quam ratione provenerit, quicquid de illis adfirmat veri. *Follis* antiquitus ſacculus ad pecuniam cuſtodiendam.

Plautus

Plautus in Aulularia: *Quin, cum it dormitum, follem obstringit ob gulam.* Quem locum a viris doctis male acceptum olim exposuimus. Juvenalis: *veterem cum tota ærugine follem.* Et quidem grandiusculus: unde plus Plauto *follitim ductitare* quam *peratim. Decem folles, id est, decem sacci* apud Vegetium lib. II de re milit. cap. 20. *Inde pro ipsa pecunia cœpit accipi: ut *thesaurus* & pro loco, qui capit, & pro eo, quod capit pretiosum. Et ad æs, ad argentum, ad aurum significandum adhibebatur: æs quidem in singulis nummis, argenti nummorum ἀθροίσματα, auri & materias ipsas seu libras. In ære & singulis nomismatibus successit in locum veteris & dupondii & sestertii, postquam hic ex argento fieri desiit. *Dupondius* uncia constans æris, asses semunciales valebat duos; *sestertius* argenteus ejusdem generis quatrussis. Crevit interim pretium æris asse ad quadrantem redacto. Sic æs, quod prius dupondii fuerat, quatuor assibus suffecit: & prodiit *follis* ære dupondii, pretio sestertii. Non tamen ut quatuor sestertii, sic quatuor folles, sed quinque faciebant denarium. hæc verecundia supererat. Nam libra argenti, centum denariis, quadringentis sestertiis æstimata, quingentis æquiparabatur follibus. Hæc duo millia sunt assium: qui quoniam æris unciæ quadrantem habebant, & XLVIII in libram incurrebant, non faciunt supra XLI libras, XXXII asses, sive octo folles. Et tunc argentum ad æs fuit, ut I ad XLI. Libra auri ad argentum decupla, ut quatuor millia sestertium, mille denarium, ita quinque millia efficiebat follium, sive assium viginti millia, quæ libræ æris CCCCXVI cum excurrentibus octo follibus. Et sic erat aurum ad æs, ut I ad CCCCXVI. Ergo aureus Romanus, ut XXV denarios, centum sestertios, ita CXXV habebat folles; non centum modo, ut ad Spartianum adfirmat ὁ πάνυ. Hæc valuere ante Constantinum, & sub eo usque ad consulatum Anicii Paullini & Cejonii Juliani. Sexto suo consulatu, id est, ante quinquennium, veteranis ad instrumentum rusticum emendum dari XXV *millia follium* constituerat, ut est in l. III Cod. Theod. de veteranis: quæ sunt quinquaginta libræ argenti, æris librarum duo millia octoginta tres. Eadem veteris argenti sunt vicena millia sestertium, quinque millia denarium; illa ipsa summa, quam pro emerito Augustus prætorianis post sedecim annorum stipendia decreverat, teste Dione: quum legionariis post viginti annorum militiam tantum tria millia denarium seu duodena millia nummum adsignasset. Sed id discrimen sustulit Constantinus. Est & vestigium horum follium in lege V de prætor. & quæstor. *Primæ præturæ, quæ Flaviali nuncupatione signatur, viginti quinque millium follium & quinquaginta librarum argenti erogationem sumptusque præscripsimus: in secunda vero Constantiniana viginti millia follium & quadraginta libras argenti largiendas esse censemus: tertia Triumphalis quindecim millia follium ac triginta argenti*

* Adscripsit, [vide Sirmondum ad Augustini sermones p. 439.]

argenti libras sine incommodo editoris expendat. Hæ conjunctæ summæ in ære & argento pares sunt, & secundum angustissimam illam, quæ quidem Romæ fuit, proportionem intelligendæ: nam post inductum quatuor scriptulorum solidum, & æris, argenti, auri, inter se ratione mutata, immane quantum differunt. Sic viginti millia follium, quæ argenti libræ quadraginta, æris faciunt mille sexcentas sexaginta sex libras cum octo follibus, vetera sena dena sestertia, denarium quatuor millia: sic quindecim millia follium, argenti libræ triginta, æris sunt mille ducentæ quinquaginta, prisca duodena millia nummum, tria millia denarium. Hic unicus est locus, qui adhuc præstantissimis viris religionem objecit, qua Constantino istam nummi Romani mutationem adscribere prohiberentur: etenim rescripsit hæc Constantius, quo anno, patre mortuo, imperium tres fratres creverunt, se iterum & Constante consulibus. Itaque cum alium neminem auctorem destinare possent, circumloqui rem, & modo post Constantinum id accidisse, modo & post Constantium, forte sub Juliano, plerique Valentiniano, dicere; interdum Justiniani solidum & Justiniani LXXII aureorum libram vocare satis habuerunt. Non nego esse aliquid offensionis in eo, quod follibus jam longe aliis a Constantino introductis, sub Constantio ad priores illos folles ratio ducitur. Sed ita censeo, ei, qui aureo solidum succedaneum dedit, omnia fuisse dura & intractabilia, nisi & argenteo nummo alium, & quidem eum ipsum, quem descripsimus, substituerit. Neque enim solidus in denarios, victoriatos, sestertios, commode resolvitur. Deinde simul & ab eodem statutum de his nummis requirit proportio inter aurum & argentum mutata: quæ vehementer conturbasset omne commercium, si subito aurum decem denarium ad quatuordecim denarios excessisset. Nunc mutatio utriusque monetæ adeo lenem mollemque transitum proportionum fecit, ut vix animadverteretur. Accedit id quod excurrit supra quatuordecuplam proportionem, quod nulla ratione in denariis poterat explicari. Non minor oboritur difficultas in follibus prioribus milliarensi viginti quatuor follium & solido duodecim milliarensium applicandis. Contra quod tam bene respondet milliarensis solido ac folli utriusque medius, follis milliarensi ac solido superpositis, solidus milliarensi & folli subjectis, (quod magis etiam declarabitur in mox dicendis) id omnino demonstrat ac tantumnon clamat, unius ingenii esse hoc quodcumque est, aut certe unius consilii, nec quidquam horum inventoribus satis placuisse, priusquam omnia excogitata sunt & tam apta inter sese ac congruentia apparuerunt. Adeo ut hæc uno tempore & paribus passibus processisse sit verisimillimum. Jam solidum quatuor scriptulorum Constantini esse testatur lex I de Ponderatoribus. Quid dicemus igitur ad illud Constantii rescriptum? Numquid inscriptionem & subscriptionem fallere? ut pro *Constantio Constantinum,* pro *Constantio* II *& Constante Constantinum* VI *& Constantinum* Cæsarem

ſarem ponamus, quæ mirum non eſſet ab librariis confuſa nomina. An hoc quidem temerarium, & decernemus potius, videri Conſtantium verba ipſa juſtorum præturæ cujuſque, ut a patre duarum auctore ante monetam mutatam concepta & definita erant, retinuiſſe, ſed & ſenſu eo, quo concepta erant, de quo ob rem recentem nemo poterat dubitare: nimirum Flavialis, ut centum libris argenti, parte dimidia in æreis, parte altera in argenteis nummis; Conſtantiniana octoginta libris argenti, quæ pariter follibus & altero tanto in argento ſignato præſtarentur; Triumphalis ſexaginta libris argenti, item media parte in ære, media in argento penſandis, celebraretur. Sic notat Plinius, dudum poſtquam denarius aſſium erat factus ſedecim, tamen, quum ſtipendium numeraretur militi, denarium imputatum, cui vetus numerus decem aſſium tributus eſſet. Cæterum quemadmodum paullatim creſcente pretio auri, parcior ſolidi materia, argentei plenior & uberior reddita eſt: ſic etiam argenti pretio ſupra æs creſcente, dum aurum & argentum vulgo magis quæritur, paſſimque inter manus jactatur, quam olim, evenit, ut follis, qui denarii vel milliarenſis priſci ac minoris quinta pars fuerat, fieret novi ac majoris quarta & viceſima; qui ſolidi veteris ac majoris centeſima & viceſima quinta fuerat, fieret Conſtantiniani ac minoris pars ducenteſima octogeſima octava. Scholion in lib. XXIII βασιλικῶν. Χρὴ γινώσκειν, ὅτι τὸ ἓν κεράτιον φόλλεις εἰσὶ ιβ, ἤτοι μιλιαρησίου τὸ ἥμισυ· τὰ δὲ ιβ κεράτιά εἰσι νομίσματος ἥμισυ· τὸ γὰρ ἀκέραιον νόμισμα ἔχει μιλιαρήσια δώδεκα ἤτοι κεράτια κδ. Ait unam ſiliquam auri facere in ære duodecim folles: ut & Νόμοι γεωργικοὶ περὶ κλοπῆς· παρεχέτω ὑπὲρ αὐτοῦ ἡμερήσιον κεράτιον ἓν ἤγουν φόλας δώδεκα. Mirifice enim torſerunt id vocabulum Græci, interdum φόλις, φόλα, φόλλα, φόλης, faciendo. Dein ait Scholiaſtes, eandem auri ſiliquam in argento facere milliarenſem dimidiatum: etenim milliarenſis integer, viginti quatuor folles. Non igitur milliarenſem cum dimidio, ut eſt apud Savotum vel feſtinantis calami vel operarum vitio in mentione hujus loci: *un miliareſion & demy*. Præterea duodecim ſiliquas auri conſtituere dimidiatum ſolidum. folles igitur centum quadraginta quatuor, milliarenſes ſex: nam ſexies vicena quaterna ſunt CXLIV. Denique ſolidum habere milliarenſes duodecim, vel ſiliquas viginti quatuor. Ergo folles ducentos octoginta octo. tot enim efficiunt vicies quater duodena, vel bis centena quadragena quaterna. Et ſic corrigendum apud Salmaſium adverſus Cercoëtium, ubi ter tantummodo, pag. 61, 67, 71, ſcribitur, centum octoginta octo follibus ſolidum conſtitiſſe. Sed ducentos (neque enim meliora diſſimulare noſtrum eſt) voluiſſe, ſignificat ipſe ad Lampridium pag. 191. Quemadmodum autem veteribus non modo *ſeſtertius* nummus, ſed & *ſeſtertium* habebatur pro ſeſtertia argenti libra complectente mille nummos, ducentos quinquaginta denarios: ſic, quamvis impari elegantia, quo vocabulo nummum ſeſtertio nummo ſubrogatum dixere, eodem etiam

simile ἄθροισμα appellitavere. Glossæ Nomicæ: Φόλλις σταθμός ἐστι, λεγόμενος καὶ βαλάντιον· ἕλκει δὲ δηνάρια διακόσια πεντήκοντα. Epiphanius: Φόλλις, ὃ καὶ βαλάντιον· διπλοῦν δέ ἐστιν ἀπὸ δύο ἀργύρων καὶ ἥμισυ συγκείμενον, οἳ γίνονται σν δηνάρια. Vel, ut in aliis est libris: Φόλλις, ὃ καὶ βαλάντιον καλεῖται, ἔχει ἀργύρους δύο ἥμισυ, δηνάρια σν. Vetus versio: *Follis, qui & ballantium, id est, sacculus, a duplicatione nominatur: duo namque sunt ac semis argentei, qui faciunt minutos denarios* CCL. Ubi mirum est adeo βαλανηφαγεῖν Savotum, ut emendationem Scaligeri, mirifice ab Salmasio adsertam, ausit reprehendere, & contendat legendum παλάντιον, tanquam auctore Hesychio, cui ea vox nihili nunquam in mentem venit. *Argenteus* interpretis, ἀργυροῦς Epiphanii, est Græcorum *mina*, Latinorum argenti libra, centum denarii. Propagatus hic follis usus etiam ad milliarensem, sed minore numero: CXXV quoque milliarenses *follem* dixere. Glossæ Nomicæ: Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐξ ἀργυρείων λεπτῶν τῶν τοῖς στρατιώταις διδομένων, καὶ διὰ τοῦτο μιλιαρησίων καλουμένων· ἔχει δὲ ἕκαστον τῶν τοιούτων λεπτῶν ἀργυρείων κεράτιον ἓν ἥμισυ τέταρτον· ὁ φόλλις ἀργύρεια τοιαῦτα ρ κε. Hero: Ὁ φόλλις ρ κε ἀργύρεια πληροῖ· καλεῖται δὲ παρὰ Ῥωμαίοις θύλακος. Illum φόλλιν κατὰ δηναρισμὸν, id est, ex ratione denariaria, seu constantem certo numero denariorum, hunc κατ' ἀργυρισμὸν, id est, ex minutis argenteis vel milliarensibus collectum vocat Epiphanius. Veteris Latii more *follem ad denarium*, *follem ad milliarensem*, commode diceres: ut *rationes ad denarium* dicebantur, in quibus summæ per denarios collectæ erant, & ut *solvere ad denarium* Cicero. Sed quoniam ad omnia, quæ de inferioris Romæ moneta disputavimus, nihil est opportunius illo legalium Glossarum loco, quamquam aliquoties jam tactum nobis, & a viris doctis excussum, videtur operæ pretium, ut nos quoque illum omnem percenseamus, &, ut erat in formulis, de iisdem alio modo agamus. Verba sunt: Φόλλις σταθμός ἐστι λεγόμενος καὶ βαλάντιον. ἕλκει δὲ δηνάρια διακόσια πεντήκοντα· τουτέστι, λίτρας πβ καὶ οὐγγίας ἕξ· ὡς ἔχοντος ἑκάστου δηναρίου λίτραν α καὶ οὐγγίας γ. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος φόλλις συναγόμενος ἐξ ἀργυρείων λεπτῶν, τῶν τοῖς στρατιώταις διδομένων, καὶ διὰ τοῦτο μιλιαρησίων καλουμένων· ἔχει δ' ἕκαστον τῶν τοιούτων λεπτῶν ἀργυρείων κεράτιον ἓν ἥμισυ τέταρτον· ὁ δὲ φόλλις ἀργύρεια τοιαῦτα ρ κε. ἃ ποιοῦσι κεράτια σιη καὶ νούμμους θ· ἤτοι πρὸς τὸ νῦν κρατοῦν μιλιαρήσια ρθ, καὶ νούμμους θ· γινόμενα ἐν χαράγμασι νομίσματα θ, μιλιαρήσιον ἓν, νοῦμμοι θ. τὰ τοίνυν ρκ καὶ πέντε ἀργύρεια συνήγετο εἰς ἀπόδεσμον ἕνα· καὶ οὕτος ἐκαλεῖτο φόλλις. Quorum hæc est sententia. *Follis, quod & balantion dicitur, pondus est argenti denariorum* CCL. *hoc est, æris* CCCXII *libræ, sex unciæ. nam denarius, libra æris & tres unciæ. Est & alius Follis constans ex minutis argenteis, militi solitis dari, eoque miliarensibus vocatis. Valet horum unumquodque auri siliquam dodrantem. Hujusmodi minuta argentea follis habet* CXXV. *quæ faciunt auri siliquas* CCXVIII *& nummos novem. sunt autem, quales nunc obtinent, milliarenses* CIX *& nummi novem, in auro signato novem solidi & miliarensis & novem nummi. Isti igitur*

CXXV

cxxv *argentei colligebantur in fasciculum vel summam unam: & hic Follis.* Quis credat, tam paucis verbis summam prope illorum omnium, quæ de sestertio, denario, solido, milliarensi, folle, primum ut nosceremus, dein ut traderemus, tanto labore nobis constiterunt; illorum prope omnium summam versiculis tam paucis contineri? Itaque non mirum si nonnulli sic eum locum aggressi sunt, ut tantummodo conatus laudem promeruerint: velut Alciatus & Petavius. Satis feliciter postea Salmasius, felicissime Savotus expedierunt rem: nisi quod admiscuerunt uterque, quæ necesse non erat, & alibi reprehensa sunt. *Follis* igitur ille prior est idem quod antiquis *sestertium*, quum *decies sestertium*, *vicies sestertium*, & deinceps, quum *bina*, quum *dena sestertia* &c. dicebant, nimirum mille nummum. Denarium priscum comparat libræ æris, & tribus unciis, ex ea proportione inter argentum & æs, quæ obtinuit Romæ postremum. Itaque non est quærendum hoc pretium denarii in ære superiorum seculorum. nam tum octo uncias denarius in sedecim assibus semuncialibus non egrediebatur: eoque CCL denarii non faciebant ultra CLXVI libras æris & octo uncias. At Glossarum auctori concordant Epiphanius, Hero, Maximus, Fragmentum Budense, quum docent asses sexaginta esse denarium, qui dimidium σίκλȣ sive sicilici & sic octava pars unciæ argenti erat. As ille, quos sexaginta trahebat denarius, erat sicilici pondere, quos quatuor habebat follis & eadem uncia. Libra duodecim unciarum ergo octo & quadraginta sicilicorum: adde quadrantem seu tres uncias, qui sicilici duodecim: habebis sexaginta. Ergo denarius, seu argentum denarii, trium scriptulorum, octodecim siliquarum, si ære æstimetur ad eam proportionem, quæ inter æs & argentum erat ætate illorum scriptorum, nimirum ut I ad CXX; tantum valebat quantum libra æris cum quadrante, quantum sexaginta asses, quantum quindecim folles, quantum septunx semuncia postremi milliarensis. Quodsi denarius æris libra & tribus unciis censendus, necessario & CCL denarii pro CCCXII libris & selibra sunt habendi: nam CCL quadrantes faciunt asses LXII & semissem. Tot igitur æris libræ ducenis quinquagenis adjectæ complent trecentas duodecim cum selibra. Hic *follis* Epiphanio κϛʹ δίωαελσμόν. Ut a denario discessum est, *milliarensis* nomen accepit nummus argenteus viginti quinque siliquarum & quintæ partis unius siliquæ: ita ut septem milliarensibus primis sive denariis pares essent quinque hujusmodi novi milliarenses: tam enim septem denarii quam quinque milliarenses expediunt centum viginti sex argenti siliquas. Ita CXXV milliarenses erant CLXXV denarii. In auro par utriusque pretium siliquæ & dodrantis diversa proportione. Sic centum viginti quinque milliarenses continent auri siliquas ducentas octodecim & novem nummos. Nimirum CXXV dodrantes sunt in assibus nonaginta tribus & dodrante excurrenti. His XCIII additis ad CXXV existunt CCXVIII. Qui superest dodrans siliquæ, eum convenit esse parem novem nummis sive follibus: eoque

que ipſum milliarenſem eſſe viginti unius follium. Qui æris habent libram & dodrantem. Siliquæ igitur auri & libræ æris tum temporis æquabilis ratio; ut & dodrantis ſiliquæ auri dodrantiſque libræ æris. Et quia in libra mille ſeptingentæ octo & viginti putantur ſiliquæ, hinc quoque diſcitur aurum & æs diſtare quantum unum & MDCCXXVIII. Aureus Romanus quadrageſima pars libræ fuit. At quadraginta in mille ſeptingentis viginti octo reperies ter & quadragies cum quinta parte unius. Conſtitit igitur aureus XLIII ſiliquis & quinta, hoc eſt, ſeptem ſcriptulis, ſiliqua & quinta parte ſiliquæ. Totidem ſiliquas faciunt viginti quinque denarii, ſi cuique ſiliquam & dodrantem tribuas: nam viginti quinque dodrantes quid niſi octodecim aſſes dodrans? Hi autem additi vicenis quinis efficiunt XLIII & dodrantem. Præterea ſeptem ſcriptula & quaſi dimidium decuplicata exiſtunt ſeptuaginta quinque. At viceni quini denarii, ternum ſcriptulorum, colligunt eundem numerum. Et ſic conſtat denarium priſcum in auro ſui ſeculi feciſſe etiam ſiliquam & dodrantem. Idem prorſus potuiſſe priorem Conſtantini milliarenſem in ſui ævi auro, & diſertis verbis docet juriſconſultus ille Græcus, & comparatione manifeſta illorum CXXV milliarenſium, qui follem conſtituebant, cum CCXVIII auri ſiliquis novemque nummis confirmat. Quando igitur viginti quinque ſiliquæ cum quinta (id quod hujus milliarenſis argentum fuit) non plus fecerunt in auro, quam antea ſiliquæ octodecim, quum decupla proportio valeret, nimirum ſiliquam & dodrantem; agnoſcendum eſt rationem inter aurum & argentum eam tum fuiſſe, ut quatuordecim ſiliquæ & duæ quintæ obducerentur uni auri ſiliquæ. Hujus numeri, quatuordecim dico & duarum quintarum, dodrans eſt decem & ſemis & quinta & ſemis quintæ. Nam ſi quatuordecim duaſque quintas, ut aſſem, dividamus, *uncia* erunt unum & ſextans & quintæ ſextans: duæ unciæ ſive *ſextans* hujus aſſis, duo & triens & quintæ triens: *quadrans*, tres & ſemis & quintæ ſemis: *triens*, quatuor & bes & quintæ bes: *quincunx*, quinque & dextans & quintæ dextans: *ſemis*, ſeptem & quinta: *ſeptunx*, octo & ſextans & quinta cum quintæ alterius ſextante: *bes*, novem & triens & quinta & quintæ triens: *dodrans*, decem & ſemis & quinta & quintæ ſemis: *dextans*, undecim & bes & quinta & quintæ bes: *deunx*, duodecim & dextans & quinta & quintæ dextans: *as*, quatuordecim & duæ quintæ. Igitur decem & ſemis & item quinta cum ſemiſſe quintæ conjuncta cum quatuordenis & duabus quintis conſtituunt quinque & viginti & unam quintam: nam ſemis habet duas quintas & dimidiam: addita quinta & ſemiſſe quintæ fiunt quatuor: junctis rurſum duabus, ſex quintæ oriuntur, quæ conficiunt ſiliquam vigeſimam quintam cum una ſiliquæ quinta: poſtquam ſcilicet decem ad quatuordecim adjecta fecerunt quatuor & viginti. Ita ſiliqua auri cum dodrante reſpondens XXV ſiliquis argenti & quintæ parti unius ſiliquæ, deprehendit proportionem, quæ illo

tempore

tempore inter aurum & argentum fuit. At CLXXV denarii, qui tantundem habebant argenti, quantum CXXV milliarenſes, longe plus faciebant in auro ſui temporis, quam centum viginti quinque milliarenſes propter aliam proportionem, quæ tunc erat inter aurum & argentum. Nam ſeptem complebant aureos ſingulos XLIII ſiliquarum & quintæ: quæ ſunt omnes ſiliquæ CCCII cum duabus quintis: quum pretium non multum differat. Nam centum viginti quinque milliarenſes, & CCXVIII auri ſiliquæ, & centum novem milliarenſes poſterioris formæ, & novem ſolidi cum milliarenſe, eundem numerum colligunt noſtrorum LIV florenorum & dimidiati: ſeptem aurei & CLXXV denarii, floreni LII & dimidiatus. Et hic *follis* quem dicit Epiphanius καὶ ἀργυρισμόν. Illud quoque notandum, quia illud ἥμισυ τέταρτον ſiliquæ auri comparatur novem nummis, ſiliqua autem auri libram æris valet, ſequi novem illos nummos eſſe dodrantem libræ, eoque ſingulos unciales, quales diximus fuiſſe folles, & hos duodecim valere ſiliquam auri. Pergit anteceſſor egregius, & docet nos, CXXV milliarenſes, qui *follem* καὶ ἀργυρισμὸν conſtituebant, æquales eſſe illis, qui tunc in uſu erant, milliarenſibus CIX nummiſque novem. Centum quinque & viginti milliarenſes, ſinguli unius & viginti hujuſmodi nummorum æreorum, complectuntur omnes duo millia ſexcentos viginti quinque nummos ſive folles, æris libras CCXVIII & novem uncias. Libræ CCXVIII duplum ſunt ejus numeri, quem numerum poſteriorum milliarenſium, præter novem nummos, comparavit CXXV prioribus: eoque ſi diſtribuantur in CIX, neceſſe eſt unicuique eveniant duæ libræ æris, nummi ſive folles viginti quatuor. Atque ita conſtat pretium hujus milliarenſis, qui tum uſitabatur, intelligiturque eum in ære facere binas libras, folles unciales quatuor & viginti: & habere ſeſe ad alterum cognominem nummum, cui ſucceſſit, ut ſeptem ad octo; ſeptem enim milliarenſes hi & octo iſti follium aſſequuntur eundem numerum, nempe CLXVIII: ad denarium autem iſta proportione, quæ tum vigebat, quaque denarius libram æris & tres faciebat uncias, ut quinque ad octo; nam octo denarii & quinque milliarenſes in ære parem numerum efficiunt unciarum ſive follium, nimirum CXX: at illa proportione ſuperiori, ut unum ad tria: nam tres denarii in XLVIII aſſibus ſemuncialibus habebant tantum æris quantum milliarenſis unus in quatuor & viginti follibus, nempe duas libras. Hinc etiam colligere eſt XXVIII ſiliquas & quatuor quintas ſiliquæ hunc milliarenſem argenti habuiſſe. Quum enim inter æs & argentum ea ratio eſſet, quæ inter I & CXX, duas autem libras æris valeret milliarenſis, par fuerit, oportet, tribus millibus quadringentis quinquaginta ſex ſiliquis æris: tot enim ſunt ſiliquæ in libris duabus. Hic æris ſiliquarum numerus argentum in eo requirit, quod diximus: nam centum & viginti in tribus millibus quadringentis quinquaginta ſex reperies vicies octies, ut ſuperſint nonaginta ſex: nam vicies octies CXX ſunt 3360. Jam ſi in quinque quintas

partiaris argenti ſiliquam cxx ſiliquas æris continentem, cuique parti quintæ cedent ſiliquæ viginti quatuor: quinquies enim xxiv ſunt centum viginti; quater autem viginti quatuor, xcvi. Hinc & rurſus noſcitur differentia milliarenſis hujus & denarii in propria materia & numero ſiliquarum argenti: nam octies octodecim ſunt cxliv: quinquies xxviii ſunt cxl: quinquies quatuor quintæ partes aſſis faciunt integros aſſes quatuor: ita quinque milliarenſes, ſiliquarum argenti xxviii & quatuor quintarum ſiliquæ ſinguli, & octo denarii octonum denum ſiliquarum reddunt eundem numerum ſiliquarum, nempe cxliv. Addit Gloſſarum auctor, hos cix milliarenſes cum novem nummis in auro ſignato eſſe novem ſolidos & milliarenſem novemque nummos. Habuit ergo ſolidus milliarenſes hujuſmodi duodecim, nam novies duodecim ſunt cviii: habuit ſiliquas viginti quatuor, nam duas ſiliquas auri æquabat milliarenſis: habuit ſcriptula quatuor, nam ſex ſiliquæ, ſcriptulum: habuit folles cclxxxviii, nam eum numerum efficiunt duodecies viginti quatuor, quot follibus ſinguli milliarenſes cenſebantur. Atque hæc eſt explicata nucis illius Ilias. Nunc ut revertamur ad ſignificationes vocabuli *follis*, erat & *follis* modus auri oblaticii, quod ſenatores * Principibus pendebant ex cenſu; locupletiores auri libras octo, mediocres quatuor, tenuiores duas. Gloſſæ eædem Nomicæ: Ἕτερος δὲ ὁ κληθεὶς φόλλις τὰς τῶν ἀξιολογοτέρων κατὰ πόλεις οἰκίας κατέλαβεν, † ὅτι ἦν αὐτοῖς τὸ γένος ἄνω τῆς ἀξιώσεως πετυχηκός· καὶ ἦν ἀτύχημα τὸ κρεῖττον ἐν τοῖς γένεσι πρὸς τὸ μέγεθος τῆς ἀξιώσεως διακρινόμενον τῷ πόσῳ· τοῖς μὲν τοῦ πρώτου τέλους ὀκτὼ χρυσίου λίτραι, τοῖς δὲ τοῦ δευτέρου τέσσαρες, καὶ δύο τοῖς τρίτοις. Si qui præbitiones follium implere non valerent, velut tenuiſſimos ſenatorum obligabat ſeptem ſolidorum præſtatio, ut loquuntur leges iv & xii Cod. Theod. lib. vi, tit. ii, commemorata & l. xii Cod. eodem de proximis comit. diſpoſ. & l. ii Cod. Juſtin. de prætoribus. Libet ingemiſcere! heu me! magne regum ſenatus quo recidiſtis? Parum erat eripi vobis imperium, ærarium, provincias: niſi & tributarii fieretis illis, quibus olim imperabatis, quorum provincias ornari veſtrum erat beneficium, qui ſua confeſſione ſervire vobis debebant, & univerſis civibus ſæpe, & plerumque etiam ſingulis: niſi e viſceribus veſtris ſaginaretur comitatus magna parte barbarus, barbarus miles, eo uſque, donec & vos, & ipſos, qui ſervitutem veſtram quotidie vos paſcere cogebant, & omnia ſuſtulit. Hunc exitum habuit ſiniſtra pietas civitatem cum toto orbe Romano communicantium, ut non provinciales civium honorem, ſed cives & ipſe ſenatus ſtipendiariorum vilitatem ſubirent. Demere tamen & injuriam illis

* Gutherius 3 de Off. Do. Aug. cap, 17 p. 554.

† Excerpta Porphyrog. Dion. Cocc. 728 de Commodo, ὅτι ἐν τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ καὶ τὰς γυναῖκας καὶ τοὺς παῖδας ἕκαστον δύω χρυσοῦς, καὶ τοὺς ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι κατὰ πέντε δραχμὰς ὥσπερ τινὰ ἀπαρχὴν κατ' ἔτος ἀποφέρειν ἐκέλευσε.

illis & sibi pudorem voluere Arcadius & Honorius dicta l. 11: *Glebam vel follem sive septem solidorum functionem sive quamlibet hujusmodi collationem tam circa personas quam circa res ac prædia funditus jubemus aboleri, ut omnis hujusmodi sopita conquiescat exactio.* Sero, & postquam, quod Patribus relinquebatur, non ipsis, sed Alarico & Odoacro & horum pellitis satellitibus condonabatur.

CAPUT XVII.

Tributa descripta post Constantinum, non argento, vel ære designata, sed auro, quota scilicet pars solidi, sive in argento, sive in ære pensitaretur. Id ex more conficiendi rationes ad solidum. Quomodo conficerentur. Locus nobilis Παλαιᾶς Λογαϱιϰῆς ineditæ illustratus. Partitio Solidi per partes assis: atque hinc petita vocabula pensionum & summarum. As divisor ignotus Græcis. As & assis vel libræ partes ad Græcorum quidem imitationem, sed Latino modulo formata. Varro tentatus. Semissis, quod semis assis. Triens & Sextans unde. Semuncideunx. Balbi fragmentum de asse illustratum. Priscianus sive Palæmon emendatus. Græci assis partes per numeros explicant.

Quod præcedenti capite est, post solidum Constantini, qui septuagesimus alter est in libra, prorsus eadem, quæ semper fuerat, homines locupletes, & illorum dispensatores, procuratoresque in primis domus augustæ, & æream & argenteam pecuniam in auro computare solitos, & in eam rem tradere præclara Salmasium ad Lampridii Alexandrum; cœpi postea vereri, ne rejecissem eo lectorem, ubi ille plus miretur quam intelligat: quam domi conjecturam facio, & in me ipse non semel idem sum expertus. Etsi autem libenter de quovis alio præsumam nostra imbecillitate majora, & optem laborem nostrum attingere multos, qui hanc partem tanquam sibi supervacuam jure possint fastidire: tamen non pigebit in studiosorum gratiam, ut illius loci meritum agnoscant, sciantque quantum summo illi viro pro eo producto debeatur, totum apponere, & nubem, quæ illum circumsidet, dimovere. Nec sane superflua hæc me judicare sinit Volusius Mæcianus: apud quem cum tam obscurum sit visum, quod legitur de æraria ratione ad denarium translata, quamvis partibus æris expressis; qui sperandum est fore clarius, quod de eadem ad solidum applicata, nulla mentione æris facta, tantummodo suspicandum & divinandum proponitur? Neque illudant nos homines urbani, quasi ad commentaria commentemur. non enim tam Salmasii verba interpretabimur, quam vetusti auctoris, unde ille, quæ sua fecit, deprompsit. Sciendum est, inquit, in tributis & capitationibus indicendis, „ non argenti, non æris fuisse factam mentionem, sed aureorum tantum, & „ aurei partium. Ita & exactiones celebrabantur. Sic enim notatum erat in „ libris & brevibus exactorum, possessorem illum, exempli gratia, debere „ solidi partem *quadragesimam octavam*, aut *vigesimam quartam*, aut *vigesimam quartam & quadragesimam octavam*, aut *decimam octavam*, aut *octavam*,

„ *vam*, aut *octavam & quadragesimam octavam*, aut *vigesimam quartam*, aut „ *sextam*, aut *quintam*, aut *tertiam*, aut *tertiam & duodecimam*, aut *dimidiam*, „ aut *dimidiam cum duodecima*, aut *dimidiam cum sexta*, aut *dimidiam cum* „ *quarta*, aut *dimidiam cum tertia*, aut *dimidiam cum tertia simul & duodeci-* „ *ma*, aut *dimidiam & tertiam cum sexta*, hoc est, aureum solidum: deinde „ aureum cum *quadragesima octava* aurei parte, & ita semper ascendendo „ per partes jam prædictas usque ad duos aureos: atque ita etiam usque ad „ tres, quatuor, & usque in infinitum. Hactenus Salmasius: quæ quisquis legit, non potest non magnopere mirari: & alii forsan fidem, tanquam sine auctore tam nova prodenti, abrogabunt; pudentiores dubitabunt, quid fuerit animi hominibus, quibus ista, ut videntur, adeo morosa & implicita ambagibus comminisci libuit, quum possent simplicissima & planissima ratione uti, ipsos milliarenses & folles annumerando. Sed si originem hujus computationis noscas, elegantissimam pariter & expeditissimam necesse est fateare homini Romano. Repetenda sunt igitur, quæ superius ad Volusium Mæcianum notavimus, & cogitandum, perinde ut veteres calculatores denarium, ita hos solidum assis more & ejus particularum vocabulis partitos esse. Hæc igitur est descriptio solidi, tanquam assis. Solidus, *as*, milliarenses habet duodecim, folles ducentos octoginta octo. Ejus *deunx*, milliarenses undecim, folles ducenti sexaginta quatuor: *dextans*, milliarenses decem, folles ducenti quadraginta: *dodrans*, milliarenses novem, folles ducenti sedecim: *bes*, milliarenses octo, folles centum nonaginta duo: *septunx*, milliarenses septem, folles centum sexaginta octo: *semis*, milliarenses sex, folles centum quadraginta quatuor: *quincunx*, milliarenses quinque, folles centum viginti: *triens*, milliarenses quatuor, folles nonaginta sex: *quadrans*, milliarenses tres, folles septuaginta duo: *sextans*, milliarenses duo, folles quadraginta octo: *uncia*, milliarensis, folles viginti quatuor: *semuncia*, milliarensis dimidiatus, folles duodecim: *sicilicus*, folles sex: *binæ sextulæ*, folles octo: *sextula*, folles quatuor: *hemisescla* vel *dimidia sextula*, folles duo: *scriptulum*, follis. Hinc jam facile est suis nominibus destinare illas summas, quas numeris definit Salmasii auctor. Quadragesima octava, *sicilicus* est, folles sex. Sic enim Volusius: *Est autem assis, semuncia, pars vicesima & quarta; duæ sextulæ, pars tricesima sexta; sicilicus, quadragesima octava.* Qui ergo sex folles debebat aut dederat, eum debere vel dedisse in breviario notabant & pronunciabant *sicilicum*. Ex iisdem verbis Volusii vides, quæ sit pars vicesima quarta, nempe *semuncia*, folles duodecim. Pars vicesima quarta & quadragesima octava conjunctæ, *semuncia sicilicus:* hi octodecim folles. Pars octava decima, *semuncia sextula*, folles sedecim. Habes apud Volusium: *Octava decima vocabitur semuncia sextula.* Pars octava, *sescuncia*, folles triginta sex. Volusius: *Deinde dividitur as in octo octavas, quæ sescunciæ vocantur.* Pars octava & quadragesima octava, *sescuncia sici-*

cia sici-

cia ſicilicus, folles quadraginta duo. Hic iterum repetit Salmaſius viceſimam quartam: quem credo errorem librarii aut feſtinantis calami eſſe. Poſſumus pro illa ponere triceſimam ſextam, *binas ſextulas* ſive *duellam*, & erunt folles octo: aut viceſimam quartam & ſextam, eritque *ſextans ſemuncia*, folles ſexaginta. Nam pars ſexta, *ſextans*, folles quadraginta octo. Voluſius: *Deinceps fit diviſio in ſex ſextas partes: ſextæ partis nomen eſt ſextans.* Pars quarta, *quadrans*, folles ſeptuaginta duo. Pars tertia, *triens*, folles nonaginta ſex. Tertia & duodecima *triens & uncia*, uno vocabulo *quincunx*, folles centum viginti. Voluſius: *In quincunce ſunt unciæ quinque, ſextantes duo & uncia, quadrans & ſextans: triens & uncia.* Pars dimidia, *ſemis*, folles centum quadraginta quatuor. Inſtrumentum plenariæ ſecuritatis Ravennæ ſcriptum, & in bibliotheca regia ſervatum, & Romæ à Naudæo publicatum: *Camiſia tramoſirica in cocco & praſino valente ſolidos tres ſemis*, id eſt, & ſex milliarenſes. Statimque: *Sarica praſina ornata valente ſolido uno & ſemiſſe uno.* Pars dimidia cum duodecima, *ſemis & uncia*, hoc eſt, *ſeptunx*, folles centum ſexaginta octo. Voluſius: *In ſeptunce ſunt unciæ ſeptem, ſextantes tres & uncia, quadrantes duo & uncia, triens & quadrans, quincunx & ſextans, ſemis & uncia.* Pars dimidia cum ſexta, *ſemis & ſextans*, qui *bes*, folles centum nonaginta duo. Voluſius: *In beſſe ſunt unciæ octo, ſextantes quatuor, quadrantes duo & ſextans, trientes duo, quincunx & quadrans, ſemis & ſextans.* Dimidia cum quarta, *ſemis & quadrans*, id eſt, *dodrans*, folles ducenti ſedecim. Dimidia cum tertia, *ſemis & triens*, qui *dextans*, folles ducenti quadraginta. Voluſius: *In dextante ſunt unciæ decem ſextantes quinque, quadrantes tres & uncia, trientes duo & ſextans, quincunces duo ſemis & triens.* Dimidia cum tertia & duodecima, *ſemis, triens, & uncia*, id eſt, *deunx*, folles ducenti ſexaginta quatuor. Dimidia & tertia cum ſexta, *ſemis & triens & ſextans*, *as* ipſe, (nempe ſex & quatuor & duæ, quæ omnes duodecim unciæ) ipſe ſolidus, folles CCLXXXVIII. Sic etiam ſi quid ſolido amplius ſignificandum eſſet, eædem partes pro ære excurrenti adhibebantur. Sic *ſolidum ſcriptulum* dicebant ducentos octoginta novem folles: *aſſem* vel *ſolidum dimidiam ſextulam* ducentos nonaginta folles: *aſſem* vel *ſolidum ſextulam* ducentos nonaginta duos folles: *ſolidum* vel *aſſem ſicilicum* CCXCIV folles: hic eſt, quem Salmaſius dicit aureum cum quadrageſima octava ſui parte: *aſſem* vel *ſolidum binas ſextulas*, ducentos nonaginta ſex folles: & ſic deinceps. Idque tam in tributo indicendo & exigendo ſervatum quam in referendo in rationes. Cæterum cum partitionem illam aſſis à pueris perceptam & quotidiano tractatu repetitam in exprompta memoria haberent, incredibili velocitate per immenſas ſummas decurrebant. Atque ita ex ſolo Voluſio comparatur illius λογαριϰῆς intelligentia. Jam quæris, quare ὁ πάνυ non expreſſerit aſſis partes, aut de illis nihil ſubmonuerit? Græcum auctorem ſuum veſtigiis ſecutus eſt. Niſi enim fallor, hic eſt, cu-

„ jus ita meminit ad Solinum pag. 808. Exſtat liber in bibliotheca regis „ depromptus ex archivis & camera, ut vocant, theſauraria Alexii Comne- „ ni, qui Παλαιὰν & Νέαν Λογαρικὴν continet de pretio ſolidi in tributis exi- „ gendis. Παλαιὰ Λογαρικὴ ibi vocatur, qua duo & ſeptuaginta ſolidi in li- „ bram auri putabantur. Græci autem *aſſem* diviſorem ignorant, neque vocabula habent propria & ſignata, quibus vel ipſum vel partes ejus concipiant: nam ἀσσάριον & τριτημόριον & τεταρτημόριον & ſimilia nummorum vocabula ſunt. Neceſſario igitur numeros in auxilium advocant, & pro ſicilico dicunt τεσσαρακοστὴν ὀγδόην, pro ſemuncia εἰκοστὴν τετάρτην, pro ſemuncia ſextula ὀκτωκαιδεκάτην, pro ſeſcuncia ὀγδόην, puta μερίδα τοῦ νομίσματος: vel potius neutris utebantur: τεσσαρακοστὸν ὄγδοον, εἰκοστὸν τέταρτον &c. intelligentes τὸ μέρος. Sunt ſane Latinorum vocabulorum nonnulla originis Græcæ, ſed hæc illorum vis ac poteſtas tota Latina eſt. Sic *as* & *æs* ex Dorico αἷς pro εἷς communi exſtitiſſe facile conceſſerim: ſed ſignificationes ampliarunt aut contraxerunt pro libidine ſua Latini. Λίτρα, Siculis pondus & nummus genuit *libram*, quæ pro pondere placuit Romanis; pro pecunia, eodemque quod *as* eſt, non ultra quam as libram pondo fuit; inde pro tantundem in commercio valente ære *aſſem* retinuere, qui tandem quarta & viceſima, immo & quadrageſima octava, pars libræ factus. Duodecima τῆς λίτρας οὐγκία, ex qua multiplicata conſtantes τῆς λίτρας partes, πεντόγκιον ſive πεντούγκιον, ἑξάντιον, ἡμίλιτρον, apud Epicharmum & Pollucem. Hinc *uncia* Romanis. Medias inter ſummam libram aſſemve & imam ejus duodecimam, unciam, partes ad ſimilitudinem quidem Sicularum fabricaverunt Romani, ſed in officina & materia ſua. Ex *uncia* finxerunt *quincuncem* & *ſeptuncem* & *deuncem*; illos, quod quinque aut ſeptem duodecimas haberent; hunc, quod ei ad complendam libram duodecima deeſſet. Ex *aſſe ſemiſſis* & *bes* profluxit, partibus origine Græcis, adoptione Latinis. nam *ſemis* ἥμισυς: *bes* autem primitus *dueſſis*, quaſi duæ aſſis, puta tertiæ partes. Vulgati Varrones *ſemiſſem* quaſi *ſemias* dictum volunt: fortaſſis ſecus atque voluit ipſe: nam in MS. reperio: *Semiſſis, quod ſemis*, non *ſemias:* ut poſſis ita diſtinguere: *Semiſſis, quod ſemis, id eſt, dimidium aſſis.* Nam ex *ſemis*, generatim & indiſtincte ſignificanti *dimidius*, & *as*, *ſemiſſis:* poſt ad compendium pronuntiandi, *ſemis*, pro *ſemiſſis*, ut *bes* ex *dueſſis*, *dues*, duæ aſſis tertiæ partes. Nec reprehendendus hic Scaliger, quod ad Feſtum ſtatuerit aliter, aut non diſſimulandum atque etiam laudandum erat, quum in libello de re nummaria plane prodidit, *beſſem* dictum, quaſi *dueſſem*, ut *duellum bellum*, *duonum bonum:* ut Græcis δίμοιρον: & addit congruentem admodum locum Homeri, ubi δύο μοῖραι pro duabus tertiis ſive beſſe pronunciantur, Ἰλ. κ.

Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε, παρῴχηκεν δὲ πλέον νὺξ
Τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

Ut

Ut diei divisionem quoque considerat Apollonius Rhodius III, 1339.

Ἦμος δὲ τρίτατον λάχος ἤματος ἀνομένοιο
Λείπεται ἐξ ἠοῦς. Quomodo & Moschus noctem Idyll. 2.
Εὐρώπῃ ποτὶ Κύπρις ἐπὶ γλυκὺν ἧκεν ὄνειρον
Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται.

Itaque hanc divisionem sequuti quoque Latini, unde Ovidius VIII Metam. 565.

Jamque duas lucis partes Hyperione menso
Discubuere toris. —— Seneca in Troad. CDXXXVIII.
Partes fere nox alma transierat duas, &c.

Reliqua velut divortiis quibusdam manant ex *quadrante*, sic appellato, quod assem quadraret, in quadrum, vel quatuor partes æquales redigeret. *Trientem* & *sextantem* volunt esse Siculorum τριᾶντα & ἑξᾶντα: in quo tamen difficultatem inveniunt, quum significatio prorsus alia sit: nam ἑξὰς semis, τριὰς quadrans. Nec repugno, si quis sequi malit. Sed quemadmodum *quadrans* ex participio transiit in nomen, quod assem quadraret, sic quasi verbum esset, *triere*, in tria redigere, finxisse videntur *trientem*; quasi *sextare*, in sex secare, *sextantem*. Ab *sextante* & *quadrante* formati *dextans* & *dodrans*, quasi *desextans* & *dequadrans*, quibus duæ & tres duodecimæ minus essent quam assi, quemadmodum *deunx*, cui una. Sic etiam *Semuncideuncem* dixerunt, quod alias *dextantem semunciam*, id quod superfit ex asse detracta sescuncia. Balbus: *Septima divisio his adjungi potest: nam rei integræ in octo partes distributæ pars quælibet ex aliis sine aliis considerata sescuncia dici potest, reliquæ semuncideunx.* Quasi semuncia de deunce: undecim partes minus vicesima quarta. Et vulgare est in numeris, *duodeviginti*, *duodetriginta*. Addit Balbus, partem illam, quæ est *semuncideunx*, in frequenti usu non esse, eoque characterem, quo designetur, non habere. Atque eo magis ignoscendum sive Prisciano, sive Palæmoni, neganti sescuncia dempta reliquo nomen esse. Hoc enim vult, quum ait:

Sed nullum reliquo nomen semuncia certum
Dempta dabit. namque est hujus sescuncia triplex.

Ita legitur in Vineti editione, quam expressit Hotomannus. Sed illud *namque* alienum est a sententia. Vett. ed. *neque est*. Quod cum versum vitiet, facit Villalpandus: *nec enim est*. Et sententiam quidem deprehendit, suadens intellectu repeti prioris periodi partem, videlicet *dempta dabit nomen:* sed tamen inconveniens est τὸ *enim*. Scribe:

Dempta dabit, quæque est hujus sescuncia triplex.

Ut & sescuncia, quæ semunciæ triplex est, ablata reliquo nullum nomen dabit. Diffidebam nonnihil, fateor, Balbo de *semuncideunce* ob insolentiam vocabuli: testem & secundum auctorem desiderabam: quum ecce hic quoque mihi divinitus offertur: haud possum dicere quis, sed profecto elegans

& an-

& antiquus. Theorica Geometriæ in membranis honoratiſſimi Rottendorfii: *Similiter in eo, cui quinque & quadrantem in catheto poſui, dimidia hujus, id eſt* II *& ſemis & ſeſcuncia, ter ducta* VII *& ſemuncideuncem numerum facit. Hujus nona, id eſt, ſemuncideunce, dempta,* VII *baſin relinquit; addita autem,* VIII *& dodrantem hypotenuſæ tribuit.* Tres dupondii, ſexis, tribus ſemiſſibus additis fit ſeptus ſemis: tribus etiam ſeſcunciis accedentibus fit ſeptus dextans ſemuncia: deeſt ad octus efficiendum ſeſcuncia: pro illo igitur quod ſupereſt ablata ſeſcuncia, ſeu pro dextante ſemuncia dicit *ſemuncideuncem.* Porro iſtius numeri, ſeptuſſis puta dextantis ſemunciæ, nonam ait eſſe hunc ipſum *ſemuncideuncem.* Scilicet novem dextantes faciunt ſeptus ſemis: novem ſemunciæ quatuor uncias cum ſemuncia: quæ ſi illis addantur, exoritur ſeptus dextans ſemuncia vel *ſeptus ſemuncideunx.* Denique ponit huic ſeptuſſi ſemuncideunci additam eandem nonam, *ſemuncideuncem* ſcilicet, efficere octus cum dodrante. Nempe decem unciæ & dimidia duplicatæ faciunt unam & viginti uncias, hoc eſt, aſſem & dodrantem; qui ſi ſeptem aſſibus adponantur, fiunt octus & dodrans. Utcumque igitur ἡ λίτρα καὶ ἡ οὐγκία fuerint Siculis, nummi tantum & pondera fuerunt: non *as* & *uncia* dividentes omne ſolidum, quæ omnino ignorarunt Græci. Itaque partes aſſis non niſi numeris expreſſerunt, qui verterunt Romana, niſi quod & λίτρα abuſi ſunt pro aſſe. Sic unciam dixere δωδέκατον, ſextantem ἕκτον, quadrantem τέταρτον, trientem τρίτον, quincuncem τρίτον δωδέκατον, ſemiſſem ἥμισυ, ſeptuncem ἥμισυ δωδέκατον, beſſem δίμοιρον, dodrantem δίμοιρον δωδέκατον, dextantem δίμοιρον ἕκτον, deuncem δίμοιρον τέταρτον, aſſem λίτραν. Habes apud Theophilum de hæredibus inſtituendis. Pro uncia valebat etiam ἡμίεκτον, de quo ſuperius: pro ſemuncia ἡμιδωδέκατον & μυσημίεκτον, quaſi ἥμισυ ἡμίεκτον, apud Heſychium, pro ſicilico δίδραχμον, aut τεσσαρακοστὸν ὄγδοον, ut & pro beſſe ἥμισυ ἕκτον, pro dodrante ἥμισυ τέταρτον, pro dextante ἥμισυ τρίτον, pro deunce ἥμισυ τρίτον καὶ δωδέκατον, pro aſſe ἥμισυ τρίτον καὶ ἕκτον, ut liquet ex auctore Λογαρικῆς & Gloſſis Nomicis. Ὁ πάνυ autem, qui hanc diatriben quaſi nobis delegavit, aut non tantum ſibi reliquit otii, ut, quid ſibi vellent iſti numeri, exquireret, aut exquiſitum diſtulit ad editionem ipſius libelli Græci, quam in animo habuiſſe illum, ex diverſis ejus pollicitationibus apparet.

CAPUT XVIII.

Continuatur instituta diſſertatio ad locum τῆς Λογαρικῆς. *Probata inſigni exemplo, quæ ſupra ad Voluſium de ſolido e numeris compoſito & ſecundum aſſis partes diviſo diſputavimus. Conſtantinus Porphyrogenneta in vita Baſilii emendatus & expoſitus.* Τὰ τῶν ἀριθμῶν μόρια καὶ μέρη, οἷον τοῦ ἡμίσεως, καὶ τοῦ ἕκτου, καὶ τοῦ δωδεκάτου, ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς τῆς τῶν φόρων εἰσπράξεως. Ὁλόγραφοι καὶ φανεραὶ ψῆφοι. Τόμος. *Baſilii imperatoris providentia adverſus iniquitatem coactorum.* Ἕκτη, τρίτη, τετάρτη, *quomodo* νομίσματα. *Heſychii locus declaratus. Gildas &*

Apollonii

Apollonii Tyrii fabulator illustrati. Libra argenti pro quinque solidis. Media libra pro duobus solidis semisse. Siliqua auri, non nummus, sed XXIV *pars solidi, duodecim folles. Instrumentum plenariæ securitatis illustratum & correctum. Tres siliquæ in solidum annuæ, centesima. Scholiastes vetus Theodosiani codicis defensus. Novella Majoriani explicata & emendata. Conclusio.*

Quemadmodum expensa ferrentur, & accepta referrentur ad denarium superiore libro, quemadmodum mutata pecunia ad solidum calendaria & breviaria fierent, proximo capite demonstratum est: utque utrobique æs excurrens partibus & notis æris explicaretur. Ne nihil actum putemus, Latini & Græci auctorum duo loca singularis atque unicæ ipsis elegantiæ, sed propter obscuritatem adhuc pro bustis spreta & vix limis adspecta, medii solis lumine collustravimus, & inter antiquitatis thesauros gemmeum micantia cernimus: totam artem, & quidem duplicem diversitate temporum, conficiendi tabulas, præcipuum telum bene administrandæ vitæ familiaris & tuendi patrimonii, qua in re incredibilem omnium fuisse Romanorum diligentiam plurima passim testimonia exstant, e tenebris erutam habemus: & in negotio, quod minime videbatur ingenium expectare, contentum digitis, sive ad supputandum, sive ad scribendum, tamen Romanos, hoc est, ingeniosos & formularum docto decori servientes, deprehendimus. Nec majore, opinor, exemplo patuit, quare pueri *longis rationibus assem in centum partes diducere* discerent, ut canit Horatius. Sed non hi soli curæ jucundæ ipsa difficultate, & quo lentius successit, eo sæpius veri latentis inveniendi voluptatem renovantis, quamvis maximi, fructus. Dixerat Volusius, *excurrentis æris notam sedecies multiplicatam id efficere.* Qua occasione observatum nobis, quoties corpus e numeris compositum in assem partimur, quot numeros habet integrum, toties ductas partes assis, quæ numerum quemque significant, efficere totidem duodecim uncias, quota numero quæque pars integri est, non minus hoc argumento verum cognoscitur. Sic sex folles, *sicilicum*, quadragesimam octavam partem solidi, diximus. Solidus folles habet CCLXXXVIII. Ducenti octoginta octo sicilici componunt septuaginta duas uncias: quot uncias habent sex asses. Recte ergo *sicilicus*, sex folles. Vicesima quarta pars solidi *semuncia*, folles duodecim. Nimirum ducentæ octoginta octo semunciæ sunt centum quadraginta quatuor unciæ, quæ complent duodecim asses. Tertia nota intelligitur ex duabus præcedentibus. Quarta erat *semuncia sextula* ad significandos folles sedecim. Nimirum CCLXXXVIII semunciis, ex quibus constant CXLIV unciæ assium duodecim, si addas ducentas octoginta octo sextulas, quæ quadraginta octo dant uncias, hoc est, asses quatuor, habebis integros asses sedecim. Quinta nota erat *sescuncia,* triginta sex follibus demonstrandis. CCLXXXVIII sescunciæ faciunt uncias quadringentas triginta duas: totidem autem uncias invenies in triginta sex assibus. Sextam intelligis ex dictis. nam triginta sex assibus,

bus, quos faciunt CCLXXXVIII sescunciæ, adjecti CCLXXXVIII sicilici, quot computantur in assibus sex, integrant XLII asses: hinc *sescuncia sicilicus*, quadraginta duo folles. Septimam fecimus *binas sextulas*, pro octo follibus. nam CCLXXXVIII binæ sextulæ constituunt uncias XCVI, & hæ octo asses. Octavam, *sextantem semunciam*, pro follibus sexaginta. Videlicet CCLXXXVIII sextantes sunt quingentæ septuaginta sex unciæ: tot sunt autem in quadraginta octo assibus: quibus si accedant duodecim asses ex CCLXXXVIII semunciis conflati, erunt sexaginta asses. Hic explicuimus & sequentem. Decima, *quadrans*, signabat folles septuaginta duos. CCLXXXVIII quadrantes continent octingentas sexaginta quatuor uncias: ex quot unciis perficiuntur LXXII asses. Undecima, *triens*, folles nonaginta sex. Ducenti octoginta octo trientes sunt mille centum quinquaginta duæ unciæ: & hæ nonaginta sex assium. Duodecima, *quincuncis* vocabulo notati CXX folles. reddunt enim CCLXXXVIII quincunces uncias mille quadringentas quadraginta: quo numero unciarum constant centum viginti asses. Hinc *semissem* diximus CXLIV folles: quid enim apertius quam CCLXXXVIII semisses esse centum quadraginta quatuor asses, & utrisque duci mille septingentas viginti octo uncias? Porro ducenti octoginta octo septunces sunt mille nongentæ sedecim unciæ, quot esse oportet, ut fiant CLXVIII asses: centum igitur sexaginta octo folles solidi *septunx*. Sed & ducenti octoginta octo besses sunt unciæ duo millia trecentæ quatuor: & tot sunt CXCII assium: ita *bes* solidi, centum nonaginta duo folles. Ducenti quoque LXXXVIII dodrantes colligunt uncias duo millia quingentas nonaginta duas, quæ sunt in CCXVI assibus: sic *dodrans* solidi, ducenti sedecim folles. At CCLXXXVIII dextantes unciarum habent duo millia octingentas octoginta, hoc est, CCXL asses: totidem quoque folles, solidi *dextans*. Denique deunx sive undecim unciæ ducenties octogies octies ductæ sunt omnes tria millia centum sexaginta octo: quot esse necesse est, ut conficiamus CCLXIV asses: inde folles ducenti sexaginta quatuor, solidi *deunx*. Est igitur hic locus unicus, quo nihil habet tota, quæ nobis superest, vetustas traditis à Volusio convenientius, & quem vicissim, absque Volusio esset, nemo intelligeret. Nondum perfuncti sumus. neque enim debere possumus studioso lectori pauca etiam pulcherrima loca, cum mirifice confirmantia, quæ jam exposuimus, tum his incognitis prorsus obscura atque cæca. Constantinus est Porphyrogenneta & Imperator Constantinopolitanus, Leonis filius, qui avi sui Basilii vitam disertissime scripsit, nuper a viro eximio publicatam: inque illa cap. XXIV. *Ὁρῶν δὲ ὅτι ἐστί τις τοῖς πονηροῖς εἰς τὸ ἀδικεῖν ἀφορμὴ, ἀπὸ τοῦ, διὰ τὸ σύντομον, τοῖς τῶν ἀριθμῶν μορίοις καὶ μέρεσι, τοῦ ἡμίσεως, καὶ τοῦ ἕκτου, καὶ δωδεκάτου τυχὸν, κεχρῆσθαι τοὺς παλαιοὺς,* (ita legimus. non *τοῖς παλαιοῖς*.) *ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς τῆς τῶν φόρων εἰσπράξεως· ἠθέλησε καὶ τὴν τοιαύτην τῶν ἀδικεῖν βουλομένων περιελεῖν ἀφορμὴν, καὶ διωρίσατο, καὶ γράμμασι λιτοῖς, ἃ καὶ τοῖς ἀγροίκοις ἀναγινώσκειν ἐστὶν ἐν δυνατῷ, καὶ ὁλο-*

γράφοις

γράφοις δὲ (ita leg. non πῆς) φανεραῖς τῶν ψήφοις τῆς δηλουμένης ποσότητος, τοὺς τῶν ἐπιτηδείων γράφεσθαι τόμους, (ita leg. non κώμας) οἴκοθεν τὸ εἰς τοῦτο τάξας ἀνάλωμα, καὶ τῶν χαρτίων καὶ τῆς γραφῆς, πρὸς τὸ μὴ ἀδικεῖσθαι τοὺς πένητας. Ait, quum haberent coactores vectigalium summas exactionum notis perscriptas (velut ἡμίσεως, qui *semissis* est solidi, milliarenses sex, vel folles CXLIV, & nota antiqua erat ∑. velut ἕκτου, qui *sextans* solidi, milliarenses duo vel folles XLVIII, & hujus nota ═. velut δωδεκάτου, id est, *unciæ* * solidi, milliarensis nimirum, vel XXIV follium, & nota priscis Romanis —. &c. sed Græcis alias fuisse, & quidem ipsas literas numerales, & hinc & ex Heronis loco superius adducto liquet.) quas illi notas pro libidine interpretabantur, & plus debito exigebant privati lucri causa; constituisse Basilium, ut in posterum sine notis, integris vocabulis, quæ cognosci etiam & intelligi ab imperitioribus stipendiariorum possent, censuales libri & breves coactorum scriberentur, & ad id sumptum præbuisse. Vertitur obscure: *ob brevitatem qua numerorum particulæ & membra medietatis & sextæ & forte etiam duodecimæ notabantur.* Hoc audias an non audias, quid differt? Dicitur autem: *quod ob scribendi compendium, numerorum elementis & partibus, veluti dimidiæ* (puta solidi) *& sextæ & duodecimæ, essent usi veteres in describendo tributo.* Sic Justinianus Novella CVII. εἴ τις γράμματα ἐπιστάμενος βούλοιτο ποιήσασθαι διατύπωσιν, πρὸς τοὺς οὐγκιασμοὺς, εἰς οὓς γράφει κληρονόμους αὐτοὺς, μὴ τοῖς συμβόλοις τῶν ἀριθμῶν σημαινομένους, ἀλλὰ δι' ὅλων γραμμάτων δηλουμένους, ὥστε πανταχόθεν σαφεῖς τε καὶ ἀναμφισβητήτους καθεστάναι, quæ Juliano est Constit. C. num. altero 361. Mox: ὁλογράφοις δὲ φανεραῖς τῶν ψήφοις, est, *expressis integras per voces & plane numeris.* Nam quis intelligit, *apertis calculis?* Ut Zonaras libro III de Constantino Copronymo de Agarenis. Οὐ γὰρ οἴδασιν ἀριθμεῖν ἐκεῖνοι, ἀλλ' οὐδὲ γράφειν ψήφους λεπτὰς, τρίτα φημὶ καὶ τέταρτα, καὶ ὄγδοα, καὶ δωδέκατα, καὶ τὰ τούτων ἔτι λεπτότερα. Τόμος pro libro etiam Martiali: at κώμη hic sensu nullo. Photius in excerptis voluminis CCLIV. ὅτι δὲ τοὺς τόμους, οἳ ἀνέγραφον διαφόροις γλώσσαις τὰ σωτήρια τοῦ δεσπότου πάθη τε καὶ θαύματα δὲ διδάγματα, τούτους παρὰ τῶν κομιζόντων δεξάμενος διέταξεν. Hinc intelligas etiam illud parum adhuc intellectum apud Hesychium: Ἕκτη, τρίτη, τετάρτη, νομίσματα ἀργυροῦ, καὶ χρυσοῦ, καὶ χαλκοῦ. Non enim singula nummorum corpora fuerunt eo nomine; & tamen nummos vel summulas pecuniæ significant hæc vocabula: & quidem χρυσοῦ, quia sunt partes solidi, qui aureus; ἀργυροῦ, quia possunt esse in argento, ἡ ἕκτη milliarenses bini, ἡ τρίτη milliarenses quaterni, ἡ τετάρτη milliarenses tres: χαλκοῦ, quia possunt esse in ære, ἡ ἕκτη folles XLVIII, ἡ τρίτη folles XCVI, ἡ τετάρτη folles LXXII. Eodem respexit Gildas, ille Britanniæ Anacharsis, hic quo-

* Sidonius car. XIII. *Nam nunc Musa loquax tacet tributo,*
Quæ pro Virgilio Terentioque
Sextantes legit unciasque fisci.

hic quoque commeritus ſapientiæ teſtimonium. In Querolo comœdia, ubi mulctas conſtituit durorum capitonum & plagipatidarum paraſitorum vexatoribus: *Digna cauſa, mercedem vulnerum victus* (*ictus*, opinor) *accipiat paraſitus. In convivio ſi fuerit veſte diſciſſus, a rege convivii duplam mercedem reparationis accipiat. De livoribus in quadrantem ſolidi unius, de tumoribus* * *in trientem pœna tranſibit. Quodſi tumor fuerit & livor, ſolidi unius beſſem jure optimo conſequetur. Unam vero unciam apoziæ (hoc eſt, excoctionis) contemplatione concedimus. Placuit autem, ut etiam de plagis & vulneribus infixis ſummo ſtrepitu criminali amicorum præſtetur inſpectio, ita ut dodrantem ſolidi nec inſpicientium gratia nec largientis excedat humanitas. In luxo autem & oſſibus loco motis uſque ad deuncem ſolidi injuriarum commodum placuit extendi. Jam porro de oſſibus fractis placuit convenitque, ut in minutalibus ſolidus, in principalibus vero oſſibus argenti libra protinus traderetur.* Locus in primis facetus & lepidus. *Mercedem vulnerum accipiat*, fecit e Juvenalis: *Accipiat ſane mercedem ſanguinis.* Aut Ciceronis lib. v in Verrem: *mercedem lacrimarum, mercedem vulneris atque plagæ, mercedem funeris ac ſepulturæ conſtitui.* E Terentii, *tum ipſam capillo conſcidit*, ſuum, *ſi fuerit veſte diſciſſus.* At quid monſtri eſt: *apoziæ, hoc eſt, excoctionis?* an tantulo pretio patietur ſe recoqui paraſitus, ut a Medea Æſon? Volunt apoziam eſſe ἀπόζεμα: ſed nec vox proba, nec ſenſus tolerabilis. Scribe; *apoſiæ*, vel *apoſeos.* Cujus interpretatio ex margine in contextum irrepſit: *hoc eſt, exactionis.* Ἀπωσία vel ἄπωσις ab ἀπωθέω. *Injuria eſt,* inquit ille, *& trahi & trudi ſimul:* ſed & trudi ſolum vel exigi. An forte ἀμπώσιος? Cæterum quæ hic habent mentionem partium aſſis, ad hoc uſque lecta ſunt ita, ut ſine exemplo a laſciviente ingenio auctoris profecta eſſe crederentur. At nunc manifeſtum eſt deprompſiſſe illa Gildam e rationalium tabulis. *Quadrans ſolidi* erant milliarenſes tres, ſive folles LXXII: *triens*, milliarenſes quatuor, folles XCVI: *bes*, milliarenſes octo, folles CXCII: *uncia*, milliarenſis, folles XXIV: *dodrans*, milliarenſes novem, folles CCXVI: *deunx*, milliarenſes undecim, folles CCLXIV: *argenti libra*, ſolidi quinque, milliarenſes ſexaginta. Sic *mediam libram*, puta argenti, pro duobus ſolidis ſemiſſe vel dimidiato dixit fabulator ille Apollonii Tyrii: *Leno vocavit villicum puellarum: ancilla exornetur: ſcribatur ei titulus: Quicumque Tarſiam defloraverit, mediam libram dabit: poſtea populo patebit ad ſingulos ſolidos.* Non enim auri *libra* intelligenda eſt *media*, quaſi fuerint XXXVI ſolidi: nec magis in hoc ſcriptore mirandum, quam apud Gildam, in eadem ratiuncula aliud pretium aureis ſolidis, aliud *argenti libra* deſignari, quum illa ipſa *argenti libra* † quinque ſolidi circumſcribantur, noſtræ pecuniæ decem coronati. Diximus *ſiliquarum* auri quatuor

* Harmenopulus lib. 2 tit. 11 p. 260 Lat.

† Ammianus Marc. lib. XX cap. IV, *quinos omnibus aureos argentique ſingula pondo.*

tuor & viginti fuiſſe ſolidum. Nicandri interpres: Ἡ οὐγκία ἔχει στάγια ἕξ. τὸ δὲ στάγιον κεράτια κδ. Inde in morem venit, ut pro illa, quam appellavimus *ſemunciam*, Græcus auctor εἰκοστὴν τετάρτην, hoc eſt, dimidiato milliarenſi vel duodecim follibus, quæ quarta & viceſima pars ſolidi erat, *ſiliquam* dicerent. Iſidorus lib. XVI cap. XXIV. *Siliqua viceſima quarta pars ſolidi eſt, ab arboris ſemine vocabulum tenens.* Ant. Auguſtinus nummi genus eſſe putat. Scaliger ſpeciem argenteam nummi. Hotomannus ex male intellecto Iſidoro argenteum nummum facit lunæ creſcentis ſive cornutæ nota ſignatum. Salmaſio fuere minutuli nummi aurei eodem nomine ac pondere, quæ *ſiliquæ* Latinis, κεράτια Græcis. Gutherius lib. VI de offic. domus Aug. cap. XXIII facit minutum nummi genus, qui tres obolum facerent. Immo numquam tam minutuli nummi ex auro Romanis fuere: ſed duodecim folles dicebant *ſiliquam*. Clare Juſtinianus in legibus ruſticis: κεράτιον ἕν ἤγουν φόλλαι δώδεκα. Inſtrumentum plenæ ſecuritatis: *in auro ſolidos quadraginta & quinque & ſiliquas viginti tres aureas:* id eſt, CCLXXVI folles, undecim milliarenſes & dimidiatum. Deſunt folles duodecim ſeu dimidium milliarenſis ad complendum quadrageſimum ſextum ſolidum. In eadem: *Plictori vetere ſiliquas quatuor aureos*, id eſt, XLVIII folles, milliarenſes duos. Loquitur autem de *pictura vetere*, opinor. Atque ita emendandum. Rurſus: *Arca clave clauſa valente ſiliquas duas.* hoc eſt, milliarenſem, folles viginti quatuor. Mox: *Falce miſſuria (meſſoria) valente ſiliqua aurea una*, id eſt, duodecim follibus. Item: *Sarica una vetere tinctitia valente ſiliquas aureas tres.* Accipe folles XXXVI, milliarenſem & dimidium ejus. Statim: *Camiſia valente ſiliquas aureas ſex.* Folles LXXII, tres milliarenſes. Georgius Cedrenus in Leone Iſauro: Ἰδὼν δὲ ὁ βασιλεὺς τὰ τείχη τῆς πόλεως πεσόντα, διελάλησε λέγων· ὅτι ὑμεῖς οἱ τῆς πόλεως ἀδυνατεῖτε τὰ τείχη κτίζειν, ἀλλὰ προσετάξαμεν τοῖς διοικηταῖς τῶν θεμάτων ἀπαιτεῖν εἰς τὸν κανόνα κατὰ νόμισμα μιλιαρίσιον ἕν· καὶ λαμβάνει αὐτὸ ἡ βασιλεία, καὶ κτίζει αὐτά. Κἀντεῦθεν ἀπεκεράτησεν ἡ συνήθεια, παρέχειν τὰ δικέρατα τοῖς διοικηταῖς. Κεράτια δὲ αἱ ιβ φόλλεις ὠνομάσθησαν. Dicit in ſolidum pendi milliarenſem unum: pro eo mox δικέρατον, id eſt, duas ſiliquas: qui quatuor & viginti folles: * nam ſiliqua folles duodecim. Anaſtaſius Bibliothecarius verba Leonis ita reddit: *nos præcepimus adminiſtratoribus, & ipſi exigent in regulam per ſingulos aureos nummum argenteum unum, quo imperium accepto ædificavit muros: & ita facta eſt conſuetudo dandi binas ſiliquas adminiſtratoribus.* Nummus ille argenteus *milliarenſis*: nec quidquam aliud *binæ ſiliquæ*, quæ appellabantur ratione auri, ſolvebantur autem in argento aut ære. Quum vero ait: Κεράτια δὲ αἱ ιβ φόλλεις: intellige ἕκαστα, ſive ſingula: ut quum Varro: *Aſſes erant libras pondo.* Quod quum non veniret in mentem

* Ut Zonaras libro III pag. 86. Διὸ προσέτακται παρ' ἡμῶν προσθήκην ἐν τοῖς δημοσίοις φόροις γενέσθαι, φόλλεις εἴκοσι καὶ τέσσαρας ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι.

tem Gretſero, jubebat legi, κεράτιον, lib. II Variar. cap. VII. Mox rurſum Cedrenus in fabula, quam ſubjungit de Numa: ἐλάμβανεν ἐξ ἑκάστου τοῦ ἀπὸ τοῦ παλατίου ῥογευομένων φόλεις ιβ, ἤτοι κεράτιον ἕν. Si auri materia conſtitiſſet ſiliqua, non eam attribuiſſet Numæ, quem alibi ἀσσάρια ἀπὸ ἀσημίου καὶ χαλκοῦ, ex argento & ære, non ex auro feciſſe fabulatur. Magnus Cujacius lib. XVI Obſer. toto capite docet *ſiliquaticum* dictum vectigal, quod ex qualibet mercium negotiatione nundinis fiſco in ſolidos ſingulos venditor dimidium ſiliquæ & emptor alterum dimidium inferret: quæ eſſet ea *ſiliqua*, explicare non potuit. * Vis etiam redigi ad noſtram pecuniam? Milliarenſis decem ſtuferi. Decem ſtuferorum ſunt octoginta chalci. Milliarenſis folles habet viginti quatuor. Ergo chalci octoginta ſi per folles quatuor & viginti dividantur, unicuique folli venient tres & triens: nam ter vicena quaterna ſunt ſeptuaginta duo: reſtant octo, quæ ter ducta conficiunt viginti quatuor. Follis igitur tres chalci triens: tres folles, decem chalci, ſtuferus & quadrans: ſex folles, viginti chalci, duo ſtuferi ſemis: hoc dimidium *ſiliquæ:* duodecim folles, quadraginta chalci, quinque ſtuferi: hæc *ſiliqua*. Theodoſii lex eſt ſub titulo de Uſuris, qua vetat ultra centeſimam jure permiſſam aliquid ſub occaſione neceſſitatis eruere fœneratores. Antiquus interpres explicat: *Si quis plus quam legitima centeſima continet*, id eſt, *tres ſiliquas in anno per ſolidum amplius, a debitore ſub occaſione neceſſitatis accipere vel auferre præſumpſerit*, id eſt, milliarenſem & partem ejus dimidiam, XXXVI folles. Hanc octavam ſolidi partem dicit Novella CVI, calculatores *ſeſcunciam*. nimirum octies triginta ſex ſunt CCLXXXVIII, quot folles habet ſolidus: octo milliarenſes & octo dimidiati; conficiunt integros duodecim, qui eorum in ſolido numerus. Sic igitur centum ſolidi pariunt ſiliquas trecentas,

* Vita Joan. Eleemoſynarii apud Anaſtaſium nummi dicuntur, qui alioqui folles ærei, quales duodecim valet ſiliqua: *Cum ergo vidiſſem, quod ſuperarer a vitio, dico puero meo: Per ſingulos dies furare me neſciente quinque nummos & da eleemoſynam. Sum ego enim trapezita Domini. Ille vero benefaciens cœpit furari denos. erat autem quando & ſiliquam. hoc eſt, duodenos.* Sequitur: *Cum ergo vidiſſet, quia benedicebamur & divitiis abundabamus, cœpit & tremiſſes furari & dare* (hoc in octo ſiliquas. Nummos æreos ſupra vocavit, qui ſunt folles:) *Statui ergo per ſingulos dies dare quinque æreos nummos pauperibus.*

Tremiſſia idem vocat tremiſſes. *ibid. Tunc ergo dixi quoniam tremiſſia dabat & ſiliquas etiam & ex fide illius aſſuevi domine ex fide dare.* Centenaria auri ſunt centum libræ auri, apud eundem ex teſtamento ejuſdem: *Inveniente enim me in honorabili Epiſcopio ſanctiſſimæ eccleſiæ Alexandrinorum magnæ civitatis quam per indulgentiam Dei ſuſcepi, quando in ea conſecratus ſum epiſcopus circiter octoginta centenaria auri & quæ intraverunt mihi ab amicis Chriſti pœne numerum hominis transſcendunt, in ſe ipſam mentem colligens & cognoſcens hæc omnia dominatoris omnium eſſe feſtinavi ea quæ Dei erant Deo dare, unde & quod remanſit mihi hoc tremiſſe, Dei & hoc exiſtens, jubeo dare his, qui ſunt Dei.*

centas, hoc eſt, CL milliarenſes: qui conficiunt ſolidos duodecim & dimidiatum: nam duodecim ſolidi præciſe CXLIV milliarenſes. Sed hoc non attendit auctor numeri rotundi cauſa, & quia per ſiliquas commodius centeſimam efficere non poterat. G. Agricola ſtatuiſſe ait Theodoſium de quocumque nummorum genere: itaque miratur Scholiaſten ad aureum ſolidum retuliſſe, & unicum aureum nemini fœnori dari ſolere objicit. Nimirum non ſuccurrit viro doctiſſimo, quod diximus, omnes tum publicas privataſque rationes ad ſolidum referri ſolitas, & æs quoque atque argentum partibus ſolidi appellatum; præterea hic in uno oſtendi ſolido, quid in quantacumque ſumma fieri liceret. Dein diſputat contra eundem tres ſiliquas non centeſimam, ſed ſextam & nonageſimam ſolidi partem eſſe. Quod verum eſt: ſed cogitare debuit, quam ipſe abhorreret a numero rotundo, tam illum veteres amaſſe. Idem adverſus Alciatum movet Auguſtinus, cenſetque id egiſſe interpretem, ut vel quaſi majorem centeſima illam trium ſiliquarum uſuram notaret, vel ſui temporis uſuram, quæ non multum aberat a centeſima, pro centeſima interpretaretur. Sed neutrum verba ejus patiuntur, qui plane *tres ſiliquas continere centeſimam*, & qui hoc plus accipiat vel auferat, eum pœnæ ſubjacere pronunciet. Novella Majoriani de curialibus: *Ita ergo prædicta ſumma* (ſemiſſis ſolidi) *inter compulſores partienda eſt, ut Palatinus ſiliquam mediam pro ſiliquatico ſolidi remunerationis binorum ſolidorum, exactor ſiliquam; quatuor autem ſiliquas tam curialis quam officium provinciale percipiat; officium ſane præfectorum ſex ſemiſiliquas conſequatur.* Palatino concedit *mediam ſiliquam*, hoc eſt, folles VI, milliarenſis quadrantem: exactori *tantundem:* Curiali *quatuor ſiliquas*, hoc eſt, milliarenſes duos, XLVIII folles: *tantundem* officio provinciali: officio præfectorio *ſex ſemiſiliquas,* ſeu tres ſiliquas, folles XXXVI, ſeſquimilliarenſem. Sunt omnes ſiliquæ duodecim, milliarenſes ſex, folles CXLIV: qui ſolidi ſemis. Ex quo calculo apparet exactori non *ſiliquam*, ſed *ſiliquam mediam* vel *ſemiſiliquam* tribuendam eſſe, ut numerus conſtet.

Hæc quoque me de re nummaria veterum addidiſſe ſufficiat. Si non ſunt ἄξια, ὁλόκληρα, at ſerenas noctes, & ſæpe demorſos ungues, & illum Galbæ a commentando colorem, illos oculos, cum male mulcatis, non anagnoſtis aut librariis, ſed chartis, palimpſeſtis, calamis, ſtilis & infeſtis & inverſis pleraque facile præferunt. Neque me pœnitet, quod nimiæ in ſcribendo curæ arguor. Ego eam ſolam curam nimiam puto, quæ aut cacozelos aut ignavos faciat. Aliam omnem debent homines pudentes reverentiæ & præſentium & poſteritatis judiciorum. Hac quoque lima cruciatis ſcriptis multa fortuna intervenit: quid quæ projiciuntur ac vomuntur? Et tamen plus parte tertia libri, jam moto prælo, jam trepidantibus operis, in ſummis temporis anguſtiis, die omni inter publicas privataſque recitationes & officia urbana exacto, matutinis vigiliis aut horis, quibus olim corpus curabant,

his

his quoque sæpe impeditis exemptisve, minutatim ac guttatim natum est. Hæc in contrarium potius vereor, ut satis multa dies satisque multa litura pleraque coercuerit; ne passim fidentius quam intentius egisse videar. Ergo utrinque est, unde sanguis invidiæ mittatur. Lector æquus & candidus neutrum in culpam trahet, sed ita nos amabit, ut studiis suis sive curam nostram sive subita profuisse sentiet.

FINIS.



L. VO-

L. VOLUSII MAECIANI JC.

DISTRIBUTIO

ET

BALBI MENSORIS

DE ASSE.

Divi Fratres in L. XVII. D. de Jure patronatus.

Sed & Volusius Macianus amicus noster, ut & juris civilis præter veterem & bene fundatam peritiam anxie diligens, religione rescripti nostri ductus, sicut nobis adfirmavit. Et sæpius mentio ejus occurrit in Digestis.

Julius Capitolinus in Marco.

Studuit & juri, audiens L. Volusium Macianum.


Julius Frontinus de Coloniis.

Huic addendæ sunt mensuræ limitum & terminorum ex libris Augusti & Neronis Cæsarum: sed & Balbi mensoris; qui temporibus Augusti omnium provinciarum formas & civitatum mensuras compertas in commentarios contulit, & legem agrariam per universitatem provinciarum distinxit ac declaravit. Fabius Calvus, qui fragmentum hoc de Asse, Hippocrati suo adjectum, publici juris fecit, pollicetur se, si vita suppeditet, totum ejus opus de agrimensoria & numerorum ratiocinatoria, cum Vitruvii, Plinii, Capellæ commentariis editurum. Fuit igitur Balbus mensor: etsi sint, quæ ætatem ejus dubiam facere possint.

VOLUSII MAECIANI JURISCONSULTI

DISTRIBUTIO,

ITEM VOCABULA AC NOTAE PARTIUM IN REBUS PECUNIARIIS, PONDERE, NUMERO, MENSURA.



Sæpenumero, Cenſor, animadverti ægre ferentem te, quod *Aſſis* diſtributionem, & in hæredum inſtitutione & in aliis multis neceſſariam, ignotam haberes. Quæ ne tam exigua res ingenium tuum ullo modo moraretur, cum partes ipſas, tum vocabula & notas proponendas exiſtimavi. Et deprehendes diſtributionem quidem partium infinitam, oppido autem quam exigua vocabula ac notas. Prima diviſio ſolidi, id eſt, libræ, quod *As* vocatur, in duas partes dimidias diducitur. Pars dimidia *Semis* vocatur. nota ejus S. Sequens diviſio fit in tres tertias partes. pars tertia *Triens* vocatur. nota ejus ═ ═. Sequitur diviſio in quatuor quartas partes. pars quarta *Quadrans* vocatur. nota ejus ═ —. Deinceps fit diviſio in ſex ſextas partes. ſextæ partis nomen eſt *Sextans*. cujus nota eſt ‾. Deinde dividitur in octo octavas, quæ *Seſcunciæ* vocantur. quarum nota eſt* Ƽ I. C — Ƽ. Ↄ Item in novem nonas. Nona pars vocatur *Uncia duæ ſextulæ*. nota ‾ \\. Dividitur item *As* in duodecim partes duodecimas. vocantur ſingulæ, *Uncia*. cujus nota —. Hæc, velut elementa primæ de Aſſe diſtributionis, æqualitatem ſervant. Si quid quibuſdam earum detrahas, vel conferas, fient diſpares. Quare ſi quadranti ſextantem vel trienti unciam applices, facies *Quincuncem*, qui conſtat ex quinque unciis, hoc eſt, quinque duodecimis. nota Quincuncis † ═ — ═ C ═ ═ I. Ↄ Si ſemiſſi applices unciam, vel quincunci ſextantem, vel trienti quadrantem, efficies *Septuncem*, hoc eſt, ſeptem duodecimas. nota ſeptuncis ‡ S —. Si ſeptunci applicueris unciam, vel ſemiſſi ſextantem, vel quincunci quadrantem, vel trienti tantundem, facies *Beſſem*, id eſt, duodecimas octo. nota beſſis S ═. C _ S _. Ↄ Si beſſi applicueris unciam, vel ſeptunci ſextantem, vel ſemiſſi quadrantem, vel

In v. e. * Ƽ † ═ ═ | ‡ Ƽ.

vel quincunci trientem, *Dodrantem* efficies, hoc eſt, novem duodecimas. nota dodrantis SZ. CS ═ —. aut S ═ 1. Ↄ) Si dodranti applicueris unciam, vel beſſi ſextantem, vel ſeptunci quadrantem, vel ſemiſſi trientem, vel quincunci tantundem, facies *Dextantem*, hoc eſt, decem partes duodecimas. nota dextantis S ═ ═. Si dextanti applicueris unciam, vel dodranti ſextantem, vel beſſi quadrantem, vel ſeptunci trientem, vel ſemiſſi quincuncem, facies *Deuncem*, hoc eſt, undecim duodecimas. nota deuncis *S ═ — ═. CS ═ ═ l. Ↄ). Ex his apparet, in quas partes æqualiter; in quas diſpares *As* dividatur. Quo tamen facilius & memoria res teneatur, ſumma diviſionis hæc eſt. In *Aſſe* ſunt unciæ decem duæ, hoc eſt, partes duodecimæ duodecim: unciæ & binæ ſextulæ novem, hoc eſt, novem nonæ: ſeſcunciæ octo, id eſt, octo octavæ: ſextantes ſex, id eſt, ſex partes ſextæ: quadrantes quatuor, id eſt, quatuor partes quartæ: trientes tres, id eſt, tres partes tertiæ: ſemiſſes duo, id eſt, duæ partes dimidiæ. Cæteræ partes inæqualem faciunt diviſionem. In *Deunce* ſunt unciæ undecim, ſextantes quinque & uncia, quadrantes tres & ſextans, trientes duo & quadrans, quincunces duo & uncia, ſemis & quincunx, ſeptunx & triens, bes & quadrans, dodrans & ſextans, dextans & uncia. deeſt aſſi uncia. In *Dextante* ſunt unciæ decem, ſextantes quinque, quadrantes tres & uncia, trientes duo & ſextans, quincunces duo, ſemis & triens, ſeptunx & quadrans, bes & ſextans, dodrans & uncia. deeſt aſſi ſextans. In *Dodrante* ſunt unciæ novem, ſextantes quatuor & uncia, quadrantes tres, trientes duo & uncia, quincunx & triens, ſemis & quadrans, ſeptunx & ſextans, bes & uncia. deeſt aſſi quadrans. In *Beſſe* ſunt unciæ octo, ſextantes quatuor, quadrantes duo & ſextans, trientes duo, quincunx & quadrans, ſemis & ſextans, ſeptunx & uncia. deeſt aſſi triens. In *Septunce* ſunt unciæ ſeptem, ſextantes tres & uncia, quadrantes duo & uncia, triens & quadrans, quincunx & ſextans, ſemis & uncia. deeſt aſſi quincunx. In *Semiſſe* ſunt unciæ ſex, ſextantes tres, quadrantes duo, triens & ſextans, quincunx & uncia. deeſt aſſi alter ſemis. In *Quincunce* ſunt unciæ quinque, ſextantes duo & uncia, quadrans & ſextans, triens & uncia. deeſt aſſi ſeptunx. In *Triente* ſunt unciæ quatuor, ſextantes duo, quadrans & uncia. deeſt aſſi bes. In *Quadrante* ſunt unciæ tres, ſextans & uncia. deeſt aſſi dodrans. In *Sextante* ſunt unciæ duæ. deeſt aſſi dextans. Huc uſque diviſio majorum, ut ita dictum ſit, partium & celebris & nota eſt: † ſed quum in ſe natura infinitam partiendi præſtet facultatem, ſuccedit *Unciæ* quoque (quæ eſt aſſis, ut ſupra dictum eſt, pars duodecima) diviſio, non tam celebris quidem, ſed tamen non adeo ignota. Ut *Aſſis*, ita *Unciæ* prima diviſio fit in duas partes dimidias, quæ vocantur *Semunciæ*. nota ſemunciæ Ʃ. Item dividitur uncia in tres partes, quæ vocantur *Binæ ſextulæ*. nota binarum ſextu-

In v. c. * S ═ ═ l.

† Sed cum ſe i naturam. Sed cum rei natura.

ſextularum * \\. Item dividitur uncia in quatuor *Sicilicos*, id eſt, quatuor quartas. nota ſicilici Ɔ. Item in *Sextulas* ſex, id eſt, ſex ſextas. nota ſextulæ ſ. Item in duodecimas duodecim, quas ſingulas partes *Dimidias ſextulas* vocamus. nota dimidiæ ſextulæ X. Item in *Scriptula* viginti quatuor. ſcriptuli nota ⌒X. Eſt autem aſſis *ſemuncia* pars viceſima & quarta: *duæ ſextulæ*, pars triceſima ſexta: *ſicilicus*, quadrageſima octava: *ſextula*, ſeptuageſima ſecunda: *dimidia ſextula*, centeſima quadrageſima quarta: *ſcriptulum*, ducenteſima octogeſima octava. *Semuncia* habet ſicilicos duos, ſextulas tres, dimidias ſextulas ſex, ſcriptula duodecim. *Duæ ſextulæ* habent ſicilicum & dimidiam ſextulam, ſextulas duas, dimidias ſextulas quatuor, ſcriptula octo. *Sicilicus* habet ſextulam & dimidiam, dimidias ſextulas tres, ſcriptula ſex. *Sextula* habet dimidias ſextulas duas, ſcriptula quatuor. *Dimidia ſextula* habet ſcriptula duo.. Has quoque partes in quantumlibet dividere poſſis: verum infra eas neque notas neque propria vocabula invenies. Præterea dimidium ſcriptulum audio quoſdam ratiocinatores *Simplium* vocare: quod erit totius aſſis quingenteſima ſeptuageſima ſexta. Quam & ipſam partem infinito ſeparare poſſis. Nec mirum, ſi infra has partes partitio facta & nominibus & notis caret, quum etiam inter partes ſuperiores primaſque diviſiones pleræque partes & nominibus & notis careant. Statim namque undecim undecimæ aſſem efficiunt: nec aut nomen proprium aut notam habent. Perinde decem decimæ. Nam nona aſſis facit *Unciam duas ſextulas*. Octava, ut ſupra redditum eſt, *Seſcuncia* vocatur. Septem ſeptimæ, quæ & ipſæ aſſem implent, nec nomen proprium nec notam habent. Sextæ *Sextantes* vocantur. Ne quintæ quidem aut nomen proprium aut notam habent. Jam vero tertias, *Trientes*; quartas, *Quadrantes*; ſicut duodecimas, *Uncias*, vocari oſtenſum eſt. Infra has cæteræ uſque ad ſextam decimam nomine proprio notaque carent: ſed ſexta decima, *Semuncia ſicilicus* vocatur. Nam ſedecim ſemunciæ, octo ſunt unciæ: ſedecim ſicilici, quatuor unciæ fiunt; junctæ unciis octo aſſem implent. Septimadecima deinde interjecta nomine notaque caret. Octavadecima vocabitur *Semuncia ſextula*. nam hæ decies octies ductæ aſſem efficient. Poſt has inferiores partes (excepta ſemuncia, duabus ſextulis, ſicilico, ſextula, dimidia ſextula, ſcriptulo) neque vocabula propria neque notas habent. *Centeſima*, quæ commodi aut uſurarum † nomine ad ſortem applicaretur, ſicilico, id eſt, C averſo, eo notari; quod quum C centum ſignificaret, convertebatur ad eam ſummam, cujus centeſima futura erat: & ſive una convenerat, unus ſicilicus; ſive plures, tot ſicilici ponebantur. Sicut autem *Aſſis* appellatio ad rerum ſolidarum hæreditatiſque totius, diviſio autem ejus ad partium demonſtrationem pertinet: ita & ad pecuniam numeratam refertur: quæ olim in ære

In v. c. * W. † *Nummi.*

in ære erat, poſtea & in argento feriri cœpit, ita, ut omnis nummus argenteus ex numero æris poteſtatem haberet. Eo in numero ſunt hi argentei nummi: *Denarius*, cujus eſt nota X: *Quinarius*, cujus eſt nota V: *Seſtertius*, cujus nota eſt HS. *Victoriatus* enim nunc tantundem valet, quantum Quinarius olim, ac peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum & drachma, habebatur. Denarius primo aſſes decem valebat, unde & nomen traxit. Quinarius, dimidium ejus, id eſt, quinque aſſes; unde & ipſe vocatur. Seſtertius duos aſſes & ſemiſſem, quaſi ſemis tertius, Græca figura, ἕβδομον ἡμιτάλαντον· nam ſex talenta & ſemitalentum eo verbo ſignificantur. Lex etiam duodecim tabularum argumento eſt, in qua duo pedes & ſemis, *ſeſtertius pes* vocatur. Nunc Denarius ſedecim, Victoriatus & Quinarius octo, Seſtertius quatuor aſſes valet. Infra quam diviſionem ſequitur alia quædam ſubdiviſio, notas æque ac propria vocabula habens. Quare ſi ad denarium rationem conficias, aſſem hac nota ſcribas X Σ Ɔ, ac voces *Semuncia ſicilicus*. ſemunciæ enim ſedecim & ſicilici ſedecim aſſem efficiunt. Dupondium hac nota ſcribas X — Σ, & voces *Seſcuncia*. nam ſedecim ſeſcunciæ dupondium efficiunt. Treſſis hac nota ſcribas X = Ɔ, ac voces *Sextans ſicilicus*. æque enim ſedecim ſextantes totidemque ſicilici tres aſſes efficiunt. Quatruſſis hac nota ſcribas X = –, voceſque *Quadrans*. ſedecim enim quadrantes quatruſſis efficiunt. Quinques hac nota ſcribas X = – Σ Ɔ, voceſque *Quadrans ſemuncia ſicilicus*. nam ſedecim quadrantes ac totidem ſemunciæ ſicilicique faciunt quinques. Sexis hac nota ſcribas X = = Σ, nomineſque *Triens ſemuncia*. æque enim trientes & ſemunciæ ſedecies ducti ſexis efficiunt. Septus hac nota ſcribas X = — = Ɔ, ac nomines *Quincunx ſicilicus*. ſimili enim modo quincunces ac ſicilici multiplicati ſeptus efficiunt. Octus hac nota ſcribas X S, ac nomines *Semis*. quibus eodem modo multiplicatis, octus reperies. Nonus hac nota ſcribas X S Σ Ɔ, appelleſque *Semis ſemuncia ſicilicus*, ut ſemiſſem hac quoque notam, quæ vocatur Semis ſemuncia ſicilicus, multiplicatum nonus invenies. Decus hac nota ſcribas X S — Σ, atque nomines *Septunx ſemuncia*. ſeptuncem quoque ac ſemunciam totiens ſi duxeris, decus efficies. Undeciaes hac nota ſcribas X S = Ɔ, appelleſque *Beſſicilicus*. nam beſſicilici totiens ducti, undecieris efficiunt. Duodeciaes hac nota ſcribas X S = —, ac voces *Dodrans*. dodrantes eodem modo computati duodeciaes efficiunt. Tredeciaes hac nota ſcribas X S = — Σ Ɔ, voceſque *Dodrans ſemuncia ſicilicus*. dodrantibus ſemunciis ſicilicis eadem ratione multiplicatis tredecim aſſes efficies. Quatuordeciaes hac nota ſcribas X S = = Σ, ac voces *Dextans ſemuncia*. dextantes ſemunciæque ſedecim æque quatuordeciaes efficiunt. Quindeciaes hac nota ſcribas, X S = — = Ɔ, ac appelles *Deunx ſicilicus*. deunx quoque ac ſicilicus ſedecies ducti quindecies efficiunt. Ingenioſiſſime autem, quum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inventa eſt, quæ ſedecies

decies

decies multiplicata id efficeret. Namque cum denarii nota præscribatur, eique subjungatur æris excurrentis nota, manifestum est, eam sedecies ducendam ex adnotatione denarii. Ad quinarium & victoriatum rationem Romæ confici nescio: quemadmodum tamen, si velis, conficias, facilius apparebit, si prius inspexeris, ad quem modum sestertiaria ratio conficiatur. tunc enim vel excurrentis æris licet exemplum denariariæ rationis [a] dimidiam duces, vel [b] sestertiariam duplicabis. Ad sestertium ratio si conficiatur, semis hac nota scribitur —T: vocatur *Libella teruncius*. Est autem *Libella* sestertii decima pars, *Teruncius* quadragesima: quæ duæ partes junctæ, octavam sestertii, id est, semissem, efficiunt. Nam octo libellis, id est, octo decimis, teruncii octo, id est, octo quadragesimæ, (quæ fiunt quatuor vicesimæ, hoc est, duæ decimæ) adjectæ complent sestertium. Sunt enim in sestertio *Libellæ* decem, *Singulæ* viginti, *Teruncii* quadraginta. Infra semissem nemo rationem [c] temere sestertiariam ducit. Potest tamen. nam quadrans, qui est pars sextadecima sestertii, poterit notari [d] *Singula*, quæ est vicesima sestertii, & *dimidio teruncio*, qui est octogesima sestertii. nam utraque hæc pars juncta efficit sextamdecimam. As notari debet ═ Σ. hæc ad sestertium nota vocatur *Duæ libellæ singula*: fiunt duæ decimæ & vicesima, hoc est, quarta pars sestertii. nam quater binæ libellæ, octo fiunt decimæ: quatuor singulæ, quatuor fiunt vicesimæ, hoc est, duæ decimæ, quæ superioribus junctæ, sestertium complent. As semis notari debet ═—ΣT. vocatur *Tres libellæ singula teruncius*: & sunt tres decimæ, una vicesima, una quadragesima, hoc est, quarta & octava sestertii. Supersunt octavæ quinque, id est, semisses quinque, ut compleant sestertium. Dupondius hac nota S. vocantur *Quinque libellæ*, quæ sunt quinque decimæ. hæ duplicatæ sestertium implent. Dupondius semis hac nota S—T. vocatur *Sex libellæ teruncius*. Sunt autem sex decimæ & quadragesima, id est, dimidia & octava totius. Supersunt octavæ tres, id est, semisses tres, ut sestertium compleant. Tressis hac nota, S═Σ. Vocatur *Septem libellæ singula*. Sunt autem pars dimidia & duæ decimæ & vicesima, hoc est, pars dimidia & quarta. Desunt duæ octavæ, id est, quarta, quæ juncta impleat sestertium. Tressis semis hac nota S═—ΣT. vocatur *Octo libellæ singula teruncius*. Sunt pars dimidia & tres decimæ & vicesima & quadragesima, hoc est, pars dimidia & quarta & octava. Superest octava, quæ adjecta sestertium compleat. *Libella* dicta creditur, quasi pusilla libra. Nam quum olim *Asses* libriles essent, & *denarius* decem asses valeret, & decima pars denarii libram, quæ eadem as erat, *singula* selibram quæ eadem semis erat, terun-


In v. c. a *Et dimidium.* b *Sestertiaria & dup.* Hæc ita legenda sunt, *denariariæ rationis, & dimidiam duces; vel sestertiariæ, & duplicabis.*
c *Tenere.* d *Sigula.*

teruncius quadrantem haberet; sive denariaria, sive sestertiaria ratio conficeretur, iisdem notis, id est, libellarum & singularum & terunciorum, præposita nota denarii vel sestertii, ut erat ratio, æra exprimebantur. Posteaquam in sedecim asses denarius distributus est, denariaria ratio expeditius confici cœpit, ut supra dictum est; sestertiaria mansit sub iisdem notis, aucta tamen computatione. Hæc quoque *Libella*, exemplo majorum, in duos velut semisses, qui *Singulæ* vocantur, & quatuor velut quadrantes, qui *Teruncii* vocantur, dividitur. Ponderis eadem divisio quæ æris. nam in quas partes *as* dividitur, in has & *Libra* dispenditur. Ita *As* quidem seu de divisione solidi, seu de pondere, seu de numerata in ære pecunia agatur: *Libra* autem in pondere; *Nummi* vero *argentei* in pecunia, forma publica dumtaxat, nomen accipiunt. Mensurarum liquoris atque grani expeditior & forma & appellatio est. Nam *Quadrantal*, quod nunc plerique *Amphoram* vocant, habet *Urnas* duas, *Modios* tres, *Semodios* sex, *Congios* octo, *Sextarios* quadraginta octo, *Heminas* nonaginta sex, *Quartarios* centum nonaginta duos, *Cyathos* quingentos septuaginta sex. Notæ mensurarum. Quadrantalis $\mathcal{S}^{\prime}$. Ad granum U. Urnæ $\mathcal{S}^{s}$. Heminæ ↄ. Sextarii ad vinum ↄ. Semodii $\overset{\circ}{\infty}{}^{s}$. Cyathi τ ι. Congii ʗ. Modii $\overset{\circ}{\infty}{}^{\prime}$. Quartarii †∞.

BALBUS AD CELSUM

DE ASSE

MINUTISQUE EJUS PORTIUNCULIS.



Quicquid unum est, & quod ex integrorum divisione remanet, *Assem* ratiocinatores vocant. Quotquot ergo de integra divisione singulares res unitatesve remanebunt, totidem *asses* erunt: si unitas una remanebit, unus erit *assis asve*; si duæ, duo; si plures, plures erunt asses. Sed quia * pauciores inter æquales æqualiter dividi non possunt, nisi in minutias, quemadmodum dictum est, secentur; oportet eum, qui docet, ostendere, quibus rationibus ab integris deriventur minutiæ. *Assis* quidem *asve* in duas partes sectus sex principales generat divisiones, quibuslibet

* Scribo, *pauciora*.

libet binis partibus toti suo [a] æquatus, & ejusdem sui totus constitutus. Aut enim assis altera pars est *deunx*, altera *uncia:* aut altera *dextans*, altera *sextans:* aut altera *dodrans*, altera *quadrans:* aut altera *bessis*, altera *triens:* (sic enim potius dicendum est quam aut *bes* aut *des*, quoniam binas ex tribus assis partes sibi vindicat) aut altera *septunx*, altera *quincunx:* aut utræque partes erunt *semis*. Harum omnium partium nullæ parem quantitatem habent, præter duas ultimas, quemadmodum patuit. Principales ideo dicuntur hæ partes, quoniam unaquæque illarum & in alias partes dividitur, quæ secundariæ sunt ad totum. Omnis enim pars partis, totius pars est. Quod diximus, explanandum est. Cujuslibet integræ rei in duodecim partes divisæ semper duodecima pars [b] *Uncia* dicitur, sexta vero *Deunx:* & hæ sunt partes primæ divisionis. Hæc de assis partibus tractamus, [c] nisi eo modo, quo simpliciter sunt partes, ut integri totius. Species enim illius innumerabiles sunt. nam quotquot sunt integræ unitates, totidem necesse est intelligi assis esse species. Earum unitatum quælibet divisa [d] in æquales partes sextam habebit *sextantem*, reliquas *dextantem*. ergo sic potest dividi: pars una assis *dextans*, altera *sextans*. Item cujuslibet rei integræ in quatuor partes æquales divisæ quarta pars *quadrans*, vocabitur, reliquæ *dodrans*. Item cujuslibet rei in tres partes divisæ, duæ illarum *bessis* nominabitur, [e] reliquæ *triens*. Rursus cujusvis rei divisæ in tales duas partes, quarum altera alteram septima sui totius parte superat, *septunx* nuncupabitur, superata *quincunx*. Sexto modo res aliqua integra in duas æquales minutias separatur, quæ utræque *semis* dicuntur. Septima divisio his adjungi potest: nam rei integræ in octo partes distributæ pars quælibet [f] ex aliis sine aliis considerata *sescuncia* dici potest, reliquæ *semuncideunx*. Licet assis plures sint divisiones, tamen his septem numerarii ratiocinatores magis utuntur, & pars illa, quæ est *semuncideunx*, in frequenti usu non est, unde characterem non habet, quo designetur. As ergo habet unum *deuncem*, unum *dextantem*, unum *dodrantem*, unum *bessem*, unum

a Fortasse; *quibuslibet binis partibus toti suo æquatas, & ejusdem sui totius constitutrices.* Nempe *divisiones*.

b Falsum deuncem esse partem assis sextam, quæ *sextans* dicitur. Legendum: *cæteræ vero deunx.* Ut mox: *reliquas dextantem*, *reliquæ dodrans* &c. Nisi fuit: *undecim vero deunx:* nam *sexta* ex VI, quod pro XI fefellerat, ortum potest videri. Parique mendo laborat finis.

c Forte: *non nisi eo modo.*

d Non profecto in quasvis æquales partes, sed *in sex æquales partes:* sive mavis ponere: *in æquales partes sex, sextam habebit sextantem.* Uti mox: *in quatuor partes æquales divisæ:* &, *in tres partes divisæ.*

e Scribo: *reliqua triens.* Unam enim tertiam designat. At cum dixit, *reliquas dextantem*, intellige quinque sextas: *reliquæ dodrans*, tres quartæ: *cæteræ deunx*, undecim duodecimæ. Sic statim: *superata quincunx*, inquit, non *superatæ*.

f Opinor, *ex illis.* nempe octavis.

unum *septuncem*, duos *semisses*, duos *quincunces*, tres *trientes*, quatuor *quadrantes*, sex *sextantes*, octo *sescuncias*, duodecim *uncias*. Et, uncia ablata de asse remanet *deunx*: sublata uncia de deunce remanet *dextans*: sublata uncia de dextante remanet *dodrans*: sublata uncia de dodrante remanet *bessis*: sublata uncia de besse remanet *septunx*: sublata uncia de septunce remanet *semis*: sublata uncia de semisse remanet *quincunx*: sublata uncia de quincunce remanet *triens*: sublata uncia de triente remanet *quadrans*: sublata uncia de quadrante remanet *sextans*: sublata uncia de sextante remanet *uncia*: sublata semuncia de sextante remanet *sescuncia*, hoc est, uncia & dimidia: sublata semuncia de sescuncia remanet *uncia*. Et uncia quidem sic dividitur: unciæ pars alia *semuncia*, alia *duella*, alia *siciliquus*, alia *sextula*, alia *drachma*, alia *hemisescla*, alia *tremissis*, alia *scripulus*, *scrupulusve*. *Semuncia* quidem est medietas unciæ, *duella* tertia pars, *siciliquus* quarta, *sextula* sexta, *drachma* octava, *hemisescla* duodecima, *tremissis* sextadecima, *scrupulus* quarta & vigesima. Quare *tremissis* continet scrupulum & dimidium, *hemisescla* duos scrupulos, *drachma* tres, *sextula* quatuor, *siciliquus* sex, *duella* octo, *semuncia* duodecim, *uncia* quatuor & viginti, *sescuncia* sex & triginta, *sextans* octo & quadraginta, *quadrans* duos & septuaginta, *triens* sex & nonaginta, *quincunx* centum & viginti, *semis* centum & quatuor & quadraginta, *septunx* centum & octo & sexaginta, *bessis* centum & duos & nonaginta, * *dodrans* ducentos unum & viginti, *dextans* ducentos & quadraginta, *deunx* ducentos & quatuor & sexaginta, *As* ducentos & octo & octoginta.

* Immo, *dodrans ducentos sedecim.* Tot enim fiunt, si centum nonaginta duobus scriptulis, quot habet bes, viginti quatuor addas: nec aliter dextans, rursus viginti quatuor additis, CCXL potest habere. Pro CCXVI librarius accepit CCXXI.

PASCA-

PASCASII GROSIPPI

Sive

GASPARI SCIOPPII

TABULÆ NUMMARIÆ

REI ANTIQUÆ

AD

veriorem ſententiam correctæ.

TABULA I.

Seſtertius.		*Seſtertii nummi.*
1	Valet aſſes ſeu bajoccos:	$2\frac{1}{2}$
2		5
3		$7\frac{1}{2}$
4	- - - - -	10-id eſt, denarium ſeu Julium, ſeu Regalem.
5		$12\frac{1}{2}$
6		15
7		$17\frac{1}{2}$
8	- - - - -	20-id eſt, duos denarios, ſeu Julios, ſeu Regales.
9		$22\frac{1}{2}$
10		25
20		50
30		75
40	- - - - -	100-id eſt, decem denarios, ſive unum ſcutatum, aut ducatonem aut philippeum.
50		125
60		150
70		175
80	- - - - -	200-id eſt, 20 denarios ſeu duos ſcutatos.
90		225
100		250-id eſt, 25 denarios, ſive aureum Romanum.
200		500-id eſt, 5 ſcut. ducat. philippeos.
300		750-ſive ſcutatos 7 & dimidium.

400	- - - - -	1000-id est 10 Scutatos.
500		1250-id est 12 ſcut. & dimidium.
600		1500-id est 15 Scut.
700		1750-id est 17 Scut. & dimidium.
800	- - - - -	2000-id est ſcut. 20.
900		2250-id est, ſcut. 20 & dimidium.
1000		2500-id est ſcutatos 25.

TABULA II.

Seſtertia.

Seſtertia duo, vel duo ſeſtertia nummum, vel duo millia nummum, vel duo millia ſeſtertium.

2 Valent Scutatos		50	
3		75	
4		100	
5		125	
6		150	
7		175	
8	- - - - -	200	
9		225	
10		250	
20		500	
30		750	
40	- - - - -	1000	
50		1250	
60		1500	
70		1750	
80	- - - - -	2000	
90		2250	
100		2500-	Hoc ſic effertur: Debet mihi centum, debet centum ſeſtertia, debet centum millia ſeſtertium.
200		5000	
300		7500	
400	- - - - -	10000-	Debet quadringenta, debet quadringenta millia nummum, debet quadringenta millia ſeſtertium.
500		12500	
600		15000	
700		17500	

800 - - - - -	20000
900	22500
1000	25000

Tabula III.

Decies Seſtertium &c.

Cum adverbiis ſemper ſubauditur aliud adverbium, nempe centies, & in Seſtertium ſubauditur pondus argenti, ut & præcedenti tabula in Seſtertia.

Decies, vel Decies ſeſtertium, vel decies, centena millia H S. valet ſcutat. millia	25
Undecies valet ſcut. ſeu ducatonum millia	27 & 500
Duodecies millia	30
Tredecies	32 & 500
Quaterdecies	35
Quindecies	37 & 500
Sedecies - - - - - -	40
Decies ſepties	42 & 500
Decies octies	45
Decies novies	47 & 500
Vicies, vel Vicies H S. - -	50
Tricies	75
Quadragies - - - - - -	100-Germanis dicitur tonna.
Quinquagies	125
Sexagies	150
Septuagies	175
Octogies	200-Germanis duæ tonnæ.
Nonagies	225
Centies vel centies H S.	250
Ducenties	500-Quinque tonnæ. Dimidius millio Italis.
Trecenties	750
Quadringenties	1000-Italis Millio: Germannis Decem tonnæ.
Quingenties	1250
Sexcenties - - - - - -	1500-Millio unus & ſemis.
Septingenties	1750
Octingenties	2000-Milliones duo. Viginti tonnæ.

Nongenties	2250
Millies HS - - - - - -	2500-Million. 2½, tonnæ 25.
Millies decies	2525-Million. duo & millia 525.
Millies centies	2750-Million. duo & millia 750.
Bis millies	Milliones quinque.
Bis millies centies	Milliones quinque & millia 250.
Ter millies	Milliones ſeptem & dimidius.
Quater millies HS	Milliones decem.

TABULA IV.

Drachmæ ſeu denarii.

Drachma una ſive denarius unus valet decem aſſibus ſeu bajoccis, ſeu cruciatis, qui ſunt quatuor nummi ſeſtertii.

Drachmæ ſeu denarii

10	Valent aureum ſeu ſcutatum, ſeu ducatonem aut talerum philippeum.	1
20		2
30	- - - - - - - -	3
40		4
50		5
60	- - - - - - - -	6
70		7
80		8
90	- - - - - - - -	9
100		10-& hi valent Minam.

TABULA V.

Mina.

Mina valet centum drachmas ſeu denarios, ſive decem ſcutatos, ducatones, philippeos.

Minæ

2	Valent ſcutatos ſeu ducatones aut philippeos.	
		20
3		30
4		40
5	- - - - - - -	50
6		60
7		70
8		80
9		90
10	- - - - - - -	100
20		200
30		300
40	- - - - - - -	400
50		500
60		600-& hæ valent talentum.

TABULA VI.

Talentum.

Talentum valet ſexaginta minas, ſive 600 ſcutatos, philippeos, ducatones.

Talenta

2	Valent ſcutatos, philippeos, ducatones.	1200
3		1800
4		2400
5	- - - - - - -	3000
6		3600

7	4200
8	4800
9	5400
10 - - - - - - -	6000
20	12000
30	18000
40	24000
50	30000
60	36000
70	42000
80	48000
90	54000
100 - - - - - - -	60000
200	120000
300	180000
400	240000
500	300000
600 - - - - - - -	360000
700	420000
800	480000
900	540000
1000	600000

FINIS.



JOH. FREDERICI GRONOVII


MANTISSA

PECUNIAE

VETERIS.

Caput I.

De Fœnore & Usura.



OENUS quid eſſet proprie, unde diceretur & quantum ab Uſura diſtaret, diu parum definite parumque circumſcripte traditum eſt. Originem Salmaſius invenit ſpecioſam &, ut reor, veram. Frequens hoc fuiſſe Græcis, ut eadem vocabula & in tertiam vel primam vocalem & in ΟΣ ſive maſculinum ſive neutrum terminarent, innumeris poteſt exemplis demonſtrari. Varinus: Ἕσπερος παρ' Ἴωσιν ἀντὶ τοῦ Ἑσπέρα. Οἷον, Τοῖσι δὲ τερπομένοισι μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθεν. ἀντὶ τοῦ ἑσπέρα. Αἱ γὰρ παραλήξεις τῶν ἀρσενικῶν ἀντὶ θηλυκῶν, Ἰώνων εἰσίν. ἢ λέγεται δὲ ἕσπερος καὶ ἑσπέρα, ὡς βίος καὶ βία, πόθος καὶ ποθὴ, πύλος καὶ πύλη, κοῖτος καὶ κοίτη, ῥόος καὶ ῥοὴ, γόνος καὶ γονὴ, βόλος καὶ βολὴ, διάλογος καὶ διαλογὴ, δῖνος καὶ δίνη, ὠνὴ καὶ ὦνος. Hujus generis ſunt δομὴ & δόμος· οἴμη & οἶμος· αἶνος & αἴνη· σίμβλη & σίμβλος· σπορὰ & σπόρος· στεφάνη & στέφανος· στολὴ & στόλος· φορὰ & φόρος· Item, γλήνη & γλῆνος· κνίσσα & κνίσσος· λώπη & λῶπος· νίκη & νῖκος· πλήνη & πλῆνος· σκηνὴ & σκῆνος· στέγη & στέγος· στύπη & στύπος· τύλος & τύλη. Sic & ποινὴ & ποῖνος· Commune vero Π in digamma Æolicum & Latinum *F* tranſiiſſe non modo teſtantur *Fidus* ex πιτλὸς pro πιστὸς, & *Fides* ex πίτλυς pro πίστυς (ut illi placet. niſi à πίτις pro πίστις, ut pro κλιστὶς κτίπερ Lacones) ſed & *Fœdus* ex eodem fonte τοῦ πείθω· nam ex πέποιθα ποῖθος, ut ex λέλογα λόγος, πέποθα πόθος. Fœdera autem illorum ſunt, quibus quum prius negligerent alter alterum aut inter ſe non cederent, utilitas vel neceſſitas perſuaſit mutuam reverentiam, amicitiam, pacem. Nec aliunde *Feciales,* etſi aliquanto moleſtius. Sic ex πείρω, πόρος, *foro & foramen.* Ποινὴν præterea ſignificare ἀντισήκωμα, penſionem, hoſtimentum, gratiam, quum aliquid pro alio redditur, tam in honorem, quam in contumeliam, confirmat & Euſtathius ad Ἰλιαδ. Γ. Πίνδαρος μέντοι πολλαχοῦ Ποινὴν, τὴν ὑπὲρ καλοῦ ἀμοιβὴν, λέγει. Ipſe Homerus Ἰλιαδ. Ρ.

> Ἀτάρ τοι νῶΐ γε μέγα κράτος ἐγγυαλίξω
> Τῶν ποινὴν, ὅτι οὔτι μάχης ἐκνοστήσαντι
> Δέξεται Ἀνδρομάχη κλυτὰ τείχεα Πηλεΐωνος.

Euſtathius: Ποινὴ δὲ ἀλλαχοῦ μὲν τιμωρία καὶ πρόστιμον· ἐνταῦθα δὲ Ὅμηρος οὕτω τὴν ἀντισήκωσιν λέγει. Διὰ τοῦτο γάρ, φησι, μέγα σοι δώσω κράτος, ἀντισηκῶν τοῦτο πρὸς τὸ ἐπί σοι μέλλον κακόν. Igitur Ποινὴ, ποῖνος, Ϝοῖνος, Ϝοῖνορ, (ut Σιὸρ pro Θεὸς) *Fœnor fœnoris*, & *Fœner fœneris*, & tandem *Fœnus fœnoris* vel *fœneris.* Illud

quoque pulcre observatum Salmasio, *Fœnus* esse, ut est sæpenumero, rem ipsam quæ mutua data est sub usuris, æs alienum sub usura contractum. Unum desidero, quod *Fœnus* aliquando simpliciter usuram pecuniæ creditæ significare ægre concedit: certe pleraque loca, in quibus nihil aliud est quam usura, deflectit à vera interpretatione: ubi aliquid concedit, improprie id ait fieri: cumque unicum in hanc rem locum ex codice Theodosii advocasset, ubi *quantitas sortis* & *quantitas fœnoris* discernuntur, Aliter ta-„ men, subjicit, potest in omnibus locis exponi. Hæc cap. 11 de Usuris. „ Et cap. v. Si *fœnus*, inquit, esset usura proprie, nunquam pro mutuo ipso „ fœnebri usurpatum esset: ut nec *usuram* usquam legimus pro mutuo usu-„ rario usurpatam. Sed hoc argumentum fallax & improbum: neque enim necesse est, quæ una parte conveniunt, ea per omnia convenire. Ut amnes duo, jugis propinquis scaturientes, est ubi coeant & misceantur, est ubi divortiis in remotissima discedant: sic his vocabulis junctum & commune est, quod ambo significant accessionem crediti; *fœnus* interim abit ab usura, eaque latius patet, quum pro ipso credito sub usuris sive sorte ponitur; *usura* exspaciatur à fœnore, eoque latius patet, quum etiam ex mora causisque ex aliis quam ex credito accrescens explicat. *Fœnus* quidem pro usura, juxta proprie, juxta antique, dici multa sunt quæ persuadent. Cujus rei ut appareat ratio, sic procedendum est. Ποινὴ vel Ποῖνος, quod rependitur. Quod autem rependitur, vel tantumdem est quanti expensum; vel uberius expenso ampliusque; vel minus & in antecessum datum, ut lætior exspectet sustineatque, à quo accepimus, donec omne possit exsolvi. Ut ille apud Poëtam:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus. at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

Hinc igitur *Fœnus* & sors est spe usurarum data, ubi opus est, alio vocabulo vel adposito vel intellecto usuras significante; & sors est simul cum usuris; & usura sola, ubi opus est, alio vicino vel intellecto vocabulo significante sortem. Primum istorum sine dubio est, quod tertio loco posui, quia facilius est, & minus gravat rependentem: nec in voce repugnat vetustissimorum usus. Plautus Mostellaria a. III. sc. I. *Qui neque fœnus neque sortem argenti danunt.* Rursus: *Sortem accipe.* D. *Immo fœnus. id primum volo.* Mox: *is tibi & fœnus & sortem dabit.* Denique: *Quatuor quadraginta illi debentur minæ, Et sors & fœnus.* Dixerat ante: *huic debet Philolaches paullum.* TH. *Quantillum?* TR. *Quasi quadraginta minas.* Hæc igitur sors; quatuor minæ, fœnus. Pseudolo a. I. sc. III. *Invenires mutuum, Ad danistam devenires, adderes fœnusculum.* Cicero lib. III in Verrem: *sed publicam* (pecuniam *fœneratus* es,) *sed ob frumentum decretam, sed à publicanis fœnore accepto.* Hoc dixit paullo ante, *pro usuris pecunia ablata.* Pro Flacco: *Pecuniam adolescentulo, grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupavisti.* In hoc

loco

loco se frustratus est ὁ πάνυ· nam omisso τῷ *grandi*, proponit solum *pecuniam occupare fœnore:* & non posse dici *pecuniam occupatam usuris:* non enim esse occupatam usuris, sed credito, ut usuras pariat. Sit ita, sed dic, *pecuniam occupare grandi credito:* quam belle sonabit. vicissim dic, *pecuniam occupare grandibus usuris*, nihil erit incommodi: nisi & in illo Pomponii, *occupavi Græca mercede decem millia victoriatum.* Similiter in eadem oratione: *qui nisi gravi fœnore istam pecuniam multos annos occupavissent.* Lib. XVI ad Attic. epist. XV. *Iniquissimo fœnore versuram facere Aurelius coactus est.* Lib. VI epist. I. *Diem statuo satis laxam: quam ante si solverint, dico me centesimas ducturum; si non solverint, ex pactione. Itaque & Græci solvunt tolerabili fœnore, & publicanis res est gratissima.* Seneca de Tranquil. an. 8. *Grande in foro fœnus.* Suetonius Octavio: *pecuniam levioribus usuris mutuati, graviore fœnore collocassent.* His omnibus locis *fœnus* est usura: *gravem, grandem, tolerabilem iniquam* sortem vel pecuniam creditam, incremento, non summa, nemo est qui dixerit: at usuras sæpe sic descriptas reperies. Præterea vocabulum, quod sortem significet, hic ubique comparet, ut *pecunia, versura:* aut intelligitur satis, ut in illo, *solvunt tolerabili fœnore:* nempe quod debent, solvunt cum incremento, quod ferre possunt, quod eos non exhaurit. Nec mihi objectetur illud Suetonii Julio cap. XXVII. *Omnibus circa eum gratuito aut levi fœnore obstrictis.* Nam hic in utroque genere reticetur *mutuo* vel *credito:* quasi esset, *mutuo gratuito aut mutuo levi fœnore.* Lib. VI ad Atticum epist. I. *Ex instituto Appii tributa imperat. ea vix in fœnus Pompeji quod satis sit, efficiunt,* Ante dixerat: *tricesimo quoque die talenta Attica* XXXIII. *& hoc ex tributis. nec satis id efficitur in usuram menstruam.* Ne quis hic quoque cavilletur, *fœnus Pompeji* esse creditum Pompeji, ipse ostendit infra, *usuras Pompeji* eodem sensu & lepore poni potuisse: sic enim ait: *usuras eorum* (publicanorum) *quas pactionibus adscripserant, servavit etiam Servilius.* Paradoxo VI. *Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia, ego centena ex meis. Illi non modo ad sumptum ille est fructus, sed etiam ad fœnus exiguus: ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus, aliquid etiam redundabit.* id est, ad solvendas usuras æris alieni: intelligit enim hominem, qui cum usuris certat fructibus prædiorum, ut alibi loquitur. De Senectute: *Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat impendium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fœnore.* Et hic turbat ὁ πάνυ, quæ misceri non debent: sic enim notat ad verba Tullii: Nunquam terra sine usura reddit, quod accepit, plus enim reddit, quam accepit, sed aliquando, inquit, majus fœnus reddit, aliquando minus, hoc est, usuram cum semente ipsa majorem vel minorem. Sua ille verba interpretatur, non Ciceronis: non enim dicit Cicero, *reddit fœnus majus vel minus*; sed, *reddit quod accepit* (hoc ergo creditum vel sors) *alias minore, plerumque majore cum fœnore:* (hæc igitur usura.)

 Corne-

Cornelius Nepos Attico: *ille se interposuit, pecuniamque sine fœnore sineque ulla stipulatione ei credidit.* Livius lib. VI. *Produxisse homines quadringentos, quibus sine fœnore expensas pecunias tulisset.* Subscribit huic loco Salmasius: „Hoc vult, non dedisse illis pecuniam fœnore. Non negamus, utrovis modo recte dici: hoc quæritur, annon *sine fœnore expensas pecunias ferre* sic dicatur, ut Tacito lib. VI annal. *facta mutuandi copia sine usuris.* Papinianus in l. XLII π. 2 D. soluto matrim. *Gener, qui residuæ dotis promissæ fœnus stipulatus est.* Et l. XXIV D. de usu & usufr. leg. *Uxori fructu bonorum legato, fœnus quoque sortium, quas defunctus collocavit, post impletam ex SC. cautionem præstabitur.* Et leg. LVIII π. II ad SC. Trebellianum: *Ac similiter hæreditario creditori si medii temporis non solvantur usuræ, fideicommissarium in his Trebellianum tenebit: nec ideo querelæ locus erit, quod de fructibus hæres, quos jure suo percipiebat, fœnus non solverit.* Lactantius lib. I cap. XX. *Pecuniam, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur.* His quidem omnibus locis quin *Fœnus* significet accessionem sortis ab ipsa sorte distinctam, seu, quod solvitur usurarum nomine, neminem dubitaturum existimo. Est aliquis subtilior usus vocabuli, ubi quidem etiam pro incremento sortis accipitur, distinguitur tamen ab usuris, tanquam aliquid magis genericum. Ut quum Cicero ad Atticum lib. I epist. XI. *A Cæcilio propinqui minore centesimis nummum movere non possunt.* Vult enim, minore fœnore quam centesimis usuris. Lib. IV ad Attic. epist. XIV. *Fœnus ex triente idibus Quintilibus factum erat bessibus.* Id est, quod pro credita pecunia accedit, quum non excederet trientem centesimæ, ex idibus Quintilibus accreverat ad besses. Lib. VI epist. I. *Ut centesimæ perpetuo fœnore ducerentur.* Id est, non renovato, sine anatocismo. Non possumus explicare, perpetua sorte: sed perinde esse, ac si scriptum foret, *ut centesimæ perpetuæ ducerentur*, ostendit ipse Tullius epist. II. *Sed centesimis ductis ex proxima quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renovatis quotannis.* Eodem lib. VI epist. III. *Scaptius centesimis, renovato in singulos annos fœnore, contentus non esset.* Nihil aliud vult, quam centesimis renovatis in singulos annos. Papinianus in l. IV D. de nautico fœnore: *utrubique majus legitima usura fœnus non debebitur.* Quo potest referri & quod ex Cicerone adduximus: *solvunt tolerabili fœnore:* si forte voluerit, solvunt usuras tolerabili fœnore, hoc est, accessione, incremento. Non culpandus igitur Nonius Marcellus, quum *fœnus* scribit esse *fœtum accepti.* Verba ejus: *Mutuum à fœnore hoc distat, quod mutuum sine usuris, fœnus cum usuris sumitur: & est accepti fœtus, unde & fœnus dictum est, ut Græce τόκος, quasi partus mutui sumpti.* Probat hæc Salmasius usque „ad τὸ *sumitur*, quia palam est *fœnus* ibi esse sortem. Quæ subjicit, inquit, „non videntur convenire: sed ita intelligendum, ut de usuris hoc dixerit, „quæ sunt accepti fœnoris fœtus: & sic omnino scribendum: *& sunt ac-* „*cepti fœtus.* Et mox: idem tamen sensus ex vulgata exoritur, si referatur

„περὶ

„ πρὸς τὸ σημαινόμενον, quasi præcessisset *Usura*. At Nonius utitur verbis ex medio usu loquentium sumptis, etsi significationes ꝝ *Fœnus* non satis distinxerit. Priori enim membro orationis loquitur de fœnore, ut significat sortem: posteriori, ut usuram. *Accepti* autem dixit simpliciter, non ut intelligeret utique *fœnoris*, sed ut dicimus *tabulas accepti*, & *accepti lationem*. Quis autem non refugiat hujusmodi sermonem: *sumitur cum usuris*; & *sunt*: pro illo, *quæ usuræ sunt accepti fœtus*. Immo *fœnus* quoque est aliquando accepti fœtus, ut aliquando est id ipsum, quod cum usuris sumitur reddendum. Nam & rependimus interdum tantumdem, quantum expensum est: τόκος autem, quod rependitur: unde *fœnus*. Ut Tacito *fœnus agitare & in usuras extendere:* ut *nauticum fœnus*, pecunia trajecticia: ut Valerio Maximo *habere in fœnore centies & quinquagies*. Sic Horatio *nummi in fœnore positi*, in credito. Et Senecæ *fœnus optime ponere & quæstuosissime habere*, de beneficiis lib. IV cap. VII. & eidem *quæstus fœnoris* epist. XVII. *Exspectabisne fœnoris quæstum, aut ex merce compendium?* Pro quo *mercedem fœnoris* Persius Sat. VI.

Fœnoris accedat merces: hinc exime sumptus.

Verba, quæ vocat *paterna:* Patrimonium fac augeas pecuniam occupando mercede & fructibus fœnoris utere. Nec secus Tertullianus, quum dixit *fructum fœnoris* & *redundantiam fœnoris* pro usura. Salmasius notat, eum *fœnus* dixisse pro mutuo, seu, ut alibi loquitur, pro gratuita mutuæ pecuniæ datione. Duo profert Tertulliani loca ex libro IV adversus Marcionem. Prior est: *Percurre sequentia Ezechielis, de eodem viro justo: Pecuniam, inquit, suam fœnore non dedit, & quod abundaverit, non sumet: fœnoris scilicet abundantiam, quod est usura. Prius igitur fuit, ut fructum fœnoris eradicaret*, &c. Posterior ex Deuteronomio: *Aperiens aperies illi manum, fœnus fœnerabis illum, quantum desideraverit*. In posteriori agnosco hanc κατάχρησιν, plane Tertullianicam, & sine priscorum exemplo: in priori minime. At Salmasius, ne obscurum esset, quid vellet, post paullo: Tertullianus, qui in ver-
„ sione Ezechielis Latini *fœnus* accepit pro simplici & gratuito. Quod ei concedere non possum. Quid enim? an viri justi est nemini mutuum dare? Dein quæ est abundantia mutui? Immo mutui nec abundantia nec fructus est, quia sine usuris sumitur. Plautus in Mostellaria: *Etiam argenti fœnus creditum audio*. Varro lib. v de LL. *Ab hoc pecunia, quæ in fœnore, sors est, impendium quod inter se jungat*. Salmasius dictat scribendum: *Ab hoc pecunia quæ in fœnore est; sors, impendium quod inter se jungat.* * Non adsequor mentem ejus, aut quid juvet hæc sic interpungi, video. Varronem scio velle vocabulum *Sortis* à *serie* ac *serendo* formatum, & in quibus rebus ea voce utimur, in eis nos aliquid serie junctum & consertum imaginari. Præcessit: *Hinc*

* Adde de Usuris cap. 7 pag. 190.

Hinc Sortes, quod in his juncta tempora cum hominibus & rebus. Sic nunc ait pecuniam, quæ collocata est sub usuris, inde dici *Sortem*, quod conferat jungatque & adnectat sibi *impendium* vel usuram. Nam lib. IV extremo: *Compendium, quod cum compenditur una sit. A quo usura quod in sortem accedebat, impendium appellatum: quæ cum accederet ad sortem, ex usu usura dicta.* Quæ ὁ πάνυ corruptissima vocat cap. VII, & sic putat emendanda: *A quo usura, quæ in sortem cedebat, impendium appellata; quæ accederet ad sortem, ex usu usura dicta.* Quasi *impendium* non sit quævis usura, sed quæ altera sors fit (hoc enim est illi *cedere in sortem*) ut in anatocismo, seu usura usurarum. At ego Varronem edidisse censeo primum: *Compendium, quod tum, quum penditur, una sit.* Lucrum videlicet, quod pariter & simul existit, quum appenditur æs. Deinde video in Scioppii editione τὸ *Usura* priore loco desiderari: quod si vett. libris auctoribus factum, placeret: *A quo, quod in sortem accedebat, impendium appellatum: quæ cum accederet ad sortem ex usu, usura dicta.* Alioquin scriberem: *A quo, usuræ quod in sortem accedebat.* Nihil autem aliud nos docet, quam usuram vocari *Impendium*, quia accedit & impenditur in sortem: & impendium istud *Usuram* dici, quia accedit & impenditur ob usum. Nam *impendium* non esse ἀναλοκισμὸν, sed usuram simplicem constat ex dicto Scævolæ apud Ciceronem lib. VI ad Attic. epist. I. *Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scævola, fœnus & impendium recusare.* Unde etiam mihi fides fit, quemadmodum & Manutio, recte correxisse hominem doctum, quicumque est, in libro de senectute: *quæ numquam recusat impendium:* etsi non ei credulus Salmasius, tueturque *imperium*, quia *imperare arvis* apud Virgilium legitur, Cap. VII, etsi ante hunc sic quoque Gruterus. Nam aliunde ἀποφέρει Virgilius, aliunde Tullius: apud quem perpetua illius loci ἀλληγορία respuit τὸ *imperium:* neque enim debitori fœnus *imperatur*, aut *imperio* opus est, ut sit nobis cum aliquo quid rationis: qualem ibi terram fingit Cicero. *Fœnus & impendium* pupilli *recusare* est nomine pupilli bonam copiam ejurare, seu jurare illius patrimonium esse neque sorti neque usuris solvendis idoneum. Tacitus lib. I histor. *quum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri, aut fœnus, sed sola instrumenta vitiorum manerent.* Hoc est, summa donata: pecuniæ, inquit, non dico fructuum aliquid, sed ne sors quidem. Significat plerasque Neronis donationes fuisse tam profusas, ut illarum usuræ non asotis hominibus ad utendum sufficerent; ipsam summam sive sortem minuere necesse non esset. Refert Salmasius ex eodem Tacito lib. VI annalium cap. XVII: *ut debitores fœnoris duas partes solverent:* pro quo Suetonius, *æris alieni duas partes*, in eadem re narranda. Hoc non scripsisset, si utrumque auctorem consuluisset. Nam apud Tacitum legitur: *Senatus perscripserat, duas quisque fœnoris partes in agris per Italiam conlocaret:* Suetonius, *ut fœneratores duas patrimonii partes in solo collocarent.* Uterque intelligit bessem pecuniæ, quam adhuc habuerant in credito.

dito. Sequitur quidem in Suetonio: *debitores totidem æris alieni ſtatim ſolverent:* ſed huic reſpondens nihil eſt apud Tacitum. Etſi abſque eo non facile intelligas, quod apud eundem eſt: *eaque, quæ remedio quæſita, venditio & emptio, in contrarium verti, quia fœneratores pecuniam mercandis agris condiderant.* Pichena accipit abſcondiſſe pecuniam, ne quis poſſet ab iis, ad agros obæratorum mercandos, fœnore ſumere: hac ſcilicet mente, ut cum alii emptores, propter pecuniæ inopiam, non invenirentur, obærati ſuos agros fœneratoribus ipſis cogerentur vendere. At Salmaſius corrigit, *in mercandis agris,* & *condiderant,* explicat, poſuerant, collocaverant. Sed primo, hic ſi Taciti ſenſus eſt, nihil prorſus eum juvat interpoſita particula: paſſim enim & Cicero & Livius ita loquuntur, *mercandis agris* pro *mercando agros.* Deinde Salmaſius hos fœneratores meliores, Pichena improbiores, quam mens eſt Cornelio, faciunt: etſi plus viderit Pichena & *condere* multo veriſimilius ſit abſcondere, ſupprimere. quam collocare. Reddit rationem hiſtoricus, quare SC. ad reſtituendam fidem comparatum habuerit eventum contrarium. Eo SC. continebatur, ut debitores duas partes æris alieni ſolverent ſtatim. Promptiſſimum illis erat, ut ſolverent verſura, ſeu aliunde mutuo accepto ſub uſuris; dein, quoniam idem SC. juſſerat divites duas partes patrimonii in agris habere, commodo ſuo fundos venderent, ac refecta ex illa auctione pecunia poſterioribus creditoribus ſatisfacerent. Hoc irritum fuiſſe oſtendit Tacitus, quia nemo reperiebatur, qui verſura illos duas partes debiti ſoluturos juvaret: quod quibus in numerato nummi, hi eos ſtrangulabant in arca & retinebant, non quidem ea malitia, quam ſuſpicatur Pichena, ſed ut illis uterentur paratioreſque eſſent ad occaſionem venalium agrorum. Cicero pro Cluentio 26. *Qui illi pecuniæ, quam condiderat, ſpe jam atque animo incubaret.* Sic eveniebat, ut poſſeſſores, qui debebant, iniquo ſuo tempore auctionari cogerentur; & inde vilitas, nec refectum ex agris venditis tantum, quod ſufficeret æri alieno luendo: tum fortunarum everſio. Confirmant hanc ſententiam duo, quæ ſequuntur apud Tacitum: prius, quod quia deerant privati creditores, millies ſeſtertium diſpoſitum per menſas, ut inde gratuitum daretur in triennium illis, qui pro accepta ſumma in duplum populo cavere prædiis poſſent, ut ſic ſoluto beſſe æris alieni per commodum venderent agros: alterum, quod narrat paullatim repertos creditores privatos, laſſata illa pertinacia condendi domique comprimendi pecuniam. Si fœneratores jam emerant agros, non carebant nummis poſſeſſores ad duas partes fœnoris expungendas; deinde inane auxilium erat illius millies ſeſtertii: quia quæ prædia obligarent publico pro mutuo accepto, jam è poteſtate dominorum exierant. Adhibet præterea Juvenalis Sat. IX. *viginti millia, fœnus, Pignoribus poſitis.* Sed hic poteſt dubitari, an, qui præterea optet argenti vaſcula puri, & quidem tot, ut cenſorium opus duceret Fabricius, duos lecticarios locandos & anaglypharium vel cælatorem cum

plasta servos, contentus sit viginti millium omni patrimonio? annon potius hunc annuum fructum & mercedem sortis desideret? Nam viginti millia centesimis etiam usuris tantummodo reddunt duo millia & quadringentos nummos vel denarios sexcentos, nostros sexaginta Philippeos; parum ad uncta olufcula ponenda, cui omne annuum est. At viginti millia, annuum fœnus, iisdem centesimis sortem requirunt ducentorum quinquaginta millium: & nostri sunt Philippei quingenti, commodus modico Quiriti reditus. Nihil ambigui est in illo Ulpiani L. XII π. 9 D. Mandati: *Sed & si reum usuris non relevavit, ipsi autem & usuræ absunt: vel si minoribus relevavit, ipse autem majoribus fœnus accepit.* Nihil in illo Scævolæ l. XXVI D. de pecul. leg. *si id fœnus nomine filii exercuisset, & usuras, ita ut proponeretur, filio adscripsisset.* Symmachus lib. I epist. XIV. *Unde igitur sermonis mei largam poscis usuram, qui nihil literati fœnoris credidisti?* Laudabile illud quoque Salmasii, differentiam inter *fœnus* & *usuram* agnovisse veteres *fœnus trientarium, unciarium, semunciarium, usuras* vero *trientes, uncias, semuncias* dictitando. Nam *fœnus* in his sors, non *usura*; testes, qui *exercere* apponunt. Tacitus: *ne quis unciario amplius exerceret.* Capitolinus in Pio: *Idem fœnus trientarium, hoc est, minimis usuris, exercuit.* Lampridius Alexandro: *Fœnus publicum trientarium exercuit, ita ut pauperibus plerumque sine usuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus.* Ubicumque autem *fœnus exercere* legimus, creditum intelligimus, non accessionem crediti. At usuras, quarum quantitas erat duodecima centesimæ menstrua, *Unciarias*; quarum quarta & vicesima centesimæ, *semunciarias*; quarum tertia centesimæ, *trientarias* ut dicerent, nunquam sibi permiserunt veteres: quoniam hæ sunt ipsæ unciæ, ipsæ semunciæ, ipsi trientes centesimæ partis: & ineptum erat ipsas uncias dicere *unciarias*, semuncias *semunciarias*, trientes *trientarios.* Placuit, ubi *Usurarum* vocabulum ponerent, si earum modus definiendus esset, uti ea ratione loquendi, qua inceperant in fonte omnium harum nuncupationum, *Centesimis.* Ea ratio erat, quum nunc Grammatici *Appositionem*, veteres *Epexegesin* vocant: substantivum substantivo in eodem casu adponitur. *Centesimas usuras* dixerant non ut adjunctivum cum substantivo (ita enim longe aliud exprimerent, quam volebant: & forent *centesimæ usuræ* idem quod *centesimæ pensiones*, seu quæ fierent & numerarentur post factas & numeratas XCIX pensiones) sed ut substantivum cum substantivo: est enim, *Usuræ partes sortis centesimæ menstruæ.* Pari epexegesi pronunciandum sanxerunt, quod centesima sortis parte minus accedit: velut *usuræ deunces centesimarum sortis partium, usuræ besses centesimæ partis, usuræ dextantes centesimæ partis:* non *deunciariæ, bessales, dextantales* vel *dextantariæ*, sic & *usuræ unciæ centesimæ partis*, non *unciariæ.* Jam videndum, quum legimus, *dare, sumere, accipere fœnore*, utrum *fœnus* accipiatur pro lucro, an pro sorte, cui lucrum accedit. Salmasius hæc vult esse concepta, ut *dare*

ut *dare & accipere mutuo:* sed hoc nequit excusari, quum nemo attente loquentium dixerit *dare* vel *accipere mutuo*, sed *mutuum* vel *mutuam pecuniam*. Aliunde igitur analogia in his quærenda est. *Fœnori* & *fœnore dare* dicunt. Plautus Mostellaria: *Scelestiorem ego annum argento fœnori.* Nempe dato. Cicero II in Verrem: *pecuniam iis fœnori dabat.* Tacitus XI annal. *ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent.* Quod quidem etiam possis trahere ad priorem notionem, ut sit faciendo vel gignendo fœnori: sed videtur potius factum, ut *dare doti, dare pignori:* id est, ut sit dos, pignus, creditum vel pecunia fructificans: dare titulo dotis, pignoris, fœnoris. Id mirifice confirmat Ulpianus in l. XI π. XV D. de leg. tertio: *Si hæres rogatus sit certam summam usuris certis fœnori dare.* Neque enim adjecisset *usuris certis*, si *fœnus* in hoc genere loquendi esset usura. Plautus in Curculione: *qui dant quique accipiunt fœnore.* Et in Mostellaria: *Tu solus hic fœnore argentum datas.* Possis interpretari reddendum cum fœnore, vel dare pacto fœnore, aut dare sub fœnore: sed forte potius intelligere *in fœnore*, quemadmodum *in fœnore habere*, vel *pro fœnore*, id est, pro reddendo eadem quantitate cum accessione usurarum. Legimus etiam apud Plautum in Asinaria: *qui quæritant argentum in fœnus.* Intellige accipere: ut *accipere in creditum* l. XIX D. de reb. cred. & *dare in creditum* l. XX ibidem. Sic Varro lib. III de re rust. cap. V. *Si quinque millia huc conjeceris, & erit epulum aut triumphus, sexaginta millia statim in fœnus des licebit.* Manilius:

Seminaque in fœnus sulcatis credere terris,
Usuramque sequi majorem sorte.

Hic vero *Fœnus* & sortem & usuras comprehendit, ut recte annotatum Salmasio: nam & rependimus quandoque plus expenso nobis vel accepto. Sed „ perperam: Ita *fœnus* erit interpretandum, ubicumque aut apud Poëtas aut „ apud Oratores occurret *agrum sementem cum fœnore reddere.* Voluit dicere, *agrum fœnus reddere.* Nam ubi scribitur *agrum sementem reddere cum fœnore* palam est *fœnus* nihil aliud significare quam usuram, quia sortis loco ipsa sementis nominatur. At quum dicitur *agrum addere fœnus*, tum statim & sortem & usuras intelligimus. Quemadmodum in Mostellaria danista flagitans, *Cedo fœnus, redde fœnus, fœnus reddite*, utrumque petit, quod ante dixerat, & sortem & fœnus. Huc pertinent *fœnore obruere, circumvenire, demergere, trucidare*, id est, pecunia credita sub admordentibus debitores & carpentibus atterentibusque usuris. Sic Horatio *solutus omni fœnore*, non obligatus neque ad sortem creditam neque ad usuras solvendas. Sic Livio lib. XXXV *cernere fœnus*, quod idem lib. VI *inspicere æs alienum.* Petronius:

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit.

id est, gliscit pecunia ex credito sub gravibus usuris. Tacitus lib. VI. *qui fœnore pecunias auctitabant.* Symmachus lib. I epist. XXI. *At nunc eruditissimus*

ſimus imperator, & opum largus & honorum, quaſi pro uſura tibi prima detulerit, iſta ſuprema in ſortem fœnoris reddit. Ita ſcribendum. Vulgo: *ita ſemper ad ſortem fœnoris redit.* Quod retinet Salmaſius: vellem, expoſuiſſet. Appingit ille quidem, id eſt, ad ſortem debiti. Quid eſt autem ad ſortem debiti redire? Pithœi codex: *ita ſuper ſortem fœnoris reddit.* Juretus edidit: *iſta ſuprema ad ſortem fœnoris reddit.* Verum eſt *in ſortem*, id eſt, pro ſorte. Apparet autem *fœnus* illum ponere pro toto, cujus partes ſunt uſura prius data & ſors nunc reddita. Tale eſt Silii lib. XIV Punicorum:

Multa ſolo virtus. jam reddere fœnus aratris.

Plinius lib. V cap. IV. *Fertilitatis eximiæ, cum centeſima fruge fœnus reddente „ terra.* Adducturus hunc locum Salmaſius rurſus inculcat: Terræ fœcun„ ditate nobiles, *cum fœnore quinquageſimo & ſexageſimo* ſata reddere dicuntur. Immo *fœnus* dicit Plinius cum *centeſima fruge*, id eſt, & ſortem & uſuras, ita, ut granum vel ſors ſit totius centeſima pars. Eſt tamen apud Plinium lib. XVIII cap. XVII. *meſſes cum quinquageſimo fœnore reddere agrum.* Hic vero *fœnus* non uſuram ſolam nec ſortem cum uſura ſignificat, ſed ſolam ſortem: *meſſis cum fœnore quinquageſimo*, in qua fœnus ſive ſors eſt quinquageſimum granum, uſuram præſtantibus XLIX granis. Hallucinatum eſſe Solinum ait, qui *centeſimam frugem cum incremento* maluerit dicere pro Pliniano *cum centeſimo fœnore.* At non dicit Solinus *centeſimam frugem cum incremento.* Audiamus ipſum, de Africa: *ut jacta ibi ſemina cum incremento centeſimæ frugis renaſcantur.* Hoc eſt, cum tanto incremento, ut in renato fruges ſingulæ vel granum ſit centeſimum vel pars centeſima: ita adaucta, ut ex uno & pro uno ſurgant centum. Non video, quare hoc tam „ ineptum ſit, ut ferri non poſſit. Hoc modo, inquit, unum & centeſimum „ fœnus eſſe debuiſſet: ſi enim incrementum eſt centum granorum, id, ad quod accedit hoc incrementum, eſt centeſimum unum. Fateor, hæc poſſunt ita accipi: ſed non utique ſic accipienda ſunt. Cicero pro Rabirio rep. reo: *Ait dum Gabinio pecuniam Rabirius cogeret, ex decumis imperatorum pecuniam ſibi coegiſſe. Non intelligo, hoc quale ſit, utrum acceſſionem decumæ, ut noſtri facere coactores ſolent centeſimæ, an deceſſionem de ſumma fecerit?* Quum legimus *reficere cum decimo, reſpondere cum quarto, redire cum quinto-decimo*, poſſumus eodem modo dubitare: nec dubitamus tamen, quin tantummodo decem, quatuor, quindecim ſignificentur. Plinius 12, 1. *Epulatum intra eam ſe cum duodeviceſimo comite.* Juſtinus lib. XXV cap. IV. *Ptolomæum* Pyrrhi filium *adeo ſtrenuum & manu fortem fuiſſe tradunt, ut urbem Corcyram cum ſexageſimo ceperit.* Sic enim MSS. ubi vulgo *ſexaginta.* Oroſius lib. VI cap. XVI. *T. Labienus & Attius Varus in acie cæſi ſunt. Sex. Pompejus cum centeſimo equite aufugit.* Hoc eſt, ipſi duodeviceſimus, ſexageſimus, centeſimus. Eutropius de Galerio Maximiano: *qui etiam ſpeculatoris munus cum altero ac tertio equite ſuſceperit.* Qui & ſic ſcripſiſſe videtur de Hannibale a Scipione

pione victo: *cum quarto evasit.* Nam MSS. IIII, quod reddiderunt *quatuor.* Si dixisset *cum fœnore centesimæ frugis,* non offenderetur, cur offenditur, quum legit, *cum incremento centesimæ frugis?* Non *fœnus* tantum, sed & *incrementum* dicitur nonnunquam antiquis, cui accedit. Sic Justino Thebæ traduntur *ex infimis incrementis* virtute Epaminondæ ad spem imperii Græciæ evectæ. Et Macedoniæ sicut *incrementa modica,* ita termini perangusti. Et Pygmalion vetitus *incrementa* urbis toto orbe auspicatissimæ interpellare. Quibus locis significat initia, primum statum illorum populorum, ex quo creverunt. Quemadmodum vice versa *exordia* scriptorum dicuntur quicumque progressus. Denique *Centenam,* ait, *frugem* dicere debuisset, ut „ Græci διακόσια, τριακόσια terram ἀποδιδόναι dicunt: quia, opinor, Plinius lib. XVII cap. I laudat campum *centena & quinquagena fruge* fertilem. Sed quid interest, dixisset, renasci *cum incremento centenæ frugis* (id est, centum granorum) an *centesimæ frugis* (id est, in quo fruges singulæ sunt partes centesimæ) quid, inquam, inter hæc interest, quum rebus, tum ad evitandum quod alteri objecit? Annon eodem modo possum dicere, si incrementum est centenæ frugis, fœnus est unum & centesimum. Operæ pretium esse ait attendere, cur jurisconsulti veteres maluerint dicere *de nautico fœnore* quam *de nautica usura:* & verissimum esse, quod observaverit: „ quia in vulgari mutuo usuræ successive currant & pro rata temporis sol- „ vantur seorsum ab ipsa sorte, quum in trajecticia pecunia de sorte simul „ solvenda cum usuris in exitu navigationis fiat conventio. Sed mihi non est dubium, quin sæpe idem fit factum in fœnore vulgari, ut sors simul solveretur cum usuris, & exemplum est in Mostellaria Plauti. Jurisconsulti autem diviserunt titulos *de rebus creditis & de usuris,* tum quod res credebantur sæpe & sine usuris, tum quod sub titulo de usuris constituerant agere & de alio genere usurarum, quam quod ex rebus creditis provenit. *Nauticum* autem *fœnus* dixerunt à parte potiori, nimirum à sorte. Verbo hic notandus Claudius Verderius. Is in superba sua in omnes auctores censione, Pontificii juris doctores reprehendit, Usuram definientes, quod su- „ pra sortem redditur: & quum rogasset, An vero, quod ex pœna, aut pro- „ pter moram, aut ex societatis commodo supra sortem lucrum captatur, „ usuræ computandum est? respondet ipse: Minime vero: usura enim est, „ quod ex causa mutui supra mutuatam summam accipitur. Hoc valde indignum est eo, qui se jurisconsultum profiteatur. Cæterum quum dicitur *Nauticum Fœnus,* vocabulum *fœnoris* non usuras & sortem simul comprehendere, quod ille adfirmat, non aliunde magis constat quam ex verbis Diocletiani in l. III Cod. de naut. fœn. quæ ipse advocat: *Cum proponas te nauticum fœnus ea conditione dedisse, ut post navigium, quod in Africam dirigi debitor adseverabat, in Salonitanorum portum delata fœnebris pecunia tibi redderetur. Salonitarum* maluit Salmasius: sed istud habent omnes libri: nec

adversatur analogia. Sic Abdera Abderitanus, Panormus Panormitanus, Massilia, Massilitanus, Constantinopolis Constantinopolitani, Amphipolis Amphipolitani. Intelligit sine dubio quas litoreas dicit Salonas Martialis
„ lib. v epigr. LXXVIII. In his verbis, inquit, *Nauticum fœnus* non potest ca-
„ pi pro usura nautica. Credo: sed nec potest capi pro sorte & usura: neque enim qui trajecticiam pecuniam dedit, etiam usuras dedit. *Centesimum* quoque *fœnus* terræ observat dici ut *nauticum fœnus*, ubi simul cum sorte usura persolvitur. At ut in utroque hoc fiat, in neutro tamen id his vocabulis exprimitur: sed *nauticum fœnus* est pecunia fœnerata, ut navibus per mare eat; *centesimum* terræ *fœnus* est, in quo granum, quod instar fœnoris collocatum & in terram depositum erat, centesima pars est proventus. Sane cum *solvi nauticum fœnus* audimus, cum terram *reddere fœnus aratris*, intelligimus & sortem & usuras præstari: at *nauticum fœnus*, *centesimum* terræ *fœnus* nominata per se nihil aliud significant quam sortem: illud datum spe graviorum usurarum; hoc ita numeratum, ut ei accedant nonaginta novem grana usurarum vice: ipsum quod centesimum est, nil nisi sors est.

CAPUT II.

Pancirolli de veteri nummo tradita examinantur.

Guidus quoque Pancirollus fuit inter hujus Helenæ procos, sed quam ei perierit procari, ostendendum est, non in injuriam viri, sed ne alii eandem viam ingressuri pares fastus patiantur. In principio Cap. LXVI lib. I Var. Lect. vehementer impingit, quum scribit adfirmare Pollucem, statera aureum, qui erat unciæ auri, libram argenti æquasse. Duo hic errores immanes. Primus auri staterem fuisse uncialem, qui esset didrachmus. Pollux diserte eo ipso loco de ponderum nominibus, quem citat Pancirollus, lib. IV cap. XXIV. Ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ δύο εἶχε δραχμὰς Ἀττικάς. Alter, eum staterem æquasse libram argenti: viginti enim efficiebat drachmas, hoc est, unciam sescunciam. Apud Pollucem nihil aliud lego, quam, Στατῆρα δὲ οἱ τῆς κωμῳδίας ποιηταὶ τὴν λίτραν λέγουσι. Ubi de statere, ut ponderis vocabulum est, non ut nummi, loquitur. Aureum Romanum XXIV argenteos seu drachmas valuisse Mauricio & Tiberio imperantibus probari ait è Sophronii Prato cap. CLXXXIV. Credidit, opinor, Latino interpreti, qui quod est in Græco, Ἔρχου καὶ βάλε τριάκοντα μετανοίας, καὶ τάξω σοι ἓν κεράτιον, vertit, *& dabo tibi unum argenteum:* item, Ἐχάρισεν αὐτῷ ὁ γέρων μίαν χάριν, τοῦτό ἐστιν ἓν κεράτιον: *dabat ei senex juxta constitutum argenteum nummum:* denique: ὅταν οὖν ἐπλήρωσεν τὰ κδ΄ κεράτια, ὅ ἐστι νόμισμα ἕν: *quum igitur implesset* XXIV *argenteos, id est, aureum nummum.* Sed debebat interpres ille pro *argenteo & argenteis* ponere *siliquam & siliquas.* Solidus, qui & νόμισμα, faciebat XII millia-

milliarenses argenteos: milliarensis XXIV folles æreos: dimidiatus milliarensis, folles scilicet duodecim, *Siliqua* Latinis, Græcis κεράτιον dicebatur: habebat igitur Solidus XXIV siliquas sive κεράτια. Hæ siliquæ non erant singuli nummi vel ex auro vel ex argento vel ex ære: sed siliqua est summa duodecim follium æreorum. Et erat hæc pecunia post Constantinum. Tantum abest, ut hic locus ostendat veterem aureum præcise XXIV drachmas in argento fecisse: qui tamen unicus est, quo id confirmatum videbatur. Cæteri enim, quoscumque affert, auctores XXV drachmas tribuunt aureo, quibus drachmis nihil intelligunt aliud quam denarios. Mauricii & Tiberii temporibus uncia argenti constabat quinque milliarensibus. Ergo solidus non tres uncias argenti, sed duas & duas quintas æquabat. Hoc si exputatum habuisset optimus Savotus, non incidisset in hæsitationem illam, quam fatetur lib. III cap. XIX scribens, si locum Sophronii prudenter ac recte adhibuerit Pancirollus, proportionem inter aurum & argentum fuisse tum, ut unius ad octonos denos: apparere enim tempore Mauricii ac Tiberii solidum aureum, qui esset quatuor scriptulorum, fecisse drachmas in argento XXIV: nam quatuor & viginti drachmæ scriptula tenent LXXII: quæ si in quatuor dividantur, cuique obveniunt XVIII. Sed frustra esse Pancirollum jam demonstratum est. Quum deinde tamen aureo concesserit XXV *drachmas* auctore Plutarcho, & diligenter fugiat dicere hic XXV *denarios*, mox drachmam dicit constitisse quatuor sestertiis: quod est drachmam facere denarium: denarius enim Romanis unicus erat quatuor sestertiorum nummus. Cui rursus adversum mox tradit, unciam continuisse septem denarios, ita ut XXI denarii absolverent aureum: quem tamen aureum scripsit paullo ante ex Tacito centenis nummis æstimari, quod est XXV denariis. Sic labitur in sententiam novam, omnium & veterum & recentiorum observatis traditisque repugnantem, denarium quatuor sestertios besse unius sestertii excessisse, hoc est, XIX assibus æstimatum. *Denarios* CCC in l. Lecta D. si cert. pet. excedere censet aureos illius temporis XIV & plus duabus unciis argenti. Immo erant ipsi duodecim aurei. *Denarios mille* in l. ult. de Institor. esse XLVI aureos duas uncias. Qui sunt revera XL, non amplius. *Decem millia denarium* ultra CCCCLII aureos, qui quadringentis terminantur. Nemo omnium, qui primos denarios & Consulares drachma graviores esse voluerunt, negavit, quo tempore vixerunt fragmentorum illorum auctores, magnam rem præstitisse denarios, qui ad drachmæ pondus accederent, & non multo minus haberent. Drachmam Atticam denarii pondus habuisse refert ex Plinio: & ideo quum drachma denario æquatur, de Attica intelligendum esse. Quasi drachma sit alia communis, alia Attica, & XXV drachmas habuerit aureus, Atticas autem drachmas tantummodo XXI. Atqui constat inter omnes, quoties drachma sine alia designatione nominatur, Atticam intelligi. Quum ex Varrone ac Plinio notasset, denarium,

„ ut primum percussus est, quatuor continuisse sestertios, subjicit. Sed cum „ centum sestertii sub principibus aureum facerent, necesse est denarium ul- „ tra quatuor sestertios continuisse. Immo cum centum sestertii & sub consulibus & sub principibus aureum facerent, nec unquam denarius nisi quatuor sestertios habuerit, necesse est Pancirollum nugari cum suis XXI denariis aureo tributis, quos XXV tribuere illi debebat. Siclum aureum fecisse unciam argenti, non scribit Hieronymus: sed *siclum unciæ pondus habere*; quod ita accipere debuit, ut quod ibidem scribitur, *didrachmum esse semunciam.* Siclus aureus erat didrachmus, efficiebat autem in argento, ut aureus stater Atticus, duas uncias & dimidiatam: argenteus erat tetradrachmus. Æris antiquissimam proportionem ad argentum ponit ex l. 1 Cod. de coll. æris: quod est æneum seculum inferre aureo: tum decem libras æris sive CXX uncias æquasse unciam argenti: cujus non nisi octavam præstabant decem libræ æris, si fides ulla scriptoribus antiquis: quibus omnibus contemtis ille denarium primum constituisse vult unciam argenti, & assibus demum sextantariis factis imminutum ita, ut septem denarii ex uncia argenti conflarentur. Ab his sextantariis assibus quum perpetuo denarium „ septimam unciæ partem statuerit, tamen mox adjungit: Denarius conti- „ nebat obolos sex, qui valebant tres asses semunciales. Hoc rursus est denarium facere drachmam: nam drachma, illa octava pars unciæ, non septima, sex censebatur obolis. Dein si obolus tres valebat asses semunciales, denarius autem sex obolorum erat, octodecim habuit asses semunciales, non sedecim, quod tamen paullo ante cum cæteris affirmavit. Addit ex Plinio, oboli fuisse decem chalcos. Hic confundit pondera & nummos: nam chalcos nummos obolus tantummodo habebat octo: at illi chalci, quos decem obolo dat Plinius, pondera sunt, non nummi, ipsæ scilicet drachmarum sexagesimæ. Similiter deerrat, quum obolos XLII scribit fecisse unciam argenti, & chalcos LX denarium, & CCCCXX chalcos unciam argenti, & obolos CXXVI, chalcos MCCLX aureum. Nam primo oboli XLVIII in unciam argenti veniebant, quippe octo drachmæ sex obolorum singulæ. Chalci quidem LX denario attribuebantur, non nummo tamen, sed pondus repræsentante, in examinandis minutis speciebus. Uncia vero argenti & aureus Romanis non rependebantur chalcis illis, sed quod infra drachmam erat. Aureo Romano respondebant non CXXV, sed CL oboli, quippe XXV denarii. De Solido Constantini hoc saltem recte, quod in rescripto ejus Principis *VI* pro *VII*, & *XII* pro *XIV* legit. Sed statim rursus offendit, quum singulos aureos æquasse ait duas uncias argenti, seu denarios XIV, drachmas sedecim. Idem inculcat ad Noticiam Imperii cap. LXXIV; nam quum drachmam octavam unciæ dixisset, & aureos Valentiniano im- „ perante pondo sextulam percussos, Quare, inquit, singuli aurei duas ar- „ genti uncias æquabant. Id falsum facile revincitur. Nam duæ argenti

unciæ

unciæ ſunt ſedecim drachmæ. At aureus quatuor ſcriptulorum, ſextulam pondo, faciebat milliarenſes XII. Milliarenſis quinque ſcriptulis, minus quatuor ſexageſimis, ſeu drachma, hemidrachmo & ſex ſexageſimis conſtabat: erat enim quinta pars unciæ, ut hodie Britannicus Schillingus. Quinque hemidrachma duas & dimidiatam drachmas faciunt: quinquies ſex ſexageſimæ fiunt xxx: quæ additæ proximæ ſummulæ tres drachmas implent, & his additæ quinque drachmæ abſolvunt unciam octo drachmarum. Ergo duodecim milliarenſes habent novendecim argenti drachmas & duodecim ſexageſimas: quæ duæ ſunt unciæ & tertiæ quincunx, minus octo ſexageſimis: tres enim drachmæ & XX ſexageſimæ, unciæ quincunx. Vel ſunt duæ unciæ & duæ quintæ. Addit & hic & ad Noticiam, ſex aureos ſeu unciam auri æquaſſe libram argenti, quaſi proportio auri ad argentum fuerit duodecupla. Falſum utrumque: fuit enim, ut unius ad quatuordecim & duas quintas: & quinque ſolidi faciebant libram argenti. Quinquies enim duodecim ſunt LX: & tot milliarenſibus libra conſtabat. Pergit, id Valentiniano imperante conſervatum, probatque ex l. v Cod. de ſuſceptoribus. At ibi nihil aliud legitur, quam libram auri perfeciſſe LXXII ſolidos aureos. Arcadium vero ſcribit aurum coarctaſſe, & voluiſſe, ut quinque ſolidi libram argenti æquarent, l. un. C. de argenti pr. niſi codex ſit mendoſus, & pro *quinque* legendum *ſex*. Sic & in Variis, quum prædicta turbet lex commemorata de argenti pretio, reſpondet vitio ſcriptorum, ut ſæpe, in numeris erratum: aut horum principum tempore aurei pondus auctum fuiſſe: aut ipſos de his loqui, qui argentum inferre theſauro impp. tenebantur, & pro eo aurum ſolvere volebant, in quorum pœnam præcipi, ut carius debeant argento aurum commutare: viderique tum principum interfuiſſe, ut potius argentum quam aurum haberent. Vana hæc omnia & paria in vento & aqua ſcriptis. Nihil arctavit, nihil mutavit Arcadius: nihil eſt vitii in dicta lege: ſed vitium erat in mente Pancirolli, qui acceptam à Platone duodecuplam proportionem auri & argenti, quaſi naturalem & perpetuam, omnibus Græcorum & Romanorum temporibus allinere ſe poſtulabat. Unciam argenti reſpondiſſe illo utique tempore decem libris æris recte tradit utrobique: nam milliarenſis præſtabat XXIV folles unciales, atque adeo duas libras: quinque igitur milliarenſes, CXX folles, ſeu decem libras. Sed male trahit inde XX libras æris æquales aureo fuiſſe: nam XX libræ æris ſunt CCXL folles: at aureus CCLXXXVIII folles continebat, eoque XXIV libras æris. Ille dictum probat l. un. Cod. de collat. æris. Sed in ea lege vitium oſtendit codex Theodoſianus, unde deprompta eſt. Progredimur ad Caput LXVII Variarum Lectionum de partibus & ponderibus nummorum. Impingo ibi ſtatim in duplicem Atticam libram, majorem C drachmarum, minorem novem unciarum, drachmarum LXXV. Quæ diverſorum ſeculorum ſunt, & ſibi invicem ſucceſſerunt, ita ut drachmas in

minam centenis computatis desierint LXXV drachmæ pro mina haberi, ille tanquam perpetuo & uno tempore obtinentia ponit. Atque ex eo, quod jam Solonis ævo abrogatum fuerat, explicat, quid *libella* fuerit Romæ aut Ravennæ sub Honorio & Arcadio. Ut quum jubent in l. IX Cod. de episcop. audientia carceri inclusis egentibus *ministrari libellis duabus aut tribus diurnis*. Has ille vult esse XVIII aut XXVII uncias: quasi *libella* sit illa minor Attica libra novem unciarum. Quod tamen eo magis illi condonandum, quod & cæteri in ea mirifice operam luserunt, *selibras*, aut *libella* à libis, aut nescio quos *libellos*, aut *libellas* veteres minutissimos nummulos intelligendo. Atqui *libella* victualium nihil aliud est quam libra: ut quum Juvenalis, *Unciolam Proculejus habet:* & auctor vitæ ejus, *semestres militiolas:* & Martialis *aureolos:* nec enim minus hæc sunt quam *uncia*, *militia*, *aureus*. Sic *anniculum* dixere, non qui contractioris est anni, sed qui est unius anni: & *Græculus:* & plura hujusmodi: quæ non significant genus proprium & separatum ab eo, quod vocabulis deminutivorum terminum non habentibus appellatur: sed quidvis horum, quantumvis solidum & integrum, certo majoris intuitu pro minuto habebant. Taceo *scrupulos* dici à scrupo parvo lapillo, quæ sunt *scriptula*, aut *scripula* aut *scripuli:* & Græce χάμματα, quæ sunt χαμμαί. Quid quum ex Epiphanio notat obolum esse octogesimam libræ argenti seu duodecimam drachmæ? At apud ipsum legas: ἰῶ δὲ καὶ ἕτερος ὀβολὸς ἐξ ἀργύρου τυπούμενος, νόμισμα ὄν, ὃ ἰῶ λεπτότατον, ὀγδοηκοστὸν τῆς οὐγγίας. *Unciæ* dicit, non *libræ*. Sic drachma decem haberet obolos. Et sic credo scripsisse Pancirollum *decimam*, non duodecimam. Sed errant ambo. Sequitur enim in Epiphanio: Λέγει γὰρ ἐν Λευιτικῷ· τὸ δὲ δίδραχμον εἴκοσι ὀβολοί. Non τὸ δίδραχμον dicitur in Hebraicis fontibus habere XX obolos sive geras, sed Siclus argenteus: ille autem erat tetradrachmus. Itaque drachma tantum quinque obolis Hebraicis sive geris constat: uncia XL geris. Hic est ille nummus, qui nobis *Braspenningus:* hi quinque octavam Imperialis Thaleri, sex stuferos & duos chalcos; viginti dimidiatum imperialem, viginti quinque stuferos, hoc est, tetradrachmum, faciunt. De folle, quem *Pholem* vocat, mera monstra. Harmenopulum velle ait follem esse oboli vicesimam quartam: alios duodecimam: Romanis esse teruncium. At vetus denarius assibus semuncialibus censebatur sedecim: ergo octonis æris unciis. Obolos habebat sex. Follis autem æris uncia. Ergo in obolo habebas follem & trientem. Sub inferioribus Cæsaribus ad folles quinque redierat denarius. Tum igitur obolus respondebat folli, minus parte sexta: follis faciebat obolum & quintam. Qua vero ratione follis est *teruncius?* Olim *teruncius* erat XL pars denarii: follis tum quinta. Sed hoc eum decepit, quod decrescente indies Latini sermonis nitore ac proprietate, etiam *teruncii* nomen à negligentibus auctoribus, & fortassis ejus ætatis vulgo, folli attributum est. In legibus agrariis apud Harmenopulum invenio: ἐν

κερά-

κεράτιον, ἤγουν φόλλεις δώδεκα. Hinc si sumpsit, quia tres siliquas habet obolus, ut scriptulum sex, denarius vel drachma octodecim, debuit XXXVI, non XXIV dicere. Video alios auctores sequutum, quibus *Cerates* dimidium oboli est. Sed hoc hic locum non habet. Præterea auri siliqua est, non argenti, quum appellant Leges. Obolum valuisse fere tres asses semunciales, & quadrantem vel teruncium dictum jubet nos discere ex Polluce, ubi supra. At Pollux satis multa de obolo lib. IX cap. VI: sed nihil de assibus semuncialibus, nihil de quadrante, nihil de teruncio. Deinde rursus hic ingerit denarium octodecim assium, qui nullus unquam fuit. Unde autem vel quando *quadrans* aut *teruncius* dicti sunt asses tres semunciales? *Quadrans* proprie tres unciæ: id quod & fuerunt in prima Romanorum pecunia signata. Sed postquam as desiit esse libralis, etiam *quadrantes* pro portione sunt imminuti, & nummulum æneum, quartam partem assis significabant: postea ipse as vocatus *quadrans*, quia quadrante unciæ constabat. *Teruncius* olim nummus argenteus, quadragesima pars denarii, quum is decem libris æris permutabatur: quadraginta quadrantes in decem libris sunt, ut quatuor in singulis: tum ter XL sunt CXX; & tot unciæ decem librarum. Postea tam minutus in argento nummus signari desiit. Denique rursus *teruncii* vel *terunciani* vocabulo sub seris principibus abusi sunt ad æreum appellandum nummum, qui nihil ad obolum. Unde, inquit, CXXVI oboli, seu libræ æris XIV aureo seu solido respondebant. Immo nec CXXVI oboli erant XIV libræ æris, nec aureo respondebant. Nam quia denarii quinque folles, sex oboli, follis autem uncialis; CXXVI oboli sunt æstimandi CV follibus, sive unciis æris, hoc est, libris octo, novem unciis. Rursus quia aureus erat XXV denarium, denarius sex obolorum, CL oboli respondebant aureo. Pergit ad explicandam l. Publia. D. Depositi. Quæ ibi nominantur *decem millia denariorum*, efficere ait CXX libras argenti, & respondere totidem unciis auri, & continere DCC solidos, quales post Constantinum sunt percussi. Si justi fuissent denarii, quales eo ævo perrari cudebantur, tamen non ultra centum libras argenti continebant: decem quidem auri libris respondebant; sed solidis DCCXX. In dicta Lege promittit aliquis se χορηγήσειν τόκον ἑκάστης μνᾶς μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας, *in singulos menses singulasque libras usurarum nomine quaternos obolos.* Hæ sunt usuræ besses, nam τόκος ἐπὶ δραχμῇ centesimæ, quatuor autem oboli, bes Drachmæ. Duodecies quater sunt XLVIII. Et sexies octo faciunt eundem numerum. Sunt igitur annuæ in minam octo drachmæ. Quid facilius & apertius? Si mihi non creditur, credatur Salmasio cap. VII de mod. Usur. At Pancirollus eas fingit usuras centesimas. Primo delicias rursus facit in libra sua LXXXIV denariorum & centum drachmarum: quasi non denarius temporibus Paulli JC. percussus & usitatus longe levior drachma fuisset. Obolos, qui quot mensibus penderentur, edit CCCCLXXX, qui tantum sunt CCCC: decem uncias, quæ sunt

octo unciæ, duæ drachmæ, & bes drachmæ: LXXX drachmas, quæ ſunt LXVI & quatuor oboli. Has in anno exiſtere ait tot uncias, quot ſunt libræ ſortis, nempe CXX: propterea hanc uſuram fore centeſimam. At, o bone, centum viginti unciæ quot ſunt libræ? annon decem? At centeſima reddit duodecim annuas in centum, non decem. Hæ igitur dextantes forent, non centeſimæ uſuræ, etiam ex tua computatione. Rurſum quaſi reſipiſcat, „Si vero denarii pro decem millibus drachmarum ponerentur, (nec ſunt drachmæ aliæ quam denarii, & nugatur, quiſquis aliter ponit) eſſent cen-„tum libræ argenti, (& ſane nihil amplius ſunt) pro quibus menſtrui ſolu-„ti oboli CCCC æquant fere LXIV drachmas ſeu octo uncias: quæ in anno „ſunt XCVI, & quaſi centum, ac pœne uſura centeſima. Peſſime definit centeſimam, ſi dentur tot unciæ uſurarum nomine, quot libræ ſunt in ſorte. Centeſima immo eſt menſtrua pars una ſortis centeſima, & ſic de centum libris quolibet menſe libra. At XCVI unciæ ſunt octo libræ: quæ centenis accedentes quid oſtendunt, niſi beſſes uſuras? Præterea quadringenti oboli non ſunt LXIV drachmæ, ſed LXVI & bes ſive quatuor oboli. Duodecies ſexaginta ſex ſunt DCCXCII: duodecim beſſes ſunt octo aſſes: & ſic DCCC „drachmæ: quæ quid niſi octo libræ in centenas annuæ? *Siliqua*, inquit, eſt „tertia pars oboli, non continens plus tribus quadrantibus. Hæc quis intelligit memor, quod ipſe oblitus, paucis ante verſibus ſcripſiſſe, obolum ipſum *quadrantem* vel *teruncium* vocari, cujus nunc docemur tertiam partem continere tres quadrantes? Subjicit proxime Leges, I Cod. de impon. lucrat. deſcript. & I Cod. de ratiocin. oper. public. tanquam *ſiliquæ*, quarum eſt ibi mentio, eſſent hi belli trientes oboli & trium quadrantum argentei nummi. In tertio exemplo quaſi ſubito expergefactus è ſomno, interjicit ἐν παρενθέσει ad vocem *ſiliquæ*: Intelligo auri. Sed ſic magis confirmat in falſa opinione incautum lectorem, quaſi priores iſti loci de argenti ſiliqua intelligendi eſſent. Siliquam de ſolido annuam uſuræ nomine, eſſe ait quatuor aureos & tertiam pro centum aureis. Sextam voluit dicere. nam centum ſiliquæ componunt quatuor aureos, & ſuperſunt ſiliquæ quatuor. At ſexies quater, non ter quater, ſunt XXIV, quot ſiliquæ ſolidi aurei. Sunt uſuræ trientes & ſextulæ. At in æſtimatione hujus ſiliquæ auri longiſſime à ſcopo aber-„rat. Cum uncia auri, inquit, æſtimetur libra argenti, ſiliqua auri, (id eſt, „una ex CXLIV partibus unciæ) valet duodecimam partem unciæ argenti, „quæ efficit plus dimidia parte denarii, quorum ſeptem conſtituunt unciam „& LXXXIV libram argenti. At, ὦ πέπον, duodecupla tua proportio tam male aptatur ultimis imperii Romani temporibus quam primis: his erat decupla, illis ut unius ad quatuordecim & duas quintas. Deinde quo tempore ſiliqua in pecunia appellari cœpit, denariorum ὁ λόγος ὁδ' ἀριθμός· cum milliarenſibus & follibus ſiliqua conferebatur. Denique denarii ſeptem in uncia, LXXXIV in libra, ſi qui tum erant, pro gemma erant & oſtentui magis

quam

quam uſui. Ducentis ante annis qui percuſſi erant denarii, raro drachmam impleverant. Sed oſtendamus, quid ſiliqua auri ex proportione illius temporis fuerit in denariis. Quatuordecim ſiliquæ ſunt denarii dodrans (tredecim ſiliquæ & dimidiata, ſeu xlv ſexageſimæ) & binæ ſextulæ, ſeu tertia pars unciæ denarii, dimidiata nempe ſiliqua, quæ eſt ſexageſima bes. Duæ quintæ ſiliquæ ſunt ſexageſima triens. Ergo quatuordecim ſiliquæ & duæ quintæ in argento ſunt xlviii ſexageſimæ. Et hoc valebat ſiliqua auri. Sic quinque ſiliquæ faciunt ccxl ſexageſimas. Eundem ſexageſimarum numerum habent quatuor denarii. Et ſic quinque ſiliquæ auri, quatuor denarii. Ergo viginti ſiliquæ, ſedecim denarii. Reſtant quatuor ſiliquæ ad aureum complendum: eæ faciunt in argento cxcii ſexageſimas. Et hæ tres denarios (quæ clxxx ſexageſimæ) & denarii quintam, id eſt, duodecim ſexageſimas. Ergo ſolidus viginti quatuor ſiliquarum venit æſtimandus veteris argenti novendecim denariis & quinta. Hinc igitur & male ,, colligit Pancirollus: Solvendo ergo plus dimidio denarii pro aureo, pro ,, centum aureis eſſent ferme lx denarii, ſeu aurei quatuor & tertia: xxiv ,, enim denarii aureo permutabantur. Hic rurſus ſaltum facit in ſeculum prius: nam illi non xxiv, ſed xxv denarii erant aurei ante Conſtantinum, non hujus ſolidi. Debebat autem ſic colligere. De quovis aureo ſolvendo xlviii ſexageſimas, & ſic in quinque aureos quatuor denarios, in decem aureos octo denarios, de centenis dabat octogenos denarios, id eſt, quatuor ſolidos, qui faciunt lxxvi denarios & xlviii ſexageſimas, & ſextam ſolidi, quæ eſt tres denarii duodecim ſexageſimæ: nam xix denarios & quintam ſive duodecim ſexageſimas habebat ſolidus. Ille ſubinde ſextam partem ſolidi dicit feciſſe paullo plus duobus denariis aut quatuor drachmis. Adeo laſcivit in denariis & drachmis ſeparandis. Sexta eſt, quam diximus. Sexies enim tres ſunt octodecim denarii: unius denarii ſexta ſunt decem ſexageſimæ: xii ſexageſimarum ſexta ſunt duæ ſexageſimæ. Ergo quia ſolidus xix denarii duodecim ſexageſimæ, ſexta ſunt tres denarii duodecim ſexageſimæ. Et tantundem faciunt quatuor auri ſiliquæ, nimirum cxcii ſexageſimas: tres autem denarii clxxx ſexageſimæ. Novella cvi, ſi brevis ſit navigatio, permittitur, ut *tres ſiliquæ* pro aureo, nomine uſura- ,, rum ſolvantur. Efficiunt, inquit, quatuor pro centum: non autem exi- ,, gatur centeſima uſura, tanquam nauticum fœnus. Quæ hæc, Claudianæ propemodum par, μετεωρία ἢ ἀβλεψία; Vix digreſſi ſumus à loco, ubi dixerat, ſiliquam in aureum eſſe trientes uſuras: & è veſtigio audimus tres ſiliquas pariter quatuor in centum ſive trientes eſſe. Immo ſunt centeſimæ & ſemunciæ. Efficiuntur enim in centum ſolidos ſiliquæ trecentæ. Hæ complent duodecim ſolidos & dimidiatum. Rurſus incido in rem inexſpectatam & ſomnio ſimilem, Polybium *ſiliquam* interpretari tertiam partem oboli. Quadringentis amplius annis oſſa & cinis fuerat Polybius, priuſquam

siliqua in auro pro pecunia cœpit nominari. Apparet optimum virum, quæ „ semel dicta erant, ratum semper potuisse dici. Polybius tamen, inquit, „ tantam fuisse Galliæ Cisalpinæ fertilitatem scribit, ut caupones à viatoribus „ splendide exceptis non plus *siliqua*, id est, tertia parte oboli acciperent. Sed apud Polybium est: ἡμιασσαρίου· τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τέταρτον μέρος ὀβολοῦ· Quod si qua exemplaria τρίτον μέρος habuerunt, parum commode tamen id verteres *siliquam*: nam Polybius nummum Græcum nummo Romano comparat; ea autem ætate siliqua de nummis nullis dicebatur. Deinde si bene verteres, nihil tamen ad præsentem id faceret locum: tertia pars oboli siliqua est in argento; illa, de qua agimus, auri siliqua est. Quod solidus quatuor scriptulis, scriptulum sex siliquis constabat, liquet solidum habuisse XXIV siliquas. Hinc usu invaluit, ut quarta & vicesima pars solidi in ære signato, nempe duodecim folles, *Siliqua* dicerentur. Duodecies vicena quaterna sunt CCLXXXVIII. Et tot follibus mactus erat Solidus. Sequitur Caput LXVIII de argenteis monetis: ubi rursum transeo tricas de denario, qui sextus faceret unciam ex nescio quo Demetrio, & qui septimus ex Agricola. Sed hoc non est ἐπιχειρήματα βλητέον, quia XX libræ æris cum solido aureo post Constantinum permutabantur, ejus duodecim uncias seu libram singulis denariis respondisse. Ponit XX libras æris respondisse solido, quod falsum diximus: erant enim XXIV. Deinde si viginti libræ æris permutabantur solido, solidus autem hic quoque (quod supra statuit) XXIV denarios habebat: quemadmodum libra respondebat denario? Immo libra æris denario & quinta denarii æstimanda foret, si servaret hypothesin. Revera autem tum quatuor quintæ denarii fecerunt libram æris. Quinta denarii sunt duodecim sexagesimæ: nam quinquies duodecim, LX. Quatuor quintæ sunt XLVIII sexagesimæ. Has diximus fuisse siliquam auri. Siliqua auri „ erant duodecim folles unciales: ergo libra æris. Sequitur: Unde eorum „ error detegitur, qui X libris æris, & quandoque sedecim permutatum fuisse „ denarium arbitrantur. Si qui dixerunt denarium sedecim libris æris permutatum, eorum sane hic est error, etsi hinc error ille non detegatur: sed qui decem libris æris denarium aliquando mutatum senserunt, non hoc errarunt: senserunt enim quod omnes antiqui, & error est Pancirolli istis adversari. Quomodo autem detegitur error? aut quod hoc argumentum est? Denarius post Constantinum non valuit nisi paullo plus libram æris: ergo antiquissimis reipublicæ temporibus non valuit decem libras. An Romæ oportuit eadem esse semper? an aliter æs atque argentum se habere olim non potuit, quam post Constantinum se habuit? Ubi legit autem, quod mox subjicit, ut discessum est à libralibus assibus, factos fuisse ex triente, mox ex quadrante, & tum demum ex sextante æris. Ego apud Plinium legi à libralibus statim ad sextantarios processum, & quinque partes factas lucri: de trientibus & quadrantibus nusquam. Ambrosium scribere ait drachmam

obolos

obolos x æquasse, quum tamen antea sex æquaret. Quasi de drachmis iisdem obolisque scriberet Ambrosius, de quibus Pollux, aut omnino de sui temporis obolis, non de Judaicis. Ambrosius non scribit drachmam æquasse decem obolos, sed hoc tantum : *Viginti oboli didrachmum.* In quo eadem est abusio vocabuli, quæ in Epiphanio, *didrachmum* ponentis & appellantis, quod erat tetradrachmum : hujus enim viginti oboli Hebraici, quæ alio nomine *geræ* vocantur. Quod Justinianus in lege Papia *centenarios libertos* (sic dictos, quod centum millium censum haberent) pro ratione pecuniæ, quæ tunc obtinebat, jussit intelligi, qui centum aureos haberent, quæ longe minor summa est : (nam centum sestertia, duo millia quingenti coronati; centum solidi ducenti coronati) ejus lepidam comminiscitur causam: Justinianum respexisse ad ea tempora , quibus libralis aureus percutiebatur , & 900 ac 1000 sestertios valebat. hoc est, ad ea, quæ nunquam fuerunt. Roma frugi non habuit Heliogabalos, qui librales aut bilibres formas in auro signarent. Qui autem fuerunt monstrosi illi sestertii, qui nongenti aut mille potuerunt adæquare libram auri? Etiam *mille nummos* decem aureos fecisse ait. Hoc verum est de aureo illo , de quo hic non agitur. At decem aurei sub Justiniano non nisi DCCLXVIII sestertiis possunt censeri. Unus enim aureus valebat novendecim denarios, seu LXXVI sestertios, & præterea duodecim sexagesimas. Hi decies multiplicati denarii reddunt centenos nonagenos : sestertii septingentenos sexagenos: decies duodecim sexagesimæ centenas vicenas, hoc est, duos denarios, octo sestertios. Sic decem aurei præstant CXCII denarios, DCCLXVIII sestertios. Hoc & sic probatur. Aureus reddebat in argento duodecim milliarenses, id est, duas uncias duas quintas. Duæ unciæ faciebant olim LXIV sestertios , duæ quintæ unius unciæ tres denarios, hoc est, duodecim sestertios, & duodecim sexagesimas , id est sestertii quatuor quintas. Aureus igitur sestertios nummos LXXVI & duodecim sexagesimas. Quinque aurei CCCLXXXIV sestertios, decem aurei DCCLXVIII. *Sestertium* tamen hic quoque , deserto Agricola , ratione licet non exquisita, pro mille nummis acceptum veteribus concedit : sed eos esse denarios CCX statuit, ponendo septem drachmas in uncia argenti. Mox subjicit, postea denarium æquasse drachmam Atticam, unde & CCL denarii æquarint sestertium. Sed quomodo concordant hæc cum eo, quod superius pronunciavit, drachmam Atticam parem esse denario, septimam partem unciæ, eo differre ab alia drachma , quam esse, ut tum fuerit Hispanicus Regalis , octavam partem unciæ? Hæc cum alibi , tum hoc ipso capite tradidit. Quis unquam vidit parem inconstantiam? Jam *mille nummos* quare potissimum Nerone dicit imperante valuisse decem aureos? An Nero imperabat temporibus Octaviani, quum aureum XXV drachmas fecisse notavit ipse paullo ante ex Dione? At hæ XXV drachmæ centenos faciunt unius aurei nummos: decem ergo aureorum decies centenos, seu mille nummos.

Post

Post Constantinum *Sestertium* continuisse xv aureos censet. Immo duodecim & dimidiatum: nam quinque aurei libra argenti: decem ergo aurei, duæ libræ argenti: duodecim solidi & semissis, duæ libræ & selibra: id autem sestertium argenti pondus in nummis. Talentum magnum c minas aut libras continuisse (hoc veteres ignorant: neque aliud *talentum magnum* vocant, quam quod alibi *talentum*, sexaginta minarum) probat ex Gellio, qui *μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον* dicit: subjungitque rationem: semper enim uncia auri pro libra argenti ponitur. Falsissimum hoc diximus aliquoties. Gellius autem talentum decem millium drachmarum dicit non magnum, sed Corinthiacum. Post Constantinum centum minas vel decem millia drachmarum æquasse DC aureos. Errat iterum: nam quia aureus faciebat duas uncias & duas quintas, quinque aurei explebant argenti libram sive minam: decem igitur duas libras: centum aurei viginti libras: quingenti centenas. Rursus CCXL aurei valuerunt tantum, quantum XXIV sestertia sive talentum LX minarum, non tantum sub Nerone, sed etiam sub Augusto. At post Constantinum non CCCLX solidi, sed trecenti illud complebant. Nam quia decem solidi pro duabus libris, triginta solidi pro sex libris, trecenti quoque solidi pro LX libris sufficiebant. Quid quum unciam argenti jubet habere argenteos sive milliaresios LX, qui quinque omnes erant? quod & scribit ipse Cap. LXXII. Quid quum libram auri duos stateres Cap. LXX, qui quatuor erant? quum stateri dat tres solidos, habenti tantummodo duas drachmas, vel sex scriptula; at tres solidi duodecim scriptula vel quatuor drachmas: ita ut stater solido & semissi esset æquandus. Quum duos solidos facere duellam, quæ dubla vocitetur: quasi vocabulum *duella* unquam in pecunia signata aurea sit usurpatum. Quum aureum ante Constantinum habuisse drachmas XXIV, Atticas XXV, denarios XXI: qui semper antehac Atticam drachmam majorem statuerit vulgari, atque eodem pondere, quo denarium? Quum libram auri habuisse argenti libras XIV, qui præcedenti capite dixerat semper unciam auri poni pro libra argenti, & sic libram pro duodecim libris? Quum Cap. LXXII miliaresium valuisse aurei solidi decimam vel octavam, quæ erat duodecima, quod tantum non ipse scribit, quum refert libram in LX argenteos (neque enim librariorum culpam injungere ipsi volumus, qui fecerunt XL) divisam, qui alio nomine *miliaresia* vocentur: & quinque facerent unciam argenti, decem duas uncias: sed statim, quasi pœniteret eum aliquid veri scripsisse, addit: quantum valebat aureus, itaque argenteus erat decima aurei: non enim ille decem, sed duodecim miliaresiis taxabatur: itaque miliaresium erat duodecima solidi. Quum ex Metaphraste *miliaresios Daricos* profert, quasi ejusmodi auctoribus sit quicquam fidei, & non *Daricus* aureus, *miliaresium* argenteum fuisset. Quum quia Epiphanius tradidit miliaresium esse duo ceratia, ille hæc *ceratia* putat, quæ duo à quibusdam obolo tribuuntur, & inde miliaresium æstimat

mat obolo seu duobus solidis Italicis. At *miliaresion* erat quinta unciæ argenti, & sic drachma, hemidrachmo, sex sexagesimis æstimandum venit, id est, novem obolis & semiobolo amplius: *Ceration* autem, quod duplex miliaresio adscribit Epiphanius, erat siliqua auri.

CAPUT III.

Scaligeri sententiæ de Solido, Milliarensi, Folle, expenduntur.

Videamus, quæ de Solido, Milliarensi, Folle, Scaliger tradit, quanto majore specie diligentiæ & accurationis, tanto periculosius obvia lectoribus infirmi judicii. Hujus, inquit, solidi divisio καθ' ἀργυρισμὸν hæc est: ,, κεράτιον, μιλιαρήσιον, φόλλις, tremissis, μῆλον, καυκίον, πεντάγωνιον. Hoc est, ,, divisio solidi per species argenteas est primum per siliquas, quæ κεράτια ,, dicuntur. * Male inter species argenteas ponit Κεράτιον, sive Siliquam: nam nec species ejus erat nec argentea, sed summula æreorum, duodecim folles, dimidium milliarensis, *Siliqua* & *auri Siliqua* dicebatur; quia quod siliqua est in quatuor scriptulis, hoc duodecim folles erant in pretio solidi. Male item ponit hic *Follem*: æreus enim erat, non argenteus. Male *Tre-* ,, *missem*: nam nec hic argenteus, sed aureus erat. Pergit: Siliqua est vige- ,, sima quarta pars solidi, drachmæ argenteæ valore. Si solidus, quatuor scriptulorum auri, comparabatur XXIV drachmis argenti, singula scriptula auri fecerunt sex drachmas argenti, hoc est, octodecim scriptula: & sic proportio auri ad argentum fuit ut unius ad octodecim. At eam quatuordecim & duas quintas non superavisse satis demonstratum est. Siliquam fuisse vigesimam quartam partem solidi verum est: sed quam ob rationem? Nempe solidus constabat quatuor scriptulis: scriptulum, sex siliquæ: Ergo quatuor scriptula, viginti quatuor siliquæ. Hæc quatuor scriptula auri in ære præstabant CCLXXXVIII folles: ergo singulæ siliquæ, seu quartæ & vicesimæ partes solidi, duodecim folles. nam duodecies viginti quatuor sunt ducenta octoginta octo. Hi duodecim folles in argento nequaquam pares erant drachmæ. Dimidiatum milliarensem efficiebant. At milliarensis viginti octo siliquas & quatuor quintas siliquæ argenti habebat: ergo dimidium ejus quatuordecim siliquas & duas quintas. Drachma autem siliquis ,, æstimatur octodecim. Iterum Scaliger: Δικέρατον est æquale milliarensi. ,, Μιλιαρήσιον autem duodecima pars solidi, δίδραχμον. Caput & cauda horum laborat. nam δικέρατον non æquale solum milliarensi est, sed ipse milliarensis: quem non fuisse δίδραχμον constat ex dictis. Duæ drachmæ siliquas

* Adde epist. ejus CCIV.

quas habent triginta ſex: milliarenſis viginti novem, minus una quinta ſili-
„ quæ. Procedit: Quum autem ἄργυρον vocet Epiphanius, ἄργυρον vero con-
„ ſtet δίδραχμον fuiſſe, qualia fuerunt illa triginta, quæ Judæ proditori data,
„ (vel potius tetradrachma. nam Euſebius lib. 4 ἀποδείξ. στατῆρας interpre-
„ tatur bene, meo judicio) non male judicavimus Milliarenſem eſſe δί-
„ δραχμον, duodecimam nimirum partem ſolidi, qui drachmarum XXIV.
Falſum eſt milliarenſem dici Ἄργυρον Epiphanio, cui Ἄργυρος vel Ἀργυροῦς ipſa
eſt mina. Falſum eſt Ἄργυρον iſtum eſſe δίδραχμον, niſi centum drachmæ &
duæ res ſunt eadem. Ideo & falſum conſequitur, nempe milliarenſem fuiſſe
δίδραχμον, & Solidum XXIV drachmis argenti reſpondiſſe. Quum quinque
milliarenſes unciam facerent argenti ſeu octo drachmas, decem milliarenſes
drachmas ſedecim, duo adjecti & Solidum complentes paullo minus viginti
„ drachmis eum æquant. Rurſum: Hujus duplum erat *Follis*, ſexta pars
„ Solidi, quam *Sextulam* vocare poſſumus: duobus enim ἀργύροις, id eſt,
„ tetradrachmo, valebat. Hoc ulcus merum. Falſum eſt & inauditum,
Follem fuiſſe duorum milliarenſium, quum milliarenſis unus quatuor & vi-
ginti follibus cenſeretur. Falſum, follem fuiſſe ſextam partem ſolidi, quum
eſſet pars ducenteſima octogeſima octava: ſexta autem pars ſolidi, folles
XLVIII, ſeu duo milliarenſes. Falſum follem, etiamſi ſexta pars ſolidi fuiſ-
ſet, poſſe *Sextulam* vocari: non enim cujuſque rei ſexta pars ratiocinatori-
bus *Sextula:* ſed ſexta unciæ cujuſque rei pars. Solidi ſexta pars vocabatur
Sextans, & erant, ut dixi, milliarenſes duo, folles XLVIII. At *Sextula* ſolidi
erant folles quatuor, & ea pars totius ſolidi erat ſeptuageſima ſecunda. Pari
„ negligentia pag. 54. Sed hoc noſtrum ἑξάγιον prima aſpera pronuntian-
„ dum, quod ſit, ut dixi, ſexta pars ſolidi. Nuſquam hoc dixit: ſed dicit
inferius: & quidem male: hic autem dixerat recte ἑξάγιον vel σάγιον & *Sex-
tulam* pro nummo eſſe ipſum Solidum. non partem Solidi. Et, ut appa-
reat, non calamum ſolummodo, ſed & mentem ſummi viri aberraſſe, ſub-
„ jicit: Quemadmodum *Sextula* non ſolum Unciæ, ſed etiam Solidi eſt
„ pars: ita ἑξάγιον, non ſolum Solidi, ſed & Unciæ eſt ſexta pars in Appen-
„ dice Nicandri. Recte appendix illa: ἡ οὐγκία σάγια ἕξ· quod nihil aliud
eſt quam Unciam habere ſex ſextulas. At nuſquam ἑξάγιον dicitur ſolidi
pars ſexta, quemadmodum nec *Sextula:* ſed ipſe Solidus Græcis ἑξάγιον,
Latinis *Sextula,* quia erat auri Unciæ ſexta pars, drachma & triente drach-
mæ, hoc eſt, quatuor ſcriptulis, conſtans. Rurſus falſum eſt in illo, unde
digreſſi ſumus, loco follem valuiſſe duobus ἀργύροις· nam follis erat uncia
æris, ἄργυροι autem iſti ſignificant minam argenti. Ex quo etiam apparet,
quam falſum ſit duos ἀργύρους idem eſſe quod tetradrachmum: illæ enim
duæ minæ ſunt, hoc quinta & viceſima pars unius minæ. Hic deceptus eſt
corruptis Epiphanii verbis: Φόλλις ὃ βαλάντιον καλεῖται· διπλοῦν δέ ἐστιν· τὸ ὑπὸ
δύο ἀργύροιν συγκείμενον, οἳ γίνονται στη δηνάρια· καὶ φόλλις δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρι-
ερισμόν,

ρισμὸν, ἀλλ' οὐ καὶ ἀργυρισμόν. Sic legit vulgato vulneri addens vulnus, & „Duplicem, inquit, facit: communis appellatio utrique τοῦ βαλαντίου, id est, „Follis: alterum duorum didrachmorum, alterum duorum minutorum. Nihil hic boni, nisi quod βαλάντιον fecit ἀντὶ τοῦ ταλάντιον, quod vulgo habebatur. Reliqua scribenda ex MSS. ut docuit Salmasius in Confutatione: Φόλλις, ὃ καὶ βαλάντιον· διπλοῦν δέ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργύρων καὶ ἥμισυ συγκείμενον, οἳ γίνονται σν δηνάρια. Φόλλις κατὰ τὸ δηναρισμὸν, ἀλλ' οὐ καὶ ἀργυρισμόν. Hic follis nihil habet commune cum eo folle, de quo agimus: non est enim nummus, sed summa pecuniæ, duas minas & dimidiatam, seu ducentos quinquaginta denarios complexa. Ἄργυρον autem vel ἀργυροῦν minam esse testis & Hero: Μέγα δὲ ἐστὶν ἀργύριον ὃς ἐκλήθη ἀργυροῦς δηναρίων ἑκατόν· ὃ δὲ ἀργυροῦς μνᾶ παρ' Ἑβραίοις καλεῖται. Neque aliter accipio eandem vocem in alio Epiphanii loco: Δίχρυσον δὲ ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ἀργυροῦ· τὸ δὲ ἀργυροῦν τοῦτο ἐστὶν ὃ Ῥωμαῖοι μιλιαρήσιον καλοῦσιν. Versio antiqua: *Bisaureum vero antiqui vocabant argentei medietatem, id est,* δίχρυσον· *argentea vero sunt quæ miliarensia vocant.* Verum est, quod utroque membro hujus orationis pronunciatur: nempe & δίχρυσον esse τὸ ἥμισυ τοῦ ἀργυροῦ, & τὸ ἀργυροῦν esse milliarensem: sed non de eodem ἀργυρῷ accipiendum est: nam priore loco ἀργυροῦς est mina, posteriore loco τὸ ἀργυροῦν νόμισμα appellatur, ut milliarensem vocat & Zonaras in Anastasio Dicoro: ἐπεπράττετο φορολόγημα, ὑπὲρ ἑκάστου μὲν ἀνθρώπου νόμισμα ἀργυροῦν, τὸ δ', αὐτὸ καὶ ὑπὲρ ἵππου ἡμιόνου τε καὶ βοός· ὑπὲρ ὄνου δὲ φόλλεις ἕξ· ὁμοίως δὲ καὶ ὑπὲρ κυνός. Mina sive ἀργυροῦς, centum denarii: dimidium minæ, τὸ ἥμισυ τοῦ ἀργυροῦ, quinquaginta denarii. Priscus autem aureus Romanis viginti quinque denariorum: ergo duplex ille aureus, δίχρυσος, quinquaginta denarii, ἥμισυ τοῦ ἀργυροῦ, dimidium minæ. *Formas binarias* vocat Lampridius. Ambrosius *biniones* in Hegesippo lib. v cap. XXIV. *Nam cum ex his plerique accepto cibo alvum purgarent, egesserunt aliqui biniones aureos, quos absorbuerant, cum adornarent fugam.* Ita enim legendum, ubi vulgo editur *bimones.* Margo MS. explicat *percussuras duas.* Adduxit locum Epiphanii Salmasius adversus Cercoetium: sed non interpretatur: immo perperam ait describi hic milliarensem, sed non illum minutum argenteum, qui tum vigebat, verum alium jam antiquatum & majorem, qui & δίχρυσος vocatus sit. Nunquam enim δίχρυσος vocatus milliarensis. Denique & falsum est, quod in fine de folle ait Scaliger, posse eum cum Zonara τετρακεράτιον vocari. Verba Zonaræ: Τοὺς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπισήμους ναυκλήρους συναγαγὼν, δέδωκεν ἐπὶ τόκῳ τετρακεράτιον τὸ νόμισμα. Ubi τετρακεράτιον sunt duo milliarenses, quod non magis potest vocari *Follis*, quam XLVIII folles possunt poni pro uno. Perinde est ac si diceret: *dedit eis pecuniam fœnori sub centesimis & trientibus & quaternis sextulis usuris.* In singulos solidos pendebant duos milliarenses: ergo in centum solidos pendebant ducentos milliarenses. Hi conficiunt sedecim solidos & octo milliarenses. Sedecim in centum sunt *centesimæ &*

trientes usuræ. Octo milliarenses his accedentes rationem quaternarum sextularum habent. Nam unus solidus in centum faceret uncias usuras: harum octo partes duodecimæ, quia duodecim milliarensibus impletur solidus, sunt octo milliarenses. Itaque eæ sunt *usuræ quaternæ sextulæ*, ut cujusvis unciæ duæ duodecimæ sunt sextula, quatuor duodecimæ, sunt binæ sextulæ, octo duodecimæ sunt quaternæ sextulæ, duodecim duodecimæ sunt senæ sextulæ, quibus constant uncia. Sunt, ut nos loquimur, in centenos „ senideni & duæ tertiæ unius. *Tremissis* est, inquit, tertia pars solidi, du„ plum follis argentei, semuncia argenti, tetradrachmum. Mendose *tremissem* dicit duplum follis argentei; nullus enim follis argenteus, nummus: sed *Follem* dicit Epiphanius interdum accipi pro duobus argenteis & semisse: hoc est, duabus minis & dimidiata: itaque hujus follis duplum nequit esse tremissis; qui triens solidi, & propterea valebat quatuor milliarensibus, follibus XCVI. Mendose *tremissem* esse semunciam argenti: non erat enim neque materia, quia aureus erat & constabat auri scriptulo uno ac triente scriptuli; neque pretio, quia semuncia argenti milliarenses duo semis (quinque enim milliarenses faciebant unciam) *tremissis* autem quatuor milliarensibus æstimabatur. Idem vitium est in vocabulo tetradrachmi: nam tetradrachmum est argenti semuncia. Et tamen hic quoque videtur immemor eorum, quæ supra tradidit. *Siliquam* voluit esse drachmam; *milliarensem*, qui siliquas habet duas, δίδραχμον· *follem* duplum ad milliarensem, constantem duobus ἀργύροις, id est, tetradrachmo, ut loquitur. Jamque hujus follis cum duplum faciat tremissem, tamen dicit semunciam argenti, tetradrachmon. Atqui jam *follem* fecerat duorum didrachmorum, *tetradrachmum*, semunciam. Necessario itaque ex ipsius ratione tre„ missis octo drachmarum erat faciendus. Secunda divisio solidi (per„ git) est κατὰ δηναρισμὸν, in æreolos & stipes, quas χαλκία Græ„ ci vocant. Utitur quidem verbo Epiphanii: sed ad longe aliam rem: nam illi φόλλις κατὰ δηναρισμὸν est summa, fiscus aut saccellus certo denariorum argenteorum numero constans: huic solidus κατὰ δηναρισμὸν est partitio solidi in æreos denarios minimæ stipis. Ultimis temporibus pro exigua stipe usurpatum *denarium* & *sestertium æris* ex augusta historia probat. Sed hi denarii sestertiique non erant adeo viles & parvi, ut multa eorum millia uno „ mutarentur solido: folles enim erant unciam pondo. Quia arbitrarius fuit „ modus stipis & denarii, inquit, propterea & arbitrarius est modus τοῦ δηνα„ ρισμοῦ in solido dividendo. Quid hoc est, arbitrarium fuisse modum stipis & denarii? An stipem facit collationem, in qua liceret cuique conferre quantum vellet? An vult in monetariis officinis licuisse plumbeæ stipis facere quantum liberet? An quid valerent nummi æreoli, & quo numero responderent auro & argento & æri graviori signato, lege definitum non fuisse, sed à vulgi arbitrio pependisse? Sed tamen arbitrarium fuisse modum τοῦ δηναρισμοῦ

ναρισμȣ̃ in solido dividendo confirmat ex eo, quod apud Epiphanium
„ πετράδραχμον sive follis argenteus valet denariis CCLXXXVIII: eoque
„ drachma sive κεράτιον, pars XXIV solidi erat denariorum LXXII, & solidus
„ MDCCXXVIII: at Cassiodoro solidus sex millia denariorum. *Follis argenti κατὰ δηναρισμὸν*, de quo Epiphanius, nihil ad πετράδραχμον· nec *follis* ille, quasi species nummi, dicitur bene valere tot denariis: sed erat primum summa saccello inclusa; dein ipse numerus sine saccello: præterea numerus ille erat verorum argenteorum denarium CCL: non σπη, ut credidit Scaliger. Itaque frustra ab eo folle, quasi tetradrachmo, progreditur ad drachmam, sive κεράτιον (nec κεράτιον solidi drachmam facere supra diximus) frustra à drachma ad solidum: frustra Cassiodorum Epiphanio diversum ponit, qua-
„ si eadem de re uterque agerent. Apud Hesychium, inquit, solidus voca-
„ tur τάλαντον· idque ab eo dividitur in Λεπτὰ, Νȣ́μμȣς, Κοδράντας, Ἀσσάρια. Immo nunquam solidus dictus est talentum: sed verum talentum Hesychio est sex millium λεπτῶν sive drachmarum vel veterum denariorum, Λεπτὸν quatuor nummorum sive sestertiorum, Νȣ̃μμος quatuor quadrantum sive assium quadrante unciæ æris constantium, Κοδράντης duorum aliorum λεπτῶν, trium νȣμμίων, aut νομισμάτων, ut alibi appellat, sex κόκκων, vel κοκκίων. Sed non paucæ, inquit, ἀντιλογίαι sunt in eo, & non constat sibi.
„ Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τȣ̃ φόλλεως, ἢ λεπτόν. Τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντȣ. Ἔστι δὲ τὸ λεπτὸν νόμισμα ἓν ἥμισυ, ἢ κόκκοι τρεῖς. Hæc omnia vera sunt, modo ne misceantur, & ad suum quodque referantur locum. Κοδράντης, τὸ πᾶν, nempe ut in Euangelio: ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην· id est, omne omnino debitum, ne quadrante quidem uno de ultima pensione remisso. Ἢ τὸ τέταρτον τȣ̃ φόλλεως, quia follis uncia æris, cujus quarta pars Κοδράντης, as sicilico constans. Ἢ λεπτὸν, prout nempe λεπτὸν accipitur pro didrachmo, de quo infra. Τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντȣ, quoties scilicet accipitur pro drachma. Λεπτὸν νόμισμα ἓν ἥμισυ, dimidium τȣ̃ Κοδράντȣ, cui tria νομίσματα vel νȣ́μμια tribuit. Κόκκοι isti vel κοκκία videntur esse qui Cassiodoro denarii. quos tres λεπτὸν, sex Κοδράντης, viginti quatuor follis habuit: eoque solidus sex millia octingentos duodecim. Tot enim efficiunt vicies quater CCLXXXVIII, quod erant in solido folles. Et pondus fuit scriptulum æris. Rotundo numero dicebant sex millia. Sed supra hunc numerum longe patuisse ex eo liquet, quod interdum septem millibus æstimatus solidus, ut
„ constat ex Novella Theodosii. At Scaliger: Ait quadrantem ab aliis pro
„ toto folle, ab aliis pro quarta parte follis accipi. Non ait: nam τὸ πᾶν non totus follis, sed totum cujusque rei, ut ἔσχατος κοδράντης in Euangelio.
„ Alias esse λεπτὸν, quæ sit pars sexies millesima ταλάντȣ, id est, solidi. Tolle, id est, solidi: falsum enim, & talentum proprie ac simpliciter Hesychio
„ sex millia drachmarum. Ergo κοδράντης (pergit) Λεπτὸν, Νόμισμα est de-
„ narius Cassiodori. Nequaquam: nam denarius Cassiodori minimum est

æris ſignati, quod in ſolidum tanto numero veniebat, & forte Heſychii κόκκος· non vero κοδράντης, neque λεπτόν. Τὸ δὲ τάλαντον λίτραι ἑκατὸν εἴκοσι
„ πέντε. Hæc, inquit Scaliger, non pertinere ad hunc locum vel cæco patet,
„ & ex alio loco huc infarta ſunt: hic enim περὶ ταλάντου νομίσματος, non de
„ ponderali agitur. Immo de vero talento ſermo eſt, quod Alexandriæ erat cxxv librarum Romanarum: itaque nihil infartum. Ὁ δὲ κοδράντης νομίσμα-
„ τα τρία· hæc νομίσματα alibi νουμμία vocat. Itaque ſolidus dividitur in qua-
„ drantes ſexies mille, νουμμία decies octies millia. Prius ſtatuerat κοδράντην & νόμισμα idem eſſe, quod jam rejecimus: nunc dicit in ſolido eſſe quadrantum 6000, νουμμίων 18000. Hoc quoque neutrum verum eſt: nam κοδράντας hujuſmodi ſolidus habebat mille centum quinquaginta duos: hic enim numerus efficitur ex quater ducentis octoginta octo, quot folles erant ſolidi: cujuſque autem follis quatuor quadrantes. Νουμμία autem quum tantum tria eſſent ſingulorum quadrantum, fuere tria millia quadringenta
„ quinquaginta ſex. Infra: Κοδράντης, τὸ πᾶν, ἢ λεπτὰ δύο. Deeſt τοῦ φόλλεως,
„ & ſumitur pro tota ſtipe, quæ follem conſtituit. Hic vero melius κοδράν-
„ την ait eſſe λεπτὰ δύο. Non deeſt: & utrumque verum: aut omne, ut in Euangelio, aut λεπτόν, quum δίδραχμον ſignificat Λεπτὸν, aut λεπτὰ δύο, vel
„ quum λεπτὸν drachma, vel quum λεπτὸν νόμισμα ἓν ἥμισυ. Ergo talentum
„ ſive ſolidus dividitur εἰς κοδράντας ϛ VI M. εἰς λεπτὰ ιβ. XII M. εἰς νουμ-
„ μία ιη. XVIII M. Male ſubductum, quia male inita ratio. Mox poſt-
„ quam recte legit in Heſychio: ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου, Contradicit, inquit,
„ ſibi: immo δωδεκαχιλιοστὸν ταλάντου. Haudquaquam: ſex millia drachmarum ſui generis omne habet talentum. Alibi Heſychius: Ἀσσάριον δὲ λεπτὸν ἕν εἰσιν, ἤγουν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου· ὅ ἐστιν ἓν ἥμισυ λεπτοῦ· τὰ δὲ δύο λεπτὰ Κοδράντης εἷς, ἤγουν νουμμία τρία. Nugatoria vere appellat ὅ ἐστιν ἓν ἥμισυ λεπτοῦ· ſed le-
„ gendum cum Salmaſio: Ἔστι δὲ καὶ λεπτὸν νόμισμα ἓν ἥμισυ. Ultima, inquit
„ iterum, ſtatuunt Quadrantem & Aſſarium ſexies milleſimam partem ſoli-
„ di, ut Caſſiodoro, Λεπτὸν duodecies milleſimam, νουμμίον, ſive ut alibi vocat
„ κοκκίον decies octies milleſimam. Falſum: quia folles ſolido CCLXXXVIII, folli quadrantes quatuor: quadranti nummia tria, ſolido igitur nummia tria
„ millia quadringenta quinquaginta ſex. Follem autem æreum (addit) He-
„ ſychius videtur facere eundem Quadranti, quum ait eſſe λεπτῶν δύο. At-
„ qui λεπτὰ δύο Epiphanio φόλλις κατὰ διωαρισμόν. Non dicit hoc Epiphanius, niſi in exemplari corrupto. Φόλλις κατὰ διωαρισμὸν eſt ὁ συγκείμενος ἐκ δύο καὶ ἥμισυ ἀργύρων· Φόλλις καὶ ἀργυρισμὸν, ὁ συναγόμενος ἐξ ἀργυρίων λεπτῶν, μιλιαρησίων καλουμένων. Fuerunt autem non δύο illa λεπτὰ, ſed cxxv, ut conſtat ex Gloſſis Nomicis. Quæ λεπτὰ appellat, quia loco illorum, quæ quondam *Minuta* vocabantur, denariorum, introducta ſunt: quibus & ipſis nomen quondam milliarenſibus datum eſt. Hic locus eſt ſubmonendi aliquid de cauſis, quibus inducta ſequior ætas vocabula ponderum mirifice confu-

dit, & quæ priores ſeparatim alia auro & argento, alia æri applicuerunt, promiſcua fecit. As ex libra æris rudis, quum adpendebatur ac per æs libram pondo attribuebatur, factus eſt libra æris ſignati ſub Servio Tullio, & tum appendi deſiit: bello Punico primo factus eſt ſextantarius: ſecundo & dictatore Q. Fabio Maximo uncialis: denique lege Papiria ſemuncialis. Sub Imperatoribus Antoninis quadrante unciæ æris contentus fuit: ſed & pro ſeſtertio exſtitit follis ex uncia æris, eique quatuor ſubjecti aſſes quadrantarii, ut ſeſtertius argenteus quatuor habuerat aſſes ſemunciales. Hic follis & *denarius æris* & *ſeſtertius* & *obolus* appellari meruit: item *quaternarius*, *follaris*, *teruncianus*. Quod igitur as eſſet ſicilicum pondo, ſeu quadrantem unciæ æris, hinc factum ut Græcis ſcriptoribus poſterioris ævi nummorum & ponderum nomina interpretantibus Κουαδράντης & Ἀσσάριον pro eodem ponantur. Euſebius περὶ σταθμῶν· Ἀσσάριον γο τὸ δ. Κοδράντης γο τὸ δ. Hoc eſt, Ἀσσάριον οὐγκίας τὸ τέταρτον. Κοδράντης οὐγκίας τὸ τέταρτον. Heſychius: Κοδράντης, τὸ τέταρτον τοῦ φόλλεως. Appendix Nicandri: Ὁ στατὴρ ἀσσάρια δύο· ἡ οὐγκία στατῆρας δύο. Nam uncia octo drachmæ, ſtater tetradrachmus: iſque habet duo didrachma, ſive quadrantes unciæ. Rurſus Euſebius: Διωσάριον, γο δ. id eſt. Διωσάριον, οὐγκίαι τέσσαρες. nam quatuor unciæ ſedecim habent quadrantes: ſedecim autem aſſibus quadrantariis cenſebatur denarius: & ſic quatuor unciis æris. Hinc & Ἀσσάριον argenti, didrachmum, ſive quadrans unciæ argenti. Lexicon vetus: Ἀσσάριον τοῦ χαλκοῦ, φόλλεως τὸ τέταρτον· ἀσσάριον ἀργύρου, σταθμὸς γραμμάτων ἕξ. Suidas: Ἀσσάριον τοῦ χαλκοῦ, φόλλεως τέταρτον· ἀσσάριον ἀργύρου λεπτῶν ἑπτά. Hinc & κουαδράντης in argento. Auctor incertus: Ὁ στατὴρ νομίσματα τρία, ὅ ἐστι δραχμαὶ δύο, ὃ καὶ καλεῖται κουαδράντης. Alius: ὁ κοδράντης καλεῖται σίκλον· ἐστὶ δὲ τὸ τέταρτον οὐγκίας. Miraberis forſan, cur ſtater dicatur νομίσματα τρία. Tranſit Salmaſius, ex quo adverſus Cercoetium hæc loca accepi. Rem tamen, opinor, teneo. Νόμισμα, ἑξάγιον· Νομίσματα τρία ſunt hic tres ſextulæ: quod unciæ dimidium eſt. Solidus dicebatur Græcis ἑξάγιον, Latinis *Sextula*, quia habebat ſextulam auri, ſeu unciæ auri partem ſextam. Sex ſolidi conflabantur ex uncia, ut LXXII ex libra. Idem autem Solidus centies Græcis ſcriptoribus Νόμισμα. Ergo ut *Sextula*, Ἑξάγιον, commune vocabulum ſextæ partis de quavis uncia, ἀντὶ τοῦ Νομίσματος, pro ſolido ponitur: ita viciſſim Νόμισμα pro Sextula cujuſvis unciæ, ἀντὶ τοῦ ἑξαγίου. E quadrantariis degeneravit as in octavam unciæ æris, quod pondus in argento habuit denarius. Inde Διωσάριον, Ἀσσάριον, Δραχμὴ, Λεπτὸν idem interdum. Hero: Τάλαντον τοῦτο ρκε λιτρῶν ὑπάρχει· κατὰ δὲ λεπτότητα ἐν τῷ νομίσματι εἰς λεπτὸν κοπείσας, εἰς ϛ διαιρεῖται, ἃ καλεῖται ἀσσάρια. Epiphanius: Ἑξακισχίλια λεπτὰ τοῦ ταλάντου, ἃ λεπτὰ καλεῖται ἀσσάρια. Heſychius: Ἀσσάριον καὶ Λεπτὸν ἕν εἰσιν, ἤγουν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου. Ubi λεπτὰ illa & ἀσσάρια ipſæ ſunt argenteæ drachmæ: quod nimirum as ad drachmam, hoc eſt, octavam unciæ æris, dimidiatum ſicilicum, aliquan-

aliquando pervenerat. Hinc & Κοδράντης, λεπτὰ δύο. Hesychius: Τὰ δὲ δύο λεπτὰ κουαδράντης εἷς, ἤγουν νουμμία τρία. Si λεπτὰ argentea intelligis, drachmæ sunt, & κουαδράντης sive Κοδράντης didrachmum: si ærea, hujusmodi asses & Quadrans quarta pars follis, qui prius fuerat assarius. Et quia hac ratione Ἀσσάριον & Διωάριον pondus idem, inde regressus licentior ad superius factus, & διωάριον quoque positum pro assario sicilico æris, seu qui haberet quadrantem unciæ, drachmas duas. Appendix Nicandri: τὸ ἀσσάριον, διωάριον, ἤγουν στάγιον ἓν ἥμισυ. Et iterum: τὸ κοχλιάριον, διωάριον, ἤτοι στάγιον ἓν ἥμισυ. nam quia uncia habet sex sextulas sive στάγια, didrachma quatuor, unum στάγιον cum dimidiato facit didrachmum, tria tetradrachmum. Hinc & Scholiastes Juvenalis ad Sat. VII. *QUADRANS. Denarius. inde* κοδράντης. Ita enim scribendum, quod vulgo Latinis literis *quadrantes*. Eodem referendum, quod & Λεπτὸν assario, octavo unciæ vel δραχμῇ par natura, pro didrachmo accipitur in veteri fragmento de ponderibus: Λεπτὸν δὲ σταθμίον οὐγκίας τὸ τέταρτον· περὶ οὗ ὁ Κύριος λέγει· οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; Inde denique *obolus*, qui sub drachma & denario drachmali olim ponebatur, sed sexies, sub eodem διωαρίῳ, sed didrachmum significante, retentus, sed bis: nimirum ut ipsam significaret drachmam. Hero: Ἄλλως δὲ πάλιν μερίζεται ἡ οὐγκία παρ᾽ Ἑβραίοις εἰς στατῆρας β. ὁ δὲ στατὴρ ἔχει σίκλους β. τὸ δὲ σίκλον ἔχει λεπτὰ δύο· τὸ δὲ λεπτὸν ὁλκὴ μία ἐστίν· ἔστι δὲ ὄγδοον τῆς οὐγκίας. παρά τισι δὲ καὶ ὀβολός. Fragmentum incerti περὶ σταθμῶν· Ὀβολὸς ὁ ἐξ ἀργύρου ἄγει γράμματα τρία· ὁλκὴ ἄγει γράμματα τρία· Quæ ὁλκὴ etiam ipsa drachma. Aliud: Ὀβολὸς ὁ ἐξ ἀργύρου ἄγει γράμματα τρία, ὁμοίως καὶ ἀπὸ σιδήρου, καὶ ἄλλος ὀβολὸς καὶ ἐν ἀργυρείοις ἐκτετύπωται· ὄγδοον δὲ ἦν καὶ οὗτος τῆς οὐγκίας. Eusebius: Ὀβολὸς λεπτὸς, ὀγδοηκοστὸν τῆς γο, sive οὐγκίας. Hinc quacumque via acceperunt Franci Galliæ domitores, ut & ipsi denarium suum partirentur in duos obolos.

CAPUT IV.

De Ceratiis, Denariis, Granis nostrorum artificum.

Artifices ad significandam interiorem auri argentive bonitatem, & ad distinguendos gradus mixturæ utriusve cum sequiore metallo in moneta, utuntur propriis vocabulis *carattarum, denariorum, granorum. Carattas* auri dividunt in duodecim *grana: denarios* vel *penningos* argenti in XXIV *grana*. Sic aurum purissimum & omnibus partibus suum dicunt *XXIV carattarum:* quod minus sincerum est, dicunt verbi gratia *XXIII carattarum, sex granorum*, cui scilicet carattæ semis, sex grana, pars octava & quadragesima subest alterius materiæ: *XXIII carattarum, octo granorum*, cui carattæ vel vicesimæ quartæ partis triens: *XVIII carattarum*, cui sex vicesimæ quartæ, vel totius massæ quadrans. Argentum merum & optimum nuncupant *XII denariorum:* infe-

inferiore nitore *XI denariorum & aliquot granorum*, cui nempe aliquot duodecimæ partis quartæ & vicesimæ particulæ ad summam bonitatis desunt: *XI denariorum*, cujus duodecima pars non sua est. Et sic deinceps. Omne autem signatum, immo & factum, aurum & argentum temperatum est: hoc magis, illud minus. De his vocabulis, quam bene sint huic rei aptata, unde orta, quomodo Latine reddenda, varie judicant eruditi: Bodinus quidem inciviliter ac rustice, monetis præfectos rem per se clarissimam tenebris plus quam Cimmeriis obscurasse, quo vendibilior esset ars. Quasi non possint eodem jurisconsultorum formulæ frigido joco, & vel primæ, verberari. At M. Tullius ne opificibus quidem irascebatur, quod artificia tuerentur vocabulis incognitis etiam cuivis copiosissimo rhetori, usitatis sibi. Neque est hic obscuritas, nisi illis, quos pœnituit mediocrem impendere operam discendi gratia. Budæus quidem & Portius *carattam* à *ceratio* deflexam viderunt. Portius unciam nunc quoque *charactos* CXLIV continere, quo pondere fere minimo monetarii utuntur, drachmam *charactos* octodecim, ut olim *ceratia*, vel *siliquas*, (non enim unciæ erant CLXIII, drachmæ XX, quod Budæo lib. II excidit) notavit: sed de *carato* pondere nunc non agimus. Budæus & carattam & denarium appellat *scripulum*: & ne sine auctoritate loqui putetur, adpositis verbis Plinii: *His coticulis periti quum è lima rapuerint experimentum, protinus dicunt, quantum auri sit in ea, quantum ar-* „ *genti vel æris, scripulari differentia: Scripulum* dixit, inquit, quod *carattam* „ nostri dicunt. Ergo Mat. Hostus: Hoc ceration, minuti ponderis vocabulum veteres Latini *scripulum* appellant. Ubi vero? Nec potest excusari Budæus, nisi dicamus illum utrumque vocabulum laxe, non pro certa, sed pro minima parte accepisse. Alioqui *scripulum* est vigesima quarta pars unciæ, *caratta* vigesima quarta pars marcæ, & dein cujusque massæ auri: præterea *scripulum* habet sex ceratia. Idem aurum *duodevicenarium, vicena-* „ *rium, undevicenarium* appellare cœpit. Sed & de argento: Massam in *duo-* „ *dena denaria* partiuntur, quæ Latine *duodena* sunt *scripula*. Hæc quam dura sint, nemo non videt. G. Agricola accuratior carattas vocat *binas sextulas*. Nimirum aurum purissimum est, quum in Marca, hoc est, octo unciis, sunt quatuor & viginti carattæ. Tot *duellæ* vel *binæ sextulæ* sunt in octo unciis: nam in singulis tres: ter autem octo sunt XXIV. Ita aurum quatuor & viginti *duellarum* vel XXIV *binarum sextularum* recte dici videtur id ipsum, quod hodie est totidem carattarum. Quum dicimus aurum XXII carattarum, intelligimus Marcam hujus auri habere suæ naturæ binas sextulas sive duellas tantum duas & viginti: duas vero duellas vel quaternas sextulas, hoc est, duas carattas, in octo unciis esse materiæ secundæ. Sic Hungaricos, Hispanos, Turcicos, Venetos ducatos signari scribit Agricola ex auri besse Noribergio, in quo insunt argenti *sex binæ siliquæ*, id est, *sextula*, quæ sit octava & quadragesima pars. *Bessem* appellat Marcam: *binas*

ſiliquas, granum: *ſextulam*, dimidiatam carattam. Ne quis erret Romanas *ſiliquas* aut *ſextulas* intelligendo & referendo ad aſſem: tum enim *ſextula* non ſex modo, ſed duodecim binas ſiliquas habet, atque eadem ſextula eſt aſſis pars LXXII. Sed ducatos ponit hos XXIII carattarum & ſex granorum, cui dimidiata caratta ſeu ſex grana deſunt: reprehenſus eo nomine à Budelio. Sic ducatos Romanos, Bononienſes, Lucenſes, Mediolanenſes, formari narrat ex beſſe, in quo *tria ſcriptula argenti*, id eſt, ſecunda & triceſima pars. Intelligi vult illos carere novem granis; habere autem carattas XXIII & tria grana, admixtis, quot dixi, granis argenti. Sunt autem novem grana pars ſecunda & triceſima XXIV carattarum: quippe tricies bis novem ſunt CCLXXXVIII, qui numerus granorum in XXIV carattis. Dividit hanc *ſextulam* in quatuor *bina ſcripula*, quum alioqui ſextula quatuor ſcripulis, non octo abſolvatur. Francicos coronatos & Burgundicos fieri ex beſſe, in quo inſint argenti *tres ſextulæ*. Significat aurum XXII carattarum & ſex granorum. Eam ſextam decimam dicit portionem: nam ter ſedecim ſunt XLVIII: viginti autem quatuor carattæ vel binæ ſextulæ habent XLVIII ſextulas. Beſſem, unde Italici coronati ſignantur, fovere ait argenti *quinque ſextulas*: id aurum eſt viginti unius carattarum, ſex granorum. Partem eſſe dicit nonam & tres quintas nonæ partis. Novies quinque ſunt XLV: quibus ſi accedant tres, fiunt XLVIII. Sed nona ſunt duæ carattæ & dimidiata: novies duæ ſunt XVIII: novem ſemiſſes, quatuor carattæ & ſex grana; junctim, XXII carattæ & ſex grana. Duæ & dimidiata conficiunt grana XXX: quinta hujus numeri ſunt ſex: ſexies enim quinque ſunt triginta: tres quintæ, octodecim: quot grana ſi addantur XXII carattis & ſex granis, exiſtunt XXIV. Nonnullos minus argenti continere, ſed qui minimum, *quaternas ſextulas*, id eſt, duodecimam partem: binas enim ſextulas ei diximus eſſe carattam, partem XXIV. Renanos ſignari ex beſſe, cui inſint *ſex binæ ſextulæ* argenti, id eſt, quarta pars. Nimirum octodecim carattarum vult, ut ſex deſint: quater autem ſex ſunt XLVIII. Denique Philippos Brabantinos & Wilhelmos Hollandicos confici ex auri beſſe, cui quindecim auri *binæ ſextulæ* inſint, novem argenti. Puta totidem carattas adeſſe & abeſſe. In *binis ſextulis* conſtat ratio, uti diximus: habet enim bes XXIV binas ſextulas: ſed earum diviſio in quatuor *bina ſcripula*, & binorum ſcripulorum in tres *quaternas ſiliquas*, parum convenit mori Romano: nam ſextula tantum quatuor ſcripula, ſcripulum ſex ſiliquas habet. Argenti denarios idem Agricola vocat *quinas drachmas & ſingula ſcripula*. Videlicet bes ſive octo unciæ continent LXIV drachmas. Duodecies quinque ſunt LX: duodecim ſcripula ſunt quatuor drachmæ, quia cujuslibet drachmæ tria ſcripula. Sic duodecima pars beſſis, ut duodecim denariis puriſſimum argentum æſtimatur, atque adeo denarius, *quinæ drachmæ ſcripulum*. Grana autem vocat *quaternas ſiliquas*: nam quinquies

quies octodecim conficiunt nonaginta : tot ergo *quinque drachmarum* siliquæ, quum singulis debeantur octodecim. *Scripulum* addit sex siliquas : ita ut quinque drachmarum & scripuli sint XCVI siliquæ. Jam quater viginti quatuor eundem numerum efficiunt : & denarii sunt viginti quatuor grana. Car. Molinæo magis placet in his vulgatum vocabulum *characti*, quum sit ad hoc natum & inventum, quam Græcum κεράτιον; diversitate autem numeri in carattis & denariis ostendi graduum bonitatis auri duplam esse habitudinem ad argentum, in quo duodecim modo gradus numerentur : & rationem esse non solum auri pretium majus, sed ipsam quoque naturam & proprietatem ejus, quod latius diducatur, in numerosiores partes spargatur, purius excoquatur & repurgetur quam argentum. Quod Budelius etsi reprehendit, laudatque hæc vocabula tamquam accommodatissima & convenientissima, vixque alium autumat modum tradi posse, per quem rectius & perfectius res explicetur, originis eorum tamen securus transit. Jac. Capello *siliqua* Venetorum & *caractus* aurificum sunt ponderum vocabula, quæ quatuor grana Romana pendunt, quemadmodum Κεράτιον quatuor Attica, unde & nomen ob analogian acceperint : at *charactus* (ita enim se scribere malle) est vocabulum aurificibus itidem peculiare ad designandam auri notam sive indicaturam, quo significetur vicesima quarta cujuslibet aurei corporis pars. Quod ad scripturam attinet, videtur ei tale quid in mentem fuisse, quale est, quod exprompsit Lud. Savotus, qui rejecta eruditorum, *carattam* ἀπὸ τοῦ κεράτιον derivantium, sententia opinatur, potius esse deducendam ab alia voce Græca χαράτζιον, nummum significante stati cujusdam tributi aureum : quemadmodum enim ad gradus meri in argento pronunciandos placuerit nummi nomen *Denarius*, ita credibile esse etiam nummi vocabulum in auri sincero definiendo placuisse, præsertim aurei, quum ultimis imperii temporibus indictiones omnes fierent in auro. Sic ille. At ego censeo τὸ χαράτζιον nihil esse aliud quam κεράτιον, etsi sono barbariore prolatum. Sunt qui speraverunt se mirifice esse loquutos, quum carattam reddiderunt, *obrussam nativam*, *obrussam naturalem*, *cocturam naturalem* : & *aurum obrussæ vicenariæ binariæ*, *vicenariæ ternariæ*, & *vicenariæ ternariæ dodrantalis*, quod postremum sit XXIII carattarum & novem granorum. Restant nostræ partes. Censemus igitur artifices, qui primi constituere istos metalli pretiosi gradus, in auro habuisse ob oculos solidum aureum Romanum : ut enim ille erat viginti quatuor ceratiorum, CCLXXXVIII follium ; sic hi Marcæ, & hinc cujusque massæ solidæ quartam & vicesimam partem dixerunt *carattam*, & carattæ dederunt duodecim *grana*, ut ceration quodvis Romanum habebat duodecim folles, ita ut Marcæ totius sint CCLXXXVIII grana. Est igitur *caratta* αὐτότατον κεράτιον, ut sine religione hoc vocabulo pro illo uti liceat. Et accidit huic voci prorsus idem, quod olim *libellæ*, *sembellæ*, *teruncio*,

 quod

quod inter istud ipsum tempus, quo *cerration* sic accipi cœptum est, *libræ*: quæ vocabula ob numerum, quem faciebant in eo genere, in quo primum & proprie usurpata sunt, ad alia genera transtulere. Ut vero his *carattis* & earum ex numero varietatibus commoda nomina inveniamus, Marcam, non ut unciam cum Budæo, non ut bessem cum Agricola, sed ut assem consideremus, oportet: sic enim faciebant Romani in partibus cujuscumque rei certa appellatione signandis: omne integrum sibi ut assem proponebant. Quum denarii minutiis, quum solidi in rationibus nomina quærerent, non denarium pro octava unciæ argenti parte, non solidum pro sextula, sed utrumque pro asse tractarunt. Hoc modo si Marcam, tanquam assem, diviserimus, apparebit & veterem Romam nobis reliquisse, quo eosdem gradus, quos artifices *carattis* & *granis* definiunt, eleganter Latino sermone explicare possimus, ita ut à puero Romano liberaliter educato & erudito intelligamur. Sit igitur *As* auri marca, cujus sunt XXIV ceratia, CCLXXXVIII grana. *Deunx*, viginti duo ceratia, CCLXIV grana. *Dextans* XX ceratia, CCXL grana. *Dodrans*, XVIII ceratia, CCXVI grana. *Bes*, XVI ceratia, CCXCII grana. *Septunx*, XIV ceratia, CLXVIII grana. *Semis*, XII ceratia, CXLIV grana. *Quincunx*, X ceratia, CXX grana. *Triens*, VIII ceratia, XCVI grana. *Quadrans*, VI ceratia, LXXII grana. *Sextans* IV ceratia, XLVIII grana. *Uncia*, II ceratia, XXIV grana. *Semuncia*, ceration, XII grana. *Sicilicus*, dimidiatum ceration, sex grana. *Drachma*, quadrans ceratii, tria grana. *Sextula*, triens ceratii, quatuor grana. *Binæ sextulæ*, bes ceratii, octo grana. *Dimidiata sextula*, sextans ceratii, duo grana. *Scriptulum* granum, duodecima ceratii. Sic igitur Hungaricos ducatos, quos Agricola facit XXIII ceratiorum, sex granorum, dicemus Latine habere auri *deuncem semunciam sicilicum*: deest sicilicus. Nostri artifices illis attribuunt XXIII carattas, octo grana, id est, *deuncem semunciam binas sextulas*: deest sextula. Quibus relinquit carattas XXIII & tria grana nomine *trium scriptulorum* argenti, Latinius habere dicemus *deuncem semunciam drachmam*: desunt tres drachmæ. Coronatos Francicos, quibus dat XXII ceratia & sex grana, *deuncem sicilicum*: deest semuncia sicilicus. Coronatos Italicos, quibus XXI carattas & sex grana, *dextantem semunciam sicilicum*: deest uncia sicilicus. Quibus XXII ceratia, *deuncem*: deest uncia. Renenses, quibus XVIII ceratia, *dodrantem*: deest quadrans. Constitutio Imperii dat illis octodecim ceratia, sex grana, id est, *dodrantem sicilicum*: deest sextans semuncia sicilicus. Sic Portugallicos maximos scribunt XXIII carattas & decem grana, id est, *deuncem semunciam sicilicum sextulam*: deest hemisescla. Albertinos faciunt XXI ceratiorum: puta *dextantem semunciam*: deest sescuncia. Pistoletos & Cruciatos & coronatos Cæsareos XXII ceratiorum: dicemus *deuncis*: deest uncia. Pistoletos Italicos XXI & octo grana tradunt habere: id est, *dextantem semunciam binas sextulas*: deest uncia sextula.

ſextula. Daventrienſem aureum ſeptendecim ceratia ſex grana, id eſt, *beſſem ſemunciam ſicilicum:* deeſt quadrans ſicilicus. Sic loquentem adſequerentur Romani. Quum vero ſummam argenti bonitatem conſtituerunt in duodecim *denariis*, ex Francorum moneta mutuati ſunt, quod à Romanis non poterant. Nam Romanis ſolidus argenteus nullus; Francis argenteus ſolidus duodecim denariorum erat. Hinc illi marcæ ſolidæ partes duodecim meras vocavere *denarios*. Quibus quum attribuerunt ſingulis quatuor & viginti *grana*, redierunt ad ſolidum aureum Conſtantini, ut in argento quoque, quia in ſecunda diviſione idem, quod in auro uſurpaverant, nomen retinuerunt, id ſignificaret eandem numero partem, nempe ducenteſimam octavam & octogeſimam, ut in ſolido aureo Romano erant CCLXXXVIII folles. Et certe quoniam hæc vocabula nihil aliud quam partes meri ſignificant, minus elegans fuiſſet, *grana* denotare aliam partem Marcæ in argento quam in auro. Itaque admirandum potius ingenium hominis, qui inſtrumento artis hanc acceſſionem dedit, quam invidia onerandum. Cæterum hic nihilo levius ad ſignificandas illas partes alicui veteris Latii cultori ſerviet nobis as Romanus quam in auro. Marca ſcilicet argenti *as*, duodecim denarii, CCLXXXVIII grana. Ejus *deunx*, undecim denarii, CCLXIV grana. *Dextans*, decem denarii, CCXL grana. *Dodrans*, novem denarii, CCXVI grana. *Bes*, octo denarii, CXCII grana. *Septunx*, ſeptem denarii, CLXVIII grana. *Semis*, ſex denarii, CXLIV grana. *Quincunx*, V denarii, CXX grana. *Triens*, quatuor denarii, XCVI grana. *Quadrans*, tres denarii, LXXII grana. *Sextans*, duo denarii, XLVIII grana. *Uncia*, denarius, XXIV grana. *Semuncia*, dimidiatus denarius, XII grana. *Sicilicus*, quadrans denarii, ſex grana. *Drachma*, ſeſcuncia denarii, III grana. *Sextula*, ſextans denarii, quatuor grana. *Binæ ſextulæ*, triens denarii, VIII grana. *Hemiſeſcla*, uncia denarii, duo grana. *Scriptulum*, granum. Sic Philippus XI denarios & ſex grana argenti habet artificibus, Latine *deuncem ſicilicum:* deeſt ſemuncia ſicilicus. Thalerus imperialis decem denarios & ſedecim grana, id eſt, *dextantem ſemunciam ſextulam*, vel *dextantem quaternas ſextulas:* deeſt ad plenam ſinceritatem uncia binæ ſextulæ. Quadrans ſcutati Gallicus undecim denarios: ergo *deuncem:* abeſt uncia. Regales Hiſpani undecim denarios & quatuor grana: id eſt, *deuncem ſextulam:* deſunt ſemuncia binæ ſextulæ. Carolei Floreni decem denarios: ergo *dextantem:* deeſt ſextans. Schillingus Hollandicus ſeptem denarios: hic *ſeptunx:* & habet hujuſmodi marca quincuncem æris admixtum. Obtinuit in quibuſdam Germaniæ partibus, alia ratio æſtimandi auri & argenti per *Lotos* ſive *Lotones*, ut appellare maluerunt, octodecim granorum ſingulos: unde & *Loticum* aurum vel argentum nuncuparunt, quod Latini *purum putum*. Hi *loti* ut facile rediguntur ad carattas & denarios, ita etiam non ægre aſſi Romano accommodantur. *As* nimirum Marca ſeu Bes

ſedecim eſt lotorum, granorum CCLXXXVIII: hic enim quoque in partitione inferiori ut idem vocabulum, ita numerus idem in ſolido vel ſolida maſſa permanſit, qui in ſolido aureo Conſtantini ſucceſſorum inſtitutus in follibus. *Deunx*, XIV loti & unius bes, CCLXIV grana. *Dextans*, tredecim loti triens, CCXL grana. *Dodrans*, XII loti, CCXVI grana. *Bes*, decem loti & bes, CXCII grana. *Septunx*, novem triens, CLXVIII grana. *Semis*, octo loti, CXLIV grana. *Quincunx*, ſex loti bes, CXX grana. *Triens*, V loti triens, XCVI grana. *Quadrans*, IV loti, LXXII grana. *Sextans*, duo loti bes, XLVIII grana. *Uncia*, lotus triens, XXIV grana. *Semuncia* unius loti bes, XII grana. *Sicilicus*, loti triens, ſex grana. *Semuncia ſicilicus*, lotus ſive octodecim grana. *Drachma*, tria grana. *Sextula*, quatuor grana. *Binæ ſextulæ*, octo grana. *Hemiſeſcla*, duo grana. *Scriptulum*, granum. Sic genus eſt quoddam, qui craſſi thaleri (Dicke thaler) appellantur, & dicitur conſtare argento in marca tredecim lotorum, duorum granorum: hoc eſt, habere *dodrantem ſemunciam ſicilicum hemiſeſclam*, vel *dextantem minus ſextula*. Atque idem eſt denariorum novem & viginti granorum. Utrobique invenies grana CCXXXVI: deeſt ſextans ſextula. Thalerus imperialis optimæ notæ dicitur continere argentum XIV lotorum & quatuor granorum, id eſt, *dextantem ſemunciam ſextulam:* quantum efficere ſuperius poſuimus denarios decem & ſedecim grana: utrobique grana CCLVI. Sunt alii, qui duobus granis minus, & pro prioris ſummæ *ſextula* contenti ſunt *hemiſeſcla:* ſunt qui tredecim lotis, hoc eſt, *dodrante ſemuncia ſicilico*, novem denariis, octodecim granis. Schillingus Britannicus, quindecim lotorum & tredecim granorum argento nitere fertur: id eſt, *deunce ſemuncia ſicilico ſcriptulo*, undecim denariis & novendecim granis. Utrobique grana invenies CCLXXXIII: nec deſunt niſi ſcriptula vel grana quinque. Philippus quindecim lotis, ut undecim denariis ſex granis æſtimatur, hoc eſt, *deunce ſicilico:* utrobique CCLXX grana. Georg. Agricola hos *lotos* vocat *ſemuncias*, quia in ponderibus ea vox dimidiatam unciam Germanis ſignificat; Marca autem ut octo uncias, ſedecim ſemuncias complectitur: grana *quaternas ſiliquas*, quando ſemuncia nullam aliam partem octies decies continet; ſunt enim drachmæ cujuſvis octodecim ſiliquæ, quatuor autem drachmæ faciunt ſemunciam. Sed operæ pretium eſt videre quam φορτικὸς & inſuavis ſit vir præſtantiſſimus in his pronunciandis. Nummi, „ inquit, argentei, qui ex tributo nomen invenerunt, conficiuntur ex beſſe, „ qui argenti *uncias tres*, *drachmas ſex*, *ſcripula duo*, *obolum unum*, *ſiliquam* „ *unam ſive æreola duo* in ſe continet: æris autem *uncias quatuor*, *drachmam* „ *unam*, *ſiliquas duas*. Quotuſquiſque hæc intellexit? Voluit autem dicere argenti eſſe in Marca ſive beſſe *quincuncem ſemunciam ſicilicum ſcriptulum*, hoc eſt, ſeptem lotos & tredecim grana, vel quinque denarios & novendecim grana eſſe; æris *ſemiſſem ſextulam ſcriptulum*, id eſt, octo lotos & quinque

que grana, vel ſex denarios & item quinque grana. Nimirum *unciæ tres & quatuor drachmæ* ſunt iſthic ſeptem ſemunciæ ſive loti: *duæ drachmæ*, dimidium loti, grana videlicet novem: *ſcripula duo* habent ter quaternas ſive duodecim ſiliquas, ergo tria grana: *obolus* tres habet ſiliquas, cui addita una *ſiliqua* fiunt quaternæ, quod eſt illi granum. Sic argentum computat. Æris *quatuor unciæ*, octo loti: *drachma*, quarta pars loti ſive octodecim granorum, nempe grana quatuor & dimidiatum: *duæ ſiliquæ* rurſus granum dimidiatum: ita fiunt octo loti & quinque grana. Iſtorum nummorum qui dimidium valent, conflari tradit ex beſſe, in quo ſint argenti *unciæ duæ, drachmæ duæ, ſcriptulum unum*; æris autem *unciæ quinque, ſcripula duo*. Hoc eſt, argenti *quadrans duæ & dimidiata ſextulæ, obolus* ſive dimidiatum ſcriptulum, loti quatuor cum decem dimidioque granis: tres denarii cum granis itidem decem ac dimidiato: æris *bes ſemuncia ſcriptulum & obolus*, loti undecim, ſeptem & dimidium grana; octo denarii & grana tredecim cum dimidio. Meminit & uncialium ex beſſe, qui argenti *uncias ſeptem & drachmam & ſcriptulum & ſiliquam* contineret: hoc eſt, *dextantem ſemunciam ſextulam & ſcriptuli quadrantem*: ſunt loti XIV cum quinque granis & grani quarta, vel decem denarii & ſeptendecim grana cum quarta grani. Æris igitur habuit *unciam ſicilicum dodrantem ſcriptuli*, lotum & duodecim grana & tres quartas grani, vel denarium & ſex grana cum tribus quartis. Boemicorum antiquorum beſſem mixtum continere *uncias tres, drachmas tres, ſcriptulum*: id eſt, *quincuncem dimidiam ſextulam*, ſex lotos & quatuordecim grana; quinque denarios duo grana. Commemorat alios Boicos & Suevicos unciales ex beſſe, cui argenti ſint *unciæ ſeptem, drachma, & drachmæ quarta*; æris *ſemuncia & drachmæ duæ & tres drachmæ unius quartæ*. Videlicet argenti eſt *dextans ſemuncia ſcriptulum obolus & octava ſcriptuli*; XIV loti cum quinque granis & dimidio unius octavaque grani; decem denarii & ſeptendecim grana & unius dimidia atque octava: æris *uncia ſicilicus & tres octavæ ſcriptuli*; lotus & duodecim grana; denarius & ſex grana; & utrobique tres octavæ grani. Miſenenſes unciales, ſemunciales, didrachmos, ſextam modo decimam æris partem ait continere: id eſt, *ſemunciam ſicilicum* ſive octodecim grana: habuerunt igitur argenti *deuncem ſicilicum*, lotos quindecim, denarios undecim cum ſex granis. Angelicos, ut vocat, ſignari ex beſſe, in quo inſit plus, quam octava pars æris, nimirum *uncia una, oboli tres, æreola duo*: id eſt, *ſeſcuncia dimidia ſextula obolus*, duo loti & duo grana cum dimidio, denarius quatuordecim & dimidium grana. Fuit igitur in illis argenti *dextans ſicilicus drachma obolus*: tredecim loti & quindecim grana cum dimidio; decem denarii & novem grana & dimidium. Aurum ſimiliter XXIII ceratiorum & octo granorum eſt lotorum quindecim & granorum octo: utrumque habet Latine *deuncem ſemunciam binas ſextulas*. Viginti trium ceratiorum & trium

& trium granorum, quindecim lotorum & tredecim granorum, Latine *deuncem ſemunciam drachmam.* XXII ceratiorum & ſex granorum, quindecim lotorum, *deuncem ſicilicum.* XXI ceratiorum & ſex granorum, quatuordecim lotorum & eodem numero granorum, *dextantem ſemunciam ſicilicum.* XXII ceratiorum, quatuordecim lotorum & granorum duodecim, *deuncem.* XVIII ceratiorum, duodecim lotorum, *dodrantem.* XVIII ceratiorum & ſex granorum, duodecim lotorum granorumque ejuſdem numeri, *dodrantem ſicilicum.* Tribunal Auguſtæ Nemetum in mulctis, quibus interdicta & ſententias ſanciunt, taxandis retinet antiquam formulam, & marcas auri vel argenti puri puti (lötich vocant) minatur vel irrogat. Budelius cenſet id vocabuli deſcendere à Germanico glöden / quod eſt candeſcere: ramento ſiquidem vel virgula aut particula quadam ex maſſa vel nummo argenteo aureove exciſa & vehementi edacique igne ſpectata pro colore, quem fervefacta & liquida induit, ſincerius aut dilutius utrumvis metallum judicari: ſi rubeus ille ſit & purpureus, ſignum optimi; quanto ſordidior tetriorque, tanto vilius haberi: ſic dici aurum argentum 13 vel 14 lötich; ſi numerus abſit, puriſſimum ſignificari. De re loquitur, ut peritus: ſed analogia non patitur à *gloden*, (quod Franci *gluen*, & inde glüend / Saxonibus gloinig) deſcendere lötich. Ultima verba viri optimi rectiorem monſtrant originem. Quemadmodum pro numero ceratiorum aurum, pro numero denariorum argentum aut defæcatum dicitur aut magis minuſve temperatum, ita & utrumvis pro numero lotorum. Sic Sechzehenlötich dicimus aurum vel argentum ſedecim lotorum, quod eſt primæ bonitatis atque integerrimum, ita ut marca ejus plenas habeat ſedecim ſuæ materiæ ſemuncias. fünffzehenlötich / quindecim lotorum, cui ſextadecima venæ ſecundæ portio ſubeſt. vierzehenlötich quatuordecim lotorum, cui duæ ſextædecimæ. Et ita deinceps. lötich igitur breviter & κατ' ἐξοχὴν eſt ſechzehenlötich/ ſedecim lotorum: & pari compendio dicitur atque inter ordinum ductores quum *Princeps* vocatur intelligitur Primus princeps prior; quum *Haſtatus*, accipimus centurionem primum haſtatum priorem: ut *Claſſici* κατ' ἐξοχὴν primæ claſſis Gell. 7, 13: ut *Centumviros* pro centum quatuor viris; ut *LXX* pro LXXII appellamus. Etſi autem vocis hæc ſit indubitata ſignificatio, conſuetudo tamen & æquitas obtinuit, ut non acerbe aurum ad obruſſam, argentum puſtulatum exigant, ſed ſignato juſto ſatisfieri ſibi patiantur. Argenti marca octo thaleris imperialibus, auri marca vel LXVII Hungaricis, vel LXVIII coronatis Gallicis vel LXXII Renanis, vel in argento XCVI thaleris luitur. Hæc conſtans eſt illorum Areopagitarum æſtimatio, quicquid etiam circumforanea variet, inde orta, quod lege imperii ex Colonienſi marca puri auri tot Hungarici & Renenſes, ex argenti marca tot thaleri cuduntur; & proportio inter aurum & argentum illis paullo plus duodecupla placuit. Cæterum & enodatis iſtis Agricolæ

gryphis

gryphis aliud ex his natum gryphorum genus apud Jac. Capellum jam ſponte evaneſcit. Docet nos *ſiliquam Noribergiam* pendere granum Romanum unum & undecim duodecimas: duodecim ſiliquas, vel ut ipſi loquantur Noribergenſes, *tres quaternas ſiliquas* pendere grana Romana viginti tria; quaternas grana Romana ſeptem cum beſſe. Tu vero, interroga quemcumque Noribergium de iſta ſiliqua & de tribus quaternis ſiliquis: quid velis, ignorabit. Non eſt enim corpus aliquod hujus ſiliquæ, ut appendi poſſit, neque illi magis dicunt *tres quaternas* quam *duodecim* ſiliquas: ſed Agricolæ ſic loqui libuit, ut *quaternas ſiliquas* uſurparet pro grano: adeo non tres quaternæ ſiliquæ neſcio quæ Romana XXIII grana, aut quaternæ grana ſeptem cum beſſe, aut una granum cum undecim duodecimis æquat. Simili imprudentia *binos ſcripulos* Noribergios ait pendere Romana grana XXIII, quaternas ſiliquas tres, id eſt, duodecim ſiliquas Noribergenſes: *ſextulam* Noribergiam pendere Romana grana CLXXXIV, bis quaternos, hoc eſt, octo binos ſcripulos, ſive ſedecim Noribergios: *binas ſextulas* Noribergias pendere Romana grana CCCLXVIII, quater quaternos, hoc eſt, ſedecim binos ſcripulos, ſive triginta duos ſcripulos Noribergios. Rurſus in ventum brachia exercet vir doctiſſimus. *Scrupuli* iſti & *ſextulæ Noribergiæ* nec ſunt ullæ, neque unquam fuerunt, ſed ex Agricolæ moleſto ſcribendi genere ſibi eas finxit Capellus. Agricola *binas ſextulas* dixit pro caratta: *ſextulam* dimidiatam carattam: binas ſextulas dividit in quatuor *bina ſcripula:* vocat autem *bina ſcripula*, quæ vulgo artifices tria grana: itaque bina ſcripula rurſus partitur in tres *quaternas ſiliquas:* nam *ſiliquæ quaternæ* ſunt illi granum. Sic *binæ ſextulæ*, id eſt, caratta (quoniam hæc caratta duodecim cenſetur granis) dicuntur ei habere quatuor *bina ſcripula*, id eſt, quater tria vel duodecim grana, & bina quæque ſcripula rurſus habere tres *quaternas ſextulas*, tria ſcilicet grana. Nec ſunt hæc nunc nomina ponderum, ſed mixturæ metallorum in auro & argento laborato. Illud quoque adjeciſſe non omnino extra rem erit, quod in adamante æſtimando hodie *caratta* quatuor granis cenſetur, (ſingula grana facile ſex coronatos pretii facere ajunt) id etiam antiquis deberi. Galenus de ponderibus, Τὸ κεράτιον ἔχει σιτάρια δ, ἢ χαλκοῦς δύω δίμοιρον. Scholiaſtes Nicandri: Κεράτιον, σιτάρια δ. Eſt igitur & hæc caratta vetus κεράτιον.

CAPUT V.

Plinius ter, bis Tertullianus de Æsopi patina correcti. Deferre. Referre. Subscribere. Tertullianus illustratus. Plinius denuo correctus. Africani minoris donativum.

De Æsopi patina verba sunt Plinii lib. x cap. LI. *Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Æsopi patina sexcentis sestertiis taxata, in qua posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales nummis sex singulas coemptas.* Idem lib. XXXV cap. XII. *Nam nos cum unam Æsopi tragœdiarum histrionis in natura avium diceremus sestertiis C stetisse, non dubito indignatos legentes. At Hercules Vitellius in principatu suo CC sestertiis condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: quoniam eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent quam murrhina.* Tertullianus de pallio cap. V. *Præcidam gulam, qua Asinius Celer unius mulli obsonium sex sestertiis detulit: qua Æsopus histrio ex avibus ejusdem pretiositatis, ut canoris & loquacibus quibusque centum millium patinam confiscavit.* G. Budæus priore Plinii loco legit: *millibus sex singulas:* Centenariam enim fuisse patinam, id est, centenis avibus structam, millibus senis unaquaque ave constante, ut in summa fierent sexcenta sestertia, lib. II. At lib. IV ex MS. in altero Plinii loco legit, *decies sestertium condidit patinam:* & sumptum illum ferculi interpretatur. Reprehendit Budæum Hotomannus, tanquam male patinæ nomine non modo corpus vasis, sed etiam appositum in eo ferculum intellexerit: male aves senis millibus coemptas singulas statuerit, pro quo, ceu pretio immani, *nummis sexcentis* corrigit: & ipsum patinæ corpus taxatum vult sexcentis millibus: denique *ducenties* facit pro ducentis millibus in posteriore loco, idque tamen ingenti errore interpretatur millibus ducentis sestertium, seu quinque millibus nostrorum aureorum, cum sint quingenta millia. A quo imbutus Salmasius similiter Budæum insectatur & scribit ex posteriore loco Plinii tria se discere: primum, fictilem fuisse Æsopi patinam: deinde centum sestertiis constitisse: præterea illud, quo patina taxatur, solum esse, manus pretium, datum figulo, qui eam ex humo duxit; non & avium, quas in ea posuit Æsopus. Ego, quæ mea tarditas est, nihil horum. Vitellii patinam testaceam vel figlinam Plinius testatur fuisse: Æsopea cujus materiæ fuerit, nullo verbo significat. Ergo etiam si id, quo figlina ibi patina æstimatur, figuli merces est, Vitellianæ merces est, non Æsopeæ, quæ cujus fuerit operis ignoramus. Ipsa autem Æsopea utrum *sestertiis centum* an *sexcentis* constiterit, videbimus: Tertullianus videtur suadere *sexcentis*. Quod Vitel-

Vitellius fecit, tanquam majore dignum indignatione proponi dicit Salmasius. Atqui si Æsopus, non modo privatus, sed etiam histrio, centum millibus fecit, non valde indignandum, Vitellium Principem fecisse ducentis. Immo magis indignandum centenis fecisse histrionem, & quidem priorem. At, inquit, si patina Æsopi sexcentis sestertiis constitisset, longe minorem invidiam & indignationem Vitellii patina merebatur. Certe, si figlina fuit utraque patina, si solius patinæ commemoratur pretium, quorum neutrum probatum est: si Vitellii patinæ verum pretium fuit ducenta millia. At ego in membranis spectatæ fidei apud virum amplissimum Isaacum Vossium vidi legique prorsus, ut sibi Budæus inventum in vetustissimo exemplari narrat: *X HS condit patinam.* In priore Plinii loco legit Salmasius, *C sestertiis taxata*, & *HS VI singulas coemptas:* quorum posterius erat Budæi: nam *sestertia sex* & *sex millia* idem. Cæterum si centum sestertia pretium solius patinæ Æsopeæ fuere, falso eam maxime insignem Plinius prædicat, cum insignitior fuerit ex eadem materiâ patina Vitellii. Aves, ait, pretium seorsum habuere, quarum singulæ cum sex sestertiis coemptæ fuerint, centum sestertiis justis & rotundis ut patina constaret, efficere non potuerunt, quin aut plus aut minus esset. Credo sane: quod autem pretium avium sex millia isti luxurioso? ille vero non sexcentis tantum nummis Hotomanni, sed vel sex millibus emptas sprevisset dixissetque: Peream, nisi volucres putavi. Ut igitur sententiam meam proponam, censeo Æsopum posuisse patinam, in qua solæ essent sex aves: quarum quod singulæ centum millibus essent addictæ, ista patina æstimatur sexcentis millibus. Nam quod Tertullianus habet, *ejusdem pretiositatis*, non refero ad præcedens exemplum Asinii Celeris, sed ipsas inter se puto aves comparari. Scripsit igitur Tertullianus: *qua Æsopus histrio sex avibus ejusdem pretiositatis, ut canoris & loquacibus, quibusque centum millium, patinam confiscavit.* Quid enim sibi vult, quod omnes scripti editique libri habent: *ex avibus:* nisi sex tantum fuisse? Quam ingratum illud uno spiritu pronunciatum, *ut canoris & loquacibus quibusque?* Quis non videt in hoc membro τὸ *quibusque* abundare? At quam apte, *quibusque centum millium?* Quare autem *confiscavit?* Vidit hoc verbum incommode hic poni Salmasius: interpretatur *confiscare* in cellario repositum habere: sed hoc significatu nec ex avibus nec cum avibus confiscatum dici posse: rejicit quorundam *conflavit:* tandem delet præpositionem & explicat, ad aves confiscavit, ut avibus repositum in convivio repræsentaret. Sed quia paucæ erant hæ pretiosæ aves, ideo *confiscavit eam* dicit, hoc est, assignavit, addixit, in earum fiscum & quasi privatum redegit, exclusis aliis. Priusquam Tertullianum mittimus, examinanda etiam sunt ejus, quæ præcedunt, verba: *qua Asinius Celer unius mulli obsonium sex sestertiis detulit.* Miratur Salmasius haud immerito, hic loci

deferre poni pro emere, & obſervat eleganter ex Columella & Seneca *deferre* antiquis accipi interdum pro vendere. Sic etiam Petronius in foro rerum venalium: *Quum ergo & ipſi raptum latrocinio pallium detuliſſemus, uti occaſione opportuniſſima cœpimus, atque in quodam angulo laciniam extremam concutere, ſi quem forte emptorem ſplendida veſtis poſſet adducere.* Plinius lib. XXXVI cap. V. *Duas* Veneres *fecerat, ſimulque vendebat, alteram velata ſpecie, quam ob id quidem prætulerunt optione, quorum conditio erat, Coi, cum alteram eodem pretio detuliſſet, ſeverum id & pudicum arbitrantes.* Igitur *deferre*, quod ſignificet emere, nuſquam niſi heic lectum fatetur Salmaſius, & fortaſſe *deferre* poſitum pro ferre vel auferre (ſumpſit à Marcilio, cui *detulit*, de macello & præſtinatione domum tulit) illud minime ſibi dubium, quin *quanti deferatur*, quod apud Senecam eſt, aut ſimilem alicubi locutionem Tertullianus acceperit pro ematur, cum ſignificaret, quanti detur, quanti vendatur. Hanc ego culpam Tertulliano inurere non auſim: &, ſi omnino probanda hæc ſcriptura eſſet, acceperim, ut legitur apud Plinium lib. XXXV cap. X. *Deſcendiſſe hic in certamen cum Zeuxide dicitur: & cum ille detuliſſet uvas pictas tanto ſucceſſu, ut in ſcenam aves advolarent, ipſe detuliſſe linteum pictum, ita veritate repræſentata, ut Zeuxis alitum judicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo oſtendi picturam.* Eſt ergo proponere, ut illic quoque venale proponere vel exhibere. Sic Celer poſſet dici propoſuiſſe in convivio obſonium unius mulli ſex millibus, nempe empti. Sed videtur potius ſcripſiſſe Tertullianus, *retulit*. Nimirum veteres nullum teruncium erogabant quotidiani ſumptus, quem non in rationes referrent. Ita Cornelius Nepos Atticum ait non amplius terna millia æris, peræque in ſingulos menſes, ſumptui expenſa ferre ſolitum, in ephemeride ejus patere. Apud Suetonium interrogat Veſpaſianum diſpenſator, quadringentorum perductæ donatorum *quemadmodum ſummam vellet rationibus referri*. Quod erogatur, *refertur*, ſeu ſcribitur expenſum in codice familiarium rationum, & earum alteram paginam facit. Inde *referre* dixit pro erogare: *referre ſex millibus*, emere ſex millibus; quia quod emptum eſt, tanti emptum refertur ac notatur in expenſo. Aſinius Celer *mulli unius obſonium HS. VI retulit*, eſt proprie, ſcripſit in tabulis expenſi mullum ſibi emptum ſex millibus nummum, & tralate, tanti emit. Sic alibi *ſubſcribi* dicit pro erogari: quia domini rationes à diſpenſatoribus acceptas ſi probaſſent, ſubſcribebant: quod ſubſcribere negarent, pro non erogato habebant: id præſtandum diſpenſatori erat, & ejus exactionem ab homine ſibi liberam volebant. Verba ſunt Apologet. cap. VI. *Quonam illæ leges abierunt ſumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra, non amplius, in cœnam ſubſcribi jubebant?* Deſ. Heraldus notat, quæ huc adferantur explicando *ſubſcribendi* verbo, ſubtiliora eſſe quam veriora: dixiſſe autem Tertullianum

num ſimpliciter, *ſubſcribere* quaſi conventione quadam deſtinare, ac, quod faciebant juvenes, qui de ſymbolis una erant futuri, collaturum ſe promittere. Credo, quia pacta conventa ſubſcribuntur ab illis qui contraxere. Ignoro ſubtiles iſtos: hoc ſcio verum eſſe quod dixi. Et probant vel ſoli legum libri. Africanus l. XXII D. de manum. teſtam. *Is ſervus parte argenti ſubtracta cum tutore diviſit, atque ita tutor ei parem rationem adſcripſit.* Scævola l. IV π. 10. D. de fideicomm. libert. *Offerens rationes unius anni in diem mortis teſtatoris, quod cæteræ ſubſcriptæ fuerant.* Eadem, π. 17. *Statius arcarius probante domino nomina fecit, & rationes à domino ſubſcriptas exhibet.* Ita enim legendum: non *ſcriptas*. Sed belle & appoſite Ulpianus l. VI de bon. damnat. *Sed debet ad ea ſervari, quæ jure præſidum ſolent erogari, ut puta chartiaticum quibuſdam officialibus inde ſubſcribere.* Non enim *debent*, ut vulgo. Intelligitur ea pecunia. *Ut puta ſubſcribere, donare, munerari,* eſt, ut ſubſcribant, donent, munerentur: per ἑλληνισμὸν, aut repetendum ex priori membro *ſolent*, quod duriuſculum eſt. Suetonius Othone: *Nec quicquam prius pro poteſtate ſubſcripſit quam quingenties ſeſtertium ad peragendam Auream domum.* Appulejus in Apologia: *Neget eam rationibus villicorum & opilionum & equiſonum ſolertiſſime ſubſcripſiſſe.* Hoc igitur dicit Tertullianus: quæ jubebant non alias rationes obſonantium ſervorum in cœnam quantumvis apparatam accipi & admitti probarique à domino vel convivatore, quam quæ intra centenos æris ducerentur. Hoc eſt, vetabant amplius quam centum aſſes impendi: quæ enim in rationes referre vetitum, eorum ſumptus quoque prohibitus. Sic alibi quoque *ſubſcribere* eſt ei concedere, permittere. De velandis virginibus: *Certi ſumus Spiritum ſanctum magis maſculis tale aliquid ſubſcribere potuiſſe, ſi fœminis ſubſcripſiſſet.* Et mox: *quomodo ergo non magis viris aliquid tale Deus in honorem ſubſcripſiſſet?* Apologetico: *hoc quoque Ptolomæo à Judæis ſubſcriptum eſt.* Nempe Principes ac poteſtates codicillis eorum, quorum petitioni annuerent, ſubſcribebant. Juſtinus Martyr in Apolog. Βιβλίδιον ἀνέδωκεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Φήλικι ἡγεμονεύοντι, &c. ἄνευ γὰρ τῆς τοῦ ἡγεμόνος ἐπιτροπῆς τοῦτο πράττειν ἀπειρῆσθαι οἱ ἐκεῖ ἰατροὶ ἔλεγον· καὶ μηδόλως βουληθέντος Φήλικος ὑπογράψαι. Sed, ut revertamur ad patinam Æſopi, ex loco Tertulliani ſic conſtituto facile poteſt etiam juvari Plinius. Scribimus: *patina ſexcentis ſeſtertiis taxata, in qua poſuit aves cantu aliquo aut humano ſermone vocales ſex, centum millibus ſingulas coemptas.* Prorſus ut Tertullianus: *quibuſque centum millium.* Eſt vir longe celeberrimus, qui laudat Salmaſii ſententiam per omnia, & *ſex nummos* vulgatæ editionis Plinii nondum ait adæquare ſtuferos quatuor, ſive quintam floreni partem. Quos intellexerit *nummos* mirere: nam ſeſtertios intelligere debuit: hi vero ſex novem æquant ſtuferos noſtros. Et hoc ipſe

ipſe confirmat poſt paullo, quum denarium ſex ſtuferis ſive ſchillingo, & recte, æſtimat. At denarius nummos tantum complectitur quatuor. Ibidem *ducenos nummos* ait efficere ſex florenos, *mille nummum* xxx florenos, *quadringenos denarios* cxx. Recte hæ poſtremæ ſummæ comparantur; non binæ priores. Si enim *duceni nummi* ſex floreni, ergo *centum nummi* tres floreni, *quinquaginta nummi* triginta ſtuferi, *quinque nummi* tres ſtuferi, *nummus* denique quinque chalci paulo minus: nam tres ſtuferi habent chalcos XXIV: at ſi quinque chalci ſingulis nummis attribuantur, quinque nummi habebunt xxv chalcos. Nimirum accepit *nummum* pro aſſe contra conſuetudinem Romanam: deinde pro aſſe, quales decem habebat denarius, quod non convenit illi ævo, de quo agebat, quum jam ſedecim aſſium eſſet denarius. Sic *ducenos nummos* ducit in decem denariis, qui faciunt ſex florenos: *mille nummos* in centum denariis, qui centum denarii colligunt triginta florenos: decem nempe denarii, tres floreni, ut decem ſchillingi: viginti denarii, ſex floreni: quadraginta denarii, duodecim floreni: octoginta denarii, viginti quatuor floreni: adde decem denarios, fiunt triginta floreni. Hic error eſt graviſſimus. Nam *nummus* Romanis ſua pecunia, non Græca, rem quamcumque æſtimantibus, ſemper ſeſtertium, numquam aſſem, ſignificat. Quales quatuor cum habeat denarius, idem autem ſex ſtuferis cenſeatur, neceſſe eſt *nummum* ſtufero & dimidiato reſpondere, *centum nummos*, viginti quinque denariis, noſtris florenis ſeptem & dimidiato; *ducentos* quindecim florenis, quinquaginta denariis; *mille nummum* quadringentis denariis, cxx florenis. Jam in altero quoque Plinii loco reponemus: *HS. DC. ſtetiſſe.* vel *ſeſtertiis ſexcentis.* Quamquam ſubdubito, an veteres hoc eo ſenſu expreſſerint: & quia video in aliis ambiguitatem illos vitaſſe, exiſtimo *ſexcenta* quidem *ſeſtertia*, *centum ſeſtertia*, & hujuſmodi omnia ſine ſcrupulo dixiſſe pro millibus nummum ſexcentis aut centum: at in genitivis, dativis & ablativis, *ſexcentum ſeſtertium*, *centum ſeſtertiorum*, *ſexcentis ſeſtertiis*, *centum ſeſtertiis*, quia non exauditur, *ſeſtertia* an *ſeſtertii* ſignificentur, dicere temperaſſe: & quamvis ſcriberent *HS. DC.* vel *HS. C.* non tamen pronuntiaſſe niſi *ſexcentis millibus*, *ſexcentis millibus nummum*, *ſexcentis millibus ſeſtertium*, *ſexcentis millibus ſeſtertium nummum:* & gignendi caſu *centum millium*, *centum millium nummum*, *centum millium ſeſtertium*, *centum millium ſeſtertium nummum.* Quod ſequitur in Plinio, ita acceperim: *At hercules Vitellius in principatu ſuo decies ſeſtertio condiit patinam.* Nam codex optimus, *condit:* non *condidit.* Velut interpretans Dio lib. LXV, pag. 735 ſcribit, *μίαν γοῦν ποτε λοπάδα πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδων ἐσκεύασε γλώττας τε καὶ ἐγκεφάλους ἐμβαλών.* Sic Juvenalis:

Et qua-

Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile.

Satis magnam hanc pecuniam censeo, ut tantæ summæ parte ipsa illa *αἰγὶς πολιοῦχος*, illa patina & magnitudinis immensæ & ingentis pretii, parte scitamenta in eadem apposita, scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguæ phænicopterorum, murænarum lactes comparari potuerint. Nihil amplius de hoc patinæ monstro dicit Plinius, quam *eo ventum, ut fictilia pluris constent quam murrhina.* Capidis autem murrhinæ pretium maximum, quo Nero vicit omnes, ipse ponit *trecenta millia*, lib. XXXVII cap. II. Hæc longe absunt à decies sestertio, & pluris constabit hoc fictile murrhinis, etiamsi tertia pars illius summæ in id impensa sit. Quid quod præcedens sermo ostendit, non de solo patinarum corpore, sed etiam de apparatu in illis exhibito significasse mentione *tripatini:* cujus una erat patina murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis. Illud etiam priore loco: *nulla alia inductus suavitate, nisi ut in his imitationem hominis manderet:* intelligo, aliquid hominum simile, aliquid, quod hominem imitaretur, malis mandaret. Nec pro eo malim Lipsianum: *hominem imitatione manderet:* nimium hoc, & à quantumvis luxurioso, dum tantum luxurioso, abhorrens. Ibidem, *hominum linguas cœnasse*, est aves linguis hominem imitantes: ne audiamus Hotomannum, *avium linguas*, substituentem. Cæterum, quia Vossiani codicis mentionem feci, opportunum erit succurrere & alii Plinii sententiæ, quæ in vulgatis olim merito mihi suspecta fuit. Pro illis igitur, quæ exstant lib. I cap. VII pag. 81 hæc repone. Est alter locus Plinii cap. sequenti: *Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quod nunc in mensarum est apparatu. Postea victa Numantia & deleta idem Africanus in triumpho militibus XVII millia pondo dedit. O viros illo imperatore dignos, quibus hoc satis fuit!* Verum hic quoque fraudem librariorum arguit immanis summa, quæ pecuniæ facit sexagies octies, & subjecta exclamatio, quæ non nisi perexiguum hoc donum patitur. Visa eadem Lipsio nimia largitio restricto illo ævo, quæ de centum septuaginta millibus Philippeum, si ponamus viginti millia fuisse, redderet in militem circiter octo Philippeos. Sint *septem millia pondo*, & plus satis erit, inquit lib. II Admir. cap. VIII. Membranæ Vossianæ nos expedient, in quibus: *aemula quod mensarum postea apparatu victa numantia quidem dilata. Idem Africanus in triumpho militibus. XVII dedito viros.* Unde scribendum: *Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quot mensarum postea apparatu victa? Numantia quidem deleta idem Africanus in triumpho militibus ⳨ VII dedit. O viros illo imperatore dignos, quibus hoc satis fuit!* Id est, denarios septem, viritim scilicet. *Quot mensarum postea apparatu victa*, duplicem admittit interpreta-

tationem: potes enim cogitare: quot divites poſtea, ex quo luxus irrepſit, plus argenti in menſæ apparatu poſuerunt? vel, ſi hoc nimium; quam paucorum divitum menſæ poſtea plus argenti in miniſterio habuerunt.

FINIS.



JOH. FREDERICI GRONOVII

DE

CENTESIMIS USURIS

ET

FOENORE UNCIARIO

ΑΝΤΕΞΗΓΗΣΙΣ

Adversus

Theologistoricophilosophologum.



ILLVSTRISSIMO VIRO
NICOLAO FULQUETO

Vicecomiti de Melun & de Vaux, Domino de Bellassise, &c. Procuratori Generali Regis Christianissimi, Ministro Status, & Sacri Ærarii summo Præfecto

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS.



lorus scribit, Vir Illustrissime, Macedonas puduisse semel vinci. Multo contumacior est inveteratus error: etiam prostratus & jacens talos petit, & postquam desperavit victoriam, impedit & moratur victorem. Adeo blandum consuetudo, & glandes in usu habitas frugibus supervenientibus jurat esse suaviores. Præterea nemo ingenium suum contemnit: plerique si quid aliud videri potuisset, sibi quoque videri potuisse credunt. ita se perperam imbibisse quidquam confiteri monenti gravantur. præsertim si alioquin illum non ament. etsi non possint dicere quare. Accedit libido contradicendi innata illis, qui perpetua inter antisophistarum certamina nutriuntur, & amplum putant in quovis Hoc & Non dicere. Denique multa sunt, quibus adsentire non possunt, qui literis humanioribus non ultra vulgus processerunt. ut, ubi inculta humus est, obsident duran-

turque nives; at in arvis aratro nitentibus levis pruna ad primum ſolem interit. Hæc ego expertus ſum in homine fortaſſis minime malo: non tamen mihi, cui valde malus eſſet, ſi poſſet tantum, quantum vellet. Quod civiliter fero, non poſſumus enim omnibus placere: & ſuum cuique judicium eſt. Pro re pauca repoſui in diſcentium commodum. Etſi enim in locis meis, ſibi alienis, me imprudenter adortus facile ſuccubuerit: tantum tamen tumultus excitavit & pulveris, ut diſpici nequeat, penes utrum ſtet verum & victoria, niſi hoc tropæum erigam. Quod tibi, Vir Illuſtriſſime, ſuſpendo, qui ea, quorum partis hæc eſt defenſio, probaſti, & ſingulari non modo epiſtolæ comitate, ſed & animi munificentia honoraſti. Quare & Tuæ gratiæ tum ſtudium, tum reverentia in primis me ſtimulavit ad reſpondendum, ne tacendo cauſæ diffidere & tanto patrono, quod à tam levi manu confutari poſſet, temere commendaſſe viderer. Acceſſit & prioris curæ additamentum, quod non poterat ſine ſcelere tibi ſubduci. Vale, non minus maximi imperii quam bonarum artium præſidium & decus. Lugduni in Batavis a. d. XIV *Cal. April.* CIↃ IↃ C LXI.

M. S.

M. S.

Exercit. Sacr. XIX.



Atque, Romæ non eandem usurarum quantitatem perpetuo observatam
fuisse, ignorare nos non sinit Tacit. lib. 6 Annal. cap. 16. *Primo duode-
cim tabulis sanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex
libidine locupletium agitaretur, dein rogatione tribunicia ad semuncias red-
acta: postremo vetita versura.* Cæterum occasione hujus loci, anxie inter
viros doctos disquiritur, quodnam sit fœnus unciarium. quibusdam
placet fuisse levissimum, adeo ut responderet duodecimæ parti cente-
simæ, quæ cum esset usura maxima, singulis mensibus duodecimam sortis partem, an- 1
nuatim vero duodecim in centuriam capiebat: aliis vice versa placet eam confundere
cum ipsa centesima. (ne jam dicam de intermediis quibusdam sententiis, quæ ut viris
minus celebribus placuerunt, ita minus ponderis iis adest.) Pro posteriori opinione
stant Scaliger, Hottomannus, Adrianus Junius, Manutius, Thomasius, Jacobus Go- 2
dofredus, aliique plures. Pro priori Budæus, Antonius Augustinus, ὁ πάνυ Dn. Salma-
sius, & Celeberrimus D. Gronovius: qui licet profiteatur se ὁμόψηφον esse Salmasio, 3
totus tamen est lib. 3 de Pecun. vetere cap. 13 in vellicandis illius rationibus, quod
cum passim faciat toto isto libro, multis oborta est suspicio, virum alias modestum nul- 4
lam aliam ob caussam Commentarium de Sestertio sub incudem revocasse, quam ut ab
excessu huic suo εὐεργέτῃ, cui prima famæ auspicia debuit, insultare posset, aliis interim
ridentibus, quod facile sit muribus quoque, mortui leonis barbam vellere. Nolo hoc
tempore patrocinari Salmasio, nec examinare ea, quæ eidem mortuo objicit Grono-
vius, novi utrumque hominem, nec omnia quoque Gronoviana talia esse, quæ prope
Phidiæ Minervam collocari mereantur, ut forte alia occasione uberius ostendam. Dis-
simulare interim non possum, me compelli non minus à Salmasio quam à Gronovio in
alia omnia discedere, atque in ea esse sententia, ut credam unciarium fœnus idem pla-
ne esse cum centesima. Ut ita statuam, has adfero rationes. Quum apud omnes sanæ 5
mentis homines, in confesso sit, in ea repub. quæ subditos habet pauperes, & æris indi-
gos, usuras esse grandiores, quam ubi subditi opibus & pecunia abundant, quis persua-
sum habeat, eo tempore, quo Roma circa matrem suam adhuc luctabatur, (ut cum 6
Floro loquar) atque fasces suos ultra Italiam nondum extenderat, annuatim modo
unam centesimam sortis partem, modo iterum unam ducentesimam sortis partem so-
lutam nomine usuræ fuisse, atque cum ea ipsa Romuli urbs ferme ὅλης τῆς οἰκουμένης opes
mœnibus suis complecteretur, centesimam usuram fuisse ordinariam, atque duodenas
centesimas partes sortis citra querelam quoque anno pensas fuisse? Imo, quis sibi per- 7
suadeat, plebem Romanam indignatam fuisse, quod ex præscripto XII Tabularum,
usuræ loco, quoque anno, unam centesimam sortis partem solvere debuerit, atque T.
Manlio Torquato & Cn. Plautio Coss. decennio post, semunciarium fœnus ex uncia-
rio fieri debuerit, quod hoc plebi nimis grave foret, siquidem Liv. lib. 7 cap. 16 uncia-
rium fœnus ad M. Duillii rogationem (quæ decennio solum ante lata erat) post XII
tabulas refert. Verba hæc sunt: *C. Marcio, Cn. Manlio Coss. de unciario fœnore à M.
Duillio Tribunopl. rogatio est perlata: & plebs aliquanto cupidius eam scivit, accepitque.* Si 8
possit exemplum dari ullius nationis, quæ adeo & argenti fuerit inops, & usurarum
impatiens, ut potuerit sortem accipere sub conditione solvendi annuatim centesimam
duntaxat istius partem, eaque usura, insignis adhuc oneris rationem habuerit, lubens
fatebor, hisce rationibus nihil momenti inesse, interea rogo viros doctos, tum eas ex-
pendant, tum etiam comparent cum illis, quæ proxime dicturus sum. Testatur Capi- 9
tolinus de Antonino Pio, tanquam aliquid singulare & sine exemplo, quod *fœnus trien-*


tarium exercuerit; ut patrimonio suo plurimos adjuvaret. Quod Pii exemplum, teste Ælio
Lampridio, non modo secutus fuit, verum etiam superavit optimus Imp. Alexander
Severus. Nam & ille *fœnus trientarium*, sed ita *exercuit, ut pauperibus plerisque sine usuris
pecunias ad agros emendos dederit, reddendas de fructibus.* At, quorsum ut singulare quid,
notatum fuisset, ab utroque Principe exercitum fuisse fœnus trientarium, si unciarium
& semunciarium fœnus, à primis ferme reip. incunabulis legibus definitum, ita accipi
debeat, ut unciarium fœnus sit duodecima pars centesimæ, semunciarium vero dun-
taxat vigesima quarta. Certe, si centum denarii ad fœnus trientarium dati annuatim
quaternos denarios pariant, & usurariæ clementiæ documentum singulare exhibeant,
næ multo majorem clementiam evincere debebit fœnus unciarium, ad quod, (modo
credamus viris eximiis) si crediti fuerint eidem centum denarii, annuatim singulos so-
lummodo denarios profundent creditori. Quis vero credat, ratione trientarii fœnoris,
tum Antonini Pii, tum etiam Alexandri Severi moderationem laudaturos fuisse Capi-
tolinum & Lampridium, si fœnus unciarium, acceptum è mente virorum doctorum,
10 jam olim ipsis XII Tabulis definitum fuerit. Nec hæc, quam propugno sententiam, re-
cedit à principiis, quæ viri vere summi recte monent esse attendenda. Nam omnino
præsupponendum est, apud Romanos usuras fuisse menstruas, & pecuniam fœnebrem
ad cujusque mensis Kalendas repeti potuisse, (quod hactenus robur addit meo argu-
mento, quoniam enim paupertina adhuc rep. pecuniæ occurrebat sterilitas, usuræ adeo
grandes erant, ut sors quoque mense posset repeti) si enim aliunde hoc non constaret,
vel ex uno Plutarcho manifestum esset, qui in libello, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, ostendit,
fœneratores, diem Calendarum, omnium alias augustissimum, consuevisse reddere ne-
11 fastum & odiosum sua acerbitate. Deinde, & hoc præsupponi cupio ex eorundem prin-
cipiis, usuram Centesimam apud Romanos fuisse maximam, atque mensuram reliqua-
rum minorum usurarum, usque adeo, ut haberi debuerit *as* quasi usurarius, juxta *Sal-*
12 *mas. de modo Usur.* pag. 269. Quid vero frequentius, quam elegantiæ ergo, rem unam
13 eandemque, & totius & partis nomine, insigniri. Ratione Centesimæ usuræ, (cui nos,
ob rationes antea allatas, contendimus omnino διὰ πασῶν respondere *fœnus unciarium*)
quoque mense una pars sortis, ad centenas partes redactæ, solvebatur; sed, cum anni
cujusque forent duodeni menses, illique responderent assi usuræ Centesimæ, etenim
cur non ratione habita assis, ut annui, menstruum fœnus (illius ejusdemque scil. assis)
14 unciarium dici potuerit? Lego quidem hæc in libro Cl. & Celeberrimi Dn. Gronovii,
(quem alias maximi facio) qui inscribitur, *De pecunia Vetere* pag. 492. *Ridendum vero,
assis nomine censeri annum, menses* uncias. Sed, ut illa verba, indignissima modestia Dn.
Gronovii, opponuntur sententiæ τοῦ πάνυ Dn. Hadriani Junii Batavi, viri, dum viveret,
doctissimi, atque in scriptis suis longe accuratissimi; ita velim arbitrentur omnes, qui
forte hæc legent, an non Dn. Gronovius Gronovii fuerit oblitus, quum proxime (ra-
15 tionem scil. hujusce risus allaturus) ita scriberet: *Sane ubi annus as, mensis uncia, bimestre
sextans, tres menses quadrans, & deinceps, sed quid hoc ad usuras? nihilo magis quam ad
cyathos sextarii, aut ad pedes jugeri, aut hæreditatis consortia. An usuræ sunt partes anni?
Reditus pecuniæ sunt currentibus anni articulis multiplicati: dicuntur autem unciæ, sextan-
tes, quadrantes, non anni, sed centesimæ ratione.* Quæ, velut minime cohærentia, ut col-
labantur, (1.) sumatur duntaxat, quod verbis præcedentibus ipse D. Gronovius dicit:
Reditus (inquit) *pecuniæ sunt currentibus anni articulis multiplicati;* atque deinde, *dicun-*
16 *tur unciæ, &c. centesimæ.* Ergo, ut secundum anni articulos (hoc est, ex nostra senten-
tia, menses) usuræ olim distributæ fuerunt, atque annum usurarium (ipso Dn. Grono-
17 vio fatente) exhibuit Centesima, ita menstrui Centesimæ reditus, respondentes anni
majoribus, sive duodenis partibus, usuram annuam Synecdochice convenienter exhi-
bere potuerunt, maxime, quod denominatio hujus usuræ ab uncia, examussim respon-
deret tempori, quo pecunia fœnebris & collocari & exigi solet. Verba sunt ipsius Dn.
Grono-

Gronovii loc. d. pag. 481 & seq. *Itaque sic centesimam usurarum vel commodi nomine*, &c.
*quoque dixere, huc respicientes, quod mense quovis pars centesima assis, seu unus in centum, de-
cem in mille, pro usu pecuniæ alienæ merces præstaretur:* ex quibus, ego Davus pro simpli-
citate mea colligo; Ergo ratione cujusque mensis, qui usurarum ratione, assi Centesimæ 18
respondebat, potuisse usuram aliàs Centesimam dictam, unciariam convenientissime
dici; quum argumenta antea à me adducta, pro vero sensu *fœnoris unciarii*, talia sint,
ut à nullo cum ratione everti possint. 2. A ratione viri Eximii, ut potuisset abesse illud 19
sane; ita sextarii, ut & jugeri, haut magis ad rem faciunt, atque aut galea pedi, aut ca-
liga capiti vestiendo servit. Res hæ, suo peculiari modo mensurabiles, non solent ha- 20
bere certum as, cujus ratione sic in duodenas partes debeant distribui, ut, duodena cu-
jusque anni parte, pars pariter duodena exhibenda sit. quemadmodum hoc volens no-
lens Dn. Gronovius de usura Centesima, & parte illius menstrua, sive uncia fateri cogi-
tur. Porro, apud τ τρὶς μέγιστον, eundemque ἐν τοῖς ἁγίοις Dn. Salmasium in Præf. de Fœ-
nore Trapezitico, contra nostram sententiam, hactenus vindicatam, sequens argu-
mentum offendo: *Si unciaria usura centesima est, ut censuit Scaliger cum Adriano*, &c. 21
juxta eam expositionem semunciarium fœnus idem fuerit ejus semissali. Cur igitur semuncias
pro semissibus dixit Tacitus? Atqui semis *assis est dimidia pars, id est, sex unciæ, ac* semun-
cia *unciæ dimidium.* Imo, quid ni semunciarium fœnus ob rationes jam dictas respon-
deat usuræ semissi? atque duodenæ Tacito semunciæ, quoque mense solvendæ, confi-
ciant semissem assis annui, sive Centesimæ? Quod vero aliæ usuræ pariter secundum 22
propriam denominationem non referantur & ad singulos menses, & ad assem annalem,
sive ad assem Centesimæ, ratio est, quod non occurrant æque commoda vocabula, at-
que se offerunt ratione centesimæ secundum annum considerandæ, & unciarum se- 23
munciarumque ratione secundum menses singulos, & tamen ad proportionem Cente-
simæ, sive assis usurarii, aptarum volgo denominari. Sed progreditur l. d. ὁ πάνυ D. Sal- 24
masius: *Unciariarum* (inquit) *usurarum mentio etiam in jure Digestorum, ut docuimus*, &c.
in libro de modo usurarum. Respicitur autem à viro summo l. Titium, sive lex 47 §. 4
ff. de Administr. & peric. tutorum, ubi sic Scævola Jc. loquitur: *Præfectus legionis ita
testamento cavit:* Volo, ut sit in arbitrio tutorum filii mei, si voluerint hujus summæ un-
cias inferre usurarum nomine, ita, ne nummi dispargantur. *quæro, si apparuerit pecunia
fœnerata à tutoribus, judicio tutelæ uncias usuras, an vero eas quas stipulati sunt, præstare
debeant, respondi. Si secundum voluntatem defuncti elegissent usurarum præstationem, ne-
que pupilli nomine in fœnus dedissent; id præstatur, quod testamento voluisset.* Cujus legis oc-
casione ita commentatur vir egregius, in erudito alias opere de modo Usurarum pag.
289. *Ut ne mirum sit*, si asses usuras *etiam dixere ut Plinius loco quem supra correximus, quem-
admodum & semisses & quicunces, & trientes.* Unciæ *igitur* usuræ *sunt, cum nummus unus
fœnoris in centum nummos sortis annuus infertur.* Uncias *inferre* usurarum nomine, *dixit
Scævola de unciario fœnore.* At voluissem vir summus legem hanc interpretatus fuisset
non secundum præconceptam opinionem, sed mentem ipsius Scævolæ. Do lubens,
usuras unciarias, vocari posse usuras uncias, sed, an propterea usura unciaria debebit
adeo remota esse ab usura centesima, ut hujus duodenam solummodo partem com-
plectatur? Testator, qui pupillis suis per tutores consultum volebat, pecuniam collo- 25
carat commode, nempe ad usuram centesimam, sive usuram unciariam, cujus pecuniæ
usum cum ambiissent Tutores, offensi sunt onere usurarum, atque minores usuras sti-
pulari voluerunt. Etenim, cum ex sententia viri summi, unciarium fœnus, duntaxat 26
fœnusculum, sive fœnus levissimum haberi debeat, quæ fuerit ratio, quod tutores,
quorum est commodis pupillorum invigilare, illud, quod minimum fœnus agnosci
debebat, per stipulationem adhuc minus reddere voluerint? Unde & P. Manutius in 27
Comm. ad lib. 5 Cic. ep. 6. *Si centesima, vel unciaria, vel semunciaria in anno solvere-
tur quis tantulo quæstu pecuniam suam collocasset?* Ulterius pergit vir egregius, atque 28
loco

loco proxime adducto ita loquitur: *De hujusmodi unciis usuris accipiendus Senecæ locus*
lib. 3 *de Ira, quod nemo adhuc visus est animadvertisse, ubi* usuræ haud millesimæ *meminit his verbis:* Quid si propter usuram haud millesimam, valetudinarius fœnerator
distortis pedibus, & manibus ad comparandum non relictis clamat, ac per vadimonia asses suos in ipsis morbi accessionibus vindicat? *Loquitur de usura, ut apparet tum*
minimi modi, propter quam, ut rem levem, mirum sit, valetudinarium fœneratorem distortis
chiragra podagraque manibus ac pedibus tantopere æstuare. Non potest alia esse quam unciarii fœnoris, quam haud millesimam *contemptim appellat, quia non sit revera millesima.*
Viro egregio, ne putet sibi palmam & gloriam inventæ hujus interpretationis deberi, præiverat jam olim Lipsius, ad d. l. Senecæ, qui occurrit lib. 3 de Ira cap. 35 ita
scribens: *Ea sane* (usura scil.) *cum millesimo mense sors æquabatur. Haud longe est ab*
29 Unciali *usura: cui miror hoc ævo, & tam fervida avaritia fuisse locum.* Sed, quis Genius
qua Lipsio, (qui in materia de usuris alias sequi solet κατὰ πόδα Antonium Augustinum) qua Dn. Salmasio suggessit, hanc *usuram*, vix *millesimam*, cujus meminit Stoicus Romanus, aut legibus, aut moribus Romanis debere receptam fuisse. Certe, hoc
30 fidiculis non extorseris ipsis Senecæ verbis. *Quid si*, dicit Seneca, aperte innuendo, à
31 se fingi casum hominis ad extremas sordes avari & iracundi. Nos Philosophi, Tyronibus artis Logicæ, inculcare quam diligenter solemus axioma in Scholis decantatissimum: *Conditionalis propositio nihil inesse ponit.* Secundum quod, si considerentur
Senecæ verba, luce meridiana clarius patebit, *usuram vix millesimam*, quæ ex mente
32 Senecæ, non nisi Chimæra, aut *ens rationis* est, nihil commune habere cum *usura un-*
33 *ciaria*, aut *unciali.* Atque sic solidissime nos evicisse confido adversus viros summos,
usuram unciariam eandem omnino esse cum usura Centesima, & viros egregios debuisse antea diligentius attendere rei Romanæ statum, quo tempore per leges XII
Tab. introducebatur fœnus unciarium, quam illud distinguerent ab usura Centesima.
34 Fateor lubens, me Criticorum & indoctissimum & imperitissimum & obscurissimum
esse, nec explicandæ pecuniæ veteri tantum temporis tribuisse, atque Celeberrimum
35 Dn. Gronovium, propterea tamen non probavero omnia, quæ vir diligens in opere
nupero, eoque laborioso proponit; quem ut spero, libero hoc meo judicio haut offen-
36 sum iri, ita eum rogo, secum ante omnia in concordiam redeat. Siquidem in Præf.
ad Lect. ita lego: *Materiam lentam difficilemque subigendo crebro & tractando ita emollivi, ut quædam, ad quæ nec ego, nec quisquam, quod scirem, adspirarat, plana & certa mihi redderem.* Cum quibus quomodo cohæreant illa, quæ sub finem operis occurrunt,
vix video. Ita quippe de hoc suo scripto ipse Author: *Et tamen plus parte tertia libri, jam moto prælo, jam trepidantibus operis, in summis temporis angustiis, die omni inter publicas privatasque recitationes & officia urbana exacto, matutinis vigiliis aut horis, quibus olim corpus curabant, his quoque sæpe impeditis exemptisve minutatim ac guttatim natum est:*
Nisi forte numerius partus, canis festinanter parientis, simul haberi debeat fœtus probe limatus atque formatus. Si luberet hoc agere, & gloriolam captare (præfiscine dixero)
ostendere possem virum vere eximium, quem agnosco Criticorum alpha, in hoc ipso
37 opere amplius quam centies dormitasse, maxime ubi Dn. Salmasium, quem ipse in
Præf. vocat *virum eruditione principem*, aut vellicat, aut exagitat. Si compellar hoc agere, faciam, ut confido, cum venia viri Celeberrimi, qui videri posset animum addidisse quod suam Præfationem his verbis obsignet: *Fruere, & bonis nostris fave, malis indulge; non ut dissimules, (cupio & ipse me, & si qui à me inscio deduci possint, ab errore liberari) sed, quod non mea magis quam tua interest, ut liberaliter & eleganter castiges.*
Sed hæc hactenus. Redeundum tandem est ad lineas. Ergo apud Romanos, usura Centesima, cui respondebat fœnus unciarium, ordinario agnoscebatur usura maxima; (extraordinaria siquidem fuit Centesima duplex, & triplex) eaque major per leges non fuit concessa.

JOH.

JOH. FREDERICI GRONOVII
ΑΝΤΕΞΗΓΗΣΙΣ
DE
CENTESIMIS USURIS
ET
FOENORE UNCIARIO.



Varias & plerasque difficiles ipsum nobis argumentum objecit quæstiones: sed vix est ulla, in qua, Dei virtute ac beneficio, lectoribus æquis & non imperitis perinde nos satisfecisse speramus, ut in illa, quæ de generibus est vocabulisque Usurarum apud Latinos & Græcos. Quum enim res foret intricatissima & impeditissima, nec fere quisquam eam tetigerit, qui non, ut ad viscatam virgam volucres, adhæserit, & plumas aliquot reliquerit, ita confusa separavimus ac digessimus, obscura & involuta patefecimus atque illustravimus, ambigua distinximus, rationibus ab stirpe exquisitis, monstratisque & reprehensis tot errorum deviis, ut nemo, qui patienter atque intelligenter nostra legerit, posthac in istis possit offendere. Id non videtur homini veritatem Theologicam, Philosophicam, Historicam, Philologicam, eruere & adstruere se professo: quam personam numquid tueatur, quum me pro ingrato & beneficis insultante, pro immodesto, sui oblito, centies dormitante, inconstante ac sibi ipsi in scriptis contrario traducit; &, in utrum nostrum justius hæc conferantur, non disputabo, satis & confisus moribus meis & alienorum patiens. Quid de nobis sentiant, qui nos ignorant, & tamen continere se nequeunt, quin audacter tanquam de cognitis & penitus inspectis pronuntient, non est τῶν ἐφ' ἡμῖν. Si nonnullis displicemus,

παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
Οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς.

Ad rem prævertor. Primum convicium est, totum esse me in vellicandis 3
Salmasii rationibus. Doctorum & bene de literis meritorum rationes injuria vellicare est facere, quod ego nuper passus sum, etsi nondum illum titulum merear: sed sicubi magni viri, utpote homines, nimii in dextrum aut lævum abierunt, comiter in viam illos reducere, & alios, ne in similem fraudem inducantur & se frustrentur, monere, nulla est invidia. In Salmasii rationi-

tionibus notavi, I. Quod ubi ſit mentio *binarum* aut ultra *centeſimarum* apud veteres, ea verba ſemper ad trajecticiam pecuniam pertinere putat. II. Quod *Centeſima* quum dicitur, ſubaudiendam tradit *Unciam* aut *Drachmam*; non autem *Partem*. III. Quod Græcos ad uſurarum genera ſignificanda ſcribit adhibuiſſe nummum argenteum *Drachmam*, Romanos æreum *Aſſem*. IV. Quod Romanos hoc ſtatuit differre à Græcis, quod horum vocabula *menſtruas*, illa *annuas* ſignificent. V. Quod quum recte ſentiat de diſcrimine *Centeſimæ* & *Unciarii fœnoris*, per imprudentiam loquendi tamen nonnunquam eadem confundit. VI. Quod Hotomannum in verbis, quæ ex illo citat, eadem confudiſſe perperam arguit. VII. Quod *Centeſimam* ex Græcorum ἑκατοστῇ formaſſe ſcribit Romanos. VIII. Quod antequam Græcia & Aſia potirentur Romani, præter unciarium & ſemunciarium fœnus vix aliud Romæ cognitum fuiſſe cenſet. IX. Quod *aſſem in centum promiſſum*, *centum in aſſem mutua data* dicendo, ſine more veterum loquitur. X. Quod *dipondiario, tripondiario,* * *ſeſtertiario, ſeſquaſſario* fœnore cum *treſſibus*, *quatruſſibus*, *ſeſtertiis*, *ſeſquaſſibus* † uſuris luxuriat, & pro bene dictis venditat, quæ nunquam ſibi permiſit Romana ſermonis caſtitas. Hæc ſi quis auctoritatibus priſcorum defenderit, is rationes Salmaſii me vellicaſſe increpet: ſin nolit, & non poſſe ſeſe intelligat, invidioſo verbo abſtineat, &
4 ſe noſtris controverſiis non immiſceat. Quam ſubjicit obortam ſuſpicionem, eam ego ſcio nemini bono & ſapienti in mentem veniſſe. Neque enim tam pronum eſt ac facile ea diligentia, qua nos conati ſumus, de pecunia veteri ſcribere, ut id nullam aliam ob cauſam, quam inſultandi alicui ergo, ſuſcipiatur. Præterea ſolet omnibus, qui aliquid ſerium & ſuum in literis aggrediuntur, idem obprobrari. Itaque & ipſi, cui nunc id fieri queritur iſte, tanquam prioribus fecerit, objectum eſt. Cæterum multa fuerunt mihi cum Salmaſio, quorum iſte ut eſſet arbiter, neutri unquam dignum viſum eſt. Poſſum uſurpare illud apud M. Senecam: *Pauca etiam novit crimina noſtra: & litigavimus aliquando, & decidimus, &, quod fortaſſe non putat iſte, pejeravimus.* Sed ut amantes ſolent. Exſpecto, ut poſthac vocet etiam me perjurum. Nunc videamus, quomodo Defenſor Salmaſii contra me & contra Salmaſium pugnet *Unciarium fœnus* idem omnino eſſe quod *Centeſimas uſuras*. Hoc enim agitur, quum *Centeſimas uſuras* dixerint veteres id genus, quo centeſima pars quotquot menſibus ſorti accedit, & per conſequentiam anno vertente duodecim in centum pullulant; quumque ad has reſpectu habito uſuras minores appellarint aſſis partibus, veluti *deunces* centeſimæ partis, quibus undecim in centenos, *dextantes* centeſimæ, quibus decem, *dodrantes* novem, *beſſes* octo, *ſeptunces* ſeptem, *ſemiſſes* ſex, *quincunces* quinque, *trientes* quatuor, *quadrantes* tres, *ſextantes* binos in centenos: hæc quum ita ſine controverſia ſe habeant, quæritur: utrum eodem modo *uncias*

* tertiario, quartario, quintario, p. 188 de mod. Uſur.
† tertiariis quartariiſque pag. 45 de mod. Uſur.

uncias usuras & *unciarium fœnus* dixerint, ubi mensibus singulis centesimæ partis uncia seu duodecima pars, omni anno una pars centesima integra, seu nummus in centenos nummos, collocatæ pecuniæ fructus est; an vero *unciæ usuræ* vel *unciarium fœnus* sint prorsus idem quod *centesimæ usuræ*, seu duodecim annui in centenos? Prius mihi placuit lib. III de pecunia vetere
„ cap. XIII. alterum illi, qui speravit se de nobis posse crescere. Apud omnes
„ sanæ mentis homines in confesso esse ait, in ea republica, quæ cives ha-
„ beat pauperes & æris indigos, usuras esse grandiores, quam ubi pecunia
„ abundant. Sic etiam scribit inferius, quia paupertina adhuc republica pe-
„ cuniæ occurrebat sterilitas, grandiores fuisse usuras. Ponit igitur publicam & communem paupertatem crescentis fœnoris potissimam causam. At ego, quantum recordor de historia civitatum, quas olim hæc pestis corripuit, reperi, non perinde angustias familiares quam corruptos mores intendisse fœnus, semperque id improbius grassatum, non quo major apud omnes, atque ipsius etiam reipublicæ, paupertas, sed quo major apud alios paupertas, apud alios pecunia, & quo major apud utrosque opum sitis & ostentatio. Ubi omnes adsueti sunt parvo vivere, ubi nec usus divitiarum nec cupido, ibi mirum non est grandes usuras ignorari. Neque enim Poplicola Valerius, Menenius, Fabricius, Curius, Epaminondas obærati fuerunt, etsi essent pauperes: & Scythæ olim Germanique * in egestate summa sine fœnore vixerunt. Magnus pecuniæ usus, sive ad commercia, sive ad ambitionem & luxum, facit magnos pecuniæ fructus. Est enim fœnus negotiationis genus. Quo plus nummorum inter manus hominum versatur, eo magis accrescunt pretia mercium, quæ appetuntur & ære parantur. Sic censibus augescentibus, naturaliter etiam augescunt necessitates & impensæ, augescunt occasiones occupandæ pecuniæ: tum & qui alieno nummo indiget, usum ejus carius redimere compellitur. Neque huic adversum, quod, si abundet pecunia, illi, qui bonæ fidei sunt, levioribus sub usuris accipiunt. Nam nec beati nec omnium egeni fœnori modum dant, sed medii, qui vel ob spem lucri vel ob sumptus statu suo majores mutuantur, præcipue tum, quum pecunia quisque sua multum potest efficere. Τοῖς γὰρ ἀπόροις οὐ δανείζουσιν, ἀλλὰ βουλομένοις εὐπορίαν τινὰ ἑαυτοῖς κτᾶσθαι, καὶ μάρτυρα διδοῦσι καὶ βεβαιωτὴν ἄξιον, inquit Plutarchus. Et rursum: οὐ διὰ τὴν πενίαν (οὐδεὶς γὰρ δανείζει πένητι) ἀλλὰ διὰ τὴν πολυτέλειαν. Idem: Νυνὶ δ' ὑπὸ τρυφῆς καὶ μαλακίας ἢ πολυτελείας οὐ χρῶνται τοῖς ἑαυτῶν ἔχοντες, ἀλλὰ λαμβάνουσιν ἐπὶ πολλῷ παρ' ἑτέρων μὴ δεόμενοι. Infra: ἡ τρυφὴ δανειστὰς ἐποίησεν οὐχ ἧττον ἢ χρυσοχόους καὶ ἀργυροκόπους καὶ μυρεψοὺς καὶ ἀνθηροβάφους. Sic & addit fœnus subire maxime, non pauperes, sed τοὺς τὴν αὐτάρκειαν αἰσχυνομένους. Et in eandem sententiam: Εἰ γὰρ ἠρκούμεθα τοῖς ἀναγκαίοις πρὸς τὸν βίον, οὐκ ἂν ἦν γένος δανειστῶν. Id nunc quoque apparere habeo auctorem certum & versatum in rationibus horum Lombardorum, qui eos, quorum spes opesque in manibus sitæ sunt, vecti-

* Et Indi. Ælianus 4 Ποικ. 1

gales

gales habent. Is mihi retulit, dies ſolennes plebejis epulis & ſordido luxu implere pignorum domos menſariorum, quæ redimantur inſtante S. Cœnæ cærimonia, quum ſcilicet cultior in templorum cœtibus quiſque conſpici deſiderat. Ita eadem veſtis alternis ſervit religioni & vitio: in re divina ornat dominum, & poſt eam factam, quamdiu pro copia ſumptum facit, in ejus cuſtodia eſt: ubi redierunt nundinæ & ſi quid hodie vulgo pro Cerealibus aut Saturnalibus eſt, jamque impendendum amplius quam reficiunt capturæ diurnæ, migrat ad trapezitam & opponitur tam care præbenti, quod per luſum & laſciviam conſumatur, ibique velut orbe quodam exſpectat myſteriorum diem. Quod ſi homines hi gulæ temperarent & conſueto victu uterentur, perpetuoque poſſent ſui panis noviſſe colorem, ſine ſpe prædæ moraretur Lombardus. Nihil igitur habet inſani, putare Romanos inter fœnus non fuiſſe tantum, dum circa matrem ſuam luctabantur, nec faſces extra Italiam extenderant, quantum, poſtquam opes univerſi orbis corripuerunt. Nempe parvo contenti vivebant: aberat magnus nummi uſus in commercia, aberat luxus: nemo tabulas, ſigna, toreumata emebat: nemo vetera negligebat, nova diruebat, alia ædificabat: nemo profundebat divitias extrudendo mari & montibus coæquandis: nemo denique omnibus modis & ſumma libidine pecuniam trahebat, vexabat, ut in ſua vitia diſertus Catilina queritur apud Salluſtium. Quid Romæ in tantis divitiis publicis privatiſque fœnus reddidit immodicum? Ambitio candidatorum. Cicero ad Atticum: *Ardet ambitus: σῆμα δέ τοι ἐρέω· fœnus ex triente idibus Quinctilibus factum erat beſſibus.* Ad Q. fratrem: *Ambitus redit immanis: nunquam fuit par. Idibus Quinctilibus fœnus fuit beſſibus ex triente.* Quid adegit homines ut iniquiſſimis conditionibus verſuras facerent? Amor poſſeſſionum magno in ære alieno: *ut agris, ædificiis, argento, familia, rebus omnibus ornati & copioſi eſſent:* atque interim *certarent uſuris cum fructibus prædiorum,* ut loquitur Cicero ſecunda in Catilinam. De quo genere & Plutarchus: Τοὺς μὲν γὰρ ἀντὶ τοῦ πωλεῖν τιθέντας ἐνέχυρα τὰ αὑτῶν, οὓς δ' ἂν ὁ θεὸς σώσειεν ὁ Κτήσιος· Αἰσχύνονται τιμὴν λαμβάνοντες· οὐκ αἰσχύνονται τόκον τῶν ἰδίων διδόντες. Quid Romæ uſuras intendit? Redemtio ſcelerum. Salluſtius: *quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret.* Ut ſi quis, quod ipſi Salluſtio objectum eſt, *ne cauſam diceret, ſeſtertio duodecies* cum uno gratioſo cive *paciſceretur.* Quid Romæ grandes reddidit uſuras? Nequitia adoleſcentum, qui ut amicam redimerent, ab daniſta ſumebant *argentum in dies minaſque ſingulas nummis,* ut eſt apud Plautum in Epidico: qui filii familias in mortem parentum Macedoniis ſe obligabant, ut apud Tacitum & Suetonium & juris conditores. Quid fœnus magnum fecit? Æs alienum ampliſſimorum & nobiliſſimorum virorum: quum Cæſar, antequam ullum magiſtratum gereret, trecenties duodecies, quum Milo ſeptingenties deberet. At in ſeceſſione in Sacrum montem, in tumultu Manliano, &

no, & cæteris ob fœneratorum acerbitatem veteribus diſcordiis, ne unus quidem commemoratur vir illuſtris, qui ejus mali fuerit particeps, & ducem inſanientibus præbuerit: ordinum diſcrimina erant, & plebis urbanæ hæc tabes, quam quis neget in tanta omnium paupertate & minori fœnore mergi & exhauriri potuiſſe? Denique quicquid fecit bellum civile, idem fœnus immane reddidit: atque ipſum deinde fœnus civilis belli cauſis acceſſit. Hæc vitia ignorabantur Romæ ante expeditiones tranſmarinas: aut inter paucos ac verecunde ſubrepebant, non palam regnabant. Itaque non 6
poterant ſic incitare fœnus, ut poſtea inter magnis opibus inopes potuerunt. Nec tamen melioribus moribus, & ſatis honeſta, modo proba foret atque innoxia, paupertate, tam leves obtinuerunt uſuræ ac nonnulli, & in„ primis Salmaſius, putarunt. Itaque recte negat, veriſimile eſſe, eo tem„ pore, quo Romani circa matrem ſuam adhuc luctabantur, & faſces ultra „ Italiam nondum extenderant, annuam unam tantummodo vel centeſi„ mam ſortis partem, vel ducenteſimam ſolutam uſuræ nomine fuiſſe.

Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet.

Eo enim fœnore laborabant, quod avito agro exſueret, paterna domo pelleret, corpus liberum in nexum & ſerviles operas daret: quæ raro à modico contingunt. Dein qui corpora nexorum tanta crudelitate vexabant, ut apud Livium & Dionyſium legere eſt, quî parcerent bonis? Denique diſerte Dionyſius: ἐπὶ μεγάλοις δανεισθὲν τόκοις. At peccat, quum hoc quaſi de noſtra ſententia ponit. Tanquam non legerit, quæ ſcripſimus pag. 226. „ Ego vero non dubito, quin & ante Sacrum montem Meneniumque A„ grippam ſanguinolentæ centeſimæ tenuiores agris paternis & avitis exſuerint, &c. Atqui, inquiet, *Unciarium fœnus* in XII tabulis & rogatione Duillia duodecimam centeſimæ menſtruam, centeſimam annuam; *ſemunciarium* Manlio & Plautio Coſſ. factum viceſimam quartam centeſimæ menſtruam, ducenteſimam annuam partem ſortis interpretaris. Sane, ſi tamen hac mihi particula uti licet: Sed aliud eſt juſſum lege ſolvi, aliud ſolutum eſſe. Immo quia graviores pendebantur uſuræ, ideo lege cautum, ne penderentur. Annon plane Tacitus: *quum antea ex libidine locupletum agitaretur.* Has quoque leges brevi poſt lationem irritas habuit & neceſſitas mutuantium & diſſimulatio magiſtratuum: quorum cum illis nemo ibat in creditum, niſi beneficium legis privata pactione ſibi abrogaſſent, ut hodieque in chirographis renuntiant privilegiis debitorum; hi favebant locupletibus, ut plurimum & ipſi locupletes, pro modo facultatum, qui Romæ tunc erat. Prorſus uti factum in lege de non nectendo ob æs alienum. Jam Ser. Tullius ſtatuerat, ne quis ob æs alienum in nervum duceretur, neve cui in poſterum fœneratori jus eſſet in libera corpora, teſte Dionyſio lib. IV. Sed id non diu poſt irritum fuiſſe oſtendit ſeceſſio in montem Sacrum. Rurſus

C. Pœtelio L. Papirio Coss. lex lata, pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset: qui solvendo non essent, necti desierunt, teste Livio lib. VIII & Varrone. At judicatos, addictos, nexos postea rursus fuisse testantur Livius lib. XXIII, Sallustius, Columella, Gellius, adducti Salmasio cap. XVIII de modo usurarum. Nempe pecuniam credere noluerunt fœneratores, nisi debitores & corpora obligarent: ex quorum chirographis jus dixere prætores, tanquam illi beneficio legis renuntiassent: quippe licitum cuivis favori pro se introducto renuntiare. Idem factum credibile est, aut similes rimæ repertæ, unciario aut semunciario fœnore solum per leges concesso, aut quando vetita usura. Non potest enim fœnus, ubi semel notum esse cœpit, facile excludi. Sic Dom. Baudius in Commentariolo de „ fœnore: Fœnus nusquam vehementioribus decretis notatur, quam in hoc „ regno Galliarum: nusquam tamen, quod mirum videri posset, & crebrius „ & impunius committitur. Et mox: Tot latebræ, tot effugia reperta sunt „ ad eludendam elidendamque omnem animadversionem, ut vix unquam „ liquido pronuntiare possit cognitor, satis quæsitum videri. Atque, ut rem ab altiori principio arcessamus, olim, quum urbes novæ vel coloniæ conderentur, adsignabatur unicuique modus agri, causa caputque familiæ. Neque enim tot erant genera quæstuum, quot nunc sunt: neque tot opificia, quibus alerentur homines: ne dicam à sellulariis artibus abhorruisse, qui assidui cives haberi, & concionibus interesse volebant. Vix populorum finitimorum noticia inter se: nec tam facilè deserebant patrias, nec, si migrassent, commodiorem foris quam domi vivendi rationem inveniebant. Suis oppidis continebantur, donec, si res secundæ fuissent, ad eum crevissent numerum, ut locus ad omnium tutelam non sufficeret, atque iterum colonia esset emittenda. Cum attributis itaque jugeribus pro ingenio & fortuna sic luctabantur, ut plures dominos agri, nonnulli domini non suos tantum, sed & aliis à primo datos agros vincerent. Quidam, quum eorum desidiam aut luxum aut calamitatem non toleraret sors, respicere opes feliciorum & accipere sub pacto post tempus reddendi cum aliquo augmento compellebantur. Id quod initio perexiguum fuisse pro habitu pecuniarum proque communi tenuitate, paullatim grandius factum, ut quorundam accrescebant divitiæ, & viæ lucrandi, pronum est cogitare. Interim qui nomina contraxerant, sustinebantur spe melioris anni, aut undecumque augendæ rei familiaris: quæ, ubi destituerat, rus, quod ne domino quidem alendo suffecerat, nunc oneratum eo, quod pendendum erat fœneranti, utcumque mediocre, tandem omne abibat ad creditorem. Alii diligentia, parcimonia, proventu augebantur, nec se modo ac suos tutabantur egregie, sed & aliis, quod cum lucro reciperent, præbendo, multorum rem ad se devocabant. Interdum vicinus impotens & continuandorum latifundiorum cupidus conterminis ludos faciebat, quales proximum suum sibi fa-

ſibi facere refert Columella: *qui nec arborem*, inquit, *prolixiorem ſtare noſtræ regionis, nec inviolatum ſeminarium nec pedamenti quidquam adnexum vineæ, nec etiam pecudes negligentius paſci* ſinebat: ut cogeret non vendere, ſed propemodum abjicere. Ita eveniebat, ut quia ſemper pauciores boni ſunt & felices, facile etiam cupiditas & opes experiuntur injuriam, totus ille ager, olim inter aliquot millia diſtributus, in paucorum locupletum manus veniret; cæteri fierent γεωπεῖναι; atque in numeroſa civitate, ut Marcius ajebat Philippus, vix duo millia eſſent, qui rem haberent. Hinc, ubi ſe circumſpexerat multitudo, ſeditiones: & novæ tabulæ, diviſiones agrorum poſtulabantur. Athenæ laborabant hoc morbo, quum ei ſubvenit Solon: Lacedæmon, quum Lycurgus: Heraclea Ponti, quum oleum igni adfudit Clearchus. Hebræorum ſapientiſſimus legiſlator hoc caverat quinquageſimo anno Sabbatico, quo unuſquiſque ad poſſeſſionem ſuam revertebatur: & poterat ſcilicet, Dei ipſius auctoritate ſuccinctus: nam humana quæ ſapientia, quæ probitas id perſuadebit? Itaque mirabilis Lycurgus, qui (non tamen ſine certamine, cui oculorum alterum impendit) ad tempus & ipſe perſuaſit, jubendo ſortium numerum ſemper eundem, poſſeſſiones æquales manere; vetando fundos tam emi quam vendi: quas Rhetras labante diſciplina exoletas ſecutis inopum querelis, quum eam revocare vellet Agis rex, ab Ephoris novo exemplo affectus ſupplicio eſt. Romæ occurrerunt huic malo identidem reges, publico aut regio aut ex hoſtibus capto agro inter egenos diviſo. Servius etiam de ſuo ære debita perſolvit pecuniarum creditoribus. Poſt ejectos reges hinc ſeceſſio in Sacrum montem. Nondum tamen impoſitus fœnori modus: conventioni privatorum res relicta. Anno v. c. CCCII duodecim tabulis cautum, *ne quis amplius unciario fœnore exerceret*. Quod parum valuiſſe apparet ex Manliano tumultu A. CCCLXXI, in quo centurio liberatus queritur, *ſe multiplici jam ſorte exſoluta, mergentibus ſemper ſortem uſuris, ære alieno obrutum eſſe*. Longe graviſſimum oportuit fœnus fuiſſe, quo multiplex ſors exſoluta erat. Succurrit & anno CCCLXXXVI lex Licinia Seſtia, *ut deducto de capite, quod uſuris pernumeratum erat, id, quod reſtabat, triennio æquis penſionibus perſolveretur*. Et quum recrudeſceret idem malum, legem XII tabularum de unciario repetivit rogatio Duillia anno CCCXCVI. Anno CCCCI ſolutio æris alieni in publicam curam verſa & per Quinqueviros Menſarios aut ærarium menſis cum ære in foro poſitis diſſolvit, ita ut populo prius caveretur, aut æſtimatio juſtis rerum pretiis liberavit impedita nomina. Quinquennio poſt, nimirum CCCCVI T. Manlio Torquato C. Plautio Hypſæo Coſſ. non niſi ſemunciarium conceſſum: & tandem CCCCXI L. Genutius ad populum pertulit, ne fœnerari liceret. Quo effectu, docet lex Pœtelia anno CCCCXX promulgata, cujus mentionem fecimus. Et quo cum cœteris hæc quoque, clamat ſeceſſio in Janiculum anno CCCCLXVII Hortenſio Dictatori compoſita. Harum diſcordiarum & certaminis finem bellum

Puni-

Punicum fuisse scribit Sallustius. Attamen anno DLX L. Cornelio Merula Q. Minucio Thermo Coss. denuo fœnore laboravit civitas, & *quum multis fœnebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transscriberent: ita libero fœnore obruebantur debitores:* scitum ergo, *ut cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis esset:* hæc Livius lib. XXXV. Sed & anno DCLXVII labefactata fide ob magnitudinem æris alieni Valerius Flaccus C. Mario VII consuli suffectus, *turpissimæ*, ut ait Vellejus, *legis auctor fuit, qua creditoribus quadrantem solvi jussit:* id Sallustius vocat *argentum ære*, id est, sestertium asse, *solutum*. Ut taceam, quid post civile bellum Julius, quid deinde Tiberius remedii attulerint. Nimirum quicquid providissent leges, & quantacumque felicitas esset imperii, fieri non potuit, quin ex maxima pecuniæ copia brevi post existeret major, quam fuerat unquam, apud plurimos inopia, quia pecuniam comitabantur vitiorum barathra, & duo inprimis inexpleta, avaritia & luxus. Tum exoriebantur variæ & innumerabiles occasiones pecuniæ cum lucri spe occupandæ. Denique si quid minus licebat in cives, licebat in peregrinos & provinciales: unde querelæ de sanctis etiam viris, *Italiam & provincias immenso fœnore ab illis hauriri.* His omnibus, & aliis de causis fœnus non desiit impudentissime & immaniter crescere tum maxime, quum ea ipsa Romuli urbs ferme ὅλης τῆς οἰκουμένης opes mœnibus suis complecteretur: ita ut quaternas quinasve centesimas stipulari fœneratores non dubitarent. Horatius lib. I Sat. II.

Fufidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.

Cicero Verrem scribit pecuniam publicam, sibi attributam, apud publicanos binis centesimis fœneratum esse. Quid Verres & Fufidios loquor, si Senecæ & Bruti non immunes ab hoc morbo? Nam quod Scaptius à Salaminiis poscebat quaternas centesimas, ut testatur Cicero lib. V ad Atticum epist. ultima, eam pecuniam lib. VI epist. I scribit Bruti periculo fuisse. Accedebant anatocismi, renovationes non soluti fœnoris singulorum annorum. Pertinet huc Dosithei locus, quem in opusculo nostro correximus & exposuimus. Adeo non sistebant intra centesimas. Equidem Prætores, dumtaxat æquissimi, hoc observabant, ut ultra centesimas non admitterent: factum etiam SC. ut centesimæ perpetuo fœnore ducerentur: sed quam hoc quoque SC. variis artibus eluderetur, quamque improbi magistratus, quales tum plures erant, parum illud morarentur, satis ostendunt duæ illæ M. Tullii epistolæ. Sero denique obtinuerunt Imperatores, ut nauticum fœnus, quod infinitum prius fuerat, centesimis; ex quo maris periculum cessasset, aliquanto intra contentum esset. Hinc apparet, quam

vanum

vanum sit argumentum æmuli. Non enim verum est, aut solam pauperta-
tem esse causam magni fœnoris, aut Romanis, antequam egressi essent Ita-
liam, fœnerantibus non solutas centesimas vel ante vel post fœnus uncia-
rium legibus jussum. Non est verum, jam egressis Italiam & imperio gen-
tium divitibus factis statim justas & maximas fuisse centesimas. Non est
verum, quum majores Romæ opes essent, grandiores usuras esse non po-
tuisse. Ex tot falsis igitur positis colligi necesse fuit longe falsissimum, *fœ-
nus unciarium* idem esse, quod *centesimas usuras*. Sed cum Dialectico nobis
res est: pressius & brevius agamus. Sic argumentatur: Si credibile est exi-
guis etiamnum publicis privatisque opibus grandiores Romæ fuisse usuras,
verisimile est quoque illo tempore fœneratores annuo asse uno in centum
non fuisse contentos. Confirmat hoc eo, quod Urbe jam totius terrarum
orbis domina veriti non sunt duodecim in centum annuos exigere. Omit-
to jam vitia collectionis hujus late demonstrata. Concedo omnem: non
est enim adversus me, sed adversus illum, quem arroganti miseratione
clientem adoptavit, Salmasium, qui putabat, antequam in Græciam &
Asiam trajecissent Romani, vix grandius fœnus illis fuisse. Me ferire si
velit, sic ei procedendum est: Si fœneratores uno asse in centum annuos
contenti non fuerunt, lex duodecim tabularum, quæ modum fœnori sta-
tuit, post tot querelas, seditiones, vana remedia, centesimam legitimam
præfinivit, & *unciarium fœnus* dixit pro usura centesima. Hic non exspectet,
dum ego respondeam: interroget quemvis sanum: & audiet nihil posse con-
cedi minus: nam legislatores spectaverunt, non quid optarent fœneratores,
sed quid maxime conduceret miseræ & jamdudum exhaustæ plebi. Quæ- 7
rit, quoniam ab unciario fœnore, tanquam hoc quoque gravaret, ad se-
munciarium veniendum fuit, quis sibi persuadere possit, quotannis unam
centesimam partem sortis usuræ nomine solvere plebi Romanæ grave fuisse?
Respondeo, quisquis historiam Romanam mediocriter didicit. Annon
planis verbis Livius lib. VII. *Etsi unciario fœnore levata usura erat, sorte
ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant.* Si sortem ipsam solvere grave
erat, si *sorte* sola sine ullo augmento *obruebantur*, quidni grave erat quantil-
lum accedebat supra sortem? Quod si non edidissemus rationes manifestis-
simas sententiæ nostræ ex ipsa rerum & verborum natura petitas, si nobis
quoque ejusmodi argumenta è longinquo conquirenda essent, non alio ute-
rer ad probandum, *Unciarium fœnus* à *Centesimis* plurimum quantum dista-
re, quam hac ipsa lege. Quæro enim vicissim: quis ferret magistratum, qui
professus se improbitatem fœnoris coercere velle, pro magna clementia te-
nuioribus debitorum imputaret scilicet, ut penderent tantummodo (quasi
tricas, tramas putridas, cassam glandem, curculiunculos minutos, ut Gry-
pus comicus jocatur) duodecim in centum nummos? Certe hoc præ se
tulerunt Decemviri, quum caput istud duodecim tabulis addiderunt; hoc

Duillius, quum eam rogationem tulit, se consulere miseris, se imminuere onera. Eadem fuit opinio plebis: *aliquanto cupidius*, inquit Livius, eam *rogationem* Duilliam *scivit accepitque plebes.* Neque accepit aliter Livius, quum *unciario fœnore levatos* ait. Hoc ergo tanta venditatione datum, tanta gratia acceptum beneficium fuerit scilicet, ut, tanquam rem parvam, solverent duodecim in centum. Cur ego *sanguinolentas centesimas* dixit ille ipse, cui eas inimici exprobraverunt? Cur *durus fœnerator* vocatur Cæcilius, à quo, nisi centesimis, nemo poterat nummum movere? Annon hoc est tristissimam sententiam cum præfatione clementiæ pronuntiare? Cæterum in hoc Livii loco notanda etiam illa verborum consecutio: *etsi unciario fœnore, tamen sorte ipsa.* Quis hic tam subitus saltus ab unciario fœnore ad nudam sortem; si *unciarium fœnus* tam longe à nuda sorte distabat, ut genus usuræ esset maxime maleficum? Cur idem hiatus apud Tacitum: *sanctum, ne quis unciario*, &c. *dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura.* Cur post semuncias vetita? Si *semunciæ* sunt semisses, & hæ quoque onerosæ, saltem quincunces, trientes, quadrantes, sextantes, & quas quo nomine appellem, ignoro, si *unciarum* mihi vocabulum eripitur, pati poterant, ne statim omnes vetarentur: præsertim, quum inter rogationem de unciario repetitam & vetitum fœnus tantummodo sedecim anni intersint. Licet hic dicere illud Martialis:

Mittebas libram: quadrantem, Garrice, mittis:
Saltem semissem, Garrice, mitte mihi.

Quæ magna & non ferenda tantis animis clades, quæ superveniens inopinata calamitas Quirites ita afflixit, ut quibus pro re levi & percommoda homines ambitiosi & gratiæ cupidi lege lata statuissent centesimam, hi salvi esse non possent, nisi sorte sola soluta? Quid si medio tempore non modo ullus incubuit reipublicæ casus, sed & quotannis novis victoriis creverunt populi & privatorum opes, & illa ditissima lautissimaque Capua imperio accessit? Hæc igitur omnia ostendunt, *unciarium fœnus* à sorte nuda, à non fœnerando parum abfuisse, & mollem inde ad hoc transitum datum. Quam vigilanti autem provenit illa Solis, opinor, ipsis petita verborum concinnitas? Quis sibi persuadeat, inquit, plebem Romanam indignatam fuisse, „quod ex præscripto XII tabularum, usuræ loco, quoque anno, unam „centesimam sortis partem solvere debuerit, atque T. Manlio Torquato „& Cn. Plautio Coss. decennio post semunciarium fœnus ex unciario fieri „debuerit, quod hoc plebi nimis grave foret? Hæc quisquis exaudit, plebem non tantum, quod centesimam partem solvere debuerit, sed etiam quod semunciarium fœnus fieri debuerit, indignatam necessario accipit: neque enim illud, *fieri debuerit*, alio potest referri quam ad præcedens, *indignatum quod.* At locus requirit, ut quod de semunciario subjicitur, referatur ad longinquius, *Quis sibi persuadeat.* vult enim parum esse credibile,

plebem

plebem indignatam, quod annuam centesimam sortis partem, hoc est, unciarium fœnus, dare juberetur: parumque esse credibile, ideo semunciarium nostro sensu introducendum fuisse. Deinde illud, *decennio post*, cui aliter ad aures accidat, quam ut putet decennio post tabulas XII latas fuisse istos consules & ex unciario semunciarium factum? Atqui inter Decemviros & T. Manlium Cajumque (non enim Gnæum) Plautium intersunt CIV anni, quum illi CCCII, hi CCCCV rempublicam tenuerint. Atqui dicet, se decennii mentionem fecisse, ob id, quod scripturus erat de Duillio, non quod scripserat de duodecim. Haud inficior: tantum volo attendere dicendi gnaros quam vigilet in scribendo, qui alios in eo centies dormitasse videt. Petit exemplum ullius nationis, quæ adeo & argenti fuerit inops 8
& usurarum impatiens, ut accipere sortem sub conditione restituendæ cum additamento annuo centesimæ partis recusaverit. Quærit quod habet, leges videlicet, quæ ostendunt plebem Romanam hoc quoque, quod ille levissimum censet, grave duxisse: quod abest, non quærit, quomodo illas leges intelligat. Poterat id à nobis didicisse, si judicium integrum ad ea, quæ scripsimus, attulisset. Sed & præsto sunt exempla omnium civitatum, quæ tabulas poposcerunt novas, quæ quadrante aut besse deciderunt, quæ omne fœnus vetuerunt. Præterea centesima sortis annua pars fortasse ita gravis non sit, si sors ipsa non excedat centenos. Sed raro intra eum numerum sistitur. Jam fac mille æris aliquem mutuum sumsisse: inde quinque uncias semunciario fœnore, decem unciario menstruas debebat, & si annum totum reliquatus esset, quinque vel decem libras. Has ergo solvere grave non erat, ei, qui ægre vivebat ipse, & liberos forte complures alendos habebat? fortassis & in classe censebatur, & tributo pendendo urgebatur? Gratulandum est homini bona fide scholastico, & eorum, quæ Janus summus ab imo Prodocet, imperito, qui nescit, quid sit obæratum esse, aut mala nomina habere. At in vicina Frisiæ Saxonia novimus possessores, qui à viginti annis & fœnus & sortem debent, quibus non dico semunciam, ne scriptulum quidem centesimæ annuum extorqueant creditores. Ad prætorem ibis? hypothecas dices commissas? Recte: addicetur tibi ager, sed ita gravatus censu, ut, nisi parcissime ac durissime, non alat exercentem, & gravandus magis, si domino locupleti cessisse intelligant regnantes. Et quis adeo prudens & attentus paterfamilias, modo supersit, quod occupet, qui semper effugerit mala nomina? Adeo quærenda non sunt exempla illorum, quibus grave est centesimam modo sortis partem annuam præstare.
Quærit, quorsum ut singulare quid notent historici, à Pio & Alexandro 9
Cæsaribus exercitum fuisse fœnus trientarium, si major clementia fuisset unciario gaudere? Quærat igitur etiam, cur laudetur Augustus, quod non regno, neque dictatura composuerit rempublicam, quam fuisset nobilius reddere Senatui & populo. Discat ab Hieronymo, *de gratuito non judicare,*

& equi dentes non inspicere donati. Ea tum erant tempora, & ita grassabatur fœnus, ut illa modestia veteris ævi à nemine esset postulanda, & valde civiliter ageret, si quis trientibus contentus esset. Non magnum erat trientes usuras pati, quum pius ille bonusque Theodosius simul cum Gratiano & Valentiniano judicatos post alterum mensem binas centesimas æris debiti solvere jusserit? quod si contractus ex stipulatione descendat, & usuræ per annorum curricula casu summam sortis æquaverint, post sententiam in sortem duplam centesimam, in usuras, tanquam novam sortem, simplam præ-
10 stari? Cognoscat hoc ex l. un. Cod. Theod. de usuris rei judicatæ. Suam sententiam solo ac fundamentis, quæ Salmasius & ego jecerimus, inniti prædicat. Prius agnosco meum, menstruas usuras fuisse, & pecuniam fœ-
,, nebrem ad cujusque mensis calendas potuisse repeti. Hoc ait hactenus
,, robur addere argumento suo: quoniam enim, infit, paupertina adhuc
,, republica pecuniæ occurrebat sterilitas, usuræ adeo grandes erant, ut sors
,, quoque mense posset repeti. Quid hoc est: adeo grandes erant, ut sors quoque mense posset repeti? aut quis hoc intelligit? An si grandes non fuissent, sors non potuisset quot mensibus repeti? Quis vetuit hoc, aut illud concessit? An si gratuita sors & sine ullis usuris esset, non poterat repeti? Quod mense exacto repeti poterat creditum, id fiebat ex conventione contrahentium; non ex modo usurarum, non ex paupertina republica, non ex pecuniæ, ut melleum (sed nescio qua lingua, non enim Latina.) loquitur, occurrente sterilitate. Etiam tum, quum non occurrebat paupertina republica pecuniæ sterilitas, hoc est, ut intelligamur, quum & publice & privatim pecuniosi & opulenti erant Romani, sic cavebatur: *L. Titius scripsi me accepisse à P. Mævio quindecim millia HS. mutua numerata de domo, & hæc quindecim millia proba recte dari Calendis futuris stipulatus est Mævius Publius, spopondi ego L. Titius. Si die suprascripta summa P. Mævio, eive, ad quem ea res pertinebit, data, soluta, satisve eo nomine factum non erit; tunc eo amplius, quo post solvam, pœnæ nomine in dies triginta inque denarios centenos denarios singulos dari stipulatus est P. Mævius, spopondi ego L. Titius.* Numquid similiter fieri potuisse, & factum esse persæpe *Victoriatos singulos*, ut semisses essent: aut *sestertios singulos*, ut quadrantes: aut *sestertios tres*, ut dodrantes:
11 aut *assem trientem*, ut unciæ essent usuræ, incredibile est? Alterum mutuatus est ab Salmasio, recentiores quosdam JCtos sequente, Centesimam fuisse apud Romanos maximam, atque mensuram reliquarum usurarum, usque adeo, ut haberi debuerit as quasi usurarius. Cognitor hic Salmasii ea, quæ verissime tradidit Salmasius, oppugnat: in quibus ei accidit aliquid humanitus, ea admiratur. Anceps & ambiguum est illud, Centesimam apud Romanos fuisse maximam: si, quæ exerceretur atque in usu esset, falsum; nam binas, ternas, quaternas, quinas centesimas exegisse plurimos certum est: si, quam aliquando Senatus excedi noluit, nisi in nautico, sero Imperatores

ne qui-

ne quidem in nautico fœnore, concedo. Mensuram fuisse reliquarum, si significat, ut opinor, nomina dedisse reliquis, verum est; non tamen minoribus modo, sed etiam majoribus: & omnino nihil ad hoc facit, maxima sit alicubi, an non sit maxima. In omnibus, quæ numero, pondere, mensura continentur, modum aliquem notabant veteres, per quem metiebantur alios majores modos, ipsum partibus assis: unde & minoribus modis, ejusdem tanquam assis intuitu, vocabula attribuebant: non quia maximus erat ille modus, sed quia commodissimus quum ad minores tum ad majores significandos. Ut Gromaticis mensuræ erant, *Digitus*, *Uncia*, *Palmus*, *Sextans*, *Pes*, *Laterculus*, *Cubitus*, *Gradus*, *Passus*, *Pertica*, *Clima*, *Actus*, *Arepennis*, *Jugerum*, *Centuria*, *Stadium*, *Milliarium*. Nihil est horum, quod non, ubi commodum erat, assem facerent, & per quadrantes, trientes, besses, &c. dividerent. Sed translaticio loquendi more cæteros in *Pedes*, ipsum in partes assis describebant, & inferiores his vocabulis appellabant. Rursus latifundia *jugeribus*; quod intra jugerum, partibus assis metiebantur. At neque *Pes* neque *Jugerum* maximi rerum sunt sic mensurabilium modi. In rationibus antiquis *Denarius*, post Constantinum *Solidus* erat modulus pecunias referendi, summæ majores tot solidis, tot denariis, vel tot millibus denarium concipiebantur; minores partibus assis, in quas commode describebantur qua *denarius* qua *solidus*. Neuter tamen summæ fuerunt maximæ. 38
„ Sed usura centesima, inquit distinguendi Rex & novæ Latinitatis hiero-
„ phanta, cui respondebat fœnus unciarium, ordinario agnoscebatur usura
„ maxima: extraordinaria siquidem fuit centesima duplex aut triplex.
Igitur *maximus* est ordinarius, & extraordinarius non maximus, quia maximo major. At olim clavi figendi causa dictator dicebatur, quia lex vetusta, qui *prætor maximus* foret, eum idibus Septembribus clavum pangere sanciebat. Homines imperitos & ignaros juris sui consules! qui passi sunt hunc honorem abire ad Dictatorem, magistratum extraordinarium, eoque non maximum, ipsi ordinarii, propterea que maximi. Sit tamen *maximus* ordinarius, quid est cur centesima dicatur *ordinaria* usura, binæ aut ternæ centesimæ *extraordinaria*? Si enim *ordinarium* est, quod plerumque fit, certum est binas aut ternas centesimas æque usitatas fuisse, aut etiam usitatiores quo plus est hominum αἰσχροκερδῶν quam modico lucro contentorum: sin *ordinarium* est legitimum, quia centesima lege aliquando maxima fuit, id non potuit esse principium nominum inferioribus impositorum; quia multo prius hæc vocabula exstiterunt, quam ullus fœnori modus lege præfinitus est. Scilicet *As*, ὡπὰν, Latinis est τὸ πᾶν καὶ τὸ ὅλον certi generis, non τὸ μέγιστον aut τὸ μήκιστον. Multo minus hinc sequitur, Centesimam belle dici aut priscis unquam dictam fuisse *Assem usurarium*. An fuit, cui placeret *as vinarius* pro sextario, *as rusticus* pro jugero, *as argenteus* pro denario, *as aureus* pro solido? Dixi ejusdem ab his loquendi generi-

neribus cavendum esse: sunt enim velut ignes fatui, qui in impedita & paludes abducunt: nec profuit Salmasio, quod tam mendosi sermonis aucto-
12 res secutus est. Si adeo frequens, adeo elegans, rem unam eandemque & totius & partis nomine insigniri, ostendat id unquam factum in asse & partibus ejus: ostendat unam & eandem bucceam panis dictam esse unciam & libram, eundem modum vini cyathum & sextarium, unciam jugeri & jugerum esse idem, pollicem & pedem, assem trientem & denarium.
13 „ Ratione, inquit, centesimæ usuræ quoque mense una pars sortis, ad „ centenas partes redactæ, solvebatur: sed cum anni cujusque forent duo„ decim menses, illique responderent assi usuræ centesimæ, etenim (hinc „ non tantum poterat, sed etiam debebat abesse illud *Etenim*) cur non ra„ tione habita assis, ut annui, menstruum fœnus (illius ejusdemque assis) „ unciarium dici potuerit? Hic fructus novorum leporum, & tanti est *assem usurarium*, *assem usuræ centesimæ* præter rationem & morem veterum confinxisse. Si *Centesima* simpliciter ac per se significaret duodecim annuos, uncia centesimæ menstrua, seu *fœnus unciarium* & *Centesima* annua in idem reciderent. Sed ipsa *centesima* est menstrua, non annua: annuum autem, quod nascitur fœnerato centesimis usuris, sunt duodecim centesimæ partes sortis: nec *Centesima* per se & ratione vocabuli significat duodecim in centum, sed ex consequenti pronuntiatis *Centesimis* intelligimus annuos duodecim: quia ubi menstrua dabatur pars sortis centesima, ibi necessario duodecim mensibus fiebant centesimæ duodecim. Et hæ vocabantur *asses usuræ*, non quia duodecim gignunt in anno: sæpe enim non gignebant, si videlicet annua die non erat collocata pecunia, sed in mensem, vel in aliquot menses; tamen erant centesimæ, si hæ convenissent: sed quia usuræ centesimis minores sic se habebant ad centesimam, ut partes assis ad assem. Tanquam, mille denarii menstruos pariunt denarios decem centesimis: semissibus, quinque: nam quinque tantum distant à decem, quantum semis ab asse, hoc est, dimidium à toto: quadrantibus, duos & victoriatum, quia duo & dimidium tantum differunt à decem, quantum quadrans ab asse, nempe quarta pars à toto: unciis usuris tres sestertios & trientem sestertii: tantum enim absunt hi à decem denariis, quantum uncia ab asse, seu pars duodecima à toto: nam ter duodecim sestertii sunt XXXVI, hoc est, novem denarii: duodecim trientes sestertii quatuor sestertios faciunt integros, hoc est, denarium. Quia ergo *Centesima* menstrua est, uncia centesimæ menstrua (à qua dicitur *fœnus unciarium*) non est duodecima pars assium usurarum, sed duodecima duodecimæ: nec gignit in anno asses usuras, sed duodecimam partem assium usurarum, seu unam centesi-
14 mam sortis, quæ est uncia centesimarum usurarum. Dixi ridendum esse, quod scripsit Hadr. Junius, *Assis* nomine hic censeri annum, menses *uncias*. „ Ea verba indignissima esse modestia mea audio, quia opponuntur senten-

„ tiæ

,, tiæ τοῦ πάνυ Dn. Hadriani Junii Batavi, viri, dum viveret, doctissimi atque ,, in scriptis suis accuratissimi. Manum de tabula: morum modestiæque magister adest citius quam putaram. Sed libet interrogare parem M. Æmilio Scauro gravitatem: utrum nemo dominus Batavus, nemo, dum viveret, doctus & accuratus in scriptis quicquam ridendum dixit? an, si quis dominus Batavus, si quis, dum viveret, doctus & accuratus & ὁ πάνυ ridenda dixit, ne ut dixit vocentur, hujus est intercedere? Unde istos tam inamœnos & austeros? unde hunc tam pædagogum? Aliquis de non tristibus hominem, qui vetat ridere, jubebit plorare. At nos in Nomenclatore isto non hoc solum risimus. Ridebamus etiam, quum hac ipsa in materia *Sortem nauticam* & *trajecticiam* legeremus explicari portorium, & δάνειον ἀμφοτερόπλουν, quod pro itu redituque in profectione persolvitur, ἑτερόπλουν, quod pro alterutro vel abitu vel recursu numeratur: &, ne quis dubitet, Belgice **Veergelt / Schiploon.** Ridebamus, quum *Peculium adventicium*, quod alius alii concedit exercendum, *argent baillé pour trafiquer:* quum *Extar*, æs theatricum: quum *Auctoramentum*, quo accepto miles obligatur, cum dat nomen: quum *Argentariam facere*, usuram exercere: quum *Conturbare*, posterioribus creditoribus satisfacere, præteritis veteribus: quum *Profiteri* Sallustio intra legitimos dies sive constitutum judicio tempus pecunias persolvere, vel bonorum summam in acta referre, ut inde creditoribus satisfiat, quod ei breviter est profiteri æs alienum, Seneca VI de benef. cap. XX. quum *Daricum* non à Dario Xerxis patre, sed antiquiore Persarum Rege percussum: quum *Chalcum* sextam oboli partem; & tamen paullo post τριτημόριον Philemonis sex chalcos: quod qui eum docuit Pollux, idem docebat τριτημόριον vel τριτήμορον duobus chalcis minus habere obolo, obolum octo chalcos: quum Plinii verba multos torsisse; *Libralis, unde etiam nunc libella dicitur & dipondius appendebatur assis:* eaque sic immutanda: *Libra as, unde e. n. libella dicitur & dipondius appendebat* II *asses.* & ea occasione librarium oscitantem dare pœnas: quas debebat ὁ πάνυ non videns scribendum & distinguendum: *Librales, (unde etiam nunc libella dicitur & dipondius) appendebantur asses:* quum tot summas veteres male nostro nummo æstimatas. Hæc & infinita alia ridebamus: & tamen Hadr. Junium inter præcipua literarum & patriæ ornamenta, hoc etiam ejus opus inter prima hujus generis ponimus. Nam quod interdum ridenda dixit, non domini, non Junii, non Batavi vitium est, sed hominis: & nemo fuit quantumvis studiis magnus, cui non aliquando ridenda exciderint. Non indignum modestia sua fecit Cato, quum Ciceronem ridiculum Consulem vocavit: & ob hoc dictum neuter cuiquam sano despicatior: nec desinunt esse ambo viri propemodum humanis majores: etsi quædam in utroque rideamus. Quod igitur tum ridendum censui, id nunc multo magis ridendum & exsibilandum autumo, quum, quod optimo illi & singulari viro impru-

imprudenti excidit, de industria defenditur. Nam si annus est as, menses unciæ, ergo assibus usuris nemo collocavit, nisi qui totum annum exspectavit: ergo deuncibus usuris nemo, qui non undecim menses sustinuit: dextantibus, nisi qui decem menses: dodrantibus, nisi novem, &c. Atqui perinde accipit asses, deunces, dextantes, dodrantes, &c. usuras, hoc est, centesimam, vel undecim vel decem vel novem uncias centesimæ, qui in triginta dies collocavit centesimis, deuncibus, dextantibus, dodrantibus, quam qui in annum collocavit iisdem vel quibusvis harum, accipit duode-
15 cim centesimas, duodecim undecimas, decimas, nonas centesimæ. Dixi usuras esse reditus pecuniæ currentibus anni articulis multiplicatos: non ut sint primo mense unciæ, secundo sextantes, tertio quadrantes, quarto trientes, &c. sed ut quod genus convenit inter contrahentes, id, prout menses procedunt, augeatur; maneat autem idem genus toto anno. Sic quum unciæ usuræ placuerunt, toto anno manent unciæ; quum sextantes, toto anno sextantes; quum quadrantes, toto anno quadrantes; quum trientes, toto anno trientes: sed cum anno fiunt unciæ duodecim, id est, centesima pars una, si uncias usuras stipulatus sis; sextantes duodecim, id est, centesimæ partes duæ, si sextantes: & sic deinceps. Non igitur mutabat annus usuras, aut ex unciis faciebat altero mense sextantes, tertio quadrantes: sed pro unoquoque mense lucrabatur fœnerator quod erat semel stipulatus. Velut unciis usuris, danista Calendis Februariis fœnus accipiebat unciam centesimæ: Calendis Martiis iterum unciam centesimæ: Calendis Aprilis denuo unciam: ubi annus totus erat circumactus, non acceperat nisi uncias usuras, quæ duodecim pensionibus nihil amplius efficiunt quam centesimam unam, seu denarium in denarios centenos. Quod si quartis demum Calendis exigeret, accipiebat ille quidem una tres uncias, sed non accipiebat quadrantes usuras: ex eo enim nomen habent usuræ quod mense quolibet debebatur. Ita & in sextantibus usuris: toto anno duodecies accipiebat sextantem centesimæ: non tamen nisi sextantes usuras, quæ efficerent centesimas partes sortis duas, seu duos nummos in cen-
16 ,, tum. At ille verbis istis me putat constrictum teneri. Ergo, inquit, se-
,, cundum anni articulos, seu menses, usuræ olim distributæ fuerunt, atque
,, annum usurarium, ipso fatente, exhibuit centesima. Longe abest: quid enim fatear, quam non intelligo ἀγνῶτα φωνὴν, βάρβαρον; Ego *annus usurarius* quid sit, ignoro: *usuras distribuere secundum anni articulos* quid sit, pariter ignoro: *annum usurarium exhibere centesimam*, hoc quoque quid sit, divinandum habeo: neque horum quidquam apud ullum Latine scribentem legi. Usuras esse dixi reditus pecuniæ currentibus anni articulis multiplicatos, hoc est, quibus quod menstruum in stipulatum deductum est, id quotmensibus iteratur & alterum tantum fit: non dixi pro currentibus mensibus nomina usurarum variasse, vel menses, ut procedebant, alias

atque

atque alias feciſſe ſpecies uſurarum, ut unus menſis uncias, alter ſextantes, tertius quadrantes redderet. *Centeſima uſura*, eſt, centeſima pars ſortis menſtrua uſura, id eſt, triginta diebus denarius in centum denarios: ea igitur in ſtipulatum deducta exhibet, non annum, non uſurarium annum, ſed menſtruum denarium ſupra ſortem. Si minus convenerat, præſtabatur aut centeſimæ *deunx*, id eſt, XIV aſſes duo trientes: aut *dextans* centeſimæ, id eſt, tredecim aſſes triens: aut *dodrans* centeſimæ, id eſt, XII aſſes vel tres ſeſtertii: aut *bes* centeſimæ, id eſt, decem aſſes duo trientes: aut *ſeptunx* centeſimæ, id eſt, novem aſſes triens: aut *ſemis* centeſimæ, id eſt, victoriatus vel duo ſeſtertii: aut *quincunx* centeſimæ, id eſt, ſex aſſes duo trientes: aut *triens* centeſimæ, id eſt, quinque aſſes triens: aut *quadrans* centeſimæ, id eſt, ſeſtertius: aut *ſextans* centeſimæ, id eſt, duo aſſes duo trientes: aut *uncia* centeſimæ, id eſt, as cum triente, aut *ſemuncia* centeſimæ, id eſt, duo trientes. Et inde *centeſimis, deuncibus, dextantibus, dodrantibus, beſſibus, ſeptuncibus, ſemiſſibus, quincuncibus, trientibus, quadrantibus, ſextantibus, unciis, ſemunciis uſuris* collocatum dicebatur, quodcumque in triginta dies pacta uſuræ nomine vel *centeſima* vel *deunce* centeſimæ, vel *dextante* centeſimæ, vel *dodrante* centeſimæ, vel *beſſe* centeſimæ, vel *ſeptunce* centeſimæ, vel *ſemiſſe* centeſimæ, vel *quincunce* centeſimæ, vel *triente* centeſimæ, vel *quadrante* centeſimæ, vel *ſextante* centeſimæ, vel *uncia* centeſimæ, vel *ſemuncia* centeſimæ, creditum erat: etſi poſt primos triginta dies redderetur. Evenit quidem *κατὰ συγκυρίαν*, ut quod centeſimis collocatum eſt, ſi quis eo annuo utatur, duodecim denarii centenis accedant: ſed non propterea *Centeſima* eſt annus, aut partes centeſimæ ſunt *menſes*. Quemadmodum nec *deunces* uſuræ conſtant undecim menſibus, ſed unoquoque menſe reddunt undecim centeſimæ partis uncias, hoc eſt, XIV aſſes duos trientes: hæ fiunt duodecim menſibus duodecies undecim unciæ centeſimæ partis, hoc eſt, undecim centeſimæ partes ſive denarii. Similiter *dextantes* non reſpondent decem menſibus, ſed quovis menſe decem pariunt uncias centeſimæ, ſeu tredecim aſſes trientem: omnibus vero duodecim menſibus reddunt decem centeſimas ſive denarios. Et ſic *Unciæ* uſuræ, non primo menſe reddunt denarium, ſed unciam centeſimæ, ſeu duodecimam partem denarii, aſſem cum triente; duodecim vero menſibus unam centeſimam ſive denarium. Ponamus, age, annum Romuli ex ſententia illorum, qui volunt illum fuiſſe decem menſium. Is ſi valeat annus, centeſima decem tantummodo denarios annuos addet centenum ſorti. Numquid igitur ea ſors non erit collocata centeſimis? Erit utique: nam centeſima menſtrua eſt, non annua. Ponamus annum Confuſionis ſub Julio: eo anno quindecim denarios, aſſes uſuras, de centenis habuerunt. Audebitne dicere, has non fuiſſe uſuras aſſes ſive centeſimas, quia quindecim dederunt,
„ non duodecim, ut annus ille fuit quindecim menſium? Pergit: Ita men- 17

„ strui centesimæ reditus, respondentes anni majoribus sive duodenis partibus, usuram annuam Synecdochice convenienter exhibere potuerunt. Hæc mirifica sunt rerum & verborum portenta, non nisi spongia expianda. Menstruus centesimæ usuræ reditus est ipsa centesima sortis pars, nempe in centum denarios unus: qui qua ratione potest dici ejusdem centesimæ partis uncia? An una & eadem res potest esse totum & duodecima pars „ ejusdem totius? Sed hic menstruus centesimæ reditus respondet anni majoribus sive duodenis partibus. Res magna, menstruum respondet mensibus. Sic diurnum opus respondet diei, & tribus mensibus respondet trimestre sativum, & τοῖς δυστυχοῦσι τρίμηνα παιδία, & stipendium quadrimestre respondet quatuor mensibus. Quis hoc excogitasset? Sed forte voluit dicere, menstruum illum reditum toties altero tanto augeri in anno, quot sunt in eo menses. Quis negat, si modo annua die sors est collocata? At si creditor tantum in tres aut sex menses crediderit fœnus, quod concessit ipse usitatum fuisse Romæ, nihilo minus erit centesima, etsi fructus ille tribus „ aut sex mensibus respondeat. Talis igitur, inquit, menstruus reditus centesimæ, respondens anni majoribus partibus, usuram annum συνεκδοχικῶς „ convenienter exhibere potuit. Hæc quis intelligit, prout verba sonant? Usuram annuam exhibere est expendere ac pernumerare, quod usuræ nomine pro annua summa promisisti. Numquid igitur, qui centesimam annuam pactus est, menstruo centesimæ reditu soluto, liberatur eo, quod debet usuræ annuæ nomine? Hoc quidem egregium: hoc omnino est, cum centesimas debeas, unciis decidere. Hanc synecdochen, si potest persuadere Lombardis ut in nexis suis tolerent, fidenter illis polliceatur, fore ut in consistorium legantur & presbyteri fiant ac diaconi. An voluit menstrui reditus vocabulum posse usuræ annuæ dari? Hoc quidem fit, sed citra ullam synecdochen: nam *centesimis* collocatum fœnus dicitur, quamvis annuum, pro quo solvuntur duodecim in centum denarios: quos duodecim efficiunt in anno centesimæ menstruæ: *deuncibus* usuris, pro quo undecim, quos undecim efficit promissus quoquo mense centesimæ deunx: denique *unciis* usuris collocatum, quamvis annuum, pro quo quotmensibus uncia centesimæ, toto anno una centesima penditur. Hæc non Synecdoche est, sed Ellipsis: nam in omnibus his subauditur, *menstruis*. Sed videor tandem discere novas loquendi figuras: *Centesima exhibuit annum usurarium: Menstrui centesimæ reditus usuram annuam exhibent:* videor adsequi vim argumenti. Hoc voluit dicere: *Centesima* significat usuram annuam, nimirum duodecim in centum: ergo menstruus ejus reditus potest dici *unciarium fœnus:* ut menses duodecim habet annus. Sed falsum ponit: non enim annua est centesima, sed menstrua: & quum de annuo dicitur, τὴν ἀναφορὰν ἔχει ad id, quod menstruum datur. Hæc altera est rationum, quas dedimus, quare (quod etiam Salmasius observat, sed ratione dissimulata

aut

aut non exquisita) optimi quique veterum *centesimas* potius quam *centesimam* dixerint. Quid opus hæc repeti, quum toties tam clare dicta sint?
„ In iisdem quoque verbis, quæ adducit, pag. 516. *Centesimam* dixere
„ huc respicientes, quod mense quovis pars centesima assis, seu unus in
„ centum, decem in mille, pro usu pecuniæ alienæ merces præstaretur.
„ Hinc tamen ille sic colligit: Ergo ratione cujusque mensis, qui usura- 18
„ rum ratione assi centesimæ respondebat, potuit usura, alias centesima
„ dicta, unciaria dici. Mira sartago loquendi. Antea menstrui centesimæ
reditus respondebant anni majoribus partibus seu mensibus: nunc quisque
mensis usurarum ratione respondet assi centesimæ. Quis hæc ænigmata intelligit? Mensis est tempus, quo elapso pro pecunia centesimis usuris collocata debetur centesima pars sortis. Hoc si vocat mensem respondere centesimæ, quomodo inde potest colligere usuram centesimam etiam posse *unciariam* convenientissime dici? At ne *usura* quidem *unciaria* apud veterem auctorem legitur ullum appellata: *fœnus unciarium* dicunt & *uncias usuras*: nedum ut *unciariam usuram* dixerint pro centesima. An centesima est as, qui duodecim menses habet uncias? Quæ convenientia hujus totius & harum partium? *Centesima* est pecunia, *mensis* est tempus: altera discreta, altera continua quantitas. Centesima existit uno etiam mense tota: as ille, cujus mensis est uncia, duodecim menses requirit. Ego dixeram, mense quovis præstari *centesimam assis*, hoc est, totius crediti. Hinc ille sumit, quemque mensem respondere *assi centesimæ*. Quid est autem as centesimæ, nisi centesima ipsa integra? Huic assi centesimæ, hoc est, huic integræ centesimæ, ait respondere quemque mensem. Accipio, si vult totam singulis mensibus præstari, quoties usuræ centesimæ convenerunt. Et hoc verum est. Sed si sic toti centesimæ respondet mensis, quemadmodum centesimæ sunt, quando non toti centesimæ, sed unciæ ejus vel duodecimæ parti mensis respondet, ut fit in fœnore unciario? Hoc accipere debebat ex meis verbis, & scirem fuisse mihi lectorem, apud quem bene dicta non perirent. Sic vidisset *unciarium fœnus* esse, quo sicut mense quovis (nam inde & annuum æstimatur appellaturque) tantummodo duodecima centesimæ redit, ita toto anno non nisi una centesima pars sortis, seu centesimarum usurarum pars duodecima fit lucri. Non est ullus tam simplex Davus, qui hinc argumentari possit, *centesimas* easdem esse & *uncias usuras*. Oedipi hoc est alicujus in scirpo nodum quærentis, & verba planissime dicta, secus ac dicta sunt, interpretantis. Videor mihi tamen calliditatem dispicere: illa enim, *quovis mense*, & *cujusque mensis* non pro singulis mensibus separatim, sed in collecto pro cunctis mensibus totius anni accepit, ut in singulis inveniret, quod & centesimam partem sortis & unciam centesimarum usurarum appellaret. Quæ nunquam fuit nec erit mea sententia: & ille eadem, qua prius, chorda oberrat, nempe centesimam esse

19 annuam. Dixeram, *Sane ubi annus as, menſis uncia.* Ille notat, à mea ratione potuiſſe abeſſe illud *Sane.* Et hoc mihi ænigma eſt, nec video, quare id quemquam ſanum poſſit offendere, quippe poſitum, ut Latinis ſolet, pro eo, quod eſt *Equidem* vel *Profecto.* Sed multa video, quæ ab ipſius oratione abeſſe & poſſent & deberent: quale eſt illud *Etenim* jam notatum. At illius, quod ſequitur, prorſus me miſeret: *Sextarii*, inquit, *& jugeri haud magis ad rem faciunt:* non enim inviderem homini, ſi poſuiſſet *jugera.* Quemadmodum etiam: *non ſolent habere certum as.* Facile ferrem, non ſubtraxiſſet manum ferulæ Priſciani, priuſquam ab eo didiciſſet dicendum eſſe, *certum aſſem.* Dixi, ſi annus dividatur, tanquam as, in uncias, ſemuncias, ſicilicos, id nihil omnino pertinere ad uſuras, uti certe nihil pertinet: quemadmodum nec, ſi menſis aut dies aut hora: nam hæc quoque eodem modo ſecantur. Sunt enim hæ diviſiones rerum toto genere differentium: itaque partes alterius non poſſunt attribui alteri: niſi centeſimam velimus dividere in Januarium, Februarium, Martium, Aprilem, Majum, Junium, Julium, Auguſtum, Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem: aut annum in uſuras uncias, uſuras ſextantes, uſuras quadrantes, uſuras trientes, uſuras quincunces, uſuras ſemiſſes, uſuras ſeptunces, uſuras beſſes, uſuras dodrantes, uſuras dextantes, uſuras deunces: quæ mirifica erit rerum & vocabulorum perturbatio. Adjeci nihilo magis diviſionem anni in uncias menſes pertinere ad uſuras, quam ad diviſionem ſextarii in duodecim cyathos, ad ſectionem jugeri in duodecim ſpatia pedum binum millium & quadringenum, aut ad partitionem hæreditatis in totidem uncias. Quo nihil aliud ſignificavi, quam has res eſſe omnino differentes: niſi quod receptiſſimus ille Romanis mos totum dividendi omnibus accommodetur: & quia res omnino differentes ſunt, ideo rationem diſtributionis in nullo horum ex altero arceſſendam, ſed ex propria cujuſque natura & convenientia cum aſſe & partibus ejus. Utputa, quod centeſima diſpertita eſt in duodecim uncias, ejus rei rationem non quærendam in anno, qui aliud integrum eſt ſuo modo diviſum, ſed ex centeſimæ habitudine & adfectione ad inferiores uſuras, quæ omnes ſimul cum centeſima à menſtruo appellantur, nec habent in tali diviſione quidquam cum anno commune, niſi nomina partium, uncia, ſextans, quadrans, triens, &c. Quemadmodum & ſextarius, jugerum, hæreditas, ubi dividuntur in ſui moris uncias, cum an-
20 „ no nihil commune habent, niſi nomina partium. His ille haudquaquam „ incommode dictis ſic obſtrepit: Res hæ ſuo peculiari modo menſurabi- „ les non ſolent habere certum as. Diſcat loqui cum peritis artis: nec enim res, quæ dividuntur, habent aſſem, ſed ſunt as, aut ſunt pro aſſe. Hæreditas non habet aſſem: ſed qui hæres eſt ex aſſe, habet aſſem reſpectu alterius, qui ex alia hæreditate (aut etiam ex eadem, ſi teſtator plures fecit aſſes) minorem partem accipit. Sic cui jugerum adſignatum eſt, habet aſ-

ſem,

ſem, quum alius ex alia diviſione tantum habeat forte dodrantem aut dextantem: ipſum jugerum habere aſſem non dicitur. Et ſic in cæteris. Sextarius igitur, jugerum, hæreditas non ſunt tales aſſes, (voluit dicere) qui tribuuntur in duodecim partes, quarum partium duodecima, cujuſque anni „ parte duodecima, exhibenda ſit. Poteſt taceri hoc. Sequitur: quemad- „ modum hoc volens nolens Gronovius de uſura centeſima, & parte illius „ menſtrua, ſive uncia, fateri cogitur. Quantum video, Æſchinus hic regnum obtinet. Immo ille nihil fateri cogitur, memor ſe in libera republica vivere. Sed nec in ullo regno fateri ille cogetur, centeſimam eſſe talem aſſem, qui diſtribuatur ratione anni. Unuſquiſque menſis abſolvit centeſimam: abſolvit deunces, dextantes, dodrantes, beſſes, ſeptunces, ſemiſſes, quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, uncias, ſemuncias uſuras: etiamſi annus ſit decem vel ſex menſium, ita ut in eo toto tantum decies vel ſexies accedat centeſima ſorti pars, aut unius centeſimæ partis pars dimidia cum tertia & duodecima, aut dimidia cum tertia, aut dimidia cum quarta, aut dimidia cum ſexta, aut dimidia cum duodecima, aut dimidia, aut tertia cum duodecima, aut tertia, aut quarta, aut ſexta, aut duodecima, aut viceſima quarta: etiamſi, inquam, hæ tantum ſexies vel decies in curto anno ſorti accedant, tamen ſunt perfectæ uſuræ centeſimæ, vel deunces, vel dextantes, vel dodrantes, vel beſſes, vel ſeptunces, vel ſemiſſes, vel quincunces, vel trientes, vel quadrantes, vel ſextantes, vel unciæ, vel ſemunciæ. Nullo in regno ille fateri cogetur, duodecimam, quæ centeſimis uſuris quoquo menſe penditur, eſſe unciam centeſimæ: eſt enim ipſa centeſima, non uncia centeſimæ; & fiunt duodecim centeſimæ in anno duodecim menſium: & prout annus pluribus aut paucioribus menſibus conſtat (ut Julianus ille quindecim, Romuli decem) plures aut pauciores erant centeſimæ. At quoties uncia centeſimæ menſtrua penditur, toto anno non niſi una completur centeſima: & hoc eſt *fœnus unciarium*, tantum diſtans à *centeſimis uſuris*, quantum unus à duodecim. Scripſerat Salmaſius, 21
ſi *unciarium fœnus* idem eſſet quod *centeſimæ uſuræ*, *ſemunciarium* fore idem quod uſuras *ſemiſſes*; cum tamen ſemis ſit aſſis dimidia pars, id eſt, ſex unciæ; ſemuncia, unciæ dimidium. Ad hoc poſterius ille nihil: ne ad reli- „ quum nihil, quidni, inquit, *ſemunciarium fœnus* ob rationes jam dictas „ reſpondeat uſuris ſemiſſibus? atque duodenæ ſemunciæ quoque menſe „ ſolvendæ, conficiant ſemiſſem aſſis annui, ſive centeſimæ? Hic vero ante omnia ſecum in concordiam redeat. Paucis ante verſiculis affirmavit centeſimæ partem menſtruam eſſe unciam, nunc ſubito quoque menſe facit ſolvi duodenas ſemuncias. Jure ſuo: nam cui as & uncia idem eſt, quid miremur ei quoque unciam & duodecim ſemuncias idem eſſe. Dicat autem mihi, quis unquam *librale* vocaverit, quod eſt duodecim librarum? *ſelibre*, quod librarum ſex? *ſemeſtre*, quod duodecim ſemeſtrium vel ſex anno-

annorum? *semipedis*, quod sex pedum? Hoc ubi ostenderit, tum ei credam, semunciarium fœnus esse, quod duodecim in mense parit semuncias. Semunciarium fœnus est in centum denarios menstrui duo trientes, annuus victoriatus. Dicitur autem sic, quod menstruam reddit centesimæ, velut unius denarii in centenos, quartam & vicesimam partem. Ut centesima est, quæ menstruam reddit centesimam sortis, ipsum nempe denarium. Quam centesimam quia rursus ille vocat *assem annuum*, rursus imponit mihi necessitatem admonendi, centesimam non esse annuam, sed menstruam; quum *centesimis creditum* fœnus dicitur, id dici respectu solutionis menstruæ, & compendio dici, quasi expressum esset, *centesimis partibus sortis usuris menstruis.* Forte tamen iterum illusit nobis illa sua nova Latinitate, & *duodenæ semunciæ quoque mense solvendæ*, sunt illi duodenæ semunciæ per annum solvendæ ita, ut singulis mensibus solvatur semuncia. Sed ne sic quidem evadit. Duodenæ semunciæ faciunt utique sex uncias. Cujus vero? Haud dubie centesimæ. Quid autem centesima? Annon denarius in centenos? Hujus denarii semis sive sex unciæ hoc modo provenientes duodecim mensibus quid sunt nisi victoriatus, vel dimidiatus denarius. At usuræ semisses sunt sex denarii in centenos. Firmissimum & invictum argumentum est, si *Unciarium fœnus* & *Centesima*, *semunciarium* & (ut nos loquimur) *sex in centum* idem essent, *sextantarium fœnus* vel *sextantes usuras* fore duas centesimas, seu XXIV in centum; *quadrantarium*, ternas centesimas, sive XXXVI in centum; *trientes usuras*, quaternas centesimas, XLVIII in centum; *quincunces usuras*, quinas centesimas, LX in centum; *semisses usuras*, senas centesimas, LXXII in centum; *septunces usuras*, septenas centesimas, LXXXIV in centum, *besses usuras*, octonas centesimas, XCVI in centum; *dodrantes usuras*, novem centesimas, CVIII in centum; *dextantes usuras*, denas centesimas, CXX in centum; *deunces usuras*, undecim centesimas, CXXXII in centum; *asses* denique *usuras*, duodecim centesimas, CXLIV in centum. Eadem enim omnium horum ratio est, neque ullum potest exemplum in rerum natura dari, ubi partitione per assem facta, non tantundem unciæ ac semunciæ, ab asse distent, & perinde partes ejus sint duodecima & vicesima quarta, quam reliquæ sunt partes vel sexta, vel quarta, vel tertia, &c. Quod si ista genera usurarum concedenda non sunt, quum tamen & maximarum ex istis nomina occurrant in veterum scriptorum libris; ne fons quidem tolerandus, unde hæc manant, nimirum prava *fœnoris unciarii* & *centesimarum usurarum* confusio. Adversus hoc tam solidum & inexpugnabile argumen-
22 „ tum, videamus, quam leviter defungatur. Quod vero, inquit, aliæ usuræ
„ pariter secundum propriam denominationem non referantur & ad singu-
„ los menses & ad assem annalem sive assem centesimæ, ratio est, quod non
„ occurrant æque commoda vocabula, atque se offerunt ratione centesimæ
„ secundum annum considerandæ, & unciarum semunciarumque ratione se-

„ cun-

„ cundum menses singulos, & tamen ad proportionem centesimæ sive assis „ usurarii aptarum vulgo denominari. Vide judicia perversa. Si meminisset, quid sit, quantumque valeat analogia, ex eo, quod omnia alia usurarum genera, partibus assis appellata, non intelliguntur, nisi tanto inferiora & contractiora ipsis centesimis, quarum respectu dicuntur sextantes, quadrantes, trientes, quincunces, semisses, septunces, besses, dodrantes, dextantes, deunces, quanto inferiores & contractiores sunt asse sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx; ex eo, inquam, colligere debebat, ne *uncias* quidem & *semuncias usuras* dici, nisi tanto inferiores arctioresque centesimis, quanto uncia & semuncia inferiores arctioresque sunt asse: neque enim potest ulla excogitari ratio, quare aliter de uncia & semuncia statuatur, quam de cæteris assis partibus, nec proferri exemplum, in quo idem eodem respectu sit uncia & as, duodecima pars & „ totum. Ait alias usuras secundum propriam denominationem non referri „ ad singulos menses & ad assem annalem, sive ad assem centesimæ. Primum nullus est *as annalis*, non magis quam trietericus aut quinquennalis, aut decennalis, aut denique secularis. Deinde usuras habere nomina ex eo, quod singulis mensibus parit sors, sive ea sit centesima pars sortis, sive plus aut minus centesima sortis parte, verum est. Nam si centesima est, dicuntur *usuræ centesimæ:* si minus est parte centesima sortis, dicuntur *usuræ deunces, dextantes, dodrantes, besses, septunces, semisses, quincunces, trientes, quadrantes, sextantes, unciæ, semunciæ*, pro deuncibus, dextantibus, dodrantibus, &c. ejusdem centesimæ partis, qui usurarum nomine solvuntur: si plus est, aut alterum, tertium, quartum tantum est, & dicuntur *binæ, ternæ, quaternæ centesimæ*; aut altero tanto minus est, & dicuntur (verbi causa) quæ nos tredecim in centum annua appellamus, Romanis *centesimæ & unciæ*; quatuordecim in centum, *centesimæ & sextantes*; quindecim in centum, *centesimæ & quadrantes:* sedecim in centum, *centesimæ & trientes:* & sic deinceps. Hæc omnia dixerunt Romani, intuiti & sequuti æstimationem ejus, quod menstruum debebatur, utcumque in plures menses aut etiam annua die esset creditum. Itaque, quæ usuræ pariter secundum propriam denominationem referantur & ad singulos menses & ad assem annalem vel ad assem centesimæ, hoc est, (ut sciat lector, quid loquamur) quæ usuræ nomina sortitæ sint simul ab eo, quod menstruum, & ab eo, quod annum pariunt, eæ Romanis nullæ sunt; tam unciæ & semunciæ, quam sextantes, quadrantes, trientes. Si ab annuo vocabulum haberent, dicendum fuisset pecuniam collocatam *duodecim centesimis, duodecim deuncibus centesimæ, duodecim dextantibus centesimæ*, &c. *duodecim unciis centesimæ.* hoc enim annuum est, quod his usuris efficitur. Ubi hæc legit? Unicus est locus Plinii, qui tale quid præfert lib. x epist. LXII. *Nec inveniuntur, qui velint debere, reipublicæ præsertim, duodenis assibus, quanti à privatis mutuantur.* Quod quum insolens sit,

& con-

& contra omnem usitati his in rebus sermonis analogian, nec simile quidquam in tota antiquitate reperiatur, docte & ingeniose suspicatus est Salmasius Plinium scripsisse, *usuris assibus*. Sed etiamsi vulgatum retineatur, nihil illum juvabit, qui vult idem nomen significare & menstruum & annuum:
23 at duodeni hi asses quo pacto applicabuntur menstruo? Nec eludit dicen-
„ do, commoda se offerre vocabula ratione centesimæ secundum annum
„ considerandæ & unciarum semunciarumque ratione secundum menses
„ singulos, & tamen ad proportionem centesimæ sive assis usurarii, aptarum
„ vulgo denominari. Quamquam, Deus bone, quæ hæc oratio? Quam implicita? quam inter tantum verborum glomeramen curta, hians, imperfecta?
„ Vocabula unciæ & semunciæ in usuris sunt vocabula commoda ratione
„ centesimæ & ratione unciarum semunciarumque. Hoc enim caput est: cætera accessiones. Nimirum *centesimæ* addit, secundum annum considerandæ: *Unciarum* ac *semunciarum* vocabulis apponit, secundum menses singulos, & tamen ad proportionem centesimæ sive assis usurarii aptarum vulgo denominari. O miseram Sophisticen, quæ in tales latebras correpit! Non miror quavis de re in utramque partem disputare, qui sic potest loqui. Primum hic multa rursum pro confessis ponuntur, quæ falsissima sunt: dein, ut ea transmitteremus, nihil tamen dixisset. Negamus centesimam, quam ratione anni considerandam ponit, in usuris significare annuum, aut ex annuo considerari: menstrua est centesima: & cum de annuo dicitur, dicitur respectu & intellectu menstrui: quum annuum sint duodecim centesimæ. Negamus unciam & semunciam secundum menses singulos denominari: non enim anni sunt unciæ aut singulorum mensium, sed centesimarum sortis partium partes, quæ ut menstruæ in centenos debeantur, conventum est. Negamus quemquam veterum somniasse, ut centesimam *assem usurarium* vocitaret. Cæterum quare, ut ei sua verba reddamus, *sextans usurarius*, & *quadrans usurarius*, & *triens usurarius* & reliqua, non æque se commoda offerunt ratione centesimæ seu assis usurarii secundum annum & secundum menses singulos considerandi, atque *unciæ* & *semunciæ* usurariæ? Annon ut commenticius ille as annuus primo mense parit unciam, ita duobus sextantem, tertio quadrantem, quarto trientem, quinto quincuncem, sexto semissem, &c. Quid igitur causæ potest dicere, cur, quum *fœnus unciarium* sit centesima, non *sextantarium* sint binæ centesimæ? *quadrantarium* ternæ centesimæ? *trientarium*, quaternæ centesimæ? Hæc ei ratio explicanda erat, si quam noverat: non tantummodo dicendum, hoc non æque commodum esse. Scimus non esse commodum: & quia in his non est commodum, neque in unciis & semunciis commodum est assem hujusmodi annuum & usurarium fingere. Plus præstat, quam promiserat: etiam Legum veri pater δύχεται εἶναι, non tantum Theologiæ, Philosophiæ, Historiæ, Philo-
24 logiæ. Scribit Scævola cap. XLVII π. IV D. de adminiſt. & peric. tutor. *Præ-*

fectus

fectus legionis ita testamento cavit: Volo, ut sit in arbitrio tutorum filii mei, si voluerint hujus summæ uncias inferre usurarum nomine, ita ne nummi dispargantur. Quæro si apparuerit pecunia fœnerata à tutoribus, judicio tutelæ uncias usuras, an vero eas, quas stipulati sunt, præstare debeant. Respondi, si secundum voluntatem defuncti elegissent usurarum præstationem, neque pupilli nomine in fœnus dedissent, id præstatur, (f. præstaturos) quod testator voluisset. Ad hanc 25
„ legem ille sic commentatur: Testator, qui pupillis suis per tutores consul„ tum volebat, pecuniam collocarat commode, nempe ad usuram centesi„ mam, sive usuram unciariam: cujus pecuniæ usum cum ambiissent tuto„ res, offensi sunt onere usurarum, atque minores usuras stipulari voluerunt. En interpretem Scævolæ! Hic poterit cavere recte, jura qui & leges tenet. Transeo pulchellum, *collocare ad usuram:* ut alibi, *centum denarii ad fœnus trientarium dati.* Ubi dicitur testatorem collocasse pecuniam centesimis? Ubi, tutores ambiisse usum illius pecuniæ? ubi offensos onere usurarum? Ubi minores usuras, quam uncias stipulari voluisse? Hoc demum est legem interpretari ex præcepta opinione, non ex mente jurisconsulti, quod iste Salmasio exprobrare ausus est. Testator incertos casus prævidens, si pecunia, quam relinquebat filio impuberi, inter plures creditores dispergeretur, maluit eam esse penes tutores, quos ei dederat bonos viros & exploratæ fidei. Non poterat hoc mandare: ideo arbitrium illorum fecit: ut tamen eos ad desiderium suum pelliceret, levissimas, si fœneratam velint habere, constituit illis usuras. Tutores eam pecuniam collocarunt haud dubie majoribus. Quod quum emanasset, quæsitum est, uncias usuras ex testatoris ordinatione, an quas ipsi stipulati essent, judicio tutelæ pupillo deberent. Respondet Scævola, si illi accepissent conditionem à testatore latam, deinde pecuniam suo, non pupilli nomine atque periculo, in fœnus dedissent, non debere nisi uncias usuras. Utcumque enim minus acciperet pupillus, minus etiam periclitabatur, habens paucos & certos creditores. Et quod majores stipulati sunt tutores, habent sui periculi pretium. Accursius jam olim vidit *uncias usuras* non esse nisi levissimas: certe tutores plus ab aliis perce„ pisse. Sic enim scribit ad hanc legem: HUJUS SUMMÆ. Puta C mar„ carum, quas habebat in arca in sterlingis. Et dic, quod testator timens, ne „ pecunia prædicta dispergatur vel perdatur, si tutor eam mutuet diversis „ nominibus, voluit, ut esset apud tutorem, & faceret, quod vellet, & daret „ pupillo vel unciam de libra, vel denarium de solido in capite anni: nam „ uncia est duodecima pars assis: licet plus ab aliis percipiat. Et valet hoc „ legatum: ut infra De Leg. 3. L. Fideicommissa. §. Si hæres. Nunc ergo „ non habet pupillus, nisi unum nomen, scilicet tutorem. Habebat in arca, inquit: non ergo fœneratus erat, multo minus centesimis. Voluit, ut esset apud tutorem: non ergo ambierunt ejus pecuniæ usum tutores. Licet plus ab aliis tutor percipiat: non ergo offensus est gravitate usurarum: non mi-

nores ſtipulari voluit. Hæc bene: ſed in exemplis impegit. Nam libra vetus argenti ſignati conſtabat XII unciis & ſemuncia, hoc eſt, centum denariis. Hujus ſummæ uncia ſunt VIII denarii triens: hæ forent uſuræ, non unciæ, ſed beſſes & binæ ſextulæ. Poſt Conſtantinum libra ſignati fuere LX milliarenſes: horum uncia quinque milliarenſes: hæ in centum eſſent uſuræ quincunces. Solidus, cujus meminit, eſt qui duodecim complectitur denarios, origine Francicus. Is cum viceſimo faciebat libram argenti, ſic ut in centum ſolidis eſſent quinque libræ. De centum ſolidis vult dari centum denarios, quippe de ſingulis unum. Centum denarii hujus generis ſunt octo ſolidi, nempe XCVI denarii & ſolidi triens, quatuor denarii. Hæ forent etiam beſſes & binæ ſextulæ uſuræ, non unciæ. In centum libras vel mar-
1 cas vel ſolidos vel denarios unum annuum voluit dicere. Salmaſius inter cætera feſtinata dicam ſcripſerat Fr. Hotomanno, tanquam centeſimas & uncias uſuras & ipſe parum diſtinxiſſet. Probavimus in contrarium nihil Hotomannum peccaſſe, ſed recte locutum; reprehenſorem autem ejus in hac animadverſione à ſe & à vero deerraſſe. Homo meus, ſimul ut oſtenderet, nihil ſibi noſtrum placere, ſimul ut unius nominis additamentum haberet, inter eos, qui genus utrumque pro eodem putant, ponit Hotomannum. Diſcat igitur, quæ ſit ejus, quo auctore uti vult videri, ſententia ex libello „ de Uſuris cap. VII. Nunc, ut ad Taciti locum redeam, cum pars cente- „ ſimæ duodecima ſolvitur, *uſura unciaria* vocatur, ad quam ipſam (Latinius „ dixiſſet: *uſuræ unciæ* vocantur, ad quas ipſas) olim lege XII tabb. fœnoris „ modum reductum eſſe teſtatur. De hac ſimiliter Scævola mentionem fa- „ cit in l. Titium 47. §. Præfectus 4. D. de admin. tut. ubi ſpeciem teſta- „ menti refert, quo teſtamento, ne pecunia hæreditaria diſpergeretur, per- „ miſſum erat filiorum tutoribus, ſi eam retinere vellent, *uſuras uncias* dum- „ taxat perſolvere. Alibi quoque de *hærede unciario* mentio fit, altero ab eo, „ cui undecim unciæ fuerant relictæ, l. Plane ubi 34. §. Inde dicitur 6. D. „ de leg. I. Quare cum in aſſe duodecim unciæ numerentur, adparet hanc „ uſuram leviſſimam & perexiguam fuiſſe. Hæc Hotomannus. Alium ergo ſibi quærat fratrem: hic, quem ſuum putabat, meus eſt. Dum nos hujus legis mentio propemodum à meta ad carceres revocat, repente advertit oculos aliud documentum, quanta, qui ſomnos noſtros aucupatur & quadrijugum verum per lancem & licium concipit, in ſcribendo aut veret cum vigi-
1 „ lantia aut cum veritate vigilet. Sic enim illic invenio poſitum: Centeſi- „ mæ, quæ cum eſſet uſura maxima, ſingulis menſibus duodecimam ſortis „ partem, annuatim vero duodecim in centuriam capiebat. Hem, quid ego audio? *ſingulis menſibus duodecimam ſortis partem:* quæ hæc carnificina eſt? Sint, age, ſors centeni denarii: ejus ſortis pars duodecima ſunt octo denarii duo oboli: qui depenſi menſtrui faciunt octonas centeſimas & trientes, & in anno ipſam ſortem exæquant. Fiunt enim duobus menſibus ſedecim dena-

rii & quatuor oboli, quaternis triginta tres & duo oboli, senis quinquaginta, bis senis centum. Præclarum & vigilacem introitum! Centesima est singulis mensibus pars sortis duodecima: Fœnus unciarium est centesima: & tamen tam illa quam hoc annuatim (ut balbutit) duodecim in centuriam capit. Sic oportuit.

Centauri in foribus stabulant Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæque & forma tricorporis umbræ.

Sed ne nimis ægre ferat alienari sibi socios, dabimus, quem Hotomanno surroget. Curtius est Pichena, præclare de Tacito meritus, sed hac parte corrigendus, ne posthac lectores impediat ac moretur. Is sic tradit: Quid sit „*unciarium fœnus*, minime inter se consentiunt interpretes. Car. Sigonius „de A. I. C. R. lib. II cap. XI illud ad centesimam refert, id est, cum „pars sortis centesima singulis mensibus penditur. Contra Muretus & Ant. „Augustinus de LL. & SC. ad legem Duiliam Meneniam, *unciariam usu-* „*ram* esse contendunt, centesimum nummum in annos singulos: ea maxi- „me ratione ducti, quod illius legis perlatio, læta plebi, ingrata patribus di- „vitibusque fuerit, ut testatur Livius. Mihi Sigonii sententia magis pro- „batur. Adeo enim apud antiquos Romanos fœneratorum sævitia creve- „rat, ut minime mirer, pro usura levi fuisse unum pro centum in mensibus „singulis. Ac de usuræ quidem enormitate passim apud eundem Livium „querelæ seditionesque plebis. Et quod *unciarium fœnus* plebi fuerit grave, „argumento sit, quod deinde ad semunciarium redactum fuit. Præterea „satis constat, solitum fœneratoribus, usuras singulis mensibus exigere, & „ideo menstrui exactores dicti. Sic Pichena. Sigonii sententiam infit sibi magis probari. hoc est, quam ille falso Sigonii sententiam putavit. Nam revera Sigonius nihil aliud censet, quam Muretus, quam Augustinus, & o- „mnes recte sentientes. Ipsum licet audiamus: *Unciariam* autem *usuram*, si „quis hoc fortasse requirat, dixerunt respicientes centesimam, quam maxi- „mam usuram æstimarunt. quæ est, cum pars sortis centesima singulis men- „sibus penditur. id est, cum quotannis duodeni pro centenis usuræ nomi- „ne numerantur. Hanc vero quasi usurarum assem quemdam esse volue- „runt, unde aliæ minores usuræ, quasi assis partes aut particulæ fluxerunt: „*semis*, cum dimidia pars centesimæ in menses singulos solvitur; *quadrans*, „cum quarta; *quincunx*, cum quinta; *triens*, cum tertia; *unciaria*, cum „duodecima; *semunciaria*, cum vigesima quarta. Vides, quam negligenter Pichena Sigonium legerit. Jam quod *unciariam usuram* & maximam centesimam & usurarum assem, omnia præter consuetudinem veterum, inculcat, condonabitur: passim sic loquuntur recentiores juris doctores, etiam elegantes: nec facile inolita exsuimus. Quod quincuncem facit quintam assis

partem, tranſierit. At non errat, nec Pichenam ſubornat, quum *Centeſimam* ſtatuit eſſe ſortis partem centeſimam in ſingulos menſes, *uncias uſuras* vero hujus centeſimæ duodecimam partem pariter in ſingulos menſes. Sic enim neceſſario annua non exiſtit niſi centeſima pars una unciis uſuris, ſive nummus centeſimus, quod Muretum & Auguſtinum dixiſſe refert. Nam illud, *reſpicientes centeſimam* (quod Pichenam decepit) non vult uncias uſuras & centeſimas eandem rem eſſe, ſed uncias dici reſpectu centeſimæ tanquam aſſis, ſeu centeſimæ menſtruæ duodecimam menſtruam eſſe unciarium fœnus. Quæ addit Pichena ad ſuam opinionem confirmandam, ſupra confutavimus. Hujuſmodi vaga nec rem prementia argumenta non hoc docent, id de quo quæritur, ſic omnino accipi oportere, ſed oſtendunt tantummodo, non inepte hanc vim vocabulis iſto loco ſubjici, ſi tamen alia non intercedant, ex quibus potiſſimum, quid quæque vox efficiat, judicandum eſt: ut ſunt veriloquium, analogia, uſus. Quamquam ne illud quidem oſtendunt. Creverat, inquit, ſævitia fœneratorum. Crevit ergo & ſtudium illam peſtem coercendi, adeo, ut nonniſi leviſſimum fœnus concederetur: centeſimæ autem ſemper fuerunt centeſimæ, hoc eſt, graves, ſanguinolentæ, trucidantes. Etiam unciarium fœnus fuit grave. Quidni? quibus etiam ſortem ſine uſuris ſolvere grave erat: ita quamvis leve, quod gravi accedebat, oneroſum erat. Singulis menſibus exigebatur. Recte: ſed nihilo magis inde centeſimas fuiſſe leves arguitur, quam ille alter ex eodem colligit ab initio urbis uſuras fuiſſe graves. Petit unuſquiſque ſuum, quo tempore licet pete-
26 re, ſive leve ſit, ſive grave. Poſt perſonam juriſconſulti tam ridicule adſum-
,, ptam ſic tamen Salmaſio inſultat: Etenim cum, ex ſententia viri ſummi,
,, unciarium fœnus, dumtaxat fœnuſculum ſive fœnus leviſſimum haberi de-
,, beat, quæ fuerit ratio, quod tutores, quorum eſt commodis pupillorum
,, invigilare, illud, quod minimum fœnus agnoſci debebat, per ſtipulatio-
,, nem adhuc minus reddere voluerunt. Hic rurſus & ſibi & nobis illudit illo peregrino & ſolœco uſu τȢ *Etenim*. qua particula audita exſpectat rationem aut fucum ſaltem additum iri calumnioſæ interpretationi, quam verbis Scævolæ perſpicuis accommodavit. At ille ex male accepta lege argumentatur, ſuo more ex falſis falſa. Qui mediocrem Latine loquendi uſum haberet, ſic ſcripſiſſet: Quod ſi, ut vult Salmaſius, unciarium fœnus leviſſimum eſt, cur tutores unciis uſuris minores ſtipulari voluerunt? Sed hæc argumentatio quam ſit inanis, ex palam facta legis ſententia neminem fugere poteſt. Nihil iſtiuſmodi tutores: nullas unciis leviores uſuras ſtipulari deſiderarunt: ſed acceptam ſub unciis uſuris pecuniam pupilli ex voluntate
27 ,, teſtatoris majoribus ſuo lucro & periculo crediderunt. Subjicit: Unde
,, & P. Manutius in Comm. ad lib. 5 Ciceronis epiſt. 6. Si centeſima vel
,, unciaria vel ſemunciaria in anno ſolveretur, quis tantulo quæſtu pecu-
,, niam ſuam collocaſſet? Tam opportune hic *Unde*, quam ſuperius *Etenim*.

Si pe-

Si periodos ſingulas cum ſuis connectentibus particulis, quaſi ſortes, ex urna duxiſſet, & prout eduxerat fortuito, collocaſſet, non potuerat in ſtruendo eſſe diſſipatior. Ibi dixit, ſi uſuræ unciæ ſint leves, non petiturum, qui mutuatur, pecuniam levioribus: hic dicitur, ſi centeſimæ vel unciæ vel ſemunciæ ſemel in anno ſolvantur, non inuentum iri, qui fœnerare vellet. Quomodo hoc *inde?* Sed nec Manutius rem, quam tractabat, intellexit, nec iſte Manutium. Vult enim Manutius quædam uſurarum nomina menſtruam, quædam annuam ſolutionem ſignificare: menſtruam, ut *centeſimæ, unciæ, ſemunciæ:* annuam, ut *ſemis, triens, bes.* Satis hæc confutata: ſed quæ „ ratio impulit doctum virum in hunc errorem? Nam, inquit, ſi centeſima „ vel unciaria vel ſemunciaria ſemel in anno ſolverentur, quis tantulo quæ- „ ſtu pecuniam ſuam collocaſſet? Utamur vocabulis ea ſignificatione, quam ipſe illis impoſuit. Dixit ſupra centeſimam uſuram vocatam, cum duodeni annui pro centenis penduntur: eandem vult eſſe fœnus unciarium: ſemunciarium, ſemiſſes uſuras. An igitur non ſatis eſt ſimul ſemelque duodenos centeſimis vel unciario, ut ille vult, fœnore, ſimul ſemelque ſenos ſemunciario, ut item ipſe explicat, in centenos pendi? Hiccine quæſtus tantillus, ut eum omnes refugiant? Duodenos dixit eſſe centeſimam, non unum ex duodecim. Pacta igitur centeſima, duodeni annui debentur? Hi ſimul & ſemel omnes ſolvantur, an ſinguli menſtrui, quid quæſo intereſt ad majo- „ rem minoremve quæſtum? Rurſus ait, Si bes vel ſemis vel etiam triens uſu- „ ra menſtrua eſſet, quis tanta rei familiaris jactura fœnebrem pecuniam ac- „ cipere voluiſſet? Prodit ſe putaſſe, beſſem, ſemiſſem, trientem uſuram eſſe, non octo, ſex, quatuor annuos, ſed octo, ſex, quatuor, quavis penſione omnes ſolutos. Atqui hæc vocabula nihil aliud ſignificant, niſi beſſem menſtruum menſtruæ centeſimæ, hoc eſt, denarii unius decem aſſes duos trientes in centenos, qui duodecimo menſe fiunt CXX aſſes & XXV trientes, hoc eſt, octo denarii: niſi ſemiſſem centeſimarum menſtruarum menſtruum, hoc eſt, denarii octo aſſes ſive victoriatum; qui duodecimo menſe fiunt XCVI aſſes, vel duodecim victoriati, ſex denarii: niſi trientem menſtruum menſtruæ centeſimæ, hoc eſt, denarii unius quinque aſſes trientem, qui duodecimo menſe fiunt LXIV aſſes, quatuor denarii. Juſtinianus in l. XXVI π. I Cod. de uſuris: *jubemus illuſtribus perſonis minime licere ultra tertiam partem centeſimæ uſurarum nomine ſtipulari.* Mox: *qui aliquam licitam negotiationem gerunt, uſque ad beſſem centeſimæ uſurarum nomine in quocumque contractu ſtipulationem moderari.* Denique: *cæteros dimidiam tantummodo centeſimæ uſurarum nomine poſſe ſtipulari.* Vides trientes eſſe tertiam partem centeſimæ: beſſes, centeſimarum beſſes: ſemiſſes, dimidium centeſimæ. Et ſic cadunt nervi collectionis Manutianæ, ſi bes, ſemis, triens menſtruus ſtatuatur, immanem fore jacturam rei familiaris. Sed nec convenit iſti cum Manutio: hic *centeſimam* pariter & *unciarium fœnus* menſtrua eſſe vult;

noster ex annuo dici *centesimas*, ex menstruo *uncias* easdem usuras. Aliam igitur hic quoque auctoritatem quærat Salmasii ex professo defensore professus adversarius. Manutius hac in re idoneus auctor non est: tum non idem quod iste sentit: denique nihil prorsus ad id facit, ad quod adhibetur. Hoc sibi miscuit æmulus malum, dum nostra intentius legere fastidit: ipse *Centesimam* simpliciter, nec quid nec quare, accipit pro eo, quod nobis sunt *Duodecim in centum*. Quos quando sic loquimur, nescimus, nisi annuos. Hanc igitur δωδεκάδα concepit mente ceu assem aliquem, ut appellat, usurarium annuum. Ejus duodecima quoquo mense debetur. Huc cæco impetu traxit, quod Romanis usuras menstruas fuisse, atque ex eo vocatas contra Salmasium disputaveramus. Atque ita, quia hujus δωδεκάδος uncia est menstrua, centesimam vero Romanorum nihil aliud esse imbiberat quam illam δωδεκάδα annui assis nomine insignitam (ut solet error etiam longius ducere quam recta via) eo provectus est, ut eam ipsam, quæ *centesima* est Romanis, quamque ille annui respectu dici sibi persuasit, crederet etiam menstrui respectu dici *Fœnus unciarium* posse. Sed hoc est βεκκεσέληνον agere, vetera novis miscere, & mera mapalia facere. *Centesima* non est vocabulum suapte natura & directo significans nostra duodecim in centum, magis quam *Vicesima* aut *Tricesima* aut *Millesima*: non assem magis annuum aut usurarium quam trientem aut quadrantem. Potuisset autem, si mens non læva fuisset, à nobis discere, ut in vectigalibus publicis *vicesima*, *quinta & vicesima*, *quadragesima*, *quinquagesima*, *centesima* pretii certarum rerum ærario cogebatur; ut agri frumentarii *decumis* locabantur; ita privatos, sui vectigalis, pecuniæ scilicet, quam in menses aliis utendam dabant, *centesimam* pro usu sibi stipulatos: qui clementius agere volebant, eos centesimæ illius vel deunce, vel dextante, dodrante, besse, septunce, semisse, quincunce, triente, quadrante, sextante, uncia, semuncia, pro cujusque animo aut occasione fuisse contentos: atque in hanc formulam pactos, & ita locutos esse sine respectu & consideratione anni: duodecim is, an decem ut Romuli, an quindecim ut Julianus confusionis, an quatuor ut Lunaris magnus Ægyptiorum, mensibus constaret. Quod ut evidentius appareat, non pœnitebit à prima origine rem arcessere. Romanis fere in quingentesimum annum pecuniæ genus unum, æs grave: as libram pondo, & partes assis eædem, quæ libræ. Dabant & sumebant mutuum in menses. Fœnoris modus crescit minuiturve partim pro tempore proque modo pecuniæ, quæ inter homines versatur, partim pro fide illorum, qui mutuum petunt. Qui ergo ibat in creditum adpendendo centum aut mille libras æris, stipulabatur mercedem usus pecuniæ suæ, quam alteri concedebat, menstruam vel centesimam partem crediti, ut de mille libris decem, de centenis unam, vel plus minusve: prout erant tempora & fides necessitasque mutuantis: quoties fides erat angustior & rei nummariæ difficultas, mul-

multum; quoties abundabat pecunia & bonum nomen creditor, minus. At qui versuram faciebat, adito Cæcilio aliquo aut Alfio, atque illo poscente centesimas sortis menstruas, id est, libras singulas in dies triginta inque libras centenas, conscius forte sibi boni status & minore centesimis paratam sibi pecuniam esse, *Nimium poscis*, ajebat: *dabo tibi non centesimas partes sortis ipsas, hoc est libras singulas, in centum, sed harum centesimarum sortis partium sive librarum æris singularum deunces*, vel *dextantes*, vel *dodrantes*, vel *besses*, vel *septunces*, vel *semisses*, vel *quincunces*, vel *trientes*, vel *quadrantes*, vel *sextantes*, vel denique *uncias*. Si sic ferebat res, ut necessario quotidie tulit, fertque hodieque inter negotiantes, ipsa natura Romuli nepotes subigebat sic, non aliter, loqui. Homo Romanus nemo, doctus sive indoctus, in sensibus his prodendis hæc verba quî vitaret, habebat. Inde igitur omnis hic sermo initium cepit: hæc ejus incunabula sunt. Quia *centesima* pars sortis & æris *libra* una eademque res erant, quisquis minus centesima vel libra sive stipulabatur sive offerebat, quî poterat, non dico commodius, elegantius, doctius, sed quî poterat sine vitio atque ineptiis illud minus aliter exprimere quam vocabulis partium libræ? Porro & natura homines in commerciis, in quibus res pro re quæritur, dummodo intelligantur, reddit breviloquos, & quæ toties dicenda sunt, ut jam nemo sit cui ignorentur, paucis expedit. Sic factum ut omissa librarum æris mentione omne centesimis minus appellitarent tamen partibus assis vel libræ, tanquam hæ centesimæ partis essent partes: quippe quum incompertum foret nemini, illam centesimam nihil aliud esse quam æris libram: postremo & centesimæ vel centesimarum vocabulum compendifecerunt, solis libræ partibus nominatis inferiores usuras proloquuti. *Petis à me*, inquiebat aliquis danista, *mutuas quingentas æris libras? Ego tantisper re mea carebo: quemcumque illa fructum faciet, tibi faciet: æquum est, hujus ego lucri partem feram: quanti nunc est tibi, ut in ære meo sis? quas dabis usuras? Dabis centesimas sortis partes, singulas scilicet libras, in centenas, Calendis futuris. Si non vis centesimas, vel libras ipsas, dabis saltem centesimarum sortis partium, quæ libræ æris sunt, deunces vel undecim uncias menstruas usuras. Ut nunc forum est, & tibi spes lucri, non recusabis, opinor, centesimarum sortis partium sive librarum æris dextantes vel decem uncias menstruas. Dabis mihi menstruas usuras ne minus centesimarum sortis partium sive librarum æris dodrantibus sive novem unciis in centenas.* Hæc sunt quæ parcentes verbis dixerunt: *Dabis usuras centesimas, deunces, dextantes, dodrantes. Immo*, inquit ille, *dabo centesimarum sortis partium sive librarum æris besses singulos vel uncias æris octo in centum libras inque dies triginta usuras.* Contractius: *dabo centesimarum besses menstruas usuras.* Brevissime tandem: *dabo besses usuras.* Et sic in cæteris. Eadem vocabula transtulerunt deinde ad nummum argenteum, postquam illo uti cœperunt. Nam & denarium, constantem sedecim assibus, in ratio-

nibus

nibus referundis, velut assem considerarunt, & quod intra denarium erat, vocabulis partium assis notarunt. Uncia denarii erat as triens, sextans duo asses duo trientes, quadrans quatuor asses, triens quinque asses triens, quincunx sex asses duo trientes, semis octo asses, septunx novem asses triens, bes decem asses duo trientes, dodrans duodecim asses, dextans tredecim asses triens, deunx quatuordecim asses duo trientes: as sedecim asses, denarius. Sic & usurarum vocabula ab libris æris transierunt ad argentum signatum, & in eodem usuræ placuerunt *centesimæ*, *besses*, *semisses*, *trientes*, &c. sed quæ antea significabant libras aut libræ partes, ea hic significarunt denarios & denarii partes. Nam qui in centum denarios usuræ nomine menstruum pendebat unum, dicebatur dare *centesimas:* qui duos, *binas centesimas:* qui minus, puta octo asses vel victoriatum, *semisses*; qui quatuor vel sestertium, *quadrantes* usuras, &c. Et sic in omni genere pecuniæ *usuræ centesimæ*, quibus centum nummorum sorti quotmensibus accedit centesima pars sive nummus: *usuræ deunces*, quibus sors centenum augetur menstruis unius centesimæ partis undecim duodecimis: *dextantes*, quibus centesimæ partis decem duodecimis: & ita deinceps. Habemus constantem Romanis *usurarum centesimarum*, *deuncium*, *dextantium*, &c. nominibus rationem & mentem suam sine ulla cogitatione aut mentione anni; sine ulla cogitatione aut mentione assis usurarii; sine ulla cogitatione aut mentione maximæ centesimæ: & liquet, quæcumque ab his capitibus arcessita sunt ad ea vocabula explicanda, ea fuisse vana, & magis obscurasse rem quam illustrasse. Hinc etiam apparet, quantopere fallantur docti nostræ ætatis jurisconsulti, qui hanc tractationem aggressi, præfati sunt, sciri oportere, quemadmodum in multis juris articulis jurisconsulti veteres hoc in usu habuerint, ut quamvis rem integram, quam dividere in certas partes vellent, *Assem* appellarent, ita & usuram, quæ summa est, *assem* appellatam fuisse. Non enim hoc veterum jurisconsultorum inventum, sed patrumfamilias, sive qui fœnerabantur, sive qui fœnori accipiebant. Cæterum hæc vocabula nostris rebus commodare si velimus, tuto licet, dummodo meminerimus vernacula directo annuum, Romana non nisi ex æstimatione menstrui significare. Sic *centesimam* interpretamur, qui nobis duodecim in centum: nam ubi quotmensibus sors centum nummorum lucratur unum, in anno fiunt duodecim nummi. Eadem analogia progredimur ad minores usuras nuncupandas. *Deunces centesimarum usuræ* sunt undecim in centum: nam quoties menstruus penditur nummus minus parte duodecima, toto anno vel duodecim mensibus existunt undecim nummi: desunt ad centesimas implendas duodecim duodecimæ, id est, nummus unus. *Dextantes centesimarum usuræ* sunt decem in centum: nam quum datur menstruus nummus deductis duabus partibus duodecimis sive unciis, conficiuntur in anno decem nummi: desunt enim XXIV duodecimæ, id est nummi duo. *Dodrantes centesimarum usuræ* sunt

novem

novem in centum: nempe ubi nummus accedit menſtruus reciſis tribus duodecimis, integri habentur cum fine anni novem nummi: deſunt centeſimis XXXVI duodecimæ, id eſt, tres nummi. *Beſſes centeſimarum uſuræ* ſunt octo in centum, quia duodecim beſſes, octo aſſes. beſſi nimirum ad aſſem deeſt triens: duo beſſes, as triens: tres beſſes, duo aſſes: ſex beſſes, quatuor aſſes: duodecim ergo beſſes, octo aſſes. *Septunces centeſimarum ſortis partium uſuræ* ſunt ſeptem in centum, quia duodecim ſeptunces conficiunt ſeptem aſſes: nempe duo ſeptunces, as & duæ unciæ: quatuor ſeptunces, duo aſſes & quatuor unciæ: ſex ſeptunces, tres aſſes & ſex unciæ: ergo duodecim ſeptunces, ſeptem aſſes. *Semiſſes centeſimarum uſuræ* ſunt ſex in centum: nam XII ſemiſſes, ſex aſſes. *Quincunces centeſimarum uſuræ* ſunt quinque in centum: nam tres quincunces ſunt as & tres unciæ: ſex quincunces, duo aſſes & ſex unciæ: ergo XII quincunces quinque aſſes. *Trientes centeſimarum uſuræ* ſunt quatuor in centum: nam duodecim trientes, quatuor aſſes. *Quadrantes centeſimarum uſuræ* ſunt tres in centum: quippe duodecim quadrantes, tres aſſes. *Sextantes centeſimarum ſortis partium uſuræ* ſunt duo in centum: nam duodecim ſextantes, duo aſſes. *Unciæ centeſimarum ſortis partium uſuræ* ſunt unus in centum: duodecim namque unciæ perficiunt aſſem unum. Ergo *centeſima* Romana per ſe nihil demonſtrat annui, nec qui primitus ei hoc nomen indiderunt, annum in conſilio habuere: ſed quia anno duodecim menſium utimur, inde evenit, ut quod pacto centeſimæ partis pro lucro addendæ ſorti menſtruo conceſſum eſt, id duodecies in anno hoc lucrum gignat. Hanc ob ſimilitudinem eventus ſpatio anni, hunc ob effectum parem in tempore annuo pactæ centeſimæ partis menſtruæ & pactorum noſtro more duodecim nummorum in centenos facimus, ut quod nos dicimus *collocare pactis duodecim in centum nummis*, tantummodo annuum reſpicientes, ad id applicemus genus loquendi Latinum *collocare uſuris centeſimis*, menſtruum efferentes, annuum cogitantes. Omne autem ſimile etiam diſſimile eſt. Nec ex eo, quod Carthaginienſium Suffetem Romani quandoque *conſulem* vocabant, aut belli ducem *Dictatorem Regemve*, quod Achæorum aut Ætolorum annuum magiſtratum *Prætorem*, ſtatim ſequitur par horum omnium jus aut eandem vocabulorum, quibus lingua linguam exprimit, originem fuiſſe. Etiam vernaculo ſermone interdum, quod in ſex aut octo menſes creditur, ſcribimus creditum **tegens ſes of vijf ten hondert in 't Jaer /** hoc eſt, pro ratione ſenum aut quinum in centum annuos, exprimentes annuum, & cogitantes, quod de annuo tali tot menſibus debetur. Centeſimæ quoque ſimilem elegantiam habet Belgicus idiotiſmus, quum ſcribitur **tegens den penningh ſeſtien / twintigh / vijf-en-twintigh / dertigh;** *nummo ſextodecimo* pro ſex nummis & quarta unius parte, *nummo viceſimo* pro quinis, *nummo quinto & viceſimo* pro quaternis, *nummo triceſimo* pro tribus & unius parte tertia, in centenos: ſed hoc quoque annuum eſt, non

menſtruum: & hoc à centeſima differt. De his aliquid notavimus ad Sene-
28 cam de Beneficiis in repetitæ editionis Notis. Reſtat Senecæ locus, in quo
adeo non pepercit illi, quem ſe defenſurum adverſus alios minatur, ut ne
levem quidem verborum elationem, qua jactat imprudens neminem ani-
madvertiſſe, quod tamen Lipſius vidit, illi condonare potuerit. Verba ſunt
libro III de Ira cap. XXXIII. *Quid ſi propter uſuram haud milleſimam vale-
tudinarius fœnerator diſtortis pedibus & manibus ad computandum modo re-
lictis, clamat, ac per vadimonia aſſes ſuos in ipſis morbi acceſſionibus vindicat?*
29 ,, Illi uncias uſuras recte interpretantur. Hic iſte. Quis genius qua Lipſio
,, qua Salmaſio ſuggeſſit, hanc uſuram *vix milleſimam*, cujus meminit Stoi-
,, cus Romanus, aut legibus aut moribus Romanis receptam fuiſſe? Certe
,, hoc fidiculis non extorſeris ex Senecæ verbis, &c. Quare autem non fue-
rit? Nulla eſt tam beata civitas, in qua non inveniantur Capitecenſi & Pro-
letarii, ſordidi & triparci, qui & parum habent, & velint id occupare, &
parum poſſunt, vel quia diffidunt, vel quia eorum, apud quos occupare
poſſent, acceſſu arcentur: deinde quantulocumque à ſui ſimilibus expreſſo
contenti ſunt. Suetonius Julium teſtatur omnes circa Pompejum atque
etiam magnam partem ſenatus gratuito aut levi fœnore obſtrictos habuiſ-
ſe. Neminem inter hos fuiſſe putat, qui unciis uſuris teneretur? Nam ſi id
ſordidum Cæſari exiſtimat, ſordidum quoque cenſeat, quod prædia, qui-
bus voluit, ex auctionibus haſtæ, ſeſtertio nummo addixit. Scythas Aſiam
perdomitam vectigalem feciſſe ait Juſtinus, modico tributo magis in titu-
lum imperii quam in victoriæ præmium impoſito. Nunquam putat ſimile
quid feciſſe privatos? At vidi novique parentes, dominos, heras, qui quæ-
ve liberorum, ſervorum, ancillarum, vidi cives matronaſque ornatas, qui
quæve tenuiorum aut anicularum pecuniolas quum revera cuſtodirent, ſic
30 tamen eis gratificarentur. Ille ad unicum cenſum ſuum, unicam nutri-
,, cem, Sophiſticen, decurrit. *Quid ſi*, dicit Seneca, (inquit) aperte innuen-
,, do, à ſe fingi caſum hominis ad extremas ſordes avari & iracundi. Sit ita:
ſed quales ſunt caſus qui finguntur? nempe ex media vita & rebus plerum-
que obverſantibus petiti, utique in moralibus: ut Comœdiæ fingunt, Pam-
philum amare, Chremetem decipi, Syrum fraudare: quo in genere non in-
venias, quæ nunquam accidunt. Caſum fingere, quem mos aut natura eve-
31 ,, nire non patitur, eſt inepti aut ingenio ludentis. Nos Philoſophi, ait, ti-
,, ronibus artis Logicæ inculcare ſolemus axioma: Conditionalis nil ponit
,, in eſſe. Quaſi caſum fingere & ſub conditione ſtatuere una & eadem res
ſit, aut ubicumque particula *Si* habetur, ponatur conditio. Nihil hic ad-
firmatur aut negatur ſub conditione, ſed rogatur judicium de facti ſpecie,
quod quotidie occurrebat. Iraſci ob fiſcos & magnas pecuniæ ſummas tur-
pe & ſapiente indignum eſt. Quid dices de ſene orbo, qui ob pugnum æris
aut imputatum à ſervo denarium, tanquam in rem domini verſum, ſto-
macha-

machatur? Quid de ægro & arthritico fœneratore, qui ob minimam usuram non solutam ad diem vociferatur & litigat? Quum sic loquitur morum doctor (qualem se passim profitetur Seneca) quum dicit: *Hoc turpe est:* aut, *interrogo conscientiam tuam, an non hoc turpe sit*; quæ fides erit verbis ejus, si in tanta vitiorum turba, omissis iis, quibus ubique impingimur, reprehendat, quæ nunquam contingunt? Sed vicerit hactenus: non hoc agitur, an tunc in usu fœnus tam minutum fuerit: illud quæritur, quomodo Seneca hoc potuerit illi nomen imponere, si vera est, quam nobis dat ὁ ἀληθευτὴς Theologophilosophistoricophilologus, *Centesimæ* interpretatio. Si *Centesima* nihil aliud est quam as usurarius annuus & duodecim in centum, quid erit *Millesima?* Ex ipsius quidem explicatione erit longe maxima & iniquissima: nempe denæ centesimæ. Quid enim mille nisi decies centena? At Seneca pro omnium levissima eam ponit. Sit autem Chimæra, sit Cen- 32
taurus, sit (quæ notior illi elegantia est) ens rationis: tamen monstra quoque commenticia, quæ nomina acceperunt, ob aliquam rationem acceperunt, etsi quandoque sit illa nobis ignotior: saltem non Græci & Latini, ut vocabula illis darent, barbare sunt loquuti. Salvum igitur præstemus Senecæ Romanum os. Et præstabimus, si de nostra, immo omnium sanorum, sententia admittetur dicta *centesima*. Quemadmodum igitur potuit pro levissima nominare *millesimam usuram?* Nimirum, si ut *centesima* est, quoties in centum denarios datur menstrua centesima pars sortis, ita *millesima*, ubi datur menstrua millesima pars sortis usura. Atque hæc erit decima centesimæ. Hæ forent usuræ unciæ & semisicilici, paullo plus: videlicet in centum denarios as & semis & assis decima: quia denarius sedecim assium. Quare bene observant Lipsius & Salmasius, non posse aliud esse quod intelligat Seneca, quam fœnus unciarium: & ideo dicere illum *usuram haud millesimam:* habet enim paullo minus, nempe in centum denarios assem trientem. Jos. Scaliger etsi nomen huic generi dare nequiit, quod perperam de unciario fœnore sentiret, non tamen chimæram censuit, sed quid valeret quantumque efficeret, & quidem recte, supputavit. Neque enim homo tam doctus, si propugnandus ei fuisset error, in quem aliud agendo, nec totam hanc scalam, ut sic dixerim, cum omnibus deinceps gradibus, sed, prout fors dabat, nunc hunc, nunc alium gradum inspiciendo prolapsus est, talibus argumentis uti potuisset. Apud Senecam, inquit, mentio est *millesimæ usuræ*, „ quæ est decima pars centesimæ, hoc est, χαλκοῖ δ $\frac{\delta}{\varepsilon}$ in decem mensibus „ drachma. Sed hoc iste non adsequitur, nisi explicemus. Primo igitur mense reddit hoc fœnus quatuor chalcos & quatuor quintas chalci: secundo novem chalcos & tres quintas: tertio XIV chalcos & duas quintas: quarto novendecim chalcos quintam: quinto XXIV chalcos, id est, victoriatum, vel tres obolos, dimidium drachmæ: decimo igitur XLVIII chal-

 cos,

cos, id est, sex obolos, vel drachmam. Applica, quod nos in Romano ære definivimus. Nempe primo mense assem semissem & assis decimam: secundo tres asses & assis quintam: tertio quatuor asses & semissem & quintam assis & decimam: quarto sex asses duas quintas: quinto septem asses & semissem & duas quintas cum decima: quæ duæ quintæ cum decima semissem efficiunt: ergo quinto mense octo asses, dimidium denarii vel drachmæ: decimo igitur asses sedecim, sive denarium. Hæc sunt illa argumenta, quæ nullæ rationes possunt evertere, quibus evicisse solidissime confi-
33 dit *usuras uncias* idem esse quod *centesimas*. Justius igitur forsan aliquis dixerit, eum non aliam ob causam hunc excessum fecisse, quam ut me vivum præsentemque sugillaret. Ego potius, gloriolam captasse, ut videretur acrior Philologicæ, quam appellat, veritatis inquisitor. Linguæ autem procacitate usum, non quia me oderat, sed quia jamdudum sic solet omnes,

Ἔν ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε εἰδώς,
Μὰψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, ἐριζέμεναι ἀγαθοῖσι.

34 Itaque ne sibi quidem parcit: indoctissimus, imperitissimus, obscurissimus adfectat haberi. Vicerit, ne nihil sibi à nobis concessum esse queratur. Sed, Criticorum: de hoc amplius deliberandum censeo: vereor, ne major sit nobilitas Danaes patris gentilem esse, & illi se derideri putent.
35 Quum vero ait se non probare omnia, quæ sunt in meo libro, vellem distinctius egisset, ut scirem, quibus indubitare debeam: neque enim alia erunt, quam quæ ille probat. Quod autem committit tanquam adversantia, quæ in fronte & quæ in fine operis dixi, valde jejunum est. Putes hominem nunquam scripsisse, quod quidem ei utilius fuisse multi dicent: addentque:

Καί κε τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον ἦεν.

36 Quis hoc scribentium non experitur, si quam edas quamvis bene meditatam, & in decimum annum pressam curam, dum trepidant operæ, dum committenda proximo prælo ultima manu versat auctor, multa subita meditatis adnasci & interjici? Meus quidem perpetuus hic sive mos est, sive morbus, nec unquam aliquid publicavi, de quo non utrumque idem dicere sine mendacio possim. Sed ejusdem judicii est hæc diversa putare, &
37 unciam assemque eandem rem esse credere. Denique ostendere se posse crepat me centies dormitasse, maxime ubi à Salmasio dissensi, & ostensurum, si compellatur: hoc est, se proximo munere Andabatam pro Salmasio depugnaturum vovet. Ego vero non compello: nolo tam lepidum caput lustrale aut piaculare fieri. Ipse se coactorem & compulsorem professus est. Sed ἱερὸν βουλ. experiamur, num sit homo ex secunda illa animi ingeniique sorte, qui bene monenti tamen possunt obedire. Accipiet à me beneficium: quale ab Augusto Lentulus, laudatum Senecæ, quem

ille melius, quam Lipsius & Salmasius, intelligere se postulat. Sunt autem hæc verba, digna quæ recognoscat, & in illis admiretur exemplum suum: *Cn. Lentulus augur, ingenii fuit tam sterilis quam pusilli animi. Cum esset avarissimus, nummos citius emittebat quam verba: tanta illi inopia erat sermonis. Hic cum omnia incrementa D. Augusto deberet, subinde solebat queri, dicens, à studiis se abductum, nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque D. Augustus præstiterat, quod illum derisu ac labore irrito liberaverat.* Si potest igitur impetrare ab sese, ut hic pruritus sine sanguine transeat, suadeo & hortor, ocius minuat abjiciatque hoc propositum. Putet sibi patrem dicere: *studium quid inutile tentas?* Putet Diogenem:

Τοὺς ἄλλους ἐνάριζ', ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας.

Par sumus non bene compositum. Multi enim boni libri evolvendi erunt illi, ut intelligat, quæ ego scripsi; mihi multi mali, ut intelligam, quæ ille scribet.

FINIS.



JOH. FREDERICI GRONOVII
DE
CENTESIMIS USURIS
ET
FOENORE UNCIARIO
ΑΝΤΕΞΗΓΗΣΙΣ II.

De usurarum generibus vocabulisque Latinis explicandis inter juris & rerum Romanarum studiosos hodieque aliquid in quæstione esse & non idem sentire universos minus indignabitur, si quis reputaverit, huic quoque priscæ elegantiæ parti densas tenebras obduxisse regnantem barbariem, atque eas non uno ictu, sed paullatim demum & tardo successu potuisse dispelli. Johannes Accursius & illius æquales interpretabantur *Usuras centesimas*, quæ in anno sortem æquipararent: *semisses*, quibus dimidium sortis; *besses*, quibus partes duæ; *trientes*, quibus tertia; *quadrantes*, quibus quarta pro lucro quotannis accederent. Primus Hermolaus Barbarus, in Castigationibus posterioribus ad Plinii lib. XIV *Usuras semisses* esse prodidit, quoties de centum nummis „ (quæ verbi gratia sors sit, inquit) non quinquagenos, ut illi putaverunt, „ sed senos tantum nummos usuræ nomine percipimus. Hunc juxta incedere, si non anteire, desiderat Leonhardus Portius lib. II de re pecuniaria „ antiqua, jamdudum sibi quoque notatum obtestans, *Usuras semissium* „ apud Columellam, non semissem sortis, scilicet quinquaginta ex cen- „ tum, ut diu inscite creditum, sed sex pro centum reddere: &, (hone- „ stius doctiusque sensu quam verbis) *usuras semisses* dictas, quod semis- „ sem cujuscumque pecuniæ, cujus erit sors, quolibet mense reddant: quæ „ si integram pecuniam quolibet mense præstarent, duodecim annua refer- „ rent pro centum. Sic enim se res habet: ubi is nummus, in quo sors numerata est, aut ea pecunia, ad quam æstimatur summa crediti (puta talentum, mina, libra sterlingum, Flandrica, Turonensis) in centum sui generis mense vertente præstantur aut debentur integra, eæ sunt usuræ *centesimæ*: ubi

ubi ejus nummi pecuniæve semis vel pars dimidia, eæ *semisses:* ubi quarta pars ejusdem nummi pecuniæve menstrua, eæ *quadrantes:* ubi duodecima, eæ *unciæ.*

2. Hactenus hi, una quidem tantummodo specie tentata, sed ex qua facilis esset progressio ad intelligendas cæteras. Centesimas nominavit & *asses usuras* Hermolaus: sed in castigationibus prioribus, inter ista, quæ cum commentaretur, nondum deposuerat aliquot secula frustratam opinionem. Hermolao acceptum referunt Bartolom. Socinus, nondum ille quidem eluctatus illiberalem dictionem temporum, nec delectu verborum curioso, sed rebus & ipsa juris disputatione compulsus insana magistrorum præcepta deserere; mox politiores Budæus, Alciatus, & cum illi, tum Portio Antonius Augustinus. Budæus addere debuisse autumat Hermolaum, cur *Centesima* usura diceretur, quando id plurimum valeret ad fidem faciendam erroris deprehensi, qui perdiu fefellerat. Ipse duas rationes proponit: altera est, quod centesimo mense sortem æquet; altera, quia centesimus nummus pro fœnore statuitur, quum centum nummi sortis pariant singulos nummos menstruos. Priori acquievit Alciatus lib. III Dispunctionum cap. I & lib. II Parerg. cap. XXIII, & fere Carolus Molinæus: posteriori Antonius Augustinus lib. II Emendat. cap. X: sed ita ut & priorem rejecerit, eamque non admittendam demonstraverit: ut & Fr. Hotomannus disputat. juris civilis cap. VII de Usuris. Atque adeo Budæus ipse hanc potiorem agnovit „ad leg. XXXVII D. de Usuris, his verbis: *Centesimas* quidam opinantur „ex eo dictas, quod quolibet mense centesimum nummum mereant: cui „opinioni facile assentior. Hi porro non quidem *asses usuras* nominant: pro asse tamen Centesimam in usuris intelligi Budæus, & quum *semisses* usuras dicimus, semissem centesimæ partis significari, & sic *quadrantes, trientes, quincunces, besses, uncias,* quum tanta centesimæ partis pars usuræ nomine singulis mensibus solvatur, Augustinus dictitant.

3. Res pulcre ac præclare dilucescere cœperat, nisi insignes quidam viri, dum subtilitate vincere & singularem causam, quare as cum suis partibus huic negotio fuerit accommodatus, invenire volunt, optimis conatibus contrarios eventus habuissent, & sibi aliisque nova offendicula objecissent. Inceperunt enim sequi auctores hujus sermonis Jurisconsultos, & usurarum centesimam *summam* vel *maximam,* & *assem usurarum assemque usurarium.* Horum antesignanus Bartolom. Socinus ad legem Falcidiam, „Usuras centesimas scribit aliquando appellari in Legibus *maximas,* quasi „quæ ascendant ad assem & summam ultimam usurarum: & quia dividatur in duodecim partes, *assem usurarum* appellare jura centesimam: & „ejus, tanquam assis partes esse *semisses, besses, trientes:* item, quum ascen„dat ad duodecim pro centenis, tanquam assem & libram, sumpsisse hoc „nomen: etsi postremum etiam agnoscat, cum *Centesima* dicitur, intelligi

„cente-

„ centesimam sortis partem quæ singulis mensibus solvebatur: & habito „ respectu ad usuras menstruas sic vocari duodecim in centum, qui in fine „ anni existerent. Sed *maximas* usuras dixerunt Jurisconsulti, quod nullæ majores tunc legibus in terrestri fœnore permitterentur. Nec potest *as* censeri centesima ob duodecim annuos, quia Romani in usuris denominandis nihil respexerunt annuum, sed tantummodo menstruum, quum ipsæ usuræ essent menstruæ. Proximus Carolus Molinæus, ita pronunciavit in „ Tractatu primo: Centesima gerit typum assis integri, quum sit integra, „ solida & legalis usura, & nomen capit à centesimis Calendis, quibus „ completur & sortem æquat. Et siquidem singulis mensibus centesimam „ sortis partem stipulati essent, hæc erat *centesima*, solida & summa usura: „ si vero ducentesimam sortis partem, hæc erat *semis:* si trecentesimam, „ *triens:* si quadringentesimam, *quadrans:* quia quadrans non est nisi quar- „ ta pars centesimæ: & sic de cæteris quotis partibus menstruis. Idem rur- „ sus: Centesima (hæc summa & gravissima) est quolibet mense centesima „ pars sortis & sic in centum mensibus sive in octo annis & quatuor men- „ sibus sortem æquat.

4. Fr. Hotomanni tertii locum jam signavimus, ubi sic disputat: quem- „ admodum in multis juris articulis hoc in usu habuerint jurisconsulti, ut „ quamcumque rem integram, quam in partes dividere vellent, *Assem* ap- „ pellarent; ita eam usuram, quæ summa est, nempe quum pro centum de- „ nariis singuli denarii singulis mensibus solvuntur, *Assem* appellatam esse, „ ac propterea, quasi ad assis rationem, illius partes, id est, alias usuras mi- „ nores, appellationem sumpsisse: illum *assem* autem nihil aliud esse quam „ centesimam sortis partem, sive nummum illum centesimum, qui singulis „ mensibus penditur: ut usuras pendi solitas ex Horatio & Cicerone appareat. Postremum hoc bene: superiora vacillant. Quod enim jurisconsulti quodvis solidum partibus assis secuerunt, non fecerunt tanquam Sapientes & quasi formulis disciplinæ suæ vulgo ignotis utentes; sed ut homines Romani, & promiscuæ omnium consuetudini in subjecta materia servientes. Neque Centesima, ut usurarum summa & maxima, assis faciem induit, quia majores, binæ, ternæ, quaternæ, centesimæ apud veteres commemorantur: atque etsi legibus sero, nec nisi moriente libertate ac sub Augustis, centesimas excedere vetitum, tamen id non potest juvare rationem vocabulorum, quæ reperta sunt, antequam ullus usurarum modus lege definiretur. Profecit in deterius invento illo *asse usurario*, qui fœtus infelix statim, ut natus est, ludibrio habuit genitorem suum, eumque à recto itinere, quod antehac quadamtenus institerat, in avia & invia deflexit. Libro II Observationum cap. XXIII (in minoris formæ exemplaribus id nonum „ fuerat) legere est: *Usura centesima* dicitur, quum in singulos centenos „ duodecim penduntur: hic enim est, quem *assem usurarium* facimus. Et

„ mox:

„ mox: Quod autem de *asse usurario* diximus, ita accipiendum est, ut in „ libello de usuris docuimus, jurisconsultos à Græcis hoc sumpsisse, ut sortem, quantacumque illa esset, semper ad centenarium numerum redigerent: ipsos autem hoc excogitasse, ut, quia summa usura est, cum centesima sortis parte per singulos menses solvenda, quotannis duodenos nummos in singulos centenos pendimus, propterea summum hunc usurarum „ gradum, in quo duodecim nummi annui sunt, *Assem usurarium* nominarent, & ex eo non menstruo, sed annuo, singulas assis partes suis nominibus appellarent. Siquidem & *Bes*, & *Semis*, & *Triens usurarius* non ex menstrua, sed ex annua pensione appellantur, cum scilicet annis singulis octoni aut seni aut quaterni, in singulos centenos penduntur. Sic Hotomannus, ex quibus videre est, ut virum doctissimum transversum egerit & sibi adversantem ipsum reddiderit illud *usurarii assis* commentum. Nam si, ut prius recte notaverat, *as* & *centesima* usura nihil aliud sunt quam centesimus nummus, qui quovis mense penditur, quomodo, quæ minores isto asse sunt seu centesimo nummo menstruo, & ab eo vocabula sortiuntur, ex annuo, non ex menstruo, appellantur, quum ipse as sit menstruus? „ Nam ne dubites, ita dixerat: ut si centesima pars sortis singulis pensionibus penderetur, nummus ille centesimus, quoniam usura summa est, *As* „ appellaretur. Sed & deinde hujus assis, quem centesimam vel centesimum nummum menstruum esse affirmavit, dimidiam partem esse addit *semisses usuras*, tertiam *trientes*, *besses* centesimæ bessem ex Justiniani imperatoris l. XXVI Cod. de Usuris. Quæ cum asse illo usurario annuo, cum besse ac semisse ac triente pariter annuis haudquaquam concordant.

5. Hotomannum imitatus est Johannes Crispinus ad Leges XII tabularum: *Unciarium fœnus*, non ex menstrua ratione definitur, quum singulis „ mensibus pars assis (quæ drachma apud Græcos esset) duodecima penditur: neque enim *As* in usuris menstruus, sed annuus dumtaxat. Id vero anni ratione hoc modo: quia *usurarius as* est, quum unoquoque anno duodeni in centenos penduntur, *semis usurarius* erit, quum seni quotannis pendentur: *uncia*, quum unus &c. Salmasius non quidem *usurarii assis* meminit, & aliam rationem excogitavit, cur & unde *centesima*, curve pro asse habita sit; (Romanos nimirum nuncupasse *asses usuras* ab æreo nummo asse, ut Græcos ab argentea drachma, quibus τόκος ἐπὶ δραχμῇ *centesima:* hanc autem descendere ἀπὸ τῆς ἑκατοστῆς, quod nomen eidem dederint Græci subaudientes δραχμῆς:) loquitur tamen quædam Hotomanno similia, ut *assem in centum promissum*, & *in assem mutua data centum* & centesimam maximum usuræ statutum modum; nec illud annuum, quod ab eodem imbiberat, exsuere potuit: eoque toties nobis in alia omnia eundi materiam præbuit. Porro hi omnes consentiunt interim, *uncias usuras* & *unciarium fœnus* eundem ordinem & gradum tenere sub centesima, quem uncia tenet in asse, &

nec aliud solidum sive totum agnoscere, nec alia inspectione sic vocari, quam cæteras assis partibus significatas. Neque hoc quisquam, quod meminerim, Jurisconsultorum in dubiis habuit.

6. Princeps Paullus Manutius mirificam sententiam prompsit, quædam „ usurarum nomina menstruam solutionem, ut *Centesima*, *Fœnus unciarium* „ & *semunciarium*; quædam annuam, ut *semis*, *bes*, *triens*, significare: *fœnusque unciarium* & *centesimam* esse idem, ut ratio habeatur menstruæ solutionis, non anni; *semunciarium* idem quod *semisses usuras*, hac differentia, ut „ in semissibus annua, in semunciario fœnore menstrua solutio spectetur. Hæc ipse, qui condidit, destruit, quum recte Centesimam statuit menstruam: nam quia hujus, ut assis, respectu dicuntur semisses, besses, trientes, unciæ, semunciæ, necesse est eas pariter solutionem menstruam respicere: neque enim besses, semisses, trientes, uncias, semuncias hic novimus, nisi centesimæ. Atque ista quidem Manutius in sextum Familiarium. In lib. I epist. x „ ad Atticum, *Centesimas* dici tradit, quia singulis mensibus in fœnus centesima sortis pars impendatur: à menstrua enim solutione potius appellatas „ esse, quam quod nonnulli putent, quia centum mensibus usura sortem „ adæquaret. (Hactenus recte.) Id *Unciarium Fœnus* vocari Livio: in quo „ mirari se errasse eruditos, opinantes *Unciarium fœnus* esse unicam centesimam annuam, quum sit unica menstrua. At illi non errarunt: est enim revera *fœnus Unciarium*, unica centesima pars sortis annua, quum sit uncia centesimæ partis menstrua. Quam certus autem suæ opinionis fuerit, hinc cognoscas, licet. Quæ adduximus, jam leguntur in exemplari, quod ipse typis expressit Venetiis anno 1547. In quo cum ad vocem, *Cæcilio*, stitisset in his verbis: (nam ab eo nec propinqui nummum auferre poterant, „ nisi cum fœnore centesimarum:) in posteriori editione, quam secuta est „ Francofurtensis a. 1580, adjecit infra scripta: Quæ usurarum omnium „ gravissima erat, & *As* dicebatur: pendebantur enim in anno duodecim „ nummi pro centenis. Cum vero pro centenis octoni, *besses*; cum seni, „ *semisses*; cum quini, *quincunx*; cum quaterni, *triens*; cum terni, *quadrans*; cum bini, *deunx*; (erratum aut calami aut operarum. voluit *sextans*) cum „ singuli, *unciaria* vocabatur usura: qua majorem XII tabulæ primum, ut „ ait Tacitus lib. v, deinde etiam rogatio tribunicia vetuit, ut lib. VII Livius narrat, qui etiam de semunciario instituto subjunxit. Tacitus omnino sublatas usuras docet, quæ tamen denuo variis fraudibus exortæ, „ paullatim consuetudine leges vincente, ad centesimas pervenerunt. Hæc ita concepta sunt, ut omnia pro sanis accipere possis: nisi quod *unciariam usuram* vocat, quod veteres *unciarium fœnus* vel *uncias usuras*. Centesimam menstruam ait *Assem* dictam: eam in anno effecisse duodenos nummos: ejus intuitu usuras *semisses*, quæ dimidiatum nummum menstruum, senos in anno &c. *uncias*, quæ duodecimam nummi partem in mense & sic singulos in

los in anno efficiant: his postremis majores vetuisse XII tabb. & rogationem tribuniciam: deinde semunciis: denique vetitas usuras: tamen consuetudine leges vincente rediisse centesimas.

7. Sequutus hunc Hadrianus Junius, nihil quidem de cæteris, sed *Centesimam* Ciceroni & *Fœnus unciarium* Tacito explicat, quæ centesimam sortis partem singulis mensibus capiunt: quando nimirum quotannis duodecim penduntur usuræ nomine: ibi enim (infit) *assis* nomine censetur annus, ut *unciarum* vicem gerunt menses. Hi alter ambove traxere Scaligerum, Matthæum Hostum, Thomam Thomasium, Curtium Pichenam. Scaliger, ne ille quidem hanc materiam ex proposito aggressus, inter scribendum ter quater *unciarium fœnus* pro centesima appellat: ut quum quinque millium denarium *unciarium fœnus* annuum computat denarios sexcentos, & ipsorum sexcentorum denariorum *unciarium fœnus* duo & septuaginta denarios. Hosto lib. II rei nummariæ veteris, Ab uncia sunt „ *unciæ usuræ*, quæ *centesima* est Ciceroni, *unciarium fœnus* Tacito & Livio: & similia in opusculo de assis ejusque partium usu in declarandis usuris: „ quod ex nulla historia probari possit, ullam unquam fuisse usuram tam „ levem, qua in annum unus tantum ejusdem pretii nummus de centum „ duceretur pendereturque: assem uncias duodecim continere & pro toto „ & integro usurpari: quemadmodum itaque *uncia* mensem, inquit, tan„ quam anni duodecimam partem, ita *as* annum, ut totum, refert: qua ra„ tione *unciarium fœnus* idem esse censetur quod centesima usura, sed di„ verso respectu. Sic & *semunciarium ex unciario* factum explicat ex asse seu centesima factas usuras semisses. Denique *centesimas*, quæ sint velut as, & *uncias*, quæ sint eædem, fuisse menstruas: *besses* vero, *semisses*, *quincunces*, *trientes*, *quadrantes*, quæ sint quarta usuræ centesimæ pars, annuas fuisse certo colligi. Hoc ultimum Manutianum est. De Thomasio & Curtio diximus.

8. Est autem animadversione dignum, hos omnes, quum se huic culpæ alligarent, non tractasse illam quæstionem diligenter & ea accuratione, qua jurisconsulti, totius ad partes partiumque & ad totum & inter sese consideratis rationibus, sed leviter ac defunctorie satis, aut paucis ex hoc genere vocabulis aut uno tantum fœnore unciario appellato. Denique hi excusabiles, quia quam multis quamque certis & perspicuis argumentis tam crassus error posset coargui, videre non potuerunt. At non tam parata venia homini, qui, cum pateret via plana & expedita, quam nos fecimus, jam bis ad eundem, ut habet proverbium, offendit, ut aliquid in nos injustæ suæ ac longa invidia collectæ bilis evomeret. Quam si pari acerbitate ultum ire & histrionis istius postscenia tantis injuriis lacessitus protrahere gestirem, copiosa sane mihi suppeditaret oratio: sed non vacat ardelionum vitas pandere: & quis inde in publicum fructus? aut quem non tædet maledicen-

 tiæ.

tiæ, qua iste per omnia scripta dissimillimos sibi traducit? Nec vero adeo ignoramur uterque, ut aut ille mihi opprobrare possit, quod purgandum habeam, aut mihi Æthiopem reddendi nigriorem necessitas incumbat. Quæ totis novem paginis declamat, prætereo, ut nihil ad rem pertinentia, & quæ ne verbo quidem refutari mereantur. Pag. demum 10 incipit meditari causam.

9. Ibi objicitur mihi, primum ejus Achillem, invictum velitem, vel noluisse me vel non potuisse intelligere. Achilles iste tabidus, monogrammos, enervis, inermis, tamque fortis quam Peleus ejus Criticus est, talem se ferebat: in confesso esse, in ea republica, quæ cives habeat pauperes & æris indigos, usuras esse grandiores, quam ubi opibus & pecunia abundant: Romæ autem, quum ferme ὅλης τῆς οἰκουμένης opes mœnibus complecteretur, centesimam usuram fuisse ordinariam. Collocemus eum in statu & gradu, ut appareat, quam facile loco moveri possit atque prosterni. Quæcumque respublica quum & populi & privatorum opibus floreret, admisit centesimas usuras, ea multo magis easdem tulit, quum esset inops. At Romana respublica, quum publicis & privatorum opibus floreret, admisit usuras centesimas ordinarias. Respondi, quod priore loco ponitur, haudquaquam esse perpetuum. Potest enim fieri, ut respublica, dum pauper est, absque ullo sit fœnore, exemplo Germanorum, qui Taciti ævo pauperes fœnus ignorabant, nunc cum auro & argento habent fœnus. Potest fieri, ut aliqua respublica cum flore potentiæ & opibus acceperit vitia, quæ fœnus incitant: quibus vitiis quod vacaret inops & tenuis, nec instrumentum luxuriæ atque avaritiæ magno conducendum habebat. Idem multa privatorum exempla demonstrant, qui paupertatem egregie ac sine ære alieno tolerarunt: ut Valerius Poplicola, Menenius Agrippa, Man. Curius, C. Fabricius, L. Æmilius Paullus, Tuberones, & alii. Deinde monui, quamvis iratum, hunc Achillem, nihil mihi minari, sed Agamemnoni Salmasio: nam & mihi certum est centesimas jam in paupere populo Romano nimium quantum ordinarias fuisse, ex aliis, quam quas noster edit, causis. Et potuissem sic defungi: sed non dissimulavi aliquid amplius illum significare. Nimirum, Si in urbe Roma publice privatimque inopi centesimæ fuerunt ordinariæ, verosimile est Decemviros eas in XII tabulis sanxisse. Id vero dixi esse ἀνακόλουθον, cum Decemviri non respexerint, quid optarent fœneratores, sed quomodo consulerent miseræ atque exhaustæ plebi. Tamen isti si credas, argumentum ejus aut nolui aut non potui intelligere. Sed quam aut voluntas aut facultas me defecerit heroici hujus argumenti intelligendi, magis apparebit, si ipsa verba inseruerimus, quibus ille nunc id reformat. Sunt autem ista, Certo credi debere in republica Romana, cum egena & impotens adhuc esset, minimum usuras centesimas per leges receptas fuisse, quod tantæ, eadem republica quam

loc-

„locupletata & potenti, jure probatæ fuerint. Hoc ſane illud ipſum eſt, quod ego mihi refellendum duxi: unum intereſt: additur enim hic, *per leges:* quod non video cauſam, cur ego interponendum divinare debuerim. Sic igitur pugnat: In quacumque republica quam locupletata & potenti jure probatæ ſunt centeſimæ, in eadem multo magis receptæ fuerunt per leges etiamnum inope. In republica Romana quam locupletata & potenti jure ſunt probatæ centeſimæ. Sed hic quoque, quod citerius ponitur, in eodem vitio eſt. Non id neceſſarium: potuerunt & non eſſe: potuerunt eſſe, non lege ſcripta, ſed moribus introductæ, nulla lege vetante, quæ poſtea acceſſerit. Alterum quoque poſitum multas exceptiones patitur, uti jam oſtendimus, & pluribus oſtendemus. Ille, ut prius confirmet, obducit nobis rempublicam Batavorum: quaſi unum exemplum ex propoſitione particulari poſſit reddere univerſalem: quaſi valeat, ſi reſpublica Batavorum, ergo omnis. Deinde nimia diſſimilitudo eſt in exemplis, ob diverſum illarum rerumpublicarum ſtatum. Batavi adflicti ac miſeri cum potentiſſimo hoſte congreſſi magna pecunia egebant ad alendum mercenarium militem: Romani parvo contenti ac fortes cum divitibus & male fortibus ſine ſtipendio militabant. Deinde Batavi, poſtquam florent, nondum ad eam immoderationem luxus & corruptelarum pervenerunt, (& abſit, ut eo perveniant) ad quem Roma florens cum magno fœnore.

10. Fide minus bona agere arguor, qui, quæ à fœneratoribus facta „ſunt, confundam cum illis, quæ jure licebant, pag. 15. At qui verum tuetur, is fide agit bona. Conceſſi frequentes & ordinarias omni tempore, de quo agimus, centeſimas fuiſſe, irritis tot legibus, quæ modum uſuris minorem fecerunt: jure licuiſſe capere centeſimas, hoc eſt, lege ſcripta, negavi & pernego. Sed fide minus bona agit adverſarius, qui tanquam certum & exploratum ſtatuit, quod nunquam probavit. Jubet hoc me diſcere ab Juſtiniano & Harmenopulo. Juſtiniani producit hæc ex l. XXVI π. I Cod. de Uſuris: *In trajecticiis autem contractibus vel ſpecierum fœnori dationibus, uſque ad centeſimam tantummodo licere ſtipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat conceſſum.* Harmenopuli vero iſta lib. III tit. VII. Ἐπὶ δὲ τῶν ναυτικῶν δανείων, καὶ τῶν ἐπὶ τῶν δανειζομένων εἰδῶν, ἐφ' ὧν τὸ παλαιὸν ἐξῆν πλείονα τόκον λαμβάνειν, μόνον μέχρι ἕως ἑκατοστῆς, καὶ μὴ περαιτέρω. *In nautico autem fœnore, aut ſpeciebus, quæ fœnori dantur, in quibus olim licebat graviores uſuras exigere, ſolum ad centeſimam, & non ultra.* Hæc vero quid ad centeſimam in omni fœnore? quid ad modum fœnoris definitum lege XII tabularum? Primum uterque loquuntur de fœnore nautico, quod, quo tempore lex XII tabularum lata eſt, Romanis uſu erat incognitum, quippe mare nondum expertis. Deinde uterque loquuntur de veteribus legibus, quibus excedere centeſimam erat conceſſum. At lege XII tabularum, ſi maxime in ea *fœnus unciarium* ſit centeſima, conceſſum non

erat, ut ea excederetur. Nec prodest hic capillum promittere & vaticinari, „Tacito non exhiberi totum carmen Legis: & forte in casibus, quos tan„git Imperator, per XII tabulas centesimas excedere licuisse, quia, quod modo dicebam, nondum exercebant mare Romani. Denique nec Har„menopulus VETERI JURE, sed τὸ παλαιόν. Adscribit mea verba, & si „quod magno ære conducere studuisset, non æque commodum testimo„nium se nancisci potuisse prædicat. Sunt autem ista: Fœnoris modus crescit minuiturve partim pro tempore proque modo pecuniæ, quæ inter homines versatur, partim pro fide illorum, qui mutuum petunt, &c. p. 494. „Et gloriatur: Quid æque apposite pro statuminando meo argumento „(circa quod adversarius frustra lacertos fatigavit) dici posset? Stuporem an malitiam appellem incredibilem? Ego narro, quid more plerumque fiat, quidque factum sit Romæ, sine lege, & aliquando contra legem: ille centesimam vetustissima Decemvirorum lege statutam, quod nunquam ei concessi, persuasum venit: & tamen testimonium illi præbui. Sed sacra ancora est Dion, qui notavit, post Actiacum Octavii triumphum τὰ δανείσματα ἀγαπητῶς ἐπὶ δραχμῇ πρότερον ὄντα, τότε ἐπὶ τῷ τριτημορίῳ αὐτῆς γεγενῆσθαι. Et „ne hoc sine Thrasone transeat: Si aliud non haberem, solus hic locus He„ctori nostro papiraceo æternum prostituendo sufficeret. O te Bollane cerebri felicem, an infelicem dicam, si quæ jactas, credis, & quam simulas spem, habes! Ubi hic de jure? ubi de legibus, aut tabulis duodecim? Ego pag. 468 & 469. Antexegeseos quinque causas annumeravi, quare necesse fuerit, invitis omnibus legibus, florente opibus ac luxu Roma, grave fœnus agitari: & tamen tanquam contrarius opponitur mihi Dio, qui eo tempore scribit in usu fuisse centesimas.

11. Tandem profert aliquid adversus illud, quod monueram Decemviros non respexisse, quid optarent fœneratores, sed quomodo consulerent „adversus illos plebi. Pag. 19. Prudentes legislatores idem hic observare „solent, quod circa valorem pecuniæ, quem, si in immensum surrexerit, ad „justum reducunt. Et pag. 23. Magistratus quando leges de fœnore fe„runt, non modo conditionem suorum civium attendere solent, verum „etiam iis, qui pecuniæ suæ usum, stipulando usuras, aliis concedere pos„sunt, sic succurrunt, ut semper inveniantur, qui in illa mutua danda nolint „esse difficiles. Primum, quæ hic diversitas & differentia civium & illorum, qui pecuniæ suæ usum, stipulando usuras, aliis concedere solerent? Numquid igitur fœneratores non erant cives? immo civium optimi & præstantissimi. Deinde hæc ut plurimum vera sunt de illis magistratibus, qui jure suo parentibus & tranquillis præcipiunt, quid facere debeant: non in illis, qui rogant tantum, quum in populi potestate sit jubere legem, in quo pars multo maxima se fœnore gravatam sentit. Eandem legem de *unciario fœnore*, quum à M. Duillio & L. Mænio, altero & octogesimo anno, postquam

tule-

tulerant eam decemviri, repeteretur, quod jam scilicet ejus οὐ λόγος οὐδ' ἀριθμός, *haud lætam Patribus* fuisse scribit Livius lib. VII cap. XVI. Cur haud *lætam* potissimum *Patribus?* quia in his erant maximi fœneratores, & quæstus iste minimus. Et quia haud *lætam Patribus,* intelligimus quam diligenter observarint attenderintque hi legislatores, quod adversarius contendit. Præterea fecerunt, quod potuerunt Decemviri: satis medios se gesserunt: & ut minimum permiserunt fœneratoribus, ita & atrocissimi fuerunt in debitores. Audiat horrendi carminis legem: *Aeris. confessi. debitique. in. jure. judicatis. triginta. dies. justi. sunto. postidea. manus. injectio. esto. In. jus. ducito. Ni. judicatum. facit. aut. quis. em. endo. jure. vindicit. secum. ducito. vincito. aut. nervo. aut. compedibus. quindecim. pondo. ne. majore. aut. si. volet. minore. vincito. si. volet. suo. vivito. ni. suo. vivit. qui. em. vinctum. habebit. libras. farris. in. dies. dato. si. volet. plus. dato. &c. Tertiis. nundinis. partes. secanto. si. plus. minusve. secuerunt. se. fraude. esto.* Quos ita terruerunt, illis pro solatio dederunt, quod & acerbissimi fuerunt in fœneratores seu creditores, non nisi minimum fœnus indulgendo.

12. Si *unciarium fœnus* duodecima centesimæ pars fuit, inquit, quæ im-
„ pudentia fœneratorum fuerit, legitimas usuras in tantum multiplicasse,
„ ut undecies excesserint, quod leges jusserant: atque id etiam duplicasse.
Respondeo, non major quam illorum, qui fecerunt idem, quum omne
„ fœnus vetitum esset. Pag. 20 laticlavios & angusticlavios per fœnerato-
„ res suam pecuniam ait collocasse. Quibus verbis, ut & alibi, prodit, se
nescire, qui Romanis vocarentur *Fœneratores.* Immo ipsi Patres, ipsi nobiles, ipsi divites, ipsi boni viri in veteri historia sunt & appellantur *Fœneratores:* non aliquod aliud genus hominum, quorum opera illi pecuniam suam collocarent. Erant quidem argentarii, mensarii, nummularii, penes quos depositas pecunias habebant: quibus & fœnerabantur interdum, & per quos fœnerabantur aliquando: sed hic exiguus erat numerus præ multitudine illorum, qui per se ipsi fœnori darent. Ibidem occurrit cedro di-
„ gnum: Quod Tiberius sciret Senatores pecunia affluere, & eam fœnera-
„ toribus credere, quum pauperibus fœnore oppressis vellet succurrere,
„ jussit δισχιλίας μυριάδας ὑπ' ἀνδρῶν βουλευτῶν ἀτοκεὶ τοῖς δεομένοις ἐς τρία ἔτη
„ ἐνδανεισθῆναι, ut loquitur Dion lib. LVIII. Hæc turpis & magna inscitia est. Tanquam ea pecunia ipsorum senatorum fuerit, & non publica, cui administrandæ senatores illi erant delegati, perinde ut Quinqueviri mensarii apud Livium. Excipiat, quid hac de re Suetonius: *Publice munificentiam bis exhibuit: proposito millies sestertio gratuito in triennii tempus, cum per Sc. sanxisset, ut fœneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem æris alieni statim solverent, nec res expediretur.* Excipiat, quid Tacitus: *donec opem tulit Cæsar, disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis ca-*

diis cavisset. Populo, inquit. ergo ex ærario populi Romani prompta hæc pecunia: non ex arca senatorum.

13. Secundo argumento postulaverat exemplum sibi dari nationis adeo inopis & usurarum impatientis, ut sortem vel creditum accipere sub usuris unciis, quas duodecimas centesimæ menstruas tuemur, grave habuerit. Id „ alio nodo Gordio se firmaturum pollicetur. Fingamus ergo Titium à „ Cajo accepisse quinquaginta sestertios & pro usu promisisse fœnus semunciarium, &c. Nimirum hic homo unicum exemplum certissimam putat esse rationem fundandi ac stabiliendi, quod in universum adfirmavit. „ Quid ergo Titius? si singulis mensibus usuras solvere voluerit, quis tam „ peritus fuerit calculator, qui ad pecuniam Romanam tantillum reducere „ possit? aut quis dixerit exili illi fœnori nummum quoque respondisse? Hic dum peritum calculatorem postulat, fixit imperitiæ suæ notam. Quinquaginta sestertii fuissent illo seculo, de quo nobis pugna est, CXXV libræ æris. Centum libræ fœnus semunciarium annuam efferunt selibram vel sex uncias: viginti quinque dant annuam sescunciam. Jam si quærimus menstruum hujus annui, selibræ sive sex unciarum æris duodecima pars est sine dubio semuncia; uncia duodecim habet dimidiatas sextulas; semuncia duodecim scriptula. Ergo menstruum est semuncia dimidiata sextula scriptulum. En ad pecuniam Romanam tantillum absque ullo negotio & non adito numerorum arenario reductum: en tam exili fœnori pecuniam Romanam respondentem.

„ 14. Sed, inquit, demus respondisse, quis voluerit tantillo pecuniam „ suam collocare, periculum sustinere, simul & tabulas conscribere, aliasque „ molestias devorare? Hoc rogare ἀνεμέσητον ei, qui facile vivit, sive quia in lautum patrimonium successit, sive quia annonis de publico non contemnendis fruitur: nullum enim sentit incommodum, si, ut Græcum est proverbium, κεστρεὺς νηστεύει. At homini, quales tum erant Romani, Parvi beati ruris honoribus, nihil habentes præter paullum supra duodecim millia quingentos æris, (qui quintæ classis, hoc est, maximæ partis, census erat, in argento nostro CCL Philippi) ei hoc adeo spernendum non erat. Puta enim duodecim hac lege debitores aliquem habuisse: menstruus fructus erat septunx semuncia, annuus septem libræ semis. Denique cui licet, mittit obsonatum; tenuiores vivunt sine pulmento. Si lege sic constitutum sit, bonus civis aut abstinebit fœnore aut parebit legi. Non respiciunt leges, quod imperat lucri cupido: sed si tali tempore lucrum petis, & leges metuis, subeas oportet, quod jus compellit. Ibidem male posuit calculos, quum fœnore semunciario quinquaginta florenorum collecto subtilitatem suam in computando monstrare conatur. Tres chalcos sive deutas cum quadrante facit: trientem dicere debuit.

15. Interrogationem istam secundi Achillis eliseram plano & liquido

Livii

Livii teſtimonio, *ſorte ipſa* debitores *obrutos*, ut mirum non ſit grave illis fuiſſe *fœnus* quamvis *unciarium*, vel quicquid ſupra ſortem adjiceretur. Ille & adverſus argumentum meum aliquid molitur & Livii ſenſum perverſa interpretatione corrumpit. Alterum eſt, ſemper ſortis difficiliorem quam fœnoris eſſe ſolutionem. Sit hoc, quandoquidem major ſumma numeranda eſt: ſed annon vel fœnoris vel ſortis ſine fœnore ſolutione gravior eſt & ſortis & fœnoris ſupra ſortem conjuncta ſolutio? Tum quia concedit poſſe ex infima plebe homines uſuras ad aſſem exhibere, qui ne quidem plures poſt annos ſolvere poſſunt ſortem, annon concedit & ſortis nudæ ſolutionem eſſe illis gravem? Quemadmodum igitur negare audet iiſdem grave eſſe, quantillum ſupra ſortem accedit? Quemadmodum fide majus putat, plebem, quæ mille libras acceptas mutuas ægre reddebat, indignatam, quod mille ac decem rependere compelleretur? Nihil igitur hic dixit, niſi quo ſe magis impediret. At Livio mirificas objicit præſtigias: fœnus oportuiſſe ſolvi ante ſortem: itaque populum Romanum fuiſſe ſorte obrutum, poſtquam ſcilicet fœnus ex conſuetudine prius ſolviſſet. Omnia, quæ unquam exſtiterunt in literis, monſtra ſuperabunt, ſi cum hujus explicationibus & conjecturis Adverſaria prodierint. Verba Livii: *Et ſi unciario fœnore facto levata uſura erat, ſorte ipſa obruebantur inopes.* Demus illis ſententiam, „quam ſomniat ὁ φιλοτιμούμενος: Etſi, quum vetitum eſſet plus duodecim „in centum capere, levata uſura erat, tamen quia ſortem non ſolvebant, „priuſquam fœnus ex conſuetudine ſolviſſent, ipſa ſorte obruebantur. Quis tam lippis aut cæcis oculis, ut non videat ineptias hujus ſermonis? Primum qui duodecim in centum pendunt, non levem, ſed gravem uſuram pendunt. Deinde qui centeſimas dant, quum ſint tenuiores & modici patresfamilias, qui ex accepta fœnebri pecunia per lucroſam aliquam negotiationem reficere tantum nequeant, ut & uſuras præſtent & ipſi ſint ſalvi; (quales erant Romani ſolis fere agrorum fructibus adverſus uſuras luctantes) hi profecto non modo ſorte, ſed etiam fœnore contabeſcunt, exhauriuntur, obruuntur. Itaque, *& fœnore & ſorte obruebantur*, dicendum Livio, ſi quidquam inſanæ mentis animum ejus intrare potuiſſet: non *ſorte ipſa*. Hoc enim poſuit ille Græcorum delicias ſecutus, quibus αὐτὸς interdum eſt μόνος; velut, cum dicunt: Αὐτοὶ γὰρ ἡμεῖς ἐσμέν. Ariſtoteles Poet. c. 2. Αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμοῦνται. * Nec aliter Silius:

Ipſa

* Subtilius Scaliger quam verius lib. VI de cau. LL. reprehendit *Ipſe* pro ſolo interpretatos, tanquam id eveniat pro ſtructura orationis, atque vi verborum, ut eo verſu e ſexto divini operis, *Ipſe ratem conto ſubigit.* Quum enim neminem præter Charontem nominaſſet, retuliſſe ad eum in ſingulari, eoque etiam ſolum intellexiſſe. Sed ſi duo aut plures fuiſſent, potuiſſe ſic quoque dicere, *Ipſi ratem conto ſubigunt.* Hoc aliquid videtur valere ad eludendam illius loci explicationem. Sed dubium non

Ttt eſt,

Ipsa quidem virtus sibimet pulcerrima merces.

Cogitandum quum levata fœnore unciario esset usura, id est, quum locupletiores non nisi unum annuum ex centenis percipere possent, iratos eos subito & alieno debitorum tempore exegisse nomina, (quod lege nulla erat vetitum) ut fundis potius mercandis aut apud inquilinos & non cives sociosve Italicos pecuniam suam majore fructu collocarent: ita in angustias adductos debitores, quum nec in arca quidquam nec versura solvendi copia esset, bonis evolutos & sorte intempestive restituenda obrutos. Sic solent auxilio reperta astu & malitia hominum in perniciem vertere: & tale quid etiam Tiberio imperante accidit. Hoc igitur Livium dixisse accipient mentis compotes: Etsi rogatione Duillia perleves & tantum uncias centesimarum sortis partium usuras pendebant, tamen vel solam & sine ullis usuris sortem solvendo, quod statim vel ad brevem nimis diem, antequam tantum, quantum debebant, è fructibus suis aut operis refecissent, solutio instaret, evertebantur bonis, dein addictum corpus præbebant.

16. Attendi quoque jusseram illa verba, *Etsi unciario, tamen sorte*, & apud Tacitum vix semunciario concesso, *vetita mox omnis versura:* neque enim commissuros fuisse, ut inter unciarium & sortem, inter semunciarium & vetitum nihil medii ferrent, si *unciarium* pro centesimis, *semunciarium* „ pro semissibus usuris habuissent. Respondet ille post Curculionem Plauti „ docuisse nos Tacitum, cur hic saltus factus fuerit. At utrobique nihil legimus aliud, quam multas fraudes fœneratorum fuisse ad leges eludendas. Hæccine ratio est, cur commode dictum possit videri: etsi non plus quam duodecim in centenos pendebant, tamen credito ipso mergebantur: an ejus, quod dictum est, verus sensus, (etsi non plus uncia libræ menstrua, una libra annua, solvebant in centenas, tamen vel sola sorte obruebantur) ostendit fœnus unciarium genus usuræ perleve fuisse & parum addens sorti? Hæccine ratio, cur post usuras semisses paulo ante concessas ad omne fœnus vetandum fuerit deventum? an post fœnus ad semuncias redactum, quum illas quoque recusarent debitores, ad vetandum omne processum esse ideo dici apparet, quod fœnus semunciarium à nullo minimum quantum distaret? Præterea Tacitus hæc verba, quæ iste se iterum exhibere scribit, ponit, postquam jam vetitam versuram fuisse narraverat, & loquitur de eo, quod post illam vetitam tamen ad suam usque ætatem factum sit, ut ea non possit accipi proprie fuisse causa vetandi. Non igitur aliud significant ambo, quam, quod ne hoc quidem tam exiguum oneris usurarum plebs ferre posset,

est, quin pronomen hoc eum sensum nonnunquam habeat, & eum a Græcis sint mutuati Latini. Dein est aliquid solitarii, ubi solitarium ille esse negat. Non enim tantum solum, sed & solos dicimus: & duo vel plures soli sunt vel faciunt respectu ceterorum, qui esse ibidem & idem facere possent.

„ ſet, omne prohibitum fuiſſe. Ne quid intentatum relinquat, addit etiam: „ Ne autem fœnerari liceret, Romæ multis annis poſt T. Manlium & C. „ Plautium conſules, effecit L. Genucius tribunus plebis. Qui ſunt iſti multi anni? Quinque omnes: nam CCCCVI fuerunt illi conſules, CCCCXI Genucius tribunus.

17. Poſt tot circuitiones videtur ſe tandem componere ad ſeria. „ Quæret iterum, inquit pag. 25, adverſarius, cur non uſuræ ſextantes, „ quadrantes, aut trientes jure receptæ fuerint? Certe hoc quæſivi: ſi *unciarium fœnus* eſt centeſima, *ſemunciarium* uſuræ ſemiſſes, quare quum hæc gravia eſſent, non dextantes, dodrantes, beſſes, ſeptunces; non quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, aut illas, quas exſpecto, quo nomine ſit appellaturus, qui *uncias* vocari vetat, ſanxerint, & intra tam breve tempus, nulla clade reipublicæ ab externis, ſtatim ab duodecim ad ſex in centenos, à ſenis ad nullas tranſierint? Hic ille, quaſi aliquid dicat: Sed ſi „ *ſemunciarium fœnus* ex illius ſenſu centeſimæ vigeſima quarta pars, one- „ ris ſingularis rationem habuerit, cauſa non eſt, cur de ſextantibus, qua- „ drantibus aut trientibus quæramus? Magnum inverecundiæ ſpecimen! Quaſi hac interrogatione ego convellam ſententiam meam, & perconter, quod me percontari minus deceat, reſpondet mihi, quod verum eſt, quod ſentio, quod ut ab illo extorqueam, hanc quæſtionem poſui. Hæc enim revera cauſa eſt, quare ab unciario ad ſemunciarium, ab ſemunciario ad nullas uſuras fuerit facilis tranſitus, quod iſta minimi eſſent generis, & parum intervalli inter uncias ſemunciaſque uſuras & nullas. * Ille mihi hoc opponit, quaſi jus interrogandi non habuerim, qui hanc ſententiam foveam. At ego, quia hanc ſententiam teneo, quia ille ex ſua ſententia hanc „ quæſtionem ſolvere nequit, ideo interrogaveram. Sed fallor toto cœlo in „ explicando unciario & ſemunciario fœnore, & ille rationem dicet, cur „ lege ſextantes, quadrantes aut trientes uſuræ receptæ non fuerint. nam iſtas, quas reddidit ſine nomine, prudenter omittit, quia fecit Chimæras, entia rationis. Quæ eſt igitur iſta bella ratio, quare cum *ſemunciarium fœnus*, ſive, ut eſt ipſi, ſemiſſes uſuræ, graves eſſent, non ſtatuerint quincunces, trientes, quadrantes, ſextantes, denique Chimæras, entia rationis? „ Locupletiores ex ipſo quoque ſenatorio ordine apud fœneratores levio- „ ribus uſuris pecuniam ſuam collocare ſolebant, quam illi grandioribus „ dein mutuam dabant. Hem! apud fœneratores! Non paſſum facit hic ſtrigoſus quadrupes, quin lapſet cernuus. Immo ipſi fœneratores erant. Menſarios, trapezitas, nummularios dicere volebat. Quod etiam factum, ſed hæc erat minima pars fœnerantium. Ciceroni, Livio, aliis *fœneratores* ſunt ipſi locupletes, qui non per alium, ſed per ſe perque diſpenſatores & pro-

* *Ἐγγίον ἢ μηθὲν διαφέρον τοῦ μηθὲν τὸ μικρόν*, ait Ariſtoteles 5 Pol. 3.

procuratores suos fœnus exercebant: ut *prædiatores*, qui pecuniam suam habebant in prædiis. Itaque frustra hic adhibet Suetonium in Octavio cap. XXXIX. *Notavitque aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati, graviore fœnore collocassent.* Qui hoc fecerant, non nummularii erant, sed ,, equites Romani. Quod ergo, inquit, locupletiores minus quam semisse ,, cum argentariis transigere nollent, passi fuerunt per plebiscitum omni fœ-,, nore interdiceretur. Plus decies hoc perlegi, & tamen subtilitatem percipere non potui. Quid autem illud, *passi fuerunt?* Utrum contigit hoc illis imprudentibus, dum morantur, contantur, sperant argentarios ad conditiones suas perducere; an susque deque habuerunt, & permiserunt fieri, quum si contra niterentur, impedire possent? Si contigit imprudentibus, quæ ipsorum erat culpa, si voluerunt sibi satisfieri ad legem? nam semunciarium tunc legitimum erat, quod usuras semisses noster interpretatur. Et quomodo conspirarunt in eandem pervicaciam omnes tam fœneratores quam nummularii, illi, ne minore semissibus darent, hi ne tanto acciperent, tanquam in Velabro olearii? Cur non missos fecerunt avaros illos argentarios, & ipsi directo quisque per se petentibus mutuum sub justis usuris dederunt? Quis autem fuit acer ille velut è specula insidiator, qui hoc tempore capto, dum isti diffident, utrumque genus ingenti bolo fraudavit? Si vero, *passi sunt*, est, permiserunt fieri, cum possent impedire, quis adeo pertinax, ut malit nullum pecuniæ fructum, quam paullo minus quam sex in centenos lucrari? Qui delectatur exemplis recentibus, consulat rempublicam Batavorum: diu semissibus sicilicis versuram fecit: pace restituta ad trientes pervenit: annon multo maxima pars publico fœnerantium gaudet hodie trientibus, qui soliti erant semisses & sicilicos redigere? Cur autem fœneratores tam fuerunt irati atque inimici sibi ipsi, ut non oculo carerent, quo nummularii ambobus, sed prorsus eodem supplicio seque & illos adficerent? Ubi nunc illi, quos me poscit in rebus, quas naturæ perspicuitas & communis intelligentia docent, auctores? nam nihil horum est, quod cuiquam adfirmanti sine teste credas.

18. At ego duos auctores dabo, qui testatum faciant omnibus hominem gnaviter ineptire. Hi erunt T. Livius & Appianus, ex quibus discimus hanc legem de non fœnerando armis latam, quum post initum Samniticum bellum, qui Capuæ in hibernis erant relicti, conjurassent de illa urbe possidenda, interfectis incolis, & ubi sceleratum consilium prudentia C. Marcii Rutili consulis irritum fuit, metu quæstionis & pœnarum ingenti manu facta Romam armati contenderent. His oppositus M. Valerius Corvus dictator cum justo exercitu, potius, quam civilem sanguinem misceri pateretur, & hanc & alias indignas conditiones accepit. Nondum erant tam viles vitæ civium, quam postea sunt factæ: præterea cum hominibus desperatis congredi res plena periculi: tum castris in Albano positis, clam

clam duce colloquia fieri: amplexus ibi & lacrimæ, ut inter amicos ac necessarios: nec diffiteri culpam, qui secesserant, sed necessitates domesticas & vim fœnoris causari. Corvus igitur jam quoque veritus, ut suis militibus, magnam partem & ipsis ære alieno gravatis, fides constaret, Senatui de omnibus per literas edocto auctor palam fuit novarum tabularum. Et ἡ βουλὴ πεισθεῖσα τὰς μὲν τῶν χρεῶν ἀποκοπὰς ἐψηφίσατο πᾶσι Ῥωμαίοις, τοῖς δὲ τότε ἐχθροῖς καὶ ἄδειαν. Tum & extortum, ne fœnerari liceret. Legat Livii librum septimum extremum, & quod de tertio Appiani superest in excerptis Constantini Porphyrogenetæ: ibi quod ignorat, inveniet, & nullum locupletiorum & nummulariorum, quasi ranarum & murium, pugnæ locum.

,, 19. Locupletiores fœneratoribus pecunias suas credidisse certam usu- ,, ram stipulando patere quoque ait ex Plauti Mostellaria. Excerpat locum: ego, unde pateat, nec memini, nec reperio. Hic novum ei se argu- ,, mentum sistit: Quum locupletiores fœneratoribus pecunias suas, certam ,, usuram stipulando, ut eam fœnerarentur, credere consuerint, quantillum ,, acceperint locupletiores, si jure fœneratores, non nisi duodecimam cen- ,, tesimæ partem, & alias, non nisi vigesimam quartam stipulari potuerint? Aperit hic quoque se ignorasse adhuc, quid essent in historia Romana *fœneratores:* & prorsus habuisse illos pro genere his Lombardis, deliciis suis, simili. His namque solis positam legem XII tabularum ostendit se opinari ,, verbis istis: si jure fœneratores &c. ob hos solos tantum seditionum fuisse. Nunc singulis urbibus sufficit unus: at Romæ scilicet ita fruticavit hæc tabes, tanta illorum multitudo fuit & gratia, ut essent materia discordiæ inter Patres & plebem. *Fœneratores* Romani, ô bone, erant non alii quam creditores, principes, nobiles & optimi quique de plebe. Non tumultum fecit plebs propter pauculos nescio quos nummularios, sed πενία πρὸς πλοῦτον ἐστασίαζε καὶ ταπεινότης πρὸς ἐπιφάνειαν, ut loquitur Dionysius lib. VI, pauperum debitorum adversus nobiles & divites creditores, hoc est, *fœneratores*, erat motus. Pauci erant, qui per argentarios fœnerabantur: pauci nummularii: immo vix ulli illis temporibus, de quibus loquimur, quum nummus non esset argenteus: & si parum acciperent, qui horum ministerio fœnerabantur, sibi habebant imputandum, qui nihil acciperent, nisi contra legem. Sed quod maximum est, & non his tantum, verum & superioribus ejus confutandis sufficit, nunquam hæ leges ætatem tulerunt: sed brevi post tempore, per ipsos egentes divitesque mutua dissimulatione sunt abrogatæ: quod satis ostendunt tam pauci anni inter unciarium fœnus duodecim tabulis jussum & tumultum Manlianum, inter hunc & legem Liciniam Sestiam, hanc & rogationem Duilliam, rursus hanc & Quinqueviros mensarios, hos & fœnus semunciarium, hoc & Genucium plebiscitum, hoc & rogationem Pœteliam, hanc iterum & secessionem in Janiculum: quæ potuit discere & putare non supervacua fuisse in libello meo

„ pag. 16. Continenter post superiora scribit pag. 26: Ut & Manutio, vi-„ ro doctissimo, & mihi testatum faciat. Ebrium dices an insanum, qui sic omnia conturbet. Quid hic loci Manutio? Quæ vellicat, exstant p. 22 mei libelli: quod cum Manutio mihi est, pag. 87.

„ 20. Peccavi scilicet, quia censui unciarium & semunciarium fœnus Ro-„ mæ grande onus fuisse. Non hoc dixi in universum, sed pro tempore & loco: ei qui nihil habet, quantillum dare, grande onus est. Petebat iste exemplum nationis, quæ adeo fuerit inops & usurarum impatiens, ut debitores gravati sint centesimam partem crediti annuam solvere, seu unum in centenos, & id insigne onus putaverint. Respondi exemplorum plenam esse historiam, & eorum quatuor dedi genera. Primum est earum civita-„ tum, quæ novas tabulas poposcerunt. Ille oggannit, ad calculos & ta-„ bulas meas nihil facere tabulas novas, quas proponere ac promittere so-„ leant, qui eodem, quo Catilina, sint ingenio: & me argumentum petere „ à seditiosis decoctoribus ad illa improbanda, quæ publice fuerint utilia. Fatetur se non intelligere, quid fuerint *novæ tabulæ:* non sunt autem aliud quam ἀποκοπὴ χρεῶν, seu remissio debitorum. Has non modo proponere ac promittere solebant auctores seditionum & tyrannidis adfectatores, non decoctores conjuratione petere; sed palam plebs sæpe petebat à senatu & nobilibus: ut Romæ, quæ secedebat in montem sacrum. Τῶν μὲν δημοτῶν καὶ ἀδυνάτως ἔχειν σκηπτομένων διαλύειν τὰ χρέα, χώρας τε αὐτοῖς κεκωλυμένης ἐν τῷ πολυετεῖ πολέμῳ, καὶ βοσκημάτων διεφθαρμένων καὶ ἀνδραπόδων αὐτομολίαις καὶ καταδρομαῖς σπανισθέντων, τῆς τε κατὰ πόλιν κτήσεως ἐξανηλωμένης τῆς εἰς τὴν στρατείαν δαπάναις· τῶν δὲ δανειστῶν ταύτας μὲν τὰς συμφορὰς ὁμοίας ἅπασι γεγονέναι λεγόντων, καὶ οὐ μόνον τοῖς χρεωφειλέταις· οὐκ ἀνεκτὸν δὲ ἡγουμένων, σφίσι μὴ μόνον, ἃ διὰ τὸν πόλεμον ἀφῃρέθησαν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, ἀλλὰ καὶ ἃ δεομένοις τισὶ τῶν πολιτῶν ἐν εἰρήνῃ συνήλλαξαν, ἀπολωλεκέναι· ἀξιούντων δὲ οὐδὲ τῶν δανειστῶν οὐδὲν μέτριον ὑπομένειν, οὐδὲ τῶν χρεωφειλετῶν οὐδὲν ποιεῖν δίκαιον· ἀλλὰ τῶν μὲν οὐδὲ τοὺς τόκους ἀφιέναι, τῶν δὲ μηδὲ αὐτὰ τὰ συναλλάγματα διαλύειν, inquit Dionysius lib. VI. Hoc est, *quum plebs præ se ferret, se solvendo non esse, incultis per diutinum bellum agris, pecore perdito, mancipiis per transfugia & hostium incursiones amissis, urbanis opibus sumptu in militiam facto exhaustis; fœneratores dicerent, communem illam omnibus, non debitoribus solis, calamitatem incubuisse; nec ferendum, sibi & quæ in bello eripuissent hostes, & quæ in pace cives egeni credita abstulissent, pariter periisse: & neque hi quidquam remitterent, neque illi æquum præstarent: sed fœneratores etiam usuras exigerent, debitores etiam contractus rescindi vellent.* Nullus hic Catilina, nullus Nabis, nullus Perses: sua quemque necessitas urgebat: neque urbem incendere, senatum trucidare cogitabant: sed ἀπαλλαγὴν τῶν χρεῶν & βοήθειάν τινα, qua salvi essent in posterum, petebant. Plutarchus in Solone: Ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων· ἢ γὰρ ἐγεώργουν ἐκείνοις ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες, ἑκτημόριοι προσαγορευόμενοι

ρευόμενοι καὶ θῆτες· ἢ χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν, ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, οἱ μὲν αὐτοῦ δουλεύοντες, οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι. *Omnis enim populus obæratus obnoxiusque divitibus erat: & aut agrum exercebant illis, sextas frugum partes dominis pendentes, unde & ἑκτημόριοι colonique dicebantur: aut quod fœnore accepto etiam corpora obligassent, addicti erant, & alii creditoribus serviebant, alii peregre venum ierant.* Nec negat Plutarchus σεισάχθειαν Solonis ipsas fuisse tabulas novas vel χρεῶν ἀποκοπήν. Constituit enim τὰ μὲν ὑπάρχοντα τῶν χρεῶν ἀνεῖναι, πρὸς δὲ τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν· *ut reliqua debitorum remitterentur, & ne corpora obligata pro credito posthac forent.* Immo ipse Plutarchus sic fere interpretatur in libro de gerend. republ. Ἐπεὶ γὰρ ὁ Σόλων ἐν νῷ λαβὼν τὰ ὀφλήματα κουφίσαι, καὶ τὴν σεισάχθειαν (τοῦτο δὲ ἦν ὑποκόρισμα χρεῶν ἀποκοπῆς) εἰσενεγκεῖν. De Lycurgo mox patebit in fine num. 22.

21. Ælianus lib. XIV ποικιλ. cap. XXIV. Χρημάτων καταφρόνησιν καὶ μεγαλοφροσύνην ἐπεδείξαντο, ὁρῶντες ἐν πενίᾳ τοὺς πολίτας ὄντας, πλουτοῦντες αὐτοὶ, ἐν μὲν Κορίνθῳ Θεοκλῆς καὶ Θρασωνίδης, ἐν δὲ Μυτιλήνῃ Πράξις. Καὶ οὖν καὶ ἄλλοις συνεβούλευον ἐπικουφίσαι τῆς πενίας τὴν ἀνάγκην τοῖς ἀπορουμένοις. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἔπειθον, ἀλλ' αὐτοί γε τὰ ἑαυτῶν ἀφῆκαν χρέα· καὶ ὤναντο οὐκ εἰς ἀργύριον, ἀλλ' εἰς αὐτὴν τὴν ψυχήν. Οἱ γὰρ μὴ ἀφεθέντες, ἐπιθέμενοι τοῖς δανείσασι, περιβαλόμενοι τῆς ὀργῆς τῶν ὅπλων τὴν εὐλογωτάτην χρείαν καὶ ἄμαχον τὴν ἐκ τῶν ἐπειγόντων ἀνάγκην, ἀπέκτειναν τοὺς δανειστάς. *Pecuniam despexerunt animumque magnum declararunt, quum ipsi in amplis opibus versarentur, cives suos extrema penuria laborare cernerent, Corinthi Theocles & Thrasonides, Mytilenis Praxis. Iidem aliis, ut paupertatis onere indigentes levarent, auctores fuere: quibus quum minime persuaderent, ipsi fœnus suis debitoribus remiserunt, eaque re non quidem pecuniam, sed vitam lucrifecerunt. Etenim quibus debita non condonabantur, prætexentes armorum iræ plenam rationis inopiam & indomitam omnium necessariorum indigentiam, impetu in eos facto fœneratores occiderunt.* Ita enim postrema videntur scribenda: ubi vulgo, τὰ ὅπλα καὶ εὐλογωτάτην χρείαν τὴν ἄμαχον. Videt novas tabulas à totis propemodum civitatibus postulatas: videt cives, triplo aut decuplo majorem partem, qui cætera salvam rempublicam & libertatem vellent, modo ipsis in ea salvis & liberis vivere liceret, nullo Catilina, nullo regni captatore instigante, à paucis, qui fœnore aliam turbam merserant, nobilibus divitibusque, quod vi & numero parare in promptu erat, petisse atque orasse, ut ære alieno liberarentur, & grave duxisse, non modo unum aut dimidiatum nummum in centenos, sed de centenis acceptis ullum reddere: & quum repugnarent creditores, Romanos secessisse; Athenienses tumultum fecisse, donec illis satisfieret; Corinthios & Mytilenæos interfecisse, quos non erant læsuri, si preces admissæ forent, ut pepercerunt illis, qui admiserant.

22. Agin Eudamidæ filium numquid dicet Catilinæ similem fuisse? regem

gem

gem Sparta & Lycurgo dignissimum, verumque heroa, quamvis infelicem. Rem cognoscat. Epitadeus ephorus, odio filii, quem sine justa causa exhæredare gestiebat, rhetram tulit, ἐξεῖναι τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ κλῆρον, ᾧ τις ἐθέλοι, καὶ ζῶντα δοῦναι καὶ καταλιπεῖν διατιθέμενον. *ut jus esset cuique bona sua & sortem, cuicumque vellet, donandi inter vivos ac testamento relinquendi.* Confestim exorti, qui variis modis extenderent latifundia, & infirmiores, atque etiam propinquos, possessionibus exsuerent: brevique omnia transiere ad paucos divitiis quærendis invigilantes, ut vix superessent ἑκατὸν οἱ γῆν κεκτημένοι καὶ κλῆρον· ὁ δ' ἄλλος ὄχλος ἄπορος καὶ ἄτιμος ἐν τῇ πόλει παρεκάθητο, τοὺς μὲν ἔξωθεν πολέμους ἀργῶς καὶ ἀπροθύμως ἀμυνόμενος, ἀεὶ δέ τινα καιρὸν ἐπιτηρῶν μεταβολῆς καὶ μεταστάσεως τῶν παρόντων· id est, *centum, qui agrum & sortem haberent; cætera turba inops & abjecta desidebat in urbe, belli hostem segniter atque ignave propellens, domi autem semper captans opportunitatem mutationis & rerum novarum.* Tum Agis sanxit, χρεῶν μὲν ἀφεθῆναι τοὺς ὀφείλοντας, τὴν δὲ γῆν ἀναδασθῆναι, &c. *ut obæratis æs alienum remitteretur, ager divideretur* &c. Atque ipse ut exemplo esset cæteris, τὴν αὐτοῦ πρῶτον οὐσίαν, πολλὴν μὲν οὖσαν ἐν τοῖς γεωργουμένοις καὶ νεμομένοις ἄνευ δὲ τούτων ἑξακόσια τάλαντα νομίσματος ἔχουσαν, *primus suas opes, magnas in arvis & pascuis, & super hæc nummi sexcenta talenta*, id est, CCCLX millia Philippum, in commune distribuenda tradidit. Τὰ τῶν χρεωστῶν γραμματεῖα, *debitorum chirographa*, quæ κλάρια vocabant, in forum congesta & combusta. Quam μεγαλοψυχίαν νεανίσκου ita demiratus est populus, ut solum dignum Sparta regem trecentis annis exstitisse fama ferret. Hæc si valuissent, neque à pessimis hominibus turbata essent, non novum ac nefarium exemplum introductum fuisset Lacedæmone, regem innocentissimum & Heraclidam, reginasque paris nobilitatis ac virtutis carnifici subjiciendi: non Cleomenes habuisset causam internecandi & tollendi ephoros, deinde imitatus & ipse Agin, cujus ex inimico nascebatur, & ausus καὶ τὴν αὐτοῦ γῆν ἅπασαν πᾶσιν εἰς μέσον τιθέναι, καὶ χρεῶν τοὺς ὀφείλοντας ἀπαλλάττειν, *& suos fundos in medio ponere, ac credita remittere suis debitoribus:* denique Sparta recepisset disciplinam Lycurgi, qua septingentos per annos floruerat, nec fuisset locus tyrannis. Ipsum immo Lycurgum χρεῶν ἀποκοπὰς εἰσηγήσασθαι testis Plutarchus in Laconicis Apopht.

23. Easdem Megarensium angustias ostendit inventum ipsis verbum ἡ Παλιντοκία. quippe δόγμα θέμενοι τοὺς τόκους ἀνεπράττοντο παρὰ τῶν δανειστῶν, οὓς δεδωκότες ἐτύγχανον, παλιντοκίαν τὸ γινόμενον προσαγορεύοντες, ut testatur Plutarchus in Quæstionibus Græcis: *facto plebiscito a fæneratoribus, quas illis persolverant, usuras repetiverunt, & hanc παλιντοκίαν appellarunt.* De Heracleotis Justinus lib. XVI. *Quum plebs etiam novas tabulas & divisionem agrorum divites impotenter flagitaret.* Inde scholæ declamatorum de novis tabulis loquuntur interdum, tanquam de re, ut sæpe fuit, legibus introducta. Quintilianus declam. CCCXXXVI. *Pactus cum fratre majore, ut agrum communem pater-*

paternum ille susciperet & omni æri alieno satisfaceret, tabularum novarum lege lata partem agri petit. Et in eadem: *Sive istud liberalitate creditorum factum est, sive (ut manifestum est) publica necessitate, non solvisti.* Curius Fortunatianus artis rhetor. lib. I. *Repetebat ab amico suo pecuniam cum usuris, quasi creditam. Ille offerebat sine usuris, tanquam depositam. Inter moras judicii lex relata est de novis tabulis.* Quid cum in recidivo a Chaldæorum captivitate populo quiritarentur: *Nos liberos nostros vendidimus & addiximus, nos agros & vineas & ædes fiduciavimus & cessimus, ut victus suppeteret: nos ad tributum regi solvendum versuram facimus fundis & vineis oppositis: jamque fratribus nostris, idem genus & sanguis, liberos nostros, consanguineos illorum liberis, & possessiones nostras mancipavimus, nec est, unde redimamus:* an non & Nehemias Præfectus magni regis tum novas tabulas promulgavit? *Ego*, inquit, *& homines mei, perinde ac vos* (τοὺς ἐντίμους καὶ τοὺς ἄρχοντας, optimates & magistratus alloquitur) *mutuas pecunias & species multis dedimus: levemus omnes hoc onere: reddite hodie agros & vineas & oliveta & domos obæratis, & centesimam argenti, frumenti, vini, olei, quam exigere soletis, remittite.* Assenserunt & gravi exsecratione sese, ni sic facerent, obstrinxerunt.

24. Nugatur igitur strenue, quum me ait ab seditiosis decoctoribus petere argumentum ad improbanda quæ publice essent utilia. Nihil ego publice utile improbo: sed exemplis civitatum, in quibus multo maxima pars populi novas tabulas poposcit, demonstro, fuisse nationes adeo inopes & usurarum impatientes, ut insigne onus putarent, vel centesimam sortis partem annuam usurarum loco solvere, quod iste negaverat. Non erant novæ tabulæ signum reipublicæ bene compositæ: & hanc occasionem sæpe aucupati sunt homines populares ac tyrannidi insidiantes, si bonorum cessaret æquitas: sed non propterea desinunt esse argumentum, fuisse populos, qui graves paterentur vel duodecimam centesimæ menstruam usuram pro ære credito ex pacto exigentes: quippe quæ ostendant hos populos eo devenisse inopiæ, ut ne ipsam quidem sortem possent reddere. Cicero reprehendit novas tabulas? Et quis non reprehendat, si potest alia ratione concordiæ consuli & æs alienum tolli? Quid factum sit, non quid utilius factu fuerit, hac parte quæritur.

25. Dixi secundo, hanc interrogationem adversarii confutari numero „illarum civitatum, quæ besse aut quadrante deciderunt. Ad hoc ille: Quid „ad rem? earum rectores, quantum oneris pro pecuniæ usu civibus suis „imponi posset, prudenter attenderunt: Romæ idem factum jam dixi. Putavit nimirum *besse* aut *quadrante decidere*, esse, legem ferre, ut usuræ non sint justæ, nisi quadrantes aut besses: ut quum Romæ ex unciario semunciarium fœnus factum est, (quod ille contendit esse à centesimis ad semisses redactum:) & hanc prudentiam laudat magistratuum æstimantium, quid pro usu pecuniæ civibus imponendum sit. Sed discat, *decidere besse*, Latine

 dici,

dici, ita cum creditore transigere, ut sine ullis usuris, ne sorte quidem integra, pro tota summa crediti recipiat duas ejus tertias: ut pro centenis nummis, quos debitori numeraras, si liberes illum renumeratis senis & sexagenis & besse unius nummi: discat *decidere quadrante*, esse, non reddere ultra quartam partem crediti, ut pro centum nummis vicenos quinos. Sic apud Martialem:

Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse deûm.

Idem alibi:

Solvere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum: brevis est occasio lucri:
Si fuerit cæcus, nil tibi solvet Hylas.

Jam videamus, an aliquid ad rem attulerim. Ille negabat inveniri posse populum adeo inopem, ut ei *usuræ unciæ*, hoc est, unus in centenos annuus, graves essent. Ego contra inveniri populos dixi, apud quos creditores coacti fuerint sortem absque usuris recipere magna parte imminutam. Sic Vellejo Valerius Flaccus consul *auctor legis, qua creditoribus quadrantem solvi jusserat*. Sic Julius decrevit, *ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum* &c. *qua conditione quarta pars fere crediti deperibat*, teste Suetonio. Hi deciderunt igitur dodrante. Festus: *Unciaria lex dici cœpta est, quam L. Sulla & Q. Pompejus Rufus tulerunt, qua sanctum est, ut debitores decimam partem.* Locus in fine laborat: sed facile potest sic restitui: *ut debitores duodecimam partem sortis solvendo liberarentur*. Hi deciderunt uncia. Fallitur enim Matthæus Hostus, qui hanc legem de unciis usuris vel unciario fœnore fuisse existimat. Fallitur alius vir eruditissimus, qui censet ea lege duodecimam debiti partem remissam debitoribus fuisse.

„ 26. Nunc ego justius quæram, quid ad rem quod sequitur, Romæ „ idem jus nullumque discrimen fuisse decoctoris & debitoris, cujus fortu„ nas tristis aliquis casus perdiderat. Equidem scire cupio, qua vi ex tali proposito tale consequens efficiatur: Romæ non distinguebatur creditor utrum fortunæ inclementia an sua culpa decoxisset, ergo recte fœnus un„ ciarium centesimæ adæquatur. Sic enim loquitur, quasi operæ pretium „ faciat: Ne quis existimet, à me præter rationem in republica paupere *un*„ *ciarium fœnus* centesimæ adæquari, cogitet, ibidem prærogativam &c. Hæc igitur cogitatio contendere in nobis atque elaborare potest, ut istum non præter rationem rem omni ratione defectam statuisse, existimemus: „ Hoc est, Centaurus potest generare Chimæram. Et iterum: Quis credat „ rigidos hos justi antistites, audire voluisse illos, qui *fœnoris unciarii*, centesimæ æquivalentis, iniquitatem incusatum veniebant? Profecto maluerunt non audire: sed estne hoc rogare hominis, qui primos unguiculos attigit

tigit historiæ Romanæ? Qui communis concordiæ causa toties concesserunt egenæ aut querenti plebi, qui toties etiam lascivæ & honores ac sacerdotia contra morem majorum petenti, illos non credit audire voluisse accusantes iniquitatem centesimarum usurarum, ne ipsis quidem, qui ceperunt, aut permiserunt, aut etiam ob præsentem reipubl. causam defenderunt, laudatarum. Ablegandus mihi rursus est ad illa, quæ necesse negat fuisse, ut tam prolixe traderentur, ut recordetur quoties non de centesimarum, sed multo inferiorum, sed denique & non semel omnium, quantularumcunque usurarum, iniquitate querentes audierint. Præterea qui audire doluerunt, non doluerunt tanquam rigidi justi antistites, sed displicuit aliis tolli fidem infirmatis pactis conventis, aliis deteriora sibi reddi vectigalia. Denique, ut rigidi hi antistites justi plerumque se passi sint flecti in tali causa, testimonium præbet Sallustius: *Sæpe majores nostri, miseriti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ ejus opitulati sunt: ac novissime, memoria nostra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ,, ære solutum est.* Non minus flagitiosum est, quod subjungitur: Nec un-
,, ciarium fœnus ad semunciarium redactum fuisset, nisi spes fuisset, fœne-
,, ratores, qui mille artes norant illudendi legibus, ultra unciarium progres-
,, suros non fuisse. Deus averruncet talem legislatorem, qui legem fert ea spe fore, ut non nisi altero tanto, quam permissum est, violetur. Quasi diceret legis Fanniæ sumtuariæ centenos vicenosque æris hanc vim habuisse, ut non nisi duceni quadrageni impenderentur. Possuntne hæc homini sano in mentem venire? aut est aliquis tam prodigus suæ existimationis, ut venisse fateatur apud eruditos? quid vocem, qui & pro veris & certis haberi
,, velit? Denique adlinit: Quod vero tum quoque excederent, usura omnis
,, plebiscito est prohibita. Vide quo delabatur indocta pertinacia. Etiam ex suo sensu probabiliorem rationem reddere poterat: nempe unciarium, quod vult esse centesimam, grave fuisse, ideo ventum ad semunciarium, ipsi semisses usuras; has quoque fuisse graves, ideo omne vetitum. Præ hoc maluit comminisci gerras Siculas, quam ullo modo ad verum adpropinquare.

27. Edideram tertio, quantillum supra sortem aliquando intolerandi oneris videri non absurdum esse, quia fœnus omne alicubi vetitum est.
,, Hoc ille sic refert: Sed quid inde tertio noster evicerit, aut cum ratione
,, concludet, quod alicubi fœnoris nomen ignotum fuerit? At ego vetitum dixeram, non ignotum. An potest vetari, quod quid sit, nescitur? Cur ergo non vetuerunt hunc & hujus similes, si quem habet, Decemviri tangere res Romanas? Hæc fraus & malitia est. Non enim ignorabat me respicere ad plebiscitum Genucium, quo non magistratus, jure potestatis, ad coërcendos pauculos nummularios, quod centesimam excederent, cum semisses usuræ permissæ essent, prohibuerunt fœnerari: sed populus extorsit

 magi-

magistratibus ac nobilibus, si clientibus suæ pecuniæ usum concederent, ne quid eo nomine supra creditum acciperent, quod quicquid supra daretur, homines sibi grave judicarent. Quarto opposui posse videri non onerosam centesimam sortis annuam, ubi sors non exit centenos, sed raro in-„ tra illum numerum sisti. Ille nihil aliud ad hoc, quam me garrire & ga-„ neones attendi non debere. Hoc vero garrire est & nihil respondere.

28. De tertio argumento pœne piget verbum facere. Quis enim potest „ argumenti loco habere: Antoninus & Alexander laudantur, quod trien-„ tibus usuris sunt fœnerati: ergo in XII tabulis *fœnus unciarium* est cente-„ sima. Illi merito laudantur, quod centesima esset permissa legibus: non duodecim tabularum, nam his jam ante quingentos annos bis obrogatum erat, tum quum semunciarium fieret, & tum, quum omne tolleretur: sed illis, quæ tum vigebant. Priores, quæ modum fœnoris arctaverant, brevi post lationem omnes fuerant irritæ: & videtur homo Iliensium dolere vi-„ cem, quod egregium civem Hectorem perdiderunt. Cur non optimi Prin-„ cipes, inquit, ut populo gratificarentur, jusserint potius fœneratores atten-„ dere ad duodecim? Rursus loquitur, ut historiæ ignarus, & eorum, quæ manibus tractat, oblitus. Nihil his verbis, quæ objectavit mihi, jussisse fœneratores narrantur: suam pecuniam, è fisco, fœnori dederunt, nec per ne-„ scio quos fœneratores, sed per procuratores suos. Sed quærit, cur non „ attenderint ad XII tabulas? Dixi gratuitorum nullam esse necessitatem: nec qui octo condonat, illaudatum esse, etsi non undecim condonarit, quum „ nihil condonare compellatur. Hæc ait esse ex illis, quæ sciunt qui non-„ dum ære lavantur. An ideo parum vera sunt? an minus valent ad demonstrandam vanitatem interrogationis, quam posuit? Caput illud XII tabularum ante tot secula exoleverat. Vulgo quisque ex pecunia sua reficiebat, quod poterat, dumtaxat usque ad centesimas: ut qui trientibus contentus esset, rem magnam præstare videretur.

„ 29. Corruptissima necessum est fuerint tempora, inquit. Judicio parum politico. Fœnus Romæ trientibus usuris majus permissum, Cæsare trientibus contento, non tam corruptorum temporum illorum nota est, quam libertatis & Principum pudoris, qui fœneratores, hoc est, divites, nobiles, optimos civium, & à quibus plurimum ipsa juvabatur respublica, exemplo quam rigida lege, præsertim quum toties id frustra tentatum viderent, emendare maluerunt. Et tentavit tamen Alexander: *Usuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens*, ut scribit Lampridius. At id quoque parum valuisse docet lex I Cod. Theod. de Usuris, ubi Constantinus: *pro pecunia ultra singulas centesimas creditor veta-„ tur accipere.* Pergit, sed statim offensans: Coërcendis fœneratoribus par „ fuit Tiberius. Quomodo coërcuit? jussit divites duas patrimonii partes in agris habere: & quum nihil sic proficeret, millies sestertium ex ærario „ sine

„ sine usuris in triennium mutuum dedit. Idem Claudius, fidem faciente „ Tacito. Nihil habet pensi quid dicat, dummodo aliquid dicat. Quid enim Claudius? Vetuit jus reddi de illis, qui filiisfamiliarum crediđissent. „ Non videt, quare major difficultas Pio & Severo fuerit, quam Diocletia- „ no & Maximiano &c. quasi id ipsum, quod infamia illi puniunt, sub istis principibus impunitum fuerit. Præterea multa faciendi major difficultas fuit Antonino & Alexandro, quam Tiberio, Diocletiano, Maximiano, quia *Multa dominantem vetat Amor suorum*, ut ait Seneca in Phœnissis.

„ 30. Fœneratores, ait, secundum sequiorem sensum omnes illos habeo, „ qui usuræ modum jure definitum excedunt. Habeat ille, quicquid lubet: sed non habet, quod debet habere, hoc est, notitiam sermonis Latini. „ Quod unciarium, inquit, publice receptum centesimæ æquivaleret. *Unciarium fœnus* verum, duodecima centesimæ partis menstrua, non fuit publice receptum nisi paucis annis quarti seculi: at Antoninus nono, Alexander decimo seculo populi Romani vivebant: quum Lex XII tabularum trunco, non frondibus, umbram efficeret: nec tamen sola, sed vix colebatur.

31. Constitutionem Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodosii adduxi, non quod nescirem usuras contractuum differre ab usuris ex mora: sed quia plerumque ut imperantes agunt cum civibus, ita quisque cum alio: si mitius habentur, & ipsi minus tristes inter se sunt: ubi inclementius, & ipsi, cives an hostes comedant, parvi pendere incipiunt: & exemplum ex publico manat in privatos. Αἱ γὰρ τῶν ὑπερεχόντων ἕξεις διαδόσιμοι ὡς ἐπίπαν τῷ πλήθει γίνονται, ait Constantinus Porphyrogenetus in Novella de militibus. Esse vero durissimam hanc legem quis diffitebitur? Justinianus *pessimi exempli* legem vocat: ubi inter cætera: *nec priscis legibus, quæ duas centesimas eis inferebant:* ut intelligat non omnes *priscas leges* esse XII tabulas. Hic vero spectatu dignum, ut lectoribus suis, quasi stolidis & bardis, sursum vorsum „ os sublinat offuciis. Sed viderit adversarius, inquit, quid prosit digitum „ in hanc legem intendisse. Impp. testantur se *progredi ex prisci juris formulis*: hoc est, juxta duodecim tabulas, ut antea evicimus hoc intelligen- „ dum esse. Sed XII tabulæ non meminerunt *Centesimæ*, verum *fœnoris unciarii:* necessum ergo est, ipse adversarius fateatur, (nisi conscientiæ suæ „ vim facere voluerit) illud, quod in XII tabulis, seu jure prisco, *fœnus unciarium* vocatur, idem per omnia esse quod *centesimam*. Hæc qui legerint sine examine & non revocatis ad considerationem ipsius constitutionis verbis, putabunt duplam illam centesimam directo descendere ex lege XII tabularum: hoc enim nisi sumatur, nulla istius collectionis virtus fuerit. At imperatores præfantur, se hactenus sequi duodecim tabulas, ut quemadmodum illæ *falsam vindiciam ferentes duplione decidere* jubent, sive, ut interpretantur Augusti, *malæ fidei possessorem in duplos fructus conveniri*; sic

ipsi reliquatorem post sententiam, duobus mensibus elapsis, in non solutum binas centesimas pendere jusserint. De qua duplici centesima, ut & de cessantibus satisfacere post duos menses nihil prorsus lex XII tabularum, sed judicatis durissimam conditionem imposuit, cujus jam meminimus, quæque exstat apud Gellium lib. XX cap. I. Et tamen audet homo conscientiam loqui, quam aut nullam habet, aut si quam habet, horret.

32. Nunc tribus velitibus triarii quinque succenturiantur. Sed quum istorum velitum ductor Achilles, nulla re fuerit par heroi sui nominis, nisi quod πόδας ὠκὺς, & tergo non sauciato, sed bene flagellato fugerit, exiguam
,, spem pono in triariis. Isti velites præmissi erant, ut explorarent, quid
,, aceti mihi esset in pectore. Præclaram militiam, quæ proficiscitur, ut exploret acetum! Quid facient triarii? amurcam credo aut muriam tenta-
,, bunt. Primus triarius est locus Dionis, qui testatur scilicet usque ad
,, Actiacum triumphum Romæ δανείσματα fuisse ἐπὶ τῇ δραχμῇ. Non potest os aperire, quin exhalet tetri primordia falsi. Ubi est apud Dionem, *USQUE AD?* τότε δανείσματα ἀγαπητῶς ἐπὶ τῇ δραχμῇ πρότερον ὄντα. An πρότερον est *usque ad?* An quum fœnus esset triente, & uno die fieret bessibus, id tempus non fuit ante principatum Augusti? Bene auguratur me
,, non dicturum, centesimam fuisse ordinariam illis, qui in foro mensas
,, habebant: sed quum præfatur, Non puto adeo impudentem fore adver-
,, sarium, ineptit. Non enim hoc dicere impudentiæ foret, sed stulticiæ: nihil enim ad rem faceret: sed hoc est perpetuum hominis peccatum: qua-
,, lis ipse est, tales alios imaginatur. Dio de illa loquitur, ut legitima & ju-
,, re concessa. Nihil apud Dionem neque de lege neque de jure video: sed ex eo moribus receptam fuisse intelligo, ita ut momentis variaret. Frustra igitur leges, senatusconsulta, plebiscita poscit in eo, quod consuetudine satis se tuetur.

33. Hic illud mirabile & reservatum, ὥσπερ νόμισμα ἀρχαῖον ἐκ θησαυροῦ
,, πόθεν ἀδεσπότου: *Fœnus unciarium*, quod postea usitatius jurisconsultis præ-
,, euntibus *centesima* dici cœpit. p. 36 & p. 42. quod subsequentibus seculis
,, usitatius *centesima* dici cœpit. Non igitur erat *centesima*, quum *fœnus unciarium* vocabatur: & illud vocabulum pro hoc, tanquam antiquario, comparatum est. Atqui persuadere voluit, *fœnus unciarium* dici respectu centesimæ, tanquam assis usurarii. Si nondum natus erat as usurarius, & patres exspectabat jurisconsultos subsequentium seculorum, quomodo potuit ab eo denominari *fœnus unciarium?* Nisi forte genuit, priusquam natus esset. Sin exstiterunt ambo vocabula simul, & alterum pro antiquo spretum est, quid habet dulcius, suavius, blandius *centesima* quam *fœnus unciarium*, ut ex duobus juxta Saturniis, juxta situ marcidis, posterioribus seculis placeret? Utrum vox *Unciarius* habet ἀρχαϊσμὸν, an hæc compositio, *Fœnus unciarium?* Quid autem hæc vox habet olidius & magis fœculen-
tum,

tum, quam *trientarius, quadrantarius, sextantarius?* quid compositio, quam *fœnus trientarium*, quo Lampridius & Capitolinus sunt usi? Sed ego propemodum molestus, qui tantis nugis reprehendendis immoror.

,, 34. Secundus triarius est, quod obvenit Ciceroni oratorum Principi. Expedi me quæso, & cito absolve: pœne flentem concinnas: adeo invitus audio aliquid obvenisse Oratorum principi, quod ei summas molestias exhiberet. Sed non sic abibit: multa etiam falsa, inepta, aliena, me audire oportet, antequam nihil sciam. Quid est igitur? Cum Ciliciæ proconsul esset, ,, Salaminii à Bruti familiaribus pecunias acceperant, per imprudentiam in ,, syngrapha quaternas centesimas promittentes: sed cum Bruti familiares ,, viderent sibi obstare legem Gabiniam, cujus duo erant capita: unum, ne ,, cuiquam in provinciis dare accipereve pecuniam in versuram liceret: alte- ,, rum ne gravior usura per provincias quam centesima foret; confugerunt ,, ad duo Sc. de illa syngrapha facta. Hæsit vero hic Cicero, veritus ne ex ,, Sc. cogeretur jus dicere de quaternis centesimis. Sed postea animadvertit ,, illud Sc. non de quaternis exigendis cavere, sed ne fœneratores sortem ,, ipsam amitterent, quia contra legem Gabiniam dedissent. neve Salaminii ,, mulctarentur, qui contra eandem legem accepissent. Remedio autem fuit ,, alterum Sc. iisdem consulibus, nempe Lentulo Philippoque, conditum, ,, quo statuebatur, ut jus diceretur ex illa syngrapha, qua Salaminii Scaptio ,, debebant, cui singulas solum centesimas promiserant; quamquam hic (quæ ,, erat hominis impudentia) ex altera syngrapha quaternas exigeret. Tantumne est? vix respiravi: sed non semper ego tantum auditor. Pilanus hic sane quam copiosus est, & sarcinis minime recisis, neque ut in castra, sed ut ad mercatum profectus, opulenta præda victori.

35. Quatuor igitur hîc gravia peccata. Primum quum ait Salaminios à Bruti familiaribus accepisse pecuniam, per imprudentiam quaternis centesimis promissis. Quam enim imprudentiam? Scilicet hi soli ignorabant *edictum provinciale* (cujus rationem discimus ex prima Verrin. cap. 46) Luculli, quod omnes boni dumtaxat Prætores & Proconsules illarum partium in suo edicto tralaticium habebant. Ita enim appellandum est, non *Lex Licinia,* ut imprudenter Manutus & Bosius; non lex privata, Asianis imposita, ut Sirmondus ad lib. IV epist. XXIV Sidonii. Adde Salmas. de mo. Usur. c. 3 p. 76 & 127 & cap. 4 p. 137. Legem enim Romæ ferri & populo Romano jubente oportebat. Plutarchus nihil aliud quam ἐκέλευσε. Immo astute Salaminii, ut acciperent nummos, quaternas promiserunt, satis freti per magistratum provincialem non nisi centesimas daturos: quod & pœne evenit. Iterum delirat, cum alterum caput legis Gabiniæ facit, ne cuiquam ,, in provinciis dare accipereve pecuniam in versuram liceret. Ne dicam, sic eum loqui more suo bene barbare: voluit enim: ne cui in provinciis facere versuram aut fœnori dare liceret. Quæ hæc lex mira, prohibens

omne

omne fœnus in provinciis? quis hoc audivit unquam? Immo, ne Romæ cuiquam provincialibus ibi morantibus collocare liceret. Tertius error „ est, quum alterum caput ejusdem legis facit, ne gravior usura per provin- „ cias quam centesima foret. Hujus mihi det auctorem. Non potest autem alium, quod sciam, dare quam nuperum, & hic, opinor, habuit Auson. Popmam, à quo hos carbones pro thesauro suffuratus est. Non ita Antonius Augustinus: *Ut neve in urbe versuram facere* (puta provincialibus) *neve ex syngrapha jus dicere adversus provinciales homines liceret.* Non Leonardus Malaspina: *Ne pecuniam Romæ quis provincialibus daret, neve illi acciperent: sin data fuisset, de ea syngrapha jus ne diceretur.* Nec potest hoc fuisse, si fuit, quod iste edidit, alterum: nam si permittitur centesima, permittitur fœnerari: si prohibetur fœnerari, negantur centesimæ. Verba Ciceronis: *Cum Romæ versuram facere vellent, non poterant, quod lex Gabinia vetabat.* Iterum: *quod ex syngrapha jus dici lex Gabinia vetaret.* Denique: *vetabat autem lex jus dici de ita sumpta pecunia.* Hic solus fundus hujus rei. Tentaverat id ipsum in tribunatu suo C. Cornelius, quod Gabinius perfecit. Asconius Pedianus in orat. pro Cornelio: *Retulerat ad senatum, ut, quoniam exterarum nationum legatis pecunia mutua magna daretur usura, turpiaque & famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret. Cujus relationem repudiavit senatus, & decrevit satisfactum videri eo Sc. quod ante annos aliquot Cn. Domitio C. Cælio Coss. factum erat, cum senatus ante pauculos annos illo Sc. decrevisset, ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret. Cornelius ea re offensus senatui, questus est de ea re in concione, exhauriri provincias usuris: providendum, ut haberent legati, unde in præsentia pecuniam creditoribus darent.* Id igitur tum irritum „ postea effecit hic Gabinius. Quarto impingit, quum ait alterum Sc. fa- „ ctum, quo statuebatur jus dici de illa syngrapha, qua Salaminii Scaptio „ debebant, cui singulas solum centesimas debebant, quamquam hic ex al- „ tera syngrapha quaternas exigeret. Vide qua imprudentia homo contraria loquatur. Præcedenti pagina scripsit, Salaminios per imprudentiam quaternas promisisse: hic tantum singulas. Num quid aliud debebant quam promiserant? Ubi autem apud Ciceronem mentio duarum syngrapharum? aut quis ita sibi patitur obrepi, ut duabus syngraphis, altera centesimas, altera quaternas promittat? Putes inductum verbis Ciceronis lib. VI epist. II. *Salaminios adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent solvere, sed centesimis, ductis à proxima quidem syngrapha, nec perpetuis sed renovatis quotannis.* Sed eundem sensum his verbis comprehendit Cicero epist. I. *Confeceram, ut solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum.* Ergo *centesimis ductis à proxima syngrapha* est *centesimis sexennii ductis.* Lentulus & Philippus consules fuerunt anno urbis DCXCVII. Cicero proconsul anno DCCII Sulpicio & Marcello consulibus. Convenit numerus: ab illis ad hos

ad hos est sexennium. Habent tamen aliquid scabri verba ista, *à proxima quidem syngrapha.* Manutius conjecit, *à prima quidem syngrapha:* ut solent ponere *τὸ primum*, ubi non respiciat alias ejus generis res, sed ejusdem rei partes, locum, tempus: veluti quum Terentius, *in prima fabula*, pro primo actu fabulæ; Cicero *in prima provincia*, quod est in aditu provinciæ. Nec repugno, & suspicor tamen: *à proxima die syngraphæ.* Erat dies definitus in syngrapha, quo fecissent illam contrahentes: erat dies, quo solutum iri stipulati essent creditores, respondissent debitores. *Dies* igitur *proxima syngraphæ* scilicet factæ diei, est dies, qua renumerare pecuniam Salaminii debuissent, & quia non renumeraverant, usuras debere cœpissent. * Sed utcumque hæc se habeant, nihil est causæ, cur duas syngraphas imaginemur, & quidem non ejusdem exempli, quum in altera centesimæ, in altera quaternæ cente-
„ simæ caverentur. Quid autem, Remedio fuit alterum senatusconsultum?
„ nam si jam animadverterat Cicero, prius illud Sc. non de quaternis exigendis cavere, sed ne fœneratores sortem amitterent, non erat, cur ultra hæreret, aut aliud remedium exspectaret.

36. Nunc sententiam loci peragamus. Salaminii Romæ pecunia indigebant. Nemo dabat ob metum legis Gabiniæ. Scaptius tandem & Matinius, freti gratia Bruti, qua se sperabant legem Gabiniam perfringere posse, voluerunt dare quaternis, si solverentur illa lege. Fit Sc. gratia Bruti, ne aut Salaminiis aut qui dedissent, fraudi esset. Pecuniam numerant. Postea venit in mentem fœneratoribus, se hoc Sc. tutos esse, si ultro redderent sortem cum fœnore Salaminii: sed si gravarentur, & vi prætoris vel proconsulis impellendi essent, parum effecturos, quod non modo vetitum esset dare vel accipere provincialibus Romæ, sed & magistratibus, ne ex tali syngrapha jus redderent. Impetrarunt igitur eadem Bruti gratia Sc. aliud, quo hæc syngrapha, quippe ex auctoritate Senatus facta, jubebatur esse eodem jure, eademque vi, qua aliæ syngraphæ, quas per leges in provincia facere cuivis liceret. His ex instituto Luculli non nisi centesimæ ducebantur. Itaque per formulam hujus Sc. integrum erat Ciceroni servare edictum suum, & non morari usuras in syngrapha expressas. Hæc est historia loci, ex qua velim videre, quid homo mentis bene sanæ ad præsentem quæstionem de fœnore unciario colligere possit. At ille cornicum oculos confixit.
„ His præmissis, inquit, attendamus ad sequentia. I. Lege Gabinia licitum
„ fuit per provincias centesimis contrahere. Nempe ut quidvis licet qua-
„ cumque lege, cujus in ea nulla facta est mentio. II. Has senatus in con-
„ tractu Salaminiorum ut justas probavit. Nihil mendacius. Senatus, gra-

* In paginas puras, quæ solent librorum nostrorum sittybis addi, postea conjecit pater: [Videndum an verba illa, *a proxima quidem syngrapha*, sint supposititia, & addita homine ab imperito, qui nesciret quid esset *centesimis ductis.*]

gratia potentis hominis inductus, probavit syngrapham adversus legem Gabiniam, in qua quaternæ centesimæ perscribebantur, ignorans vel dissimulans, quid in ea de usuris cautum esset: tantummodo, ut sors fœneratoribus „ salva esset. III. Cicero de illis ut justis jus dixit. Nempe ex edicto suo, in quod edictum hoc caput ex edicto Luculli transtulerat. Quæ sequuntur, „ summam arguunt imperitiam veteris historiæ. Quæ vero iniquitas fuis- „ set, si Romæ per leges XII tabularum, duodecima solum centesimæ pars „ maxima usura fuisset, & tamen promiscue omnibus, lege quoque lata „ centesimis in provinciis fœnerari licuisset? Tabulis duodecim cavebatur civibus & tradebatur jus Quiritium: hi erant provinciales. Tabularum duodecim hoc caput tunc temporis ne in civibus quidem valebat, quippe quod statim à primo ortu irritum fuerit. Præterea in Græcia & Asia semper majores usuræ viguerunt etiam inter ipsos incolas quam Romæ. Super hæc id ævum erat, quo non sine causa Mithridates culpabat *rapacitatem Proconsulum, sectiones publicanorum, calumnias litium*, ut est apud Pompejum Trogum. Itaque adeo non fuit hæc iniquitas, quicquid Romæ foret, ut contra summa clementia merito prædicetur Luculli & aliorum, non nisi egregiorum, qui intra hunc modum sistere usuras jusserunt. Laudat XII tabulas & laudavit superius. Hæc vero supervacua, nec necessum erat cur inculcaret. Quis enim vituperat? sed profecto reprehensionem merentur, sicubi cruentas centesimas, pro justis sanxerunt. Ita nunc mulus hic Marianus abeat, injusto fasce, quo undique clausus, quasi crupellarius, incedebat, exutus & fugæ paratior, & qui nihil habet, quod ostendat à tergo, nisi quod clurinum pecus.

37. Tertius autem ubi sit, qui sit, quæ arma ventilet, etiamnum quæro; „ tanta est nebula & colluvies inutilium verborum. Quamquam centesima, „ incipit, ut ipse adversarius testatur, Romæ usura maxima & as quasi usu- „ rarius fuerit. Quæ frons ferrea, quod cor plumbeum, si non hujus hominis? Palam pag. 473 in hac quæstione rejeci illud centesimam usuram maximam: monui, ubi quæritur causa, cur assis partibus genera usurarum censeantur, quæ intra centesimam sunt, inutiliter centesimam, ut maximam, considerari: nam jurisconsulti in Digestis, cum sic appellant, aliud volunt omnino, quam viri docti, qui hoc captabant, ut *assem* suum *usurarium* exstruerent. Palam pag. 478 improbavi antiquis inauditum illum *assem usurarium*, monuique id genus loquendi gravium errorum fuisse principium. Et tamen hic me facit testem centesimam usuram fuisse maximam & quasi assem usurarium. Quamquam igitur non mihi, sed isti barbaro Poticio, „ Centesima sit usura maxima Romæ & as usurarius, non semper tamen ar- „ gentarii centesimis suam pecuniam mutuam dare potuerunt tempore Ci- „ ceronis quoque. Hiccine subsedit ille in medio agmine cum vecti Donax, ille Gamma triariorum, quem in me immittit Alpha dialecticorum?

Valde

Valde quidem obſcurus, hic ſi eſt, & qui latere magis quam pugnare velle videatur: cui fallere & effugere ſit opimus triumphus. An potius minatur „ inde, Nuſquam autem legitur, fœnus adeo leve fuiſſe, ut non ſurrexerit „ ultra duodecimam partem. Putabam hoc in quæſtione nobis eſſe: nunc, ut video, argumentum eſt. Sed nec uſquam legitur centeſimas à duodecim tabulis profectas. Niſi tamen ſtabulatur in iſtis, Lego quidem apud Cice- „ ronem: *Fœnus ex triente Idibus factum erat beſſibus*. Sed ſi unus dies fœnus ita mutare potuit, haud dubie nullus ei tum lege modus aut præfinitus fuit aut præfinitus valuit. Fortaſſis autem adhuc ocquiniſcebat & nidamenta congerebat in vepreto; nunc vero ἐπὶ τάφρον ἰὼν, Τρώεσσι φαεινὸς, „ Achilleum clamabit: Quis ſibi vero perſuadeat, Leges XII tabularum hoc „ ſeculo & præcedentibus aliis dormiviſſe? Immo quis ſibi perſuadeat, caput Legis XII tabularum de fœnore, quum ante annos plures trecentis reſolutum ac ſopitum obdormiiſſet, hoc demum ſeculo evigilaſſe aut expergefactum eſſe? Nihil hic homo meminit, niſi ei centies inclametur. Lex de unciario fœnore ſtatim, poſtquam lata erat, obdormivit, & non modo artibus fœnerantium & neceſſitatibus mutuantium, ſed & aliis legibus, veluti de ſemunciario fœnore, de omni uſura in contractibus cavenda, ſopita & „ abolita eſt. Immo hic potius obrepit: Maxime quod parati eſſent quadruplatores. Certe & accuſati & puniti ſunt etiam citra quadruplatores. Livius lib. X. *Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis mulctatis* &c. Lib. VII. *Judicia eo anno triſtia in fœneratores facta, quibus ab ædilibus dies dicta eſſet, traduntur.* Lib. XXXV. *Judicia in fœneratores eo anno multa ſevere ſunt facta accuſantibus privatos ædilibus curulibus.* Plinius lib. XXXIII cap. I. *Flavius vovit ædem Concordiæ, ſi populo reconciliaſſet ordines: & cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex multaticia fœneratoribus condemnatis ædiculam æream fecit in Græcoſtaſi.* Sed quid hoc ad cauſam? Quæſtiones iſtæ non ſunt habitæ ex lege XII tabularum, ſed ex plebiſcito Genucio de non fœnerando: neque illis omnes, qui peccaverant, (nam id fuiſſet infinitum) ſed, ut fit in graſſantibus vitiis, invidioſi quidam & infelices ſunt irretiti. Quid ſi tamen in Equo Trojano „ ſit in extremo: Sed quod unciarium fœnus centeſimæ æquivaleret, qui „ centeſimis fœnerabantur, contra XII tabb. non peccabant. Hoc eſt, quia quod volo, id ita eſſe volo contra omnem rationem & fidem, volo etiam lectorem credere ſe tertium accepiſſe argumentum, etſi dictum nihil ſit. Ita tertius hic triarius, quamvis ſtrepitum fecerit, nullo tamen telo miſſo, tranſiit Orci galea tectus vel ἠέρα ἑσσάμενος, & inviſus incognituſque, tanquam Pſyches miniſterium.

38. Cæterum ut lector pro tam futili loquacitate habeat aliquid ſolidi, recognoſcat verba Appiani lib. I τῶν ἐμφυλίων· Τοῦ δ' αὐτοῦ χρόνου κατὰ τὸ ἄστυ οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν. Οἱ μὲν πράττοντες τὰ χρέα σὺν τόκοις, νόμου τινὸς

παλαιοῦ προαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν· (ἀποστραφῆναι γάρ μοι δοκοῦσιν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, καθάπερ Ἕλληνες, τὸ δανείζειν &c.) ἔθους δὲ χρονίου τοὺς τόκους βεβαιοῦντος, οἱ μὲν κατὰ τὸ ἔθος ᾔτουν· οἱ δὲ οἷον ἐκ πολέμων τε καὶ στάσεων ἀνεβάλλοντο τὰς ἀποδόσεις· εἰσὶ δ' οἳ καὶ τὴν ζημίαν τοὺς δανείσαντας ἐκτίσειν ἠπείλουν. Hoc est, *Eodem tempore* (anno U. C. DCLXIV Cn. Pompejo Strabone L. Porcio Catone Coss.) *& in urbe creditores ac debitores inter se dissidebant. Creditores quidem, qui sub usuris mutuum dedissent, quum veteri quadam lege prævetitum esset fœnerari, aut qui fœnerati essent, mulctam deberent (videntur enim prisci Romani aversati fœnus exemplo Græcorum &c.) hi igitur quum longa consuetudo usuras recepisset & confirmasset, pro more exigebant: debitores vero bella & seditiones proximas causati, solutionem differebant; erant etiam, qui minarentur se mulctam populo à fœneratoribus ex lege petituros.* Locus hic insignis & instituto nostro valde congruens. Illud, οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους, Latinis est inimitabile: nam eadem vox ὁ χρήστης, καὶ ὁ δανειστής, καὶ ὁ χρεωφειλέτης, & utrosque hic complectitur. Cæterum agnoscit Appianus, fœnus lege vetitum fuisse. Agnoscit nihilominus impune diu exercitum & longa consuetudine contra legem succrevisse & convaluisse. Agnoscit neutros decurrisse ad legem duodecim tabularum de unciario fœnore: non creditores, quia haud dubie majus exercuerant fœnus, nec *Unciarium* intelligebant, nisi cum duodecima centesimæ menstrua infertur; non debitores, quod illa jamdudum senio confecta quiesceret aliisque severioribus ea de re rogationibus cessisset. Agnoscit fœneratoribus præsidium fuisse unum, ἔθος χρόνιον τοὺς τόκους βεβαιοῦν, longam consuetudinem usuras adfirmantem. Agnoscit nec debitores omnes omnino recusasse usuras objecto plebiscito Genucio, sed, utpote gnaros id millies contemptum & usu quasi abrogatum, quibus aliquis pudor supererat, moras tantummodo quæsivisse; quosdam improbiores minis egisse, tanquam ex lege vel rogatione Genucia (quæ contraria lege nunquam abrogata erat) mulctam populo petituros à creditoribus, quod fœnerassent. Pergit Appianus: Ὁ δὲ στρατηγὸς Ἀσελλίων, ᾧ ταῦτα προσέκειτο, ἐπεὶ διαλύων αὐτοὺς οὐκ ἔπειθεν, ἐδίδου καθ' ἀλλήλων αὐτοῖς δικαστήρια, τὴν ἐκ τοῦ νόμου καὶ ἔθους ἀπορίαν ἐς τοὺς δικαστὰς περιφέρων. *Prætor autem Asellio, cujus ea jurisdictio erat, quum ad conditiones perducere illos non potuisset, judicia utrisque reddebat, judicibus rem perplexam ob legis & consuetudinis pugnam committens.* Hinc rursus apparet somnus & silentium legis XII tabularum de unciario fœnore, qualecumque illud fuerit: apparet infirmitas plebisciti Genucii, quum Prætor & laborarit, ut deciderent litigantes, & confessus fuerit judicibus dubitationem suam, quod hinc staret lex, inde consuetudo. Quorum neutro fuisset opus, si aut lege XII tabularum defenderentur fœneratores, aut lex de non fœnerando, ullave alia de modo fœnoris ad id locorum valuisset, & exacta severe atque exercita fuisset.

39. Quar-

39. Quartus triarius levis est & valde æstive viaticatus. Usuræ centesi-
„ mæ in Pandecte juris civilis Romani *gravissimæ* nuncupantur & *legitimæ*
„ & *maximæ*. Recte *gravissimæ*: nunquam enim non graves centesimæ fuerunt, etsi Duillium tribunum plebis pro beneficio eas largitum esse censeat noster. Et *legitimæ*: quia quo tempore fragmentorum juris auctores scripserunt vigueruntque, jus de illis reddebatur. Denique *maximæ*, quia majo-
„ res terrestres centesimis leges Cæsarei juris non admittebant. Vocitantur
„ ibidem sæpe *legitima*, quæ ex jure duodecim tabularum descendunt. Quidni? Sed & sæpe, quæ non descendunt: neque enim, opinor, solæ decemvirorum tabulæ legum numerum obtinebant. Veruntamen omnia
„ *legitima* ex aliqua lege: Concedo. Quia non potest alia lex nominari, ea
„ est XII tabularum. Hic indispensato & vano ictu sese effundens corruit, velut vetulus bos, triarius, & cere-comminuit-brum. Quot enim fuerunt leges, quæ nominari non possunt, atque ignorantur? Ex duodecim quidem tabulis hæc lex peti nequit, quia (tanquam intercalarem versum ubique me cogit hoc sibi occinere) quod in XII tabb. cautum erat de fœnore, ante multa secula evanuerat. Legem de fœnore tulit & Cæsar Dictator: περὶ συμβολαίων ejusdem materiæ Tiberius: credibile est etiam prætores, qui rigorem juris legitimi identidem emolliebant, in annuo edicto de fœnore caput habuisse tralaticium & pro temporibus mutatum. Horum aliquid aut constitutionem serioris Imperatoris, neglectam Triboniano, respicere potuerunt jurisconsulti: duodecim tabulas in hac causa non potuerunt.

40. Habet & iste triarius. Sed tantam pronuntiavit mercedem rei, quam præstari non posse confidebat, ut incitaverit laborem nostrum, donec præ-
„ staremus. Pollicetur enim pag. 37. Si poterit legem vel senatusconsultum
„ vel plebiscitum adducere, quo centesima in urbe permissa fuerit, ut ordi-
„ naria usura, manus dabo, & publice errorem confitebor. Det, age, manus, & publice errorem confiteatur: Senatusconsultum præsto est, factum Ser. Sulpicio M. Claudio Marcello consulibus, anno urbis DCCII. De quo sic Cicero lib. V ad Atticum epist. XXI. *Habes meam causam, quæ si Bruto non probatur, nescio, cur illum amemus: sed avunculo ejus certe probabitur: præsertim, QUUM SENATUSCONSULTUM MODO FACTUM SIT, puto, postquam tu es profectus, IN CREDITORUM CAUSA, UT CENTESIMÆ PERPETUO FOENORE DUCEREN-*
„ *TUR*. Nec aliud respexit Brissonius lib. III Antiq. cap. I, quum ait:
„ Puto autem hoc esse Gabinia lege senatusque consultis effectum: quibus
„ hoc comprehensum fuisse Cicero lib. V ad Atticum indicat, ut in credito-
„ rum causa centesimæ perpetuo fœnore ducerentur, vetitumque ex ea syn-
„ grapha jus dici, ex qua majus usura centesima fœnus promissum esset: nec
„ tantum fœneratoribus & supra modum lege constitutum accipientibus,
„ sed & versuram facientibus pœnam constitutam. Ad quod noster sic di-

„ grunnit: Verum ex Cicerone, qui hic ad suffragium vocatur, nihil aliud „ eviceris, quam legem Gabiniam per provincias fœnus ordinasse, & prohi-„ buisse excedere centesimas. Si totam epistolam legisset, aut eam Ascensiano more, quem deridet, interpretari quemquam unquam audivisset, sciret hoc falsum esse, & plus ex Cicerone evinci. Nam lex Gabinia jam lata erat anno V. C. DCXCVII: hoc senatusconsultum factum anno DCCII mense Sextili vel Septembri, postquam Atticus in Epirum erat profectus. Cogitaverat exire urbe circiter Cal. Sextiles: XI. Cal. Octobris non dubitabat in Cilicia Cicero, quin jam movisset: deinde gratulatur ei, postquam pervenisse cognorat, & literis narrat, quid Nonis Octobribus in senatu actum sit. Lex Gabinia vetabat Romæ morantibus provincialibus in fœnus dari, provinciales accipere, & si factum esset, de tali syngrapha jus dici: hoc Sc. constituit, ut creditoribus Romæ cives solverent usuras centesimas sine anatocismis. Subjicit Cicero Luccejum questum per literas, *summum esse periculum, ne culpa senatus, his decretis, res ad novas tabulas perveniret.* Quod non potest referri ad legem Gabiniam, utcumque illa formetur: sed ad hoc Sc. egregie pertinet. Veretur enim Luccejus, ne quia Senatus tantopere faverit creditoribus, multitudo obæratorum nanciscatur magistratum popularem, qui roget novas tabulas: ut triennio post C. Julio Cæsare II. P. Servilio Isaurico Coss. nacta est prætorem M. Cælium Rufum: quas & præcedente anno C. Claudio Marcello L. Cornelio Lentulo Coss. Cæsarem ex Hispania, ubi legatos Pompeji, Petrejum, Afranium, Varronem vicerat, reducem poposcerat. Appianus lib. II civilium: Αἰτοῦσι δ᾽ αὐτοῖς καὶ χρεῶν ἀποκοπὰς διά τε πολέμους καὶ στάσεις καὶ τὴν ἐκ τῶνδε τοῖς πιπρασκομένοις εὐωνίαν, τὰς μὲν ἀποκοπὰς οὐκ ἔδωκε, τιμητὰς δὲ τῶν ὠνίων ἀπέφηνεν &c. *Petentibus autem & novas tabulas propter bella & seditiones & hac secutam possessionum vilitatem, novas quidem tabulas non concessit, sed æstimatores possessionum designavit.* Peccavit tamen Brissonius miscendo, quæ miscere non debebat. Primum nullæ partes hic legis Gabiniæ. Deinde comprehensum fuisse senatusconsulto, ut in creditorum causa centesimæ perpetuo fœnore ducerentur, verum est, & in hoc si-„ stere illum oportuit. Quum subjungit, vetitumque ex ea syngrapha jus di-„ ci, ex qua majus usura centesima fœnus promissum esset, plus dicit, quam ex Cicerone colligimus: & durum esset etiam in futurum, nedum in præteritum. Neque enim intelligimus, Senatusconsultum irritas reddidisse syngraphas, in quibus plus centesimis perscriptum esset: nam fœnus, ut paullo ante ex Appiano docuimus, etsi vetitum lege, invaserat tamen valebatque consuetudine contra legem: sed resecuisse & abolevisse, quicquid supra centesimas esset promissum. Quod autem apud Ciceronem est de jure non reddendo ex syngrapha, id effertur de syngrapha, qua sociis Romæ fœneratum „ esset. Similiter cum scribit Brissonius: nec tantum fœneratoribus & supra „ modum lege constitutum accipientibus, sed & versuram facientibus pœ-

„ nam

„ nam constitutam, errat: nam in lege Gabinia nullus constitutus fœnoris modus: sed pœna & in dantes Romæ fœnori provincialibus & in provinciales accipientes. Senatus autem consulto de centesimis perpetuis ducendis num quæ talis addita fuerit sanctio, ignoramus, quia id siluit Cicero. Hoc igitur Senatusconsultum fuit initium pro legitimis habendi centesimas: sive ipsum illud respexerunt Jurisconsulti, sive caput ejusdem sententiæ additum aut in Prætorum edicta aut in leges Julii Tiberiive, quo caveretur, per æstimationes possessionum Julii aut mutuum gratuitum Tiberii ære alieno sublato, in posterum non excedi centesimas, nisi nautico fœnore.

41. Ἐς Τροίην πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί· tentando M. Tullius Archimedis sepulcrum, civibus quoque ignoratum, reperit: tentando, quod ad Calendas Græcas futurum putabat iste, nos cum Deo benevolente nobile illud eruimus Senatusconsultum, quod centesimas Romæ legitimas fecit, etiam, si quos advertit antehac, non nisi confuse atque in tumultu admonens, eoque monstrantibus non creditum. Nunc illo, dum sponsione, quam ultro tulit, irretitus contatur, fidem perdat an rem, omisso, quod etiam facio libentius, tecum, bone lector, paullisper rationem habere volo, ut cognoscas, quas & alii excellentes homines circa legem Gabiniam & hoc Senatusconsultum frustrationes dederint, & ne, quia forte alibi καλῶς ποιῶν vestigia illorum pressisti, lippos hic oculos cæcis in foveam sequaris. En quid exciderit præcipuo jurisprudentiæ Romanæ interpreti in quarto ad Africanum: „ Videtur, inquit, lex Gabinia curiositatem desiderasse in creditore, dum „ vetuit jus dici de *pecunia sub usuris sumpta per versuram.* id est, ut ea pe„ cunia solverentur usuræ alii debitæ. qua ratione fit, ut usurarum soluta„ rum uni usuræ debeantur alteri. quod jus non patitur, ne inopes usuris „ obruantur. *Versura* igitur fraus est hujus juris, quæ ne fiat, ac proinde, „ ne creditor jus crediti amittat in mutuando, diligentior esse debet. Hic mirificus & multiplex versatur error. *Versura* non est, quod ille opinatus est, sed nihil aliud quam mutuum fœnebre: somnium est legem Gabiniam vetuisse jus dici de pecunia sumpta sub usuris, ut alii creditori usuras debitas illa sorte solvas: nusquam legimus hoc unquam Romæ legibus obnoxium fuisse. Sed & vix est ut uspiam terrarum esse possit: *neque* enim *debet ille, qui dat, quo ille, qui accipit, consumat, quærere*, ut egregie Cicero pro Rabirio. Sed in has fallaces cogitationes conjecit eum lapsus plurimorum, qui non distinguebant inter τὸ *versuram facere* & τὸ *versura solvere*: quum *versura solvere* sit mutuo alicunde accepto solvere debitum, sive illud sortis, sive usurarum, sive factis nominibus, sive ex emptione præsenti, sive ex promisso, sive undecumque sit: *versuram facere* autem argentum accipere fœnori, mutuum sub usuris sumere. Quod satis evicit Salmasius ad Tertullianum de Pallio, & in hujus commentarii defensione, denique cap. VII de M. Usur. Terentii, Ciceronis, Nepotis, Taciti locis. Et addi facile plura pos-

possunt. Pro Fontejo: *Hoc prætore oppressam esse ære alieno Galliam. A quibus versuras tantarum pecuniarum factas dicunt?* Ergo *versuram facere* est *facere æs alienum*, quacumque in re id æs occupes. Pro Flacco: *In ærario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus: duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut versura aut tributo.* Hieronymus epist. XXVII de Paulla: *Liberalitas sola excedebat modum: & usuras tribuens versuram quoque faciebat, ut nulli „stipem rogantium denegaret.* Marianus Victorius: Æs alienum alieno dis„solvebat ære, quod ita creditor non auferatur, sed commutetur potius „vertaturque. Immo quum sat nummorum præ manu non esset, usuris præstitis sumpsit mutuum, quod largiebatur egenis. Plinius lib. III epist. II. *Pecuniam mutuatus ipse gratuitam dedi.* Terentii locum imitatus Lactantius lib. II de Orig. err. cap. IX. *Igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo. Cur in eodem luto hæsitans versura solvis?* Ubi juxta pertinaciter edunt *versuram solvis*, quod Latinum non est.

42. Vide autem, clarorum hominum offensæ quantum noceant, nisi castigentur. Dionysius Petavius, vir multis doctrinis nobilis, probaturus contra Salmasium, *versuram facere* esse aliud quam mutuam pecuniam sumere, & quidem mutuaticia pecunia vetus nomen expungere, Cujacii pronuntiatum accipit quasi certum & indubitatum alicujus veterum oraculum, & ex eo argumentum petit in Mastigophoro secundo, cui respondere ne„glexit Salmasius. Gabinia lex, ait, vetuit *jus dici de pecunia sub usuris sumpta per versuram:* qua lege cautiores sunt facti creditores, ne pecunias „crederent iis, qui ad usuras persolvendas illis uti vellent. Ita Cujacius ad „Africanum tract. IV. An tu *versuram* in illa lege putas esse simpliciter „mutuum vel fœnus? Et quid erit *pecuniam sub usuris sumere per usuram?* „quid absurdius? Certe nihil est absurdius, si constat illis verbis conceptam fuisse legem Gabiniam: quod Cujacius absque vlla veterum auctoritate tradidit, & hic sola Cujacii fide repetivit. Utrum in lege Gabinia vox *versura* posita fuerit, nec ne, ignoramus: si vero posita fuit, haud dubie signifi„cavit simpliciter mutuum vel fœnus. Pergit: Deinde Gabinia lex non „prohibebat usuram, multo minus mutuum, sed eas usuras, quibus ad alias „solvendas sese debitores obstringebant. Immo lex Gabinia prohibebat Romæ fœnori provincialibus dari, provinciales accipere. Tum, Ea lex „centesimas permittebat. Immo ne mentionem quidem habebat centesimarum, quantum de illa scimus: centesimas autem perpetuo fœnore legitimas inter cives Romanos constituit illud Senatusconsultum *Sulpicianum* vel *Claudianum*, sive utroque nomine appellandum est *Sulpicianum Claudianum*, ut dicitur *Lex Licinia Sextia*, *Lex Papia Poppæa*, *Lex Villia Titia*. Adducit verba Ciceronis: *Salaminii cum Romæ versuram facere vellent, non poterant, quod lex Gabinia vetabat.* Addo ego: *quod ex syngrapha jus dici lex Gabinia vetaret.* Tum: *vetabat autem lex jus dici de ita sumpta pecunia.*

Hinc

Hinc colligimus ſententiam & vim legis Gabiniæ fuiſſe, ne provincialibus Romæ verſuram facere, id eſt, mutuum ſub uſuris ſumere, liceret; ſi feciſſent, ne ex tali ſyngrapha jus redderetur: formula vero eadem verborum fuiſſe illam legem, quis pro certo audeat adſeverare?

43. Plinium quoque ſuæ opinionis auctorem dederat Salmaſius, lib. XIX cap. IV. *Pars eorum ad condimenta pertinens fatetur domi verſuram fieri ſolitam, atque non Indicum piper quæſitum, quæque trans maria petimus.* Hæc ſic „explicabat Dalecampius: Ut in verſura mutatur creditor, pecunia vero „ſemper debetur, ita quum oleribus utimur aromatum loco, quod de„lectat, diverſum eſt, voluptas eadem. Obligat ſe, qui aromata magno „comparat: *verſuram facit*, qui eorum loco in cibis adhibet olera vilia. Cur non potius appoſuit Terentianum: *Tum annona cara eſt. quid dicam aliud, neſcio?* Non enim magis aliena dixiſſet, & magis intelligeretur. At „Salmaſius: Ut piper Indicum & condimenta trans mare naſcentia ſibi „compararent gulæ proceres, cogebantur plerumque *verſuram foris facere,* „hoc eſt, pecuniam aliunde mutuari. At homines frugi & ſobrios, qui „condimentis in horto ſuo naſcentibus erant contenti, *domi verſuram fa-* „*cere* dixit eleganter Plinius, quaſi qui domo ſumerent, non ex aliena arca, quo cibos ſuos condirent. Contra Petavius eum locum ſibi prodeſſe cenſet. „Eleganter ille, ait, *verſuram domi facere*, id eſt, ab horto fœnerari ſcribit „eum, qui, ut gulæ, tanquam δανειςῇ ſatisfaciat, non ab alio, quam ab horto „ſuo, mutuum accipit: ita *verſura* proprie eſt creditoris mutatio. Lepide adinvenit alterum creditorem gulam, alterum hortum. Tantos viros in re tam liquida tantopere hallucinatos! Hoc immo vult Plinius. quod pars olerum præſtat vicem condimentorum, eo intelligi, priſcos Romanos ab ſeſe & ex hortis ſuis ſumpſiſſe, quo indigebant; non ab Indis & gentibus tranſmarinis mutuatos. Ad condimenta, quæ præſtat hortus, reſpicit Plautus in Milite a. II ſc. II.

Nam mulier olitori nunquam ſupplicat, ſi qua eſt mala:
Domi habet hortum & condimenta ad mores maleficos.

Comparat hortum & fœneratorem hactenus, quod ab utroque capitur utendum, quod imperat neceſſitas. Illi domeſticum habebant fœneratorem hortum, à quo *verſuram faciebant*, hoc eſt, unde neceſſaria mutuabantur: ut à creditore ſumimus mutuam pecuniam, qua egemus: externum neminem appellabant. Nulla alia in re conferuntur hortus & fœnerator, quam in copia & datione, quodque ab utroque accipiebatur: nulla alia in re priſci Romani, de quibus loquitur, & ὁ δανειζόμενος, quam in indigentia & ſumendo, quodque utrique accipiebant. Idem proverbium eſt apud Senecam lib. V de beneficiis cap. VIII. *Ut concedam aliquem à ſe accipere beneficium; dum dat, & recipit: ut concedam aliquem à ſe accipere beneficium; dum accipit, reddit. Domi, quod ajunt, verſura fit, & velut luſorium nomen ſtatim tranſit.*

Ubi similiter Lipsius Donato se lactandum dedit. Refert Seneca dictum Catonis cap. præcedente: *Quod tibi deest, à te ipse mutuare:* & inde appellat *Catonianum creditorem* epist. CXIX. *A te ipse mutuare*, est, *domi versuram facito.* Diogenes Laert. Æschine: φασὶ δ' αὐτῷ λέγειν Σωκράτη, ἐπειδήπερ ἐπιέζετο ὑπὸ πενίας, παρ' ἑαυτῷ δανείζεσθαι τῶν σιτίων ὑφαιροῦντα. Videtur autem hoc proverbium ortum habuisse in iis, quæ inter maritum & uxorem, vel dominum & peculiosum servum aut ejusdem familiæ personas gerebantur. Tale auctoris Dialogi de corrupta eloquentia: *Quanto autem pulcrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem?* Potuisset eodem sensu dicere, *domi versuram facere.* M. Porcius Cato apud Gellium: *Principio vobis mulier magnam dotem attulit; tum magnam pecuniam recipit, quam in potestatem viri non committit, eam pecuniam viro dat. Postea ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet.* Appulejus Apol. p. 320. *Mater HS. quadragies possidebat. Ex quo sane aliquantam pecuniam, nullis tabulis, sed, ut æquum erat, mera fide acceptam filiis debebat.* Idem p. 333. *Suasi, ut filiis pecuniam suam reposcentibus, de quo jam supra dixi, ut eam pecuniam sine mora redderet in prædiis vili æstimatis.* Pomponius l. IV D. de peculio. *Sed hoc ita verum puto, si debito servum liberare voluit dominus, ut etiamsi nuda voluntate remiserit dominus, quod debuerit, desinat servus debitor esse: si vero nomina ita fecerit dominus, ut quasi debitorem se servo faceret, cum revera debitor non esset; contra puto.* Ulpianus l. 7 ibidem. *Sed & id quod dominus sibi debet, in periculum habebit, si forte in domini rationem impendit.* Idem l. 9. *Sane cum ex cæteris causis ipsum a semet ipso exegisse dicimus, qui negotia vel tutelam gerit: cur non etiam in specie peculiari exegerit, quod exigi debuit? defendendum igitur erit, quasi tum sibi solveret.* Et plura hoc titulo. Plautus Bacchid. sc. Hunc hominem. *ut domo sumeret, nec foris quæreret.* Plutarch. Catone. Ἐδίδου καὶ τῶν οἰκετῶν τοῖς βουλομένοις ἀργύριον. οἱ δὲ ὠνοῦντο παῖδας, εἶτα τούτους ἀσκήσαντες καὶ διδάξαντες ἀναλώμασι τοῦ Κάτωνος μεθ' ἐνιαυτὸν ἀπεδίδοντο.

44. Imbiberat eandem Cujacii opinionem Simeo Bosius in lib. v ad Atticum, quum scriberet *versuram* multo magis quam *usuram* legibus Roma-„ nis vetitam fuisse. Contra sciendum *versuram* non fuisse vetitam, nisi quum usuram, hoc est, eodem tempore: nam quum *versuram* dicimus vetitam, significamus vetitum mutuari sub usuris; quum *usuram*, vetitum pro „ usu mutui stipulari usuras: quæ duo eodem recidunt. Addit *versuram fa-* „ *cere* esse per argentarios solvere. Id vero non est solvere, sed obligari, sed accipere, sive aliquid aliud eo solvere velis, non utique usuras, sed vel sortem vel quodvis debitum ex empto, conducto, stipulato; sive quacumque de causa aliquid expendendum sit, muneribus, voluptatibus, lucro sperato. Deinde non solum ab argentariis, sed à quovis fœneratore, ut Athenienses ab Attico, Cicero à P. Sulla & Julio Cæsare, Ariobarzanes à Cn. Pompejo Ma-

„ gno.

„ gno. Subnectit: Veluti, si, qui centum debebat sortis nomine & quinqua-
„ ginta ex usuris, ut utramque summam dissolveret, totam mutuaretur ab
„ argentario; ita ut quinquaginta illa, quæ priori creditori usurarum nomi-
„ ne debebat, apud secundum creditorem sortis locum obtinerent, eoque
„ parerent usuras: quod ne fieret, lege Gabinia cautum. Sed hoc non est *facere versuram: versura solvere* est. Quod si lege Gabinia interdictum erat, cur re tam recenti Cicero scribit ad Atticum lib. V epist. I. *De Oppio factum est, ut volui, & maxime, quod DCCC aperuisti: quæ quidem ego vel versura facta solvi volo, ne extrema exactio nominum nostrorum exspectetur.* Cur lib. XVI epist. II. *Omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil à me exspectes. quamquam enim reliqua satis apta sunt ad solvendum, tamen fit sæpe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. si quid ejusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. non modo versura, sed etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis.* Et est ille, quem Bosius fingit, unus casus gravis. Quoties autem contingit & in primis locupletibus, ut aliquid solvendum habeant, priusquam ipsi sua reliqua redegerint, aut arcam plenam inveniant? quemadmodum Ciceroni, ut significat loco postremum advocato? Illisne igitur quoque non licebit creditorem mutare? Hoc est com-
„ mercia tollere ex rebus humanis. Tandem censet legem Gabiniam re-
„ spexisse Tacitum, quum dicit: *postremo vetita versura.* Sed comparatis Livii & duobus Appiani locis cum loco Taciti nemo potest dubitare, quin is respexerit plebiscitum Genucium. Eoque festinantius ὁ πάνυ de M. Us.
„ p. 292. Quod ait Tacitus de vetita postremo versura apud Romanos,
„ haud scio an verum sit. Sed mox se corrigit: De vetanda, inquit, versura
„ rogationem tulisse Genucium, nihil est fortasse, quod vetet credi, sed le-
„ gem illam observatam diu fuisse non est credibile. Certe nihil est, quod vetet: & recte non diu observatam, quod toties nobis inculcandum fuit: etsi subinde ex eadem fœneratores ab ædilibus fuerint mulctati. Denique
„ & Fr. Hotomannus hæsit in his salebris. Gabinia de usuris, ait, tulit, ne
„ jus diceretur de iis pecuniis, quæ usura facta essent sumptæ. ne scilicet
„ provinciales homines à Romanis exhaurirentur. nec gravior usura quam
„ centesima exigeretur, sed & præter amissam sortem certe pœnam statuebat. Taceo illud *Usura facta.* potest librariorum mendum esse, ut ipse scripserit *versura:* sed si cavebatur provincialibus, cur vetantur in universum sub usuris pecuniæ sumi? Deinde confundit & hic Legem Gabiniam de fœnore in provinciales Romæ dato; & Senatusconsultum Sulpicianum Claudianum de centesimis perpetuo fœnore ducendis inter cives.

45. Quintus triarius subarroganter sese infert, καὶ μέγα φρονεῖ ἐφ᾽ ἑαυτῷ,
„ tanquam aliquis ex Comœdia Pyrgopolinices: instar omnium vult esse, &
„ solus negotium conficere.

Quid dabit hic tanto dignum promissor hiatu?

,, Lex XII tabularum fœneratorem, qui fœnus unciarium excederet, condemnat quadrupli. Centesimam ultra si quis aliquid eruerit, Theodosius ,, condemnat quadrupli. Ergo centesima est fœnus unciarium. Sed scit ex lege artis hac figura non colligi adfirmata. An igitur sic mavult: Quadrupli fœneratorem condemnant duodecim tabulæ, qui excesserit fœnus unciarium. Quadrupli condemnat Theodosius, qui excesserit centesimam. Ergo centesima est fœnus unciarium. Sed & hoc σόφισμα est: nec nescit, opinor, sic colligi debere: Ergo quidam, qui excessisset usuram legibus permissam, eodem modo puniebatur à Theodosio, quo in duodecim tabulis. Quæ vero sit illa usura legibus permissa, nihil sic definitum est. An denique sic statum ad præliandum componit: Quicumque legem XII tabb. respexit in pœna fœnoris illegitimi, is eandem etiam respexit in fœnore definiendo. At Theodosius respexit legem XII tabularum in pœna fœnoris illegitimi. Ergo & eandem respexit in modo. Sed nullam necessitatem esse prioris ex positis docuit ipse, quum pro regula laudat mea verba pag. 17 & 29. Non enim fœnus crimen est, nisi ubi omne vetitum est, nec unus ejus tantummodo omni tempore modus. Eat nunc & dicat me dialecticis operam non dedisse.

46. Arrodit deinde & conspuit hæc Aëllo disquisitionem meam de occasione & origine translati ad usuras assis ejusque partium: quam me cogit obtrectator contra meum institutum laudare. Nemo enim alioqui minus sibi fidere, nemo sua facere minoris. Sed hæc est, in qua ego incessi omnibus læticiis: quam Deo, ingenii datori, inter prima, quæ in bonis literis utiliter elaboravi, acceptam refero: ob quam illi gratiarum hecatomben cecidi. Infelix palatum, quod ad has delicias obbrutuit, & Hyblæum vel Hymettium mel pro Sardoo aversatur: cæci oculi, οἱ τιθέντες τὸ σκότος φῶς, καὶ τὸ φῶς σκότος· stupidæ & verminantes manus, quæ quocumque moventur, aculeos sentiunt, & vel byssi tactum velut vulnera indolescunt. Sola hæc litem nostram terminat: sola omnium sanorum constringit adsensiones: sola caligines, nebulas, nubes, per quas summi adhuc viri doctoresque nostri, punctum veri quidam, alii lineam, sed passim infuscatam, videre, dissipat, & meridiano sole cuncta convestit. Hæc est, quam nemo omnium, qui ante nos hanc curam occuparunt, nobis imputat: quæ me exoravit, ut priorem Ἀντεξήγησιν chartis & luci darem: neque enim solemus sub nomine nostro proscribere, quod omne aliis debeatur, & in quo nihil sit, quod non primo mihi post literas renatas vel investigatum vel proditum credam: quam legem omnes, qui in studiis nostris aliquid moliuntur, dicere sibi debere semper putavi. Hæc est, ob quam amo hominis, qui mihi certamen hoc indixit, immodestiam: absque qua fuisset, vix retractassem hanc materiam, in qua satis me profecisse, satis spectatum, opinabar, & restare, quod ad ejus emolumentum tantopere pertineret, ignorabam.

47. Nec

47. Nec vero non pepulit hominem aliqua vis veritatis: ſed videntem meliora dolentemque videre abduxit in deteriora perſonæ odium. Hoc eſt, quod confitetur me Grammatica habere præſidia, quæ adeo urebant torrebantque miſerum, ut à pag. 29 mei libelli ad pag. 79 transſiluerit. Quæ ſunt „ igitur illa Grammatica præſidia? Omnia, inquit, ad hæc redigi poſſunt. „ I. Romanos in univerſum omnes à Romulo uſque ſecundum uſurarium „ aſſem illiuſque partes, in menſes ſingulos, uſuras ſtipulari conſueviſſe. „ II. Hanc diſtributionem neutiquam Juriſconſultis eſſe acceptam referen- „ dam: quod ſit non veterum juriſconſultorum inventum, ſed patrumfa- „ milias, ſive qui fœnerabantur ſive qui fœnori accipiebant. III. Eoque „ unciarium fœnus ab ipſis reipublicæ Romanæ primordiis, velut duode- „ cimam centeſimæ uſuræ partem, æſtimari debere. Hic merito miretur lector, quid in his ſit Grammatici? quid eum moverit, ut tantis furiis iret in Grammaticos canonas? quid ita luant boni Grammatici, quod ego ſtatuerim uſuras ſtipulari ſolitos Romanos ſecundum aſſem, aut juriſconſultis negarim, quod ab Romulo uſque fuit, quum nulli eſſent juriſconſulti. Miretur etiam merito, quomodo ex utroque collegerim fœnus unciarium eſſe duodecimam centeſimæ: nunquam enim me deprehendit eo genere collectionis uſum. Utriuſque admirationis cauſam non tollam, ſed augebo, & ei monſtrabo ipſum, ſi quis unquam fuit, Autolycum:

Qui facere adſuerat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, vel de candentibus atra.

48. Dixi ergo *Centeſimam* in ſtipulando pecuniæ reditu adamaſſe privatos imitando reipublicæ morem, quæ certarum rerum, ab ementibus & vendentibus ad uſum aut lucrum, ſolet exigere pretii centeſimas: quemadmodum & vocabulum *Vectigal*, proprium in exactione publica de ſpeciebus, quæ vehuntur, hoc eſt, importantur & exportantur, ad privatos reditus adhibitum eſt. Dixi præterea Romanam pecuniam omnem uſque ad quingenteſimum pœne V. C. annum fuiſſe libras & partes æris gravis: ita, ut centeſima pecuniæ mutuæ datæ revera nihil eſſet aliud quam æris libra, quæ & *as* vocabatur. Itaque qui centeſimam poſceret menſtruam pecuniæ fœneratæ vectigal, ei ſi minus dare vellet, qui cum illo ibat in creditum, non potuiſſe aliter dividere illam centeſimam, quam per libræ æris partes: & neceſſario dicendum habuiſſe, ſe daturum non ipſam centeſimam menſtruam ſeu libram, ſed ejus centeſimæ vel libræ ſive deuncem, ſive dextantem, ſive dodrantem, ſive beſſem, ſive ſeptuncem, ſive ſemiſſem, ſive quincuncem, ſive trientem, ſive quadrantem, ſive ſextantem, ſive unciam æris: inde ſic ſermocinari cœpiſſe: *dabis mihi menſtruas uſuras centeſimas*, hoc eſt, libras ſingulas in centenas: *Dabo tibi menſtruas uſuras non centeſimas, ſed centeſimæ vel libræ deunces, dextantes, dodrantes,* &c. quas voluiſſet. Heſychius. Στήσαϑαι τὸ δανείσαϑαι οὕτως ἔλεγον. ἐπὶ σαθμῷ γὰρ πάλαι ἐδάνειζον, καὶ στάσιμον τὸ

 δεδα-

δεδανεισμένον. Id retentum etiam in pecunia argentea, quia ejus κέρματα vel minutiæ erant ex ære, & nomina partium æris ad easdem æreas minutias transtulerant, etsi longe aliud esset pondus, ut *assem*, *semissem*, *trientem*, *quadrantem*: & in rationibus referundis ipsum denarium partibus æris metiebantur & partiebantur. Ut igitur reliquæ partes æris libræ significant in usuris totam partem centesimæ, quotam singulæ faciunt in libra, ita *unciam* in illis necessario significare duodecimam: quum exemplum nullum possit dari, reperiri, excogitari cujusquam rei, quæ instar assis partes acceperit, ubi non ejusdem duodecimæ rationem haberet *uncia*. Denique evidentiam & naturam rerum clamare, ut homines sic loquerentur, ejus rei causam non fuisse elegantiam aliquam veterum jurisconsultorum, quasi qui omne solidum tanquam assem dispertiri solerent, aut ab illis has formulas promanasse, sed ab ipsis patribusfamilias, (quemadmodum & omnis assis usus divisioque) qui si maxime vellent & in id incumberent, non poterant aliter loqui. Sed & fœnus jam vexavit urbem regnante Servio Tullio; jurisconsultus autem, cujus prima ejus disciplinæ experimenta ipsis veteribus exstitere, nominatur Sex. Papirius, qui aliquantum post reges exactos vixit. Hæc mea est sententia, quam iste sic deformavit, ut ejus nihil simile vero, nihil suum appareat.

49. Nunc illum rogo, quid hic sit Grammatici? aut quæ mihi præsidia tribuat Grammatice magis quam illi aut cuivis Latine scribenti? hoc est, ut utamur & animi sensa, ut quimus, exprimamus ea lingua, qua instituimus. Quid igitur succenset atque irascitur furenter, cui debet, quod hoc sermone potest conviciari? omnis humanitatis janitrici? omnium, quæ homines docti disserunt, rectrici & ordinatrici? An quia, dum fertur ut hibernus torrens, dum præcipitat lutulentus, dum prius effutit, scriptitat, publicat, quam meditatur & cogitat, sæpe leges ejus violat? Hoc est maledicere nutrici & matri, quia fidelium ejus præceptorum immemor fueris. Age iterum, dic mihi bona, id est, non tua, fide, quid in omni hac explicatione atque enodatione Centesimæ & ea minorum usurarum sit Grammaticum? Quid patresfamilias assidui, negotia gerentes, rustici Romani, omnium è Græcia demum allatarum artium rudes atque imperiti, parcimonia & labore quærendi, quibus domus & urbes convalescunt, admoniti fecerint, exsequuti sumus, & quomodo id, quod fecerunt, pronuntiarint, antequam ulla esset illic literis mandata Grammatice, aut nomen ejus nosceretur. Quid potuit igitur peccare, aut suis præsidiis homini obniti, quæ nondum erat nata? Aut edicat mihi, ad quam partem Grammatices hæc pertineant? ad Orthographian? ad Prosodian? ad Etymologian? ad Syntaxin? aut quis Grammatica scribentium hanc sui operis partem putarit? L. Volusius Mæcianus jurisconsultus, medici complures, mensores & rei rusticæ scriptores, Architecturæ magistri, Arithmetici, Priscianus Grammati-

maticus extra Grammaticen & in proprii indicis libro, æris partes enarrarunt, non ab Grammaticis inventas, ſed ex medio vulgi uſu depromptas, & ad ſuam quiſque diſciplinam accommodatas. Romani autem illi, de quibus agimus, non habebant, niſi Grammaticen naturalem: à matre ſic formare voces erant edocti & adſuefacti. Sero admodum homines ingenioſi artem in natura & conſuetudine deprehenderunt, & quod homines, animantia polita, & rationem, ex mente divina delibatam, ſortita, loquebantur, id non eſſe fortuitum, temerarium, inconditum, ut mutorum ſoni, ſed habere ſuam legem, ſuum ordinem, ſuam convenientiam, intellexerunt. Ex multis igitur inter ſe comparatis ſtruxerunt definitiones: quibus nos, barbari nati, utique indigemus, ſi libeat Romano ſermone uti: illi longo tempore non niſi animi & elegantiæ cauſa illas percipiebant. Atque, ut apud Ovidium Cygnus,

non hæc, quam cernis, equinis
Fulva jubis caſſis, nec onus cava parma ſiniſtræ
Auxilio mihi ſunt: decor eſt quæſitus ab iſtis.
Mars quoque ob hoc capere arma ſolet:

Sic illis erat Grammatice. Nos vero, cum ſcribimus aut loquimur, ſi præſidiorum Grammaticorum piget, quid experimur eum ſermonem, quem non adſequimur ſine Grammatica? cur non potius contenti ſumus lingua, quam ante Grammaticen didicimus? Sed ſic ſolent Sophiſtæ: &, ut Baleares victi, pecudum in morem clamore ſublato fugam petiverunt: ſic illis poſtremus hic latratus, quod convellere nequeunt, id eſſe Grammaticum.

„ 50. At etiam poſtulat auctores. Quicunque hæc legent, putabunt me „ diſſimulare, quæ ex bonis ſuis auctoribus attulit. Non hoc, ſed ſcient & horrebunt, ita corruptam & perverſam ſententiam meam, ut nullus unquam „ falſarius ſic graſſatus ſit. Sed perluſtrentur, inquit, omnes chartæ: auctor „ non occurret, vel per indicem citatus. Cujus autem rei petit auctorem? Utrum centeſimam in publicis uſurpari? an commode à publicis vectigalibus ad privatos reditus transferri? Utrum Romanos uſos pro pecunia aſſe librali? an quoties mutuum darent, æs dediſſe? Utrum fuiſſe qui poſcerent uſuram menſtruam centeſimam? an inventos, qui centeſimam integram negarint? Utrum centeſimam illam fuiſſe libram? an qui minus voluerint dare, non potuiſſe aliter ſignificare id minus quam partibus libræ? Utrum id tranſlatum ad argentum, ut *impendere, expenſum ferre, diſpenſator &c?* an non didiciſſe ſic loqui ab jureconſultis? Verba mercatorum, negotiatorum, nautarum, artificum, militiæ propria, ſi in lite aut diſceptatione juris ſint commemoranda, utrum illi accipiunt à juriſconſultis, an juriſconſulti ab illis? Quid reſtat? Prorſus hic homo nec, cui credere debeat, ſcit, nec cui diffidere. Probari petit, quæ ab eductis atque inſtitutis liberaliter audita

modo

modo assensum impetrant: probari petit bis duo esse quatuor, & solem meridie lucere.

„ 51. Grammaticorum juxta assem calculos attendi non debere præcipit. Habet, quod desiderat: nec enim aut Grammaticen aut Grammaticos morati sunt Romani, cum sic inceperunt loqui: quippe cum Romæ nec ars „ nec ulli artis professores invenirentur. Consuetudinem loquendi quoque „ seculo receptam magis considerandam crepat, quam quæ Grammatici suas „ juxta regulas ineptiunt, si non delirant. Hæc quomodo possunt pro adversantibus haberi, quum ex consuetudine loquendi Grammatici suas regulas formarint? & illam consuetudinem alia consuetudine mutatam ex„ ceptionibus tradant? Tum, quasi aliud diceret, Ergo primo observetur, „ quando de verbis explicandis sermo est, primas consuetudinem ferre. Sit ita, quia libet: sed probetur consuetudinem fuisse ullo seculo, ut *fœnus* „ *unciarium* pro centesimis usuris usurparetur. Tria, quæ annumerat se„ quentia, sermonem priscum posterioribus vix intellectum, & sic multa in „ duodecim tabulis, & reprehendendos, qui verba inde obsoleta peterent, non nisi unum sunt: & valent in illis, quæ usus non frequentavit, aut, quomodo aliter efferrentur, invenit: haudquaquam in istis, quæ semper uno modo placuerunt, quo in numero vel prima sunt *as* & *libra* & æris partes. Hic tempus erat distinguendi obsoleta à conservatis: ubi nunc ille distinguendi magister? Nam si hoc perpetuum est, & patet in omnia, cur aliquid hodieque intelligimus in reliquiis, quæ de duodecim tabulis supersunt? cur „ ipse in illis intelligere se autumat *fœnus unciarium?* Componantur hæc, „ inquit, & prisci ævi vocabula atque formulas rigide ad Grammaticos ca„ nones exigendas non esse liquido patebit. Quam belle, Hæc componantur? Cur non potius: Misce, fiat potio?

52. Sed quid rursus hic Grammatici canones homini, tanquam lippi oculi, molesti sunt? Grammatice sane conficitur ex ea ratione loquendi, quam elegantior ætas adamavit: sed annon ipsi Grammatici passim tradunt, quid ab hoc nitore differat priscus squallor? Quid igitur vetat, quod nemo facit? Sunt quædam in omnibus linguis communia omnibus, quibus in populorum usu fuerunt, seculis: sunt alia, in quibus interdum elegantia, interdum fastidium posteriorum à vetustiori more recessit. Qui autem magis hæc distinguunt & differentiam illorum observant quam Grammatici? qui magis confundunt, quam ἀγραμμάτοι?

53. Quod sequitur, lepidum est, & clarum exemplum, ut homines, qui sibi conscii, se in tenebris errare, plurimum tamen videre simulant, ambi„ gua loquendo sibi caveant. Sic enim pergit: patebit simul *fœnus uncia*„ *rium*, ipsis XII tabulis notum, haud æstimandum, ob rationes supra alla„ tas, secundum recentiorem distinctionem fœnoris juxta assis partes. Quid enim hoc aliud est quam concedere ac confiteri, eam interpretationem *fœnoris*

noris unciarii, quam nos facimus, esse veram secundum recentiorum fœnoris discrimina assis partibus significata; negare eam esse veram, si antiqua, quam loquitur, distinctio respiciatur? Quæ est igitur antiqua illa fœnoris distinctio non juxta partes assis, quam sequutæ sunt duodecim tabulæ, & per quam *fœnus unciarium* potest esse centesima? Quando antiqua observari desiit, successit recentior? Si ante tempora Livii & Taciti, ex quibus solis de *fœnore unciario* scimus, cur neuter illorum verbo monuit aliter id acceptum tunc quam olim? si post ea tempora, cur nemo alius? Utrum illa distinctio antiqua erat non juxta assis partes, ut recentior, an juxta easdem aliter consideratas? Si non juxta partes assis, quemadmodum aliquod fœnus potuit vocari *unciarium*? an unquam Romanis *uncia* aliud quid fuit aut significavit quam assis partem? & quidem duodecimam? Si fuit juxta assis partes, sed alio modo, subveniat imbecillitati nostræ & ardori discendi, explicet illum modum: expromat, qua via ad rem tam inopinatam, quæ nemini antehac suboluit, pervenerit. Alia fuisse discrimina appellationum fœnoris antiquis, alia recentioribus, sive ut utraque juxta assis partes, sed dispari modo, sive ut altera juxta partes assis, altera nihil ad assem pertinentibus vocabulis significarentur, & tamen in his esset fœnus *unciarium*, unus iste fuit, qui statueret, omnium mortalium. Hæc auctoribus indigent: hæc probari debent, non quæ ille omnibus perspicua demonstrari postulat. Sed eo ipso, quo cavere sibi voluit, neminem lædit præterquam ipse sese. Ipse in superioribus ex illa, quæ nunc ei est recentior distinctio fœnoris juxta partes assis, (quæ semper unica fuit eritque, nec varietatem recipit, non magis quam numeri, unum, duo, tria, quatuor, &c.) ipse, inquam, ex illa *fœnus unciarium* in superioribus interpretatur. Centesimam (quæ nunquam veteribus dicta est nisi pro fructu menstruo) accipit pro annuo asse usurario, seu simpliciter pro duodecim in centum. Ab hujus assis *uncia* dictum contendit *fœnus unciarium* pro fructu menstruo. Quod si est, inania sunt, quæcunque intonuit de Grammaticis præsidiis, de verbis antiquatis, de consuetudine loquendi. Habet enim & ipse non minus Grammatica præsidia: nihil est in *fœnoris unciarii* nuncupatione obsoletum aut antiquum, nihil abhorrens ab ullius Latinorum ætatis consuetudine: nihil necesse est postea dictam *centesimam*, quod prius *fœnus unciarium:* immo *unciarium fœnus* dici non poterat, nisi & vocaretur *centesima*, cujus tanquam assis usurarii causa hæc dicebatur uncia usuraria. Ita secum luctatur miser, & nulla in parte consistere mavult, quam dediscere errorem centesimæ acceptæ pro annuo.

„ 54. Rursus male Tiresiam agit: Clamabit quidem adversarius, hæc „ non esse consentanea artis suæ Grammaticæ regulis. Falsus est vates: haudquaquam clamabit ille, quod verum non est. Quid enim magis consentaneum Grammaticæ regulis, quam primas ferre in loquendo consuetu-

 dinem,

dinem, ex qua omnis Grammatice descendit, ex qua tanquam ex fonte ducitur, ex qua Grammatici regulas constituerunt, & si quid contra quorundam hominum vel temporum consuetudinem contraria consuetudine invaluit, sub exceptionibus ponunt, & operam dant, ut hujus quoque aliquam rationem inveniant? quis jubet vitare, ne cum Faunis & Aboriginibus loquamur, nisi Grammatici? quis docet, ubi archaismus virtus sit, ubi vitium, nisi Grammatici?

„ 55. Addit: Nec hominum vulgo partes assis, usuras quasi definientes, „ Justiniani quoque ævo, liquido notas fuisse, discat ex ipsius Novella „ xxxiv, ubi Imperator definiens modum usurarum, quas ab agricolis sti- „ pulari liceat, summatim hoc constituit, ut pro annua minutarum frugum „ usura non amplius octava modii parte in singulos modios exigatur; pro „ usura pecuniarum *siliqua in singulos solidos*. Invictum propugnaculum! Justiniani ævo hominum vulgo parum notæ erant assis partes, usuras quasi definientes: Ergo *fœnus unciarium* in xii tabulis est ex illis verbis austeræ ac rancidæ vetustatis, quæ nemo intelligit, & successio temporum mutavit: & si, quid sit illud, nemo intelligit, est centesima. Puerile est & falsissimum, Justiniani ævo partes assis, usurarum genera distinguentes, ignotas fuisse. Cur enim is in Corpus suum irrepere atque insinuare passus est tot superiorum jurisconsultorum loca, ubi *semisses*, *quincunces*, *trientes*, *unciæ usuræ* appellantur? Cur non hæc vocabula, ut passim alia, per Tribonianum mutavit, substitutis, quæ notiora essent? Cur ipse in l. xxvi Cod. de usuris *bessem centesimæ* nominat? Et quod maximum est, hoc ipso, quem arripuit noster, loco quum *siliquam* dicit *in solidos singulos*, an intelligitur quid sit *siliqua*, si nesciatur quid sit *as*? quum *siliqua* sit sexta pars scriptuli, ut *scriptulum* quarta & vicesima pars unciæ, *uncia* duodecima assis. Et loquitur sic Justinianus hic ob nummum aureum, *solidum*, qui tum versabatur plurimus: cujus divisio omnis non aliis fiebat quam assis partibus: & constat quadringentis post Justinianum annis, regnante Alexio Comneno, eandem prorsus solidi partitionem publice notam fuisse. Cur autem ipsos tirones discere voluit hæreditatem plerumque dividi in duodecim partes, quæ assis appellatione continentur? & illarum partium nomina exponit ab uncia usque ad assem? Cur passus est veteres jurisconsultos retinere illa vocabula in omni materia hæreditatum? Nam qui partes assis una in re intelligit, is ignorare non potest, quanta quæque sit in quacumque re, cui applicatur. „ Sed quod hic, (succinit) ut sæpe alias, fallitur adversarius, Imperator alia „ forma uti voluit. Ego sensi, quod Horatius:

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superest? poterit dixisse triens: eu:

Rem

Rem poteris ſervare tuam. redit uncia, quid ſit?
Semis.

At Juſtinianus in certo genere pecuniæ, ſolidis, trientes uſuras expreſſit per *ſiliquas in ſolidum:* ergo falſum eſt, quod Horatius & ego ſcripſimus, nec omnes in togata gente melioribus temporibus ſciverunt, quid eſſent *trientes uſuræ?* Cur mihi non liceat eadem forma concludere: In L. Lecta. refertur cautio, in qua ſcribitur, non *uſuras centeſimas*, ſed, *in dies triginta inque denarios centenos denarios ſingulos dare ſtipulatus eſt:* ergo Paulli tempore vulgus ignorabat, quid eſſent uſuræ centeſimæ.

„ 56. Quid vero hic locum habet, quod de tribubus & menſibus ingerit? *Tribus* dixit Romulus, ut Græci τριττύας, quum in tres partes populum Romanum diviſiſſet. Servius quatuor fecit urbanas, idem nomen retinuit, compluribus etiam in agro Romano adſignavit. Novis deinde partibus accedentibus xxxv ſunt factæ. Sic *decuria & centuria* primo decem aut centum capitum, poſtea & plurium & pauciorum. *Denarius* primo decem libræ æris, poſtea decem ſextantes, tum decem unciæ, denique ſedecim ſemunciæ. Sic *ſeſtertius* olim duas libras ſelibram æris, dein duos aſſes ſemiſſem multo minoris ponderis, tandem quatuor aſſes complectebatur. Hæc vocabula quum corporibus certi numeri imponerentur, ex ipſis numeris formabantur; & quamvis poſtea mutarentur numeri, corporibus, quibus ea dicaverat longa conſuetudo, hæſerunt. Sic *pyxides*, *libri*, *codices*, *papirus*, *congiaria*, ex ſua quæque materia nominari cœpta, in formis & rebus, in quibus nihil iſtius materiæ, uſurpantur. Sic *Phaſiani*, *Aſturcones*, *Deliaci*, *Indus* pro elephanti rectore, *Lucæ boves*, *Phari*, *Mauſolea*, *Africanæ*, *Numidicæ*, *Perſica*, à locis dicebantur: nec minus cum tempore homines, animalia, res, quæ iſta loca nunquam tenuerant. Nihil video, cur Romulus, cujus nepotes quingenteſimo demum poſt mortem illius anno Grammatices odos adflavit, ſuffragante Grammatica *Tribus* finxiſſe dicatur: ut & pleraque iſta in uſu fuerunt ante Romanam Grammaticen: nec ullam unquam tam fatuam vidi Grammaticen, quæ in linguis viventibus & vulgo uſitatis ob hujuſmodi ſimilitudinem ſignificationes vocum propagari & porrigi ultra, quod primo ſignificarant, prohiberet. An ſic *fœnus unciarium* olim fuit idem quod centeſimæ uſuræ, ſeu nummus centeſimus menſtruus; ſerius pro duodecima centeſimarum, ſeu nummo centeſimo annuo cœpit uſitari? Credemus, ſi demonſtraverit, ob quem numerum, locum, materiam centeſimis fuerit id tributum nomen; deinde à centeſimis ad duodecimas centeſimarum tranſierit. Nam hoc ſolum dicere, vox *tribus* primo tertiam, poſtea quintam & triceſimam partem populi Romani comprehendit: ergo ſimile quid accidit in centeſima & fœnore unciario, balare eſt. Centeſima in uſuris ſemper una atque eadem fuit: as cum partibus ſuis ſemper unus idemque: nec unquam centeſima hic aliquid aliud ſignificavit, quam centeſimam ſortis par-

tem menstruam: cujus proinde & uncia est una, nempe duodecima centesimæ partis & ipsa menstrua. At etiam de mensium nominibus cornicatur, quod nec ad rem facit, & per se ineptum est. Pro Januario cur *undecembrem*, pro Februario *duodecembrem* formarent, non magis ratio fuit, quam cur pro Sextili *Sextembrem*, pro Quintili *Quintembrem*, pro Majo *Quartembrem* &c. facerent. Hæc meri arbitrii sunt, & etiam, postquam Januarius annum aperuit, adsequimur causam, cur duodecimus mensis retinuerit nomen, quod acceperat, quum esset decimus. At ubi causa, cur idem fœnus & *Unciarium* & *as usurarius?* Illud etiam quam provide: „ Initio verum erat, quod Ovidius lib. 1 Fastor. dicit:

„ *Tempora digereret cum conditor urbis, in anno*
„ *Constituit menses quinque bis esse suo.*

„ Non multis autem annis post verum quoque fuit:

„ *At Numa nec Ianum nec avitas præterit Umbras.*
„ *Mensibus antiquis addidit ille duos.*

Quasi non utrumque hodieque verum sit, si semel verum fuit.

57. Hic metam flectit, & recurrit ad pag. 27 (hujus edit. 476) mei libelli. „ Negat suum fuisse argumentum, Unciarium fœnus centesimæ respondere, „ quod illud è principiis Salmasii & meis elici posset. Non fuerit: quid ad me? quis dixit fuisse? Ille scripserat suam sententiam non recedere à principiis nostris. Id ut datum est, accepimus, & ex eo repetivimus, nihil cavillati, nec referentes inter argumenta ejus, quæ pro argumentis non vult haberi. Primum autem ridiculum est in ea re, quod dissentiunt hæc inter se principia, & simul stare nequeunt: prius negat Salmasius, affirmavi ego: posterius ponit Salmasius, abdicavi ego: ita laboramus ambo in demoliendo, quod ille tamquam utrique concesso immolitur. Alterum erat meum, usuras Romæ fuisse menstruas, eoque vocabula usurarum omnia menstruum significare: in quo & reprehendi novi argumenti, quod inde fingit, stulticiam, & docui principium illud nihil eum juvare, qui centesimam concinnat annuam. Alterum Salmasii, Centesimam fuisse usurarum maximam & ideo pro asse placuisse in usuris, quod lubricum & falsum esse demonstravi. „ Ad hæc nihil aliud ille, quam sibi non esse tanti, ut his obstrepat. Optandum erat homini, tam sapiens fuisset in omni hac materia, & nec Salmasio nec mihi obstrepuisset.

„ 58. Recoquit de Synecdoche p. 49. Non ego assem unciæ (ut calumniatur adversarius) aut totum parti adæquavi; sed Centesimam, ut assem „ usurarium, sic synecdochice attendi posse scripsi, ut duodena ipsius pars, „ ratione anni, quo solveretur, *Uncia* vocaretur, quæ duodecies soluta juxta duodecim menses, quibus annus constat, quum conficeret duodecies „ centesimam menstruam, simul quoque mense, centesimam sortis partem „ confecisse, eamque *Unciam* & synecdochice & maxime pro usu loquendi, „ vocari

„ vocari potuiſſe, quod centeſima ut as Uſurarius ratione anni, æque duo-
„ decim partibus ſeu unciis quoque menſe debitis conſtaret, atque annus
„ totidem menſibus, aut ut Aſſi cuilibet duodenæ unciæ aſſignari ſolent.
Ohe, jam ſatis eſt. Quis enim patienter audire poteſt tantum verborum, quæ intelligere ſe putet, quum tamen, quid in ſummam audierit, referre neſciat? Synecdochen, ut caput Gorgonis, oſtentat, & laxat mihi campum debacchandi in Rhetoricen & rhetorica præſidia & rhetoricos tibicines cum fulcris, canonibus, regulis, præceptis, ſpiritibus, coloribus, minutiis. Id vero ego non faciam: barbari eſt quamcumque honeſtam artem contemnere, & non omnes ſacras & venerabiles putare. Nec dialecticen ſprevi, ſed per ironiam hominem, ut ſophiſtam & malum dialecticum deriſi.
„ Centeſimam, inquit, ut aſſem uſurarium ſic Synecdochice attendi poſſe
ſcripſi. Hoc eſt, ſi capere ſubtilitatem poſſum, Centeſimam, quæ annui proventus proprie pars eſt duodecima, poſſe, per Synecdochen partis pro toto, accipi de proventu annuo ſeu duodecim centeſimis, ita ut una cen-
„ teſima ſit hujus figuratæ centeſimæ uncia. Et tamen præfatur: Non ego
„ aſſem unciæ, ut calumniatur adverſarius, aut totum parti adæquavi.
Quod fecit, id negat ſe feciſſe, dum repetit, & de hoc admoneri calumniam
„ vocat. Quam pueriliter autem ludit in numeris? pars duodena, duode-
„ cies ſoluta, juxta duodecim menſes, conficit duodecies centeſimam men-
ſtruam. Putes audire: *Omnis clocca cloccabilis in clockerio clockerando cloccans cloccative facit cloccabiliter clockerantes.* Et tamen aliter quoque vitiavit
„ ſententiam: nam, ut conſtaret oratio, ſcribere debuit: quam duodecies
„ ſolutam juxta duodecim menſes, quibus annus conſtat, quum conficeret
„ duodecies centeſimam menſtruam, ſimul quoquo menſe centeſimam ſor-
„ tis partem confeciſſe: Vel, quæ duodecies ſoluta juxta duodecim menſes,
„ quibus annus conſtat, quum conficeret duodecies centeſimam menſtruam,
„ ſimul quoquo menſe centeſimam ſortis partem confecerit. Similiter ineptit in *Centeſimæ* vocabulo, cui tres diverſas ſignificationes una in periodo imponit: prima namque inducitur centeſima as uſurarius, illa maxima, ὀγκώδης, doliaris, gravida, quæ ſuomet ſe aqualiculo duodecies continet, & quotannis toties parit: rurſus eadem, tanquam Empuſa, ſubito puſillum induens ſtatum, ipſa fit partus ſibi, & fœtu menſtruo, quaſi ſecundinas, trahit tertiam centeſimam ſortis partem. Hoc quoque decies legi oportet ut intelligas; utque ubi intellexeris, nihilo ſis ſcitior. Eſtne aliquis tam malevolenti genio natus, tam infelicis indolis, tam perditi conſilii, ut has ſalebras, tricas, περιττολογίας & ἀκανθολογίας, has κινάδας, χειῶν ἀποπίλματα πηρῶν, & ἅπαν ῥύπος, ἔργον ἐπ᾽ ἔργῳ, etiamſi eſſet in illis aliquid veri, accipere malit, quam quæ nos ſupra tam plana, tam facilia, tam manifeſta, edidimus? Jam quid eſt, Synecdochice & maxime pro uſu loquendi? Eſt igitur Synecdoche alia non pro uſu loquendi. Et quid ſi uſus iſte loquendi præ

 ſe fer-

se ferret suas esse partes primas, rhetoricæ cum suis Synecdochis laqueum mandaret? Bellum haberemus, opinor, rhetoricale. Ubi autem usus ille loquendi? Duo sunt auctores omnes, qui faciunt mentionem *fœnoris unciarii:* quid sit, neuter exponit: contra omnem loquendi usum explicat noster: & tamen crepat usum loquendi.

59. Sed nec Synecdoche istic locum habet. Pars, quæ pro toto ponitur eleganter, plerumque pars est maxime conspecta aut unica & singularis in toto: ut quum *autumnus* pro anno, *caput*, vel *anima* pro homine enuntiatur. At hæc Synecdoche prorsus Titiana est. Cecinerat Virgilius inter eos, qui ab inferis rediissent: *quid Thesea? magnum Quid memorem Alciden?* Et rursus: *sedet, æternumque sedebit Infelix Theseus.* Robertus Titius, qui reperisset alicubi, Thesea, quum ab Hercule abduceretur, mulctatum parte natium, quæ rupi, cui insederat, adglutinata hæsit, per Synecdochen censuit propter istam partem regem Atheniensium dici æternum sedere, quasi *πυγὴν* tanquam sui vicariam & loci custodem ibi reliquisset, eaque foret, quæ clamaret: *Discite justitiam.* Non commodius pars duodecima, nulla re notabilis aut potior illustriorve cæteris, tantumque duodecima, communi mille rebus vocabulo, pro toto corpore valeret. Ut si quis cum homine cavillatore ac sophista mero cavillari gaudens *Lumbum* eum aut *Anum dialectici* honoris causa salutaret. quod tamen melius procederet: potest enim fieri, ut bonus ille κεραλινῶν, ὀπίδων, πειόνων, κροκοδειλιτῶν, & similium gryphorum genitor glorietur etiam esse proletarius columbulus Dioneus; aut totus fœteat ac nihil nisi purgamenta egerat: & sic vel laboriosissimæ vel olentissimæ partis accessio videatur. Deinde *Centesima* non potest habere rationem hujusmodi totius: quia nihil aliud significat quam quod eo numero exprimitur, videlicet centesimam sortis partem menstruam: ea vero partes alias non habet, quam habet ille nummus, qui *centesima* vocatur. Ut exempli gratia, si centum floreni, quos vocamus, sunt dati, centesima est florenus: si centum Philippi, Philippus est centesima: si centum denarii, denarius: si centum æris libræ, libra. Quod si igitur *centesima* valet pro duodecim centesimis, etiam florenus poterit dici pro duodecim florenis, Philippus pro duodecim Philippis, denarius pro duodecim denariis, libra pro duodecim libris. Hoc vero si absurdum & inconveniens, & illud. Ergo & duodecima illius centesimæ pars, potest illa quidem vocari *uncia:* sed ea *uncia* nequit esse centesima ipsa, puta Florenus, Philippus, denarius, libra: verum pars ejus erit, quæ dicitur, nempe duodecima: in quibus si annum exspectamus, non fient duodecim centesimæ, Philippi, denarii, libræ: sed horum duodecim unciæ, in-
„ tegra centesima, integer Florenus, Philippus, denarius, solida libra. Quo-
„ modo autem centesima pars per Synecdochen etiam vocatur *uncia?* Nam si centesima usura est totum, cujus duodecima pars est centesima pars sortis, citra ullam synecdochen, citra ullam figuram aut tropum, vocabitur ea centesima

tesima pars sortis *usuræ centesimæ uncia.* Deinde toties hoc quoque monui, ut repetere pigeat: hæc duo vocabula, *Centesima usura*, vel *centesimæ usuræ*, non conjunguntur, ut *sexagesima messis* apud Martialem: nam si hoc fit, *usura centesima* erit, quæ post nonaginta novem pensiones solvitur, centesima pensio: sed *centesima usura* per compendium sermonis est centesima pars sortis usura menstrua, Synecdoches istius nec in se nec in uncia sua capax. Nec potest hic haberi ratio anni, quia nihil annuum exprimit centesima, sed solum menstruum. Nec vero absurdissimis commentis colorem dat Quintilianus, quum docet Synecdochen repertam, *ut ex uno plures intelligamus.* Qui *plures* isti *ex uno?* nempe quos subjectum exemplum commonstrat, si scilicet dicatur cum Livio *Romanus prælio victor*, pro *Romani prælio victores.* Idem scribit Scholiastes Theocriti ad illud Idyllio VII:

Οὕνεκά οἱ γλυκὺ Μοῖσα διὰ στόματος χέε νέκταρ.

Συνεκδοχικῶς ἀπὸ μιᾶς τὰς πάσας δηλοῖ. Musa nempe *ἀντὶ τοῦ Musæ.* Quid hoc ad propositum? aut quem locum habet, ubi vocantur *unciæ usuræ?* jam hic plures nominantur: quemadmodum igitur ex uno intelligimus plures? Talem Synecdochen agnosco in verbis Justiniani L. XXVI C. de Usuris: *minime licere ultra tertiam partem centesimæ usurarum nomine stipulari*: &, *usque ad centesimam stipulari.* Intelligimus enim tot tertias partes centesimæ, totque centesimas, quot centenos nummos habet sors. Sic qui promittit *unciam centesimæ*, promittit tot uncias menstruas centesimi nummi, eoque tot nummos annuos, quot centeni nummi sortis numerabantur. Eam vero synecdochen non posse efficere, ut uncia menstrua significet duodecim menstruas uncias, eoque singulos nummos menstruos de centenis, vel puero planum est. Sic etiam quum damus fœneratum centesimis die annua, intelligimus duodecim centesimas nobis esse solvendas: in quo si fingere licet Synecdochen, *Centesima* non desinit esse quod est, aut fit aliquid amplius, quam centesima pars sortis menstrua. Neque enim hæc figura mutat naturam rerum, nec reddit unum plures, ut id unum, quasi solidum constans ex pluribus istis, in eosdem plures tanquam partes possit dividi: ut quod ex die annua intelligimus duodecim centesimas menstruas, ex eo non efficitur, ut *Centesima* sit duodecim centesimæ, & alia *Centesima* fit Centesimæ uncia. Pone enim diem semestrem: ex eadem die semestri centesimas intelligo sex solvendas: nec tamen ideo centesima erit totum, cujus partes sint sex centesimæ. Pone diem bimam: intelligimus viginti quatuor: numquid eo & habuerunt assem usurarium centesimam, cujus fœnus unciarium essent duæ centesimæ menstruæ? Quot asses usurarios, quot centesimas, instar chamæleontis versicolores, nobis expatrabit hæc Synecdoche? Quum Martialis canit: *quam totam redimit denarius alter:* & Juvenalis, *sextarius alter Ducitur*; ex uno intelligimus duos: non tamen alter denarius mutat suam naturam & fit duo: non alter sextarius ita grandescit, ut duos sextarios capiat.

„ 60. Sed,

„ 60. Sed, inquit, perierit mihi analogia? non tamen de gradu dejici possum. Primum hoc est insulsi hominis dicere, nisi rationem exhibeat alicujus *ἀνωμαλίας*, quæ analogiam impediat. Deinde prorsus ab hoc loco alienum est analogiæ meminisse. Ubi disputabatur de vocabulo *fœnoris unciarii* aut *unciarum usurarum*, injeci pervincere analogiam, quum omnes aliæ partes assis in usuris id genus significent, quæ tantum absunt à centesima, quantum eæ partes absunt ab asse, etiam *fœnus unciarium* vel *uncias usuras* esse, quæ tantum distent ab centesima, quantum ab asse differt uncia. Hic vero quid centesima sit, quærebatur.

61. Ut nihil in hoc negotio inter nos convenit, etiam dissentimus in loco Plinii lib. x. ep. LXII. *Pecuniæ publicæ, Domine, prudentia tua & ministerio nostro & jam exactæ sunt & exiguntur: quæ vereor, ne otiosæ jaceant. nam & prædiorum comparandorum aut nulla aut rarissima occasio est, nec inveniuntur, qui velint debere, reipublicæ præsertim, duodenis assibus, quanti à privatis mutuantur.* Quod hic mecum litigandum constituit, in quatuor articulos discerpit. Proposueram hunc locum, tanquam unicum ex omni Romana antiquitate, in quo ab annuo appellantur usuræ. Superbum id ho- „ mini arrogantissimo visum, & me jubet adjicere: quantum mihi liquet. Frustra docet modestiam, cujus ipse non unciam habet. Nec arroganter ego, sed, ut res est, iterum clamo, nihil simile in tota vetustate reperiri. Sed hujusmodi adfirmationes plerumque reprehendunt homines ob imperfecta studia timidi, & in illis, quæ rebus revincere deberent, fiunt magistri „ morum. Hic tertius articulus deartuatus. Primo, quod dixeram, *Etsi* „ *vulgatum retineamus*, id arripit, & doctæ atque ingeniosæ Salmasii cor- „ rectioni me parum tribuere, largirique vulgatum posse retineri, exsultat. Sed quod addidi, nihil illud vulgatum Centesimæ unciariæ profuturum, quum ipse velit idem vocabulum dici & de menstruo & de annuo, duodeni asses de solo dicantur annuo; ad id quod pensitari juberet, & quidem exacte, quod numero notaret, nihil habuit.

„ 62. Secundo tamen imprudens ego præ Salmasio, qui à vulgato pericu- „ lum suæ sententiæ timebat. Non solebat ille facile periculum sententiis suis timere. Sed frustra metuit, si metuit. Quid enim sententiæ veræ, quæ *Centesimam* facit duodecim in centum annuos, ex eo, quod unoquoque mense centesimam partem sortis redigat, & *fœnus unciarium* unum in centum annuum, quod menstruam unciam Centesimæ mereatur, tot rebus rationibusque confirmatæ, nocere potest, quod alicubi legitur *collocare duodenis assibus*. Fatui est ita argumentari: Plinius dicit *collocare duodenis assibus*: ergo usuræ unciæ sunt centesimæ. Ut benignissime scriptum tractemus, & quam fieri potest, tolerabilem ex eo sententiam ducamus, *asses* illic accipiendum est pro nomismatiis æreis, nominatis ut solemus supponere exemplum unius cujusque rei & destinare certum genus pro omnibus promiscue in eo genere.

genere. Sic *pecuniam collocare assibus duodenis*, nempe in centenos asses annuis, foret collocare centesimis. Libuerit hoc sic dixisse Plinio: quid est in ea formula, quod vetet *Centesimas* esse, quod revera sunt, nempe partes sortis centesimas nomine usurarum menstruas datas? quid quod *fœnus unciarium* non patiatur esse, quo uncia centesimæ menstrua, & sic una integra centesima annua, seu nummus in centenos penditur? Nihil prorsus: nobis enim nunc consideratur as cum partibus suis, non ut νομισμάτιον, sed ut finitor ac divisor. Salmasius, qui sciebat illud loquendi genus esse ἰδιωτικὸν hujus aut proximorum βαρβαρεζόντων seculorum, nec ulli unquam Romano, nedum Plinio, tam culto tamque limato, excidisse, quasi sub istis *duodenis assibus* subaudiens τὸ *usuris*, (ut *centesimis*, *trientibus*, *bessibus*, quoties in hac „re sic sola ponuntur, τὸ *usuris* intellectum volunt.) Ea lectione, ajebat „p. 269 de Mod. Us. si vera esset, *asses usuræ* deberent esse, quæ duodeci-„mam centesimæ partem postulant, hoc est, singulas in centum uncias an-„nuas: sic unciarium fœnus idem esset cum assario, uncia cum asse, & pars „denique cum toto. Quæ verba non significant, si admittantur verba Plinii, *fœnus unciarium* fore duodecim in centum, quod vult Quadrigarius Veritatum, sed *asses usuras* fore unum in centum aut unciarium fœnus, hoc est, non singulas in centum uncias annuas, ut præcipitat ὁ πάνυ, sed centesimam sortis partem annuam, singulas in centum uncias centesimæ menstruas. Hic iterum in meam invidiam addit Salmasio titulum, quem ille nunquam adfectavit. Euathlus iste alios sibi similes quærit. Aut extundere mihi quædam vult ἐνδόμυχα. sed non magis dignus erit mihi, cui ista revelem, quam Salmasius, quum hunc quoque allatrasset, dignum habuit, cui responderet.

63. Quartus Plinianus articulus est luculentus instar triarii sagmarii, & „cum cura vexandus. Proba ergo, inquit Criticorum Omega, Plinii lectio „est, juxta quam quisquis debet *duodenis assibus*, simul centesimis usuris de-„bet. Sed centesima, D. Salmasio teste, mensura reliquarum & as quasi „usurarius erat: eoque qui debet duodenis assibus, usuram tantam debet, „habita ratione anni. Posuit antea *Etenim*, ubi Latina oratio id repudiat: nunc ponit *Sed*, ubi debebat *Etenim*. Non mirum est inimicum esse Grammaticæ, qui nescit τὸ *Sed* adversativam esse conjunctionem, non ratiocinativam. Qui debet usuram, inquit, *duodenis assibus*, is debet centesimis. Quare? quia centesima est as usurarius: ergo qui debet duodenis assibus, debet centesimis. Itane, centesimis? non persuades, ὦ πέπον, sed centesimis duodenis: nam as usurarius tibi est centesima ipsa: qui debet igitur assibus usurariis duodenis, is debet centesimis duodenis: & quia una centesima, habita ratione anni (loquor tua lingua) complectitur duodecim centesimas sortis partes, debet centesimas sortis partes centum & viginti. Perhonestum fœnus & contemptore pecuniæ dignum, in centum nummos sortem, centum

& viginti nummi fœnus. Hoc si cuiquam approbare fœnus potest, ei quoque persuadebit fœnus unciarium nunquam egenti plebi Romanæ potuisse onus esse, nec quemquam velle tam levibus usuris pecuniam collocare. Centesimam esse mensuram aliarum usurarum, quomodo accipi debeat, priore commentario monui, & ibidem assem illum usurarium reddidi confossiorem soricina nenia.

64. Sed erat exemplum statuendum, ne posthac negaretur fingi casus, „quos mos aut rerum natura existere non patitur. Finge, ait, Sejum cum „Alfio in annum contraxisse usuris centesimis, & uniuscujusque mensis „Calendis repræsentasse usuras. Potueritne dicere V. C. Kal. Martii, *Ac-* „*cipe assem usurarium*, & iterum Kal. Aprilis, *accipe assem* &c. Non potuit ὠγαθέ. Bos Cn. Domitii quid fecerit, ignoro: sed Sejus non potuit, quia, quid monstri esset as usurarius, nemo Romanus nec scivit unquam nec co- „gitavit. Ille aliam comminiscitur rationem: Sic enim jam duplicasset centesimas. Profecto & hoc ego putabam: neque aliud priora illius verba so- „nabant. Sequitur, si *As* proprie intelligendus fuisset. Hoc igitur & ipsum antea explicuisse oportebat, esse alium *assem* proprium, alium improprium, & proprium usurarium annuum, improprium menstruum. Atqui ex superioribus imbiberam, ut centesimam, ita assem maxime proprium esse, qui menstruus est, illum, qui annuus, Synecdochicum. An potius *duodenos asses* Plinianos voluit esse proprios; illum usurarium, qui nusquam est, nec fuit, Synecdochicum? Erro; immo Plinianos voluit improprios, nam mox scribit Plinium *asses* posuisse pro unciis. O nugarum Chaos, in quo semper obstat aliis aliud, &

Frigida depugnant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Etiam numero dixi hoc: exspectare debueram, donec in eundem cinnum „conjecissem, quod proximum est: Sed si acceperit V.C. centum denarios, „ut quoque mense debuerit solvere singulos denarios, simul assis hujus an- „nui singulas uncias quoque mense solvendo fidem suam liberaverit. Hic vaticinari poterat me clamaturum, assem illum annuum esse Chimæram, esse contra rationem & usum loquendi antiquis probatum, nullo veterum exemplo. Plinii exemplaria non habent; *qui velint debere, reipublicæ præsertim, asse annuo*, sed *duodenis assibus*. At illi Plinius (ut omnia turbentur, nec unciæ tantum pro assibus illudant) *asses* pro unciis dixit. Ne tam magnifice de Plinio sentiat: ille infelix nondum didicerat ab aliquo βαλανηφάγῳ esse assem usurarium annuum, qui duodecim censeretur assibus: esse centesimam παχεῖαν credo & Ægineticam, quæ duodecim intumesceret centesimis: nondum didicerat *asses usuras*, superbas nimirum & insolentes, ita esse in ordinem coactas, ut ad fœnus unciarium depressæ jaceant; contra fœnus unciarium, olim humile & capite obstipo, ita super Ossam, Pelion & Olympum

pum elevari, ut centesimis æquale gradiatur. Plinius centesimas usuras putavit, quum centesima pars sortis menstrua penderetur: & easdem dictas *usuras asses*, quod centesima & as, eo tempore, quo inventum hoc loquendi genus, una eademque res erat: *unciarium* autem *fœnus* & *uncias usuras*, quum duodecima pars centesimæ menstrua solveretur: quemadmodum *trientarium fœnus* & *trientes usuræ* sunt, quum tertia pars centesimæ vel unius nummi menstrua datur; *sextantarium fœnus* & *sextantes usuræ*, quum sexta pars unius centesimæ vel nummi quotmensibus datur.

65. Sed non contineo me longius, quin aliquid etiam minus exspectatum & τῷ φιλολημμάτου modulo majus, sed apud exculta ingenia honori mihi futurum, proferam. Prorsus divine Salmasius hic Plinium restituit: nunquam sagacior, etsi sagacissimus passim, in conjectando fuit: nec potest Plinius aliter scripsisse, quam *usuris assibus*. Argumento est, quod τὸ *duodenis assibus* Romana loquendi ratione revincitur ac refutatur, ut vere scribit ὁ πάνυ. deinde si illud *duodenis* removemus tanquam subjectum ab imperitis, nulla vox alia ex omni, quæ nobis restat, lingua Latina ei potest suffici, quam τὸ *usuris*. Superiore certamine nostro, ut dies diem docet, parum mihi liquidæ & explicatæ cum Plinio rationes erant. Quod libri propagarunt, sine Venere; quæ multa in eo, quod excogitavit Salmasius. Videbam unum fere omnes, qui vulgato acquieverunt, dictitare: ut ex centenis assibus quotannis duodeni pro usura inferrentur: quasi in certa specie nummi quævis pecunia signata ostenderetur. Ita Catanæus, Rittershusius, „ Buchnerus. Budæus: *Duodenos asses* appellat plenam centesimam, eo mo„ do loquendi, quo nunc in ea re utimur, *duodecimum denarium* vel *deci*„ *mum quintum* dicentes. Alciatus: Fœnerabant respublicæ civitatum *duo*„ *denis assibus* ut inquit ad Trajanum Plinius: quæ in jure nostro Centesi„ ma usura dicitur, lib. V Parerg. cap. XXVII. Hotomannus: *Duodenos asses* „ intelligit, qui mensibus duodecim colliguntur, nimirum ex usura centesima. Solus ex eodem valetudinario, in quo noster, Matthæus Hostus: „ *Duodenos asses* in annum pro plena centesima usura posuit: est enim cen„ tesima usura velut as: quod ut in mensem uncia, quæ assis duodecima „ pars est, ita in annum duodeni asses nummi, velut integer as, ut à quibus „ compleatur, cedant de centum assibus: fuit itaque hæc centesima usura „ annua, scilicet duodeni asses, ut unus as quolibet mense datus, usura menstrua. Paullo hic cultius: non tamen sine spinis. *Plenam centesimam* dixerat Budæus: id statim arripuit hic tanquam conveniens assi usurario annuo. Sed centesima usura est velut as, non respectu ejus, quod annuum datur, sed ejus quod menstruum: est enim nummus integer in centenos: ut *semisses* usuræ sunt idem nummus in centenos dimidiatus menstruus: *quadrantes* pars quarta vel tres duodecimæ ejusdem. Ergo quia hic nummus menstruus est centesima usura & as, non uncia ejus penditur in menses, quoties cente-

ſimis contractum eſt, ſed ipſe as: ubi autem uncia hujus aſſis penditur menſtrua, non poteſt intelligi centeſima uſura: hæc enim ipſe as eſt & duodecim unciæ. Duodeni autem aſſes nummi cedunt quidem in anno, ubi as datur menſtruus: ſed duodenis aſſibus non poteſt deſcribere centeſimam, qui adſuevit uſurarum quantitatem nunquam definire aut appellare, niſi ex menſtruo, ut adſueverat Plinius. Hæc non ferenda novitas etſi ambigere de recepta lectione jubebat, tamen & ab altera me deterrebat Salmaſii *uſurarum aſſium* interpretatio, quam concoquere non poteram, & meliorem
,, non reperiebam, ut nunc, Deo dante, reperi. *Aſſes uſuras* dictat appella-
,, tas, quia ut Græci ἀπὸ τῆς δραχμῆς ſuas uſuras denominaverunt, qui num-
,, mus apud illos ex argento ſignatus antiquiſſimus, ita Romani ab aſſe &
,, ſuarum appellationes ſumpſerint, quem ex ære percuſſum, & quidem ab
,, antiquo & longe, antequam ex argento ſignatum denarium habuerunt.
,, p. 233. Et rurſus: Nam ut Græci uſuræ nomen ex nomine drachmæ de-
,, ſignarunt, at ſortis appellationem in mina fixerunt, ad quam omnis uſura
,, revocaretur, Latini ſimiliter ab antiquo ab aſſe & ejus partibus uſuræ ap-
,, pellationem expreſſerunt &c. p. 270. Non conveniunt hæc: nam Græci drachmam conſiderarunt ut nummum; Romani aſſem, non ut nummum, ſed ut diviſorem centeſimæ. Præterea Romani, quum invenerunt hoc genus loquendi, nec aſſem nomiſma nec ullum adeo nummum indigenam habuerunt: ære gravi pro nummo aut pretio rerum utebantur. Eadem
,, pag. 270 dicit *aſſes uſuras* dare aſſem in centum annuum, ut τόκος ἐπὶ
,, δραχμῇ Græcis dat drachmam in menſem: & hac re differre Græcos à
,, Romanis, quod illi in hac formula de menſtruis uſuris intelligant, Ro-
,, mani de annuis. Et pag. 231. *Aſſis* nomine Latini centeſimam ſignifica-
,, runt, ſed annuatim ſolvendi, ut Græcis δραχμῆς appellatione idem uſuræ
,, genus intelligitur, ſed menſtruatim præſtandæ. Hæc olim rejecimus, quia palam eſt & Romana vocabula omnia non niſi menſtruum exprimere. Et ſic ſuſpecta mihi erat *uſurarum aſſium* appellatio pro centeſimis: quamvis minores aſſis partibus deſcribi facile ferrem ob exempla paſſim obverſantia. Primus autem quod meminerim, Salmaſius poſt Hermolaum *uſuras aſſes* nominare auſus eſt, rationibus, ut dixi, ſuſpectis. Tentaveram quidem aliam, nempe, quod centeſimæ cum inferioribus collatæ is eſt conſpectus, qui aſſis ad partes ſuas. Sed viciſſim, nec, quæ intra centeſimam ſunt, aſſis partibus deſignarentur, niſi earum foret idem conſpectus ad centeſimam, qui eſt partium aſſis ad aſſem. Et ita fit circulus, nec apparet hactenus, in quibus ſic cœperint loqui. Quærimus autem initium & caput hujus nodi lororum. Iſta ratio totius ad duodecim partes, & uniuscujuſque partis ad ſolidum, potius eſt aliquid neceſſario conſequens applicationem aſſis ad rem partiendam, quam occaſio applicandi: & quia concurrit in omnibus, quæ ſic diſpertimur, non poteſt haberi cauſa, cur unum

unum genus ex omnibus hoc modo tractetur, & perpetua inde nomina nanciscatur.

66. Nunc autem & *usuras asses* dictas & summa cum ratione dictas & in ore vulgi non infrequentiores quam alias fuisse & ab *usuris assibus* fluxisse cæteras certum habeo. Unde igitur *usuræ asses* nomen acceperunt? Verbo dicam, quod adhuc neminem statuisse vidi, sed verissimum est: ex eo, quod *as* & *libra* eadem res erat, quum hæc vocabula sunt inventa, & eodem pondere fuerunt usque ad bellum Punicum secundum, quum ob ærarii inopiam & ultimas reipublicæ necessitates Q. Fabio Maximo Dictatore as ex librali factus est sextantarius. Quemadmodum autem centesimis minores usuræ dictæ sunt *deunces, dextantes, dodrantes, besses, septunces, semisses, quincunces, trientes, quadrantes, sextantes, unciæ, semunciæ*, quia *centesima* & *libra* eadem res erat, nec pecuniam aliam quam libras æris habebant, & si centesimam dividere vellent, non poterant aliis vocabulis uti, quam partium libræ: ita & usuras centesimas dixerunt *usuras asses*, quia qui centesimas usuras promiserat, menstruos dabat asses in centenos asses vel menstruas libras in centenas libras. Una erat differentia inter *assem* & *libram* ex instituto Servii Tullii, quod as signatus habebatur cum partibus suis, ne molestia appendendi moram commerciis faceret; *libra* dicebatur etiam de non signato ære: in cætera pondus idem, eadem materia, eadem partitio assis & libræ fuit: sed invaluit, ut potius dicerent *usuras asses*, quam *usuras libras*, quia in signato & pecunia hujus nuncupationis usus erat. Qui die cæca vendebat, aut mutuum rogabatur, nihil ambigui relinquebat secum contrahenti, sive dixisset: *Faciam nomina*, vel *expendam tibi, quod desideras, ea lege, ut quod serius triginta diebus debitum expunges, des mihi insuper usuras menstruas centesimas:* sive *quotquot triginta diebus, usuras libras singulas in centenas singulas libras:* sive *usuras asses in centenos*. Eadem est in his omnibus ἐπεξήγησις, vel appositio, ut nunc vulgo Literatores vocant. *Usuras centesimas*, usuras, quæ sint centesimæ partes sortis menstruæ: *usuras libras*, usuras, quæ, ne nescias, erunt libræ æris: *usuras asses*, usuras, quæ sint asses in centenos menstrui. Erat autem as libram pondo: & massa libralis non plus non minus capiebat æris quam as: hoc uno discrimine, quod libra dicebatur etiam de rudi & facto, as tantum proprie de signato ære. Hæc vera sunt, adhuc ab omnibus frustra quæsita, *usurarum assium* incunabula: hoc initium usurarum modum asse definiendi: quod non nisi asses forent, quibus ut plurimum ibant in creditum, quibus emebant, vendebant, pretia omnium rerum æstimabant. Id hinc porrexerunt ad minores usurarum numeros, quia asses isti, perinde ut centesimæ, nihil differebant à libris æris, nisi quod signum impressum haberent: & sic commodius aut omnino aliter dividi non poterant, quam partibus libræ. Qui enim audierat, *Dabis usuras asses in centenos*, si bonum nomen erat, si non dubitabat aliunde minoribus accipi, aut quamcumque

aliam spem habebat, *usuras* non *asses*, sed *besses*, *semisses*, *trientes* unius libræ vel assis vel centesimæ menstruas offerebat. Et satis credibile est, prius in summa quam in partibus veteres sic sermocinari cœpisse. Fert enim natura, ut prius eloquatur destinetque mercedem rei, qui rem sub mercede daturus est; ut cujus merx est, ejus indicatio sit: fert item, ut multum malit lucrari quam parum, qui fidei alienæ credit. Præterea partes fieri non possunt, nisi prius mente conceperis imaginem totius: * & quemadmodum partes totum præcedunt natura, ita totum partibus prius est cognitione. Denique bes, semis, triens, quadrans nullius rei potest intelligi, quæ sit omnis quanta, ignoratur: at ubi rei modum mensuramque integræ tenueris, facile ex universa colliges, quantum sit in ejus besse, semisse, triente, quadrante.

67. Hinc apparet, quam feliciter & magnifice hunc locum Salmasius tractarit: nam quum vulgatum nullo modo tolerari queat, si *centesimis* supposuisset, utrumque vocabulum deleri oportebat: si τὸ *assibus* expunxisset, quod τῷ *duodenis* adjungeret, nullum reperiebat: si τὸ *assibus* reliquisset, unicum & solum erat, quod commode, quod erudite, quod omni ratione subserviente illi applicaretur, τὸ *Usuris*. Et tanto pretiosior ista est emendatio, quod hæc sola nobis superest in antiquitatis naufragæ tabulis mentio *assium usurarum*, quas tamen quotidiano sermone jactatas nihil dubitamus. Hic rursus, ut qui locis obscuris aut ignotis deprehensi omnia tuta timent, ille ignarus, quid probatione indigeat, quid sine teste recipiatur, poscet auctores. Ego vero nullum alium auctorem illi, quam rerum evidentiam, (& orationem nullam illustriorem ipsa evidentia reperiri posse testis Cicero IV Acad.) dabo: quam quisquis non capit, ei consilium dandum est, ut illos bonos libros evolvat, quibus tantopere noster offenditur. At illi non desinunt boni esse, quod omnibus bonis melior est ὁ θεόπνευστος. Est enim etiam in suo ordine bonum, quod ad summum bonum non patet aut pertinet: & qui ista tanquam adversantia statuit, ostendit se malum dialecticum, nec perdidicit doctrinam de Oppositis, ut illi sua verba reddam.

68. Refert ex Plinio, Denarium placuisse olim pro decem libris æris, ,, postea XVI assibus permutatum: & tamen, subjicit, fremente Grammati- ,, ca, publice denarii nomen frequentatum fuit. Et hoc pueriliter atque indoctorum more: non enim Grammatice rebus nomina imponit, aut quo minus imponantur, intercedit, sed nomina rebus imposita ordinat, & in illis analogiam vel anomaliæ causas demonstrat. Sed & omnis hic sermo fu- ,, tilis

* Aristoteles I pol. 2. Καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστι. τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους. Et Plutarchus lib. 2 Symposiac. pag. 636. Ὁ γὰρ κόσμος προϋφέστηκε πάντων, τελειότατος ὤν, καὶ λόγον ἔχει, τοῦ ἀτελοῦς φύσει πρότερον εἶναι τὸ τέλειον, ὡς τοῦ πεπηρωμένου τὸ ὁλόκληρον, καὶ τοῦ μέρους τὸ ὅλον.

„ tilis est: & tamen denarii nomen frequentatum fuit. Quid stultius? An quia denarii pretium imminutum est in ære gravi, deinde auctum in assibus levioris ponderis, ideo nomen ejus, jubente Grammatica, debuit aboleri? & illa plorante frequentatum est? Perinde hoc ac si dicam: Olim Dalerus XXXII obolis æstimatus est; nunc æstimatur XLVIII aut L: & tamen frémente Grammatica nomen ejus frequentatur. Olim aureus fuit XXVIII obolorum, nunc multo plures facit: viginti octo obolorum nummus est argenteus: & tamen, fremente Grammatica, nomen aurei frequentatur. Justa volumina condi possunt in omnibus linguis vocabulorum, quorum significatio ab origine ita deflexit, ut vel contractior vel amplior, aliquando & prorsus alia & omnino contraria reddita fuerit: quod ita ne fieret, intercessisse Grammaticen, aut se invita fieri obtestatam deum hominumque fidem nullis unquam nuntiis accepi. *Uncia* ne pro asse, & *as* pro uncia, tum *centesima* pro duodecim centesimis, *duodeni asses* pro uno ne dicerentur, non Grammatice, sed usus loquendi (qui fuit ante Grammaticen, & Grammaticen genuit) & Arithmetice, & sensus communis omnium hominum & natura rerum intercedit.

69. Hinc adspergit quædam de exactione menstrua & de ἀναλογισμῷ, quæ nec ipsum juvant & nemo requirebat. Sed ne hæc quidem expedit sine argumento dissolutionis, negligentiæ, pinguis Minervæ, qua tractat hæc „ studia, & advigilat, qui videt alios dormitantes. *Licinnius*, inquit, Galliæ præfectus. Si quos processus in literis effecisset, diceret: *Licinus* Augusti in Gallia procurator: etsi oggererent istud versiones, neque in margine, ut fit, corrigeretur: etsi Græca Λικίννιος habere non desinerent. Est enim hic, de quo epigramma vetus: *Marmoreo tumulo Licinus jacet*. Rursum, „ Cicero optat lib. 5 ad Att. epist. ult. quo Salaminiis consuli posset, *ut cen-* „ *tesimæ perpetuo fœnore ducerentur*. Nemo ista in epistola ullum tale votum aut optatum Ciceronis reperiet. Romæ absente Cicerone *SC. factum* ibi scribi video, *ut* in contractibus urbanis vel civium Romanorum *centesimæ perpetuo fœnore ducerentur*. Salaminiis ut consuleret, nihil erat ei optandum, utpote magistratui & cui pro imperio agere liceret: nisi forte, ut minor esset aut importunitas Scaptii aut Bruti gratia. Nam absque his foret, satis eis consulebatur edicto ipsius Ciceronis, in quo observabat centesimas cum anatocismis anniversariis. Hactenus tamen iis consultum est, quod Ciceronis proconsulatu non quaternas centesimas, nec pro CVI talentis, quæ debebant, ducenta, quæ petebat tocullio, solverunt. Pag. 57 rever- „ sus ad nostram litem, negat se per somnium cogitasse, quod centesima „ dispertita sit in duodecim uncias, ejus rationem in anno quærendam. Potestne quisquam mortalium ita omnem pudorem decoxisse? Taceo, quæ passim per utrumque scriptum inculcat. Continenter ante hæc verba laudat, quæ de sextariis deque jugeribus mihi contradixit olim, scilicet ea suo

„ modo

„ modo menſurabilia non poſſe ita in duodenas partes diſtribui, ut duode„ na cujuſque ANNI parte, pars pariter duodena exhibenda ſit: nempe ut centeſima. Rurſum continenter poſt ejuratum ſuum ſomnium: ſed, inquit, quod duodecies, hoc eſt, uniuscujuſque menſis Calendis, duodena „ aſſis ANNUI pars exigi conſueverit. Similia ſunt in M. Damæ & Fufidii ficta ab illo fabula. Et hic homo negat, ſe rationem, quare Centeſima in partes aſſis diviſa ſit, quæſiſſe in anno. Det age vel nunc definitionem aut deſcriptionem qualemcumque Centeſimæ Uſuræ, in quam non intret anni aut annui mentio: credam illum non feciſſe, quod toties fecit. Si non ſomniavit ſibi rationem centeſimæ aſſis uſurarii quærendam in anno, quid pungit eum, quod injeci de anno interdum contracto, interdum producto? Nec tamen evadit hoc telum tam leviter defungendo, quam putat. „ Annum contrahat, inquit, ut libuerit, & vel annum Arcadum aſſumat. „ Annon uſura centeſima ſorti centeſimo quoque menſe adæquabitur. Hic latet anguis in herba. Significat enim, ſi nihil aliud poſſit, facturum, ut alio modo βαλανηφαγεῖν incipiat, nec certaturum, ut antehac, de duodecies ſoluto duodenis partibus anni, ſed centeſimam dicturum inde appellatam, quod centeſimo menſe ſorti adæquetur: quam opinionem ipſe inventor Budæus deſtituit. Videbimus, an huc ſe convertat. Nam ſi ea ratio eſt, prorſus actum eſt de aſſe uſurario. Certe qui ſic interpretati ſunt, etſi erraverint, annuum nullum reſpexerunt. At ille dictatoria majeſtate: Et „ ut hæc ipſa eſt & manere debet as uſurarius, cujuſcumque ſeu menſis ſeu „ anni habita ratione. Itane cujuſcumque? etiamne, ſi annus decem tantum menſium fuerit? quid injuſtius in debitores? ſi quindecim? quid iniquius in creditores? Sed quid illius intereſt, pereant debitores, an creditores, an utrique, dum modo maneat & ſit ille, qui nunquam fuit, nec poſthac cuiquam mediocriter erudito probabitur, as uſurarius.

„ 70. Pergit: ita certum manet, à tempore Numæ Pompilii Romanum „ annum habuiſſe duodecim menſes, atque qui ſortem per annum retinebat, „ pro more Romano duodecies centeſimam ſortis partem debuiſſe ſolvere. Hic iterum, dum ſe explicare ſtudet, ita implicuit, ut nullo modo expedire poſſit. Annus à tempore Numæ Pompilii erat duodecim menſium: ſed ubi ducit intercalares? Anno à Numa uſque ad faſtos a Julio Cæſare ordinatos Lunari utebantur Romani CCCLV dierum, ut Græci quidam, teſte Macrobio, CCCLIV. Utrique ut ſuum annum curſui ſolis æquarent, ſingulis octenniis XC dies intercalabant: Romani ita ut alternis, annis, ſeu cuique biennio adderent ſingulos menſes intercalares, modo paris, modo imparis numeri, velut XXII & XXIII dierum: & quia in octennio Romano ſuperant octo dies, ſecus atque in Græco, illos colligebant tertio octennio & tantummodo LXVI, non XC, dies tum intercalabant, ut uterentur illis XXIV diebus ſuperfluis. Expende quos hic tumultus oportuerit facere aſſem illum uſurarium.

rium. Alternus annus singulis mensibus erat longior. Quis hic usus assis usurarii, qui duodecies solvebatur pro duodenis partibus anni, quum ipse annus haberet tredecim tales partes? Quæ seges litium, quum debitor promptum haberet præferre, nihil ultra assem annuum usurarium duodecim centesimarum sortis partium ab se peti posse; istum mensem se lucrari debere: creditor contra, se centesimas menstruas pactum? Vel hæc sola ratio satis est ad pervincendum neque anni, neque alicujus assis annui in æstimandis ac denominandis usuris rationem haberi potuisse, quia incertus erat annus, nec incertum potest esse mensura & modus certi. Huc accedebat, quod negligentia persæpe, nec raro fraude Pontificum magis etiam, turbabatur. Videt adversarius, quid sibi prosit digitum medium in Numam porrexisse.

„ 71. Percontatur; Quæ ratio ergo, cur quod duodecies quoque anno „ solvebatur (toto illo, quod ex duodenis partibus constituebatur, *assis usu-* „ *rarii* nomen ferente) non potuerit, ratione singularum partium, *unciæ* no- „ men ferre? Quasi cum surdo & stupido mihi res sit, quod centies occinui, usque & usque repetendum & occlamandum est. Ratio est, quia totum illud, quod sibi fingit, nunquam Romani pro toto habuerunt, nunquam id assis usurarii nomen ferre passi sunt. Perambulet omnes ætates superstitis prisci Latii: petat ex Faunorum & Aboriginum tabulariis, petat ex semigothis & pœne in barbarum corruptis: non impingam illi suam Grammaticam, quam habet sine usu loquendi, nec suum usum loquendi tam infestum Grammaticæ: sicunde produxerit illum usurarium assem, vicerit. Deinde cur illud, quod duodecies quoque anno solvebatur, *unciæ* nomen ferre non potuerit, ratio est, quia jam *Unciæ* nomen ferebat illius ipsius, quod duodecies in anno solvebatur centesimis, duodecima pars; ut *sextantis* nomen ferebat illius, quod in anno duodecim mensium solvebatur duodecies, pars sexta; ut *quadrantis* nomen ferebat, illius, quod sic duodecies solvebatur, pars quarta; ut *trientis* tertia; ut *semissis* dimidia; ut ipsum illud, quod duodecies in duodecim mensium anno solvebatur, nempe centesimæ singulæ, *assium usurarum* nomen ferebant. Fuisset autem ambiguitas inexplicabilis, si *Unciæ* nomen idem tulisset & duodecima centesimæ pars & ipsa centesima.

„ 72. Rursus exquirit: cumque semel tantum centesima posset solvi, al- „ tero scilicet mense sorte restituta, cur non ratione assis usurarii, qui ad „ duodecim menses continuatus duodecim unciis constitisset, fœnus illud „ menstruum, æque *unciarium*, ac *centesima* dici potuerit? Sed iterum malus hic dispensator in rationem infert assem usurarium, quem nunquam subscribet, & ubicumque apparuerit, semper expunget antiquitas. Deinde, non illud tantum fœnus, sed omne fœnus Romanis erat menstruum & ducendo & nominando, vel si in annum, aut annos, quot velis, continuaretur: ita-

 que

que fœnus illud menſtruum, præ aliis omnibus generibus fœnoris, quæ omnia erant menſtrua, & à menſtruo vocabantur, nihil poteſt habere præcipui. Tertio, quia fœnus unciarium erat centeſimæ uncia, itaque non poterat dici pro ipſa centeſima. Quarto παρῳδίας pulcerrimæ perire occaſio non debet: itaque ſimiliter interrogabo: Cumque bis tantum centeſima poſſet ſolvi, tertio ſcilicet menſe ſorte reſtituta, cur non ratione aſſis uſurarii, qui ad duodecim menſes continuatus, duodecim unciis conſtitiſſet, fœnus illud bimeſtre, æque *ſextantarium* ac *binæ centeſimæ* dici potuerit? Et rurſum: cur non, ter tantum ſoluta centeſima, quarto ſcilicet menſe, fœnus illud trimeſtre, *quadrantarium* & *ternæ centeſimæ* dici potuerit? Eademque conſequentia: cur non, quater tantum ſoluta centeſima, quinto ſcilicet menſe, fœnus illud quadrimeſtre, non potuerit dici, *trientarium* & *quaternæ centeſimæ?* Et ſic παρῳδεῖν cuivis licet & redamptruare, ut amptruat iſte Præſul (quia me vult Saliorum hymnos intexere) uſque ad deunces uſuras, eaſque medias diſtendere ac diſpandere uſque ad undenas centeſimas. Obteſtabitur ille, ſi quid poteſt ex vero, hæc non eſſe paria: quia nec binæ, ternæ, quaternæ centeſimæ dicuntur, quoties quotmenſibus una centeſima penditur, etſi duobus vel tribus vel quatuor menſibus conjunctis ſimul duæ aut tres aut quatuor ſolvantur. Agnoſcat igitur omne fœnus à menſtruo dictum, nec *centeſimam uſuram* unquam dixiſſe veteres aut ex annuo aut pro annuo: eoque *aſſem uſurarium* ullum annuum nec illis vel animo conceptum vel ore pronunciatum unquam fuiſſe, nec nobis concipi aut nominari debere, ſi probi illorum, loquendo dumtaxat, imitatores volumus haberi: & quia centeſima uſura, reditus tantum menſtruus, ipſa eſt, à qua inferiores, tanquam ab aſſe, denominantur aſſis partibus, *uncias uſuras* & *fœnus unciarium* nec fuiſſe unquam nec poſſe eſſe aliud, quam quo uncia centeſimæ uſuræ menſtrua vel duodecima pars menſtrua infertur: ut toto anno non plus fiat quam una centeſima ſors partis, ſeu nummus unus in centenos. Judicet nunc adverſarius, utrum aperte agam, an captem voculas, quo cavillari poſſim.

„ 73. Quod ſcripſit, (cum duodenæ Taciti ſemunciæ, quoque menſe ſol-„ vendæ, conficiant ſemiſſem aſſis annui ſive centeſimæ) quiſquis candorem „ non exuit, non ita, ut ego, eſſe interpretaturum autumat. Quiſquis candorem non exſuit, verba interpretatur, ut ſonant, nec duodenas ſemuncias quoque menſe ſolvendas accipere poteſt pro duodenis ſemunciis, quarum una quolibet menſe ſolvatur, ſed quæ omnes unoquoque menſe ſolvantur. Neque aucupatus hæc ſum, ſed in ſic loquentem, qui & alia plurima extra modum abſona & abſurda paſſim effutiret, incidi. Et tamen verbis ſic quoque acceptis, ut nunc ipſe interpretatur, reſpondi, quod belle diſſimulat.

74. Salmaſius in hac controverſia ſic fuerat argumentatus, ſi *unciarium*

fœnus

fœnus & *centesima*, *semunciarium* & *semisses usuræ* forent eadem, non posse fieri, quin quæ supra unciam sunt, eodem modo extendantur & amplificentur: nempe, ut *sextantes usuræ* sint binæ centesimæ, *quadrantes* ternæ centesimæ, *trientes* quaternæ centesimæ, &c. Ratio hujus collectionis demonstratione Mathematica nititur. Cujuscumque enim rei ponitur uncia, ejus rei necessario ponitur & sextans & quadrans & triens &c. hæc si in ea non possunt destinari, nec uncia destinari potest. Jam cujuscumque rei ponuntur uncia, sextans, quadrans, triens, ejus necessario hac proportione ponuntur hæ partes, ut sextans sit duplum ad unciam, quadrans triplum, triens quadruplum, quincunx quintuplum &c. Ille adversus hæc projecerat, tanquam cetus in Persea, undam torrentis cloacæ barbarorum vocabulorum, quæ decimus quisque lectorum non intelligeret. Duravimus tamen & fraudem sub illa fæce ac fœtore obrepentem deteximus. Contra iste: Erit vero „ mihi Apollo usurarius, si æque commoda invenerit nomina usurarum „ quadrantium, trientium, quincuncium &c. quibus exprimatur duodena „ earum pars, quæ quoque mense Romæ exigi poterat: atque uncia quo„ que mense solvenda duodecimam partem centesimæ seu assis usurarii signabat. Petit ergo nomina, quibus exprimatur duodecima pars usurarum quadrantium, quincuncium &c. Quid opus istis singularibus nominibus, quibus explicetur earum usurarum duodena pars? Quadrantes usuræ sunt in centenos quovis mense quarta pars centesimæ, velut libræ unius tres unciæ, denarii sestertius. Trientes usuræ sunt in centum quolibet mense pars tertia, ut libræ unius unciæ quatuor, denarii duo oboli Attici. Quincunces usuræ sunt quot mensibus quinque duodecimæ partes unius centesimæ, velut libræ quinque unciæ, denarii sex asses duo trientes. Harum, quid necesse est reperiri proprium & singulare vocabulum, quod duodecimam signet? An pars duodena parum intelligitur, si vocetur pars duodena? &, paullo si doctius efferre velis, *uncia?* Ubicumque enim duodecim partes facere vel fingere possumus, *unciæ* vocabulum ad præsentem usum ac tempus se præstat & commodat.

75. Sed vult partem duodenam, quæ & menstruum & annuum significet. Bonus est creditor: ab ipso sumemus. Quæritur si *fœnus unciarium* centesimæ, *semunciarium* semisses usuræ sint, annon oporteat *sextantarium* esse binas centesimas, *quadrantarium* ternas centesimas, *trientarium* quater„ nas centesimas. Iste negat hoc esse necesse, quia non dentur in sextanti„ bus, quadrantibus, trientibus usuris æque commoda vocabula ad signifi„ candum pariter & annuum & menstruum, ut in unciario. Immo quo jure quaque lege *usuræ unciæ* sunt simul annuum & menstruum; quo jure *centesimæ* simul annuum & menstruum sunt; eodem prorsus jure, eadem facilitate *sextans* significat partem duodecimam in sextante vel duplici asse usurario annuo seu binis centesimis: eadem commoditate *quadrans* significat

 partem

partem duodecimam in triplici asse seu quadrante usurario annuo vel ternis centesimis: *triens* partem duodecimam in triente seu quadrupedante asse usurario annuo vel quaternis centesimis. Eadem mollitudine, qua *uncia* est as, *sextans* sunt duo asses, *quadrans* as triplex, *triens* as quadruplex. Juxta leniter & festive, quam centesima est as usurarius, duæ centesimæ sunt as usurarius duplex, & sic *sextans usurarius*: & ejus duodecima pars quoquo mense illata, nempe duæ centesimæ sortis partes, est sextans sextantis usurarii seu duplicis assis annui. Non aliter ternæ centesimæ sunt tripes aut triceps as seu *quadrans usurarius* annuus, & ejus duodecima, tres scilicet centesimæ sortis partes, sunt quadrans quadrantis usurarii seu triplicis assis annui. Sic & quaternæ centesimæ nihilo durius sunt quadruplex as seu *triens usurarius* annuus, cujus duodecima, quatuor centesimæ sortis partes, erunt triens assis quadruplicis seu trientis usurarii annui. Et sic deinceps. Videt quantum in hac schola profecerimus, & quam male iterum adseveraverit, in sextantibus, quadrantibus, trientibus & cæteris usuris, admisso illo mythico asse usurario annuo, non inveniri vocabula, quæ simul & annuum & menstruum istius assis novæ Latinitatis conditori exprimere possint. O materiem litium infinitam! ô vocabula non homines, non domos, sed urbes, sed nationes evertentia! Promisi tibi *uncias usuras*: puto me salvum fore, si menstruam tibi solvam unciam centesimæ, annuam centesimam sortis partem, vel nummum in centenos: at tu duodecim poscis, quia obtendis uncias te stipulatum non centesimæ menstruæ, sed centesimæ annuæ seu assis usurarii. Promisi *usuras sextantes*, speravi me abiturum latere tecto, si tantum corradere possim, ut mercedem pendam quovis mense centesimæ partis sextantem, toto anno duos nummos in centenos. at tu tibi satisfieri vis ad sextantem vel bifurcum assem usurarium annuum, & quovis mense sextantis illius usurarii sextantem, id est, duas centesimas sortis partes, toto anno binas centesimas usuras exigis: & nisi dem, rapis me ad puteal Libonis, & si non sit, unde dem, addictum abduces, & in compedibus habebis. Hæc multo gravior est rapacitas quam illa Licini: ille pro duodecim sextantibus abstulit quatuordecim; tu pro duabus unciis viginti quatuor.

76. Hæc vetera: sed machinatur & aliquid novi adversus Salmasii argu- „ mentum. Probare, inquit, antea debuisset, Romæ (neque enim extra illam „ divagari licet) & sextantibus & quadrantibus & trientibus anni partibus „ Usuras solvi consuevisse. Et hoc iterum iste, qui negat se somniasse, quare usuræ sint assis partibus appellatæ, in anno esse quærendum. Interim diu mecum deliberavi, qui sensus, quæ mens esset hujus oraculi: quid vellet, qui diceret, male colligi, si *unciarium fœnus* centesimæ, *semunciarium* semisses sint usuræ, etiam *sextantarium* binas, *quadrantarium* ternas, *trientarium* quaternas fore centesimas; hoc, inquam, male colligi, nisi constet etiam sextan-

tibus

tibus & quadrantibus & trientibus anni ſolutas fuiſſe uſuras: aut quare ſolutio ſi non fuerit bimeſtris, trimeſtris, quadrimeſtris, obicem ponat tam liquidæ & fluenti conſequentiæ. Hoc ille volens ſic obſcuravit, ut faſtidiens & longam cogitationem in re tantopere ab illo deriſa pertæſus lector ſibi quocumque modo ſatisfieri pateretur. Hæc igitur ſententia hujus velut à Caco eructati fumi, diverſam eſſe rationem unciarum & reliquarum uſurarum: quippe uncias unciis anni ſolutas, nullas autem ſolutas ſextantibus aut quadrantibus aut trientibus anni. Etiam non abeſſe ſibi ad præcavendum
,, intelligendi aſtutiam putat in iſto, (Romæ, neque enim extra eam divaga-
,, ri licet) ut ſi reſponderimus, naturaliter hoc contingere ubique gentium, ut interdum annua, interdum menſtrua, interdum complurium menſium die, hoc eſt, ſextantibus aut quadrantibus aut trientibus anni, ſumatur creditum ſub uſuris; habeat, quod regerat, id Romæ non factum, & poſcat
,, auctores. Et tamen ſequenti periodo ſibi excidere patitur, Unoquoque
,, menſe ſolvebant, niſi aliter conveniſſet; qua exceptione ſibi reſcindit irritumque reddit, quod tam generatim prius enuntiarat. Quamquam autem hac reſponſione ſtare me ſatis exiſtimem, ſunt tamen & alia, quæ vanitatem iſtius circumſcriptionis manifeſtent. Primum hoc ſpeciem habet in *unciario:* ſed quid fiet *ſemunciario* accepto pro ſemiſſibus uſuris? ſi omnino unoquoque menſe ſolvebant, nunquam etiam ſolvebant ſemuncia vel ſemiſſe (eadem enim hæc illi) anni: & ſic in ſemunciario fœnore eadem ratio ceſſat, quæ in ſextantibus, quadrantibus, trientibus uſuris, valet autem in unciario. Deinde quod unciæ uſuræ ſolvuntur unciis anni ſive unoquoque menſe, eſt commune accidens omnium uſurarum, non fœnoris unciarii proprium: & propterea unciarum uſurarum naturam invertere aut differentem ab aliis, quod ad originem nominis ac ſignificationis, reddere non poteſt: neque efficere, ut aut unciæ ab unciis anni; ſextantes, quadrantes, trientes, non à ſextantibus, quadrantibus, trientibus anni; aut ab anni unciis unciæ; trientes, quadrantes, ſextantes ab trientibus, quadrantibus, ſextantibus centeſimæ dicantur. Plane κατὰ συμβεβηκὸς evenit, ut idem vocabulum in diviſione anni, tanquam aſſis, detur menſi ſeu ei parti, qua vulgo uſuræ pendebantur, & certo generi uſurarum in diviſione centeſimæ partis uſuræ, tanquam aſſis: res ipſæ & ratio nominis utriusque nihil participant, niſi quod utrobique pars denotatur duodecima. In Græcorum uſuris numerantur τόκος ἐπίτριτος, ἐπίπεμπτος, ἔφεκτος, ἐπόγδοος, ἐπιδέκατος. Hic ſimiliter contingit κατὰ συγκυρίαν, ut ἐπιδέκατος τόκος idem prorſus in anno efficiat, quod in duodecim menſibus Latinorum uſuræ dextantes. Habent etiam commune, ut ἐπιδέκατον à δέκα, ſic *dextantes* à *decem* dici. An id eo uſque valebit, ut aut Græcorum ἐπιδέκατος à dextantibus Romanis, aut dextantes Romanæ ab Græcorum ἐπιδεκάτῳ originem ducant; cæteræ aliam habeant? Haudquaquam: quia numerus, in quo conveniunt, eſt commune accidens

omnibus his vocabulis: quod in uno nullam habet propriam efficaciam ad originem ejus aliunde ducendam.

77. Nunc tempus prostituendi summam imprudentiam hominis, & ostendendi, ut nihil sua referre existimet, amicus annon lædatur, dummodo „ & una lædatur inimicus. Gronovius misericordia dignissimus est, quan- „ do hunc producit Achillem: Alius jussus solidum argumentum adducere, „ si ita argumentaretur, firmissimis Hippocratis vinculis constringendus „ foret; Gronovius venia dignus est, quia dialecticam non didicit. Nec cogitat hæc omnia recidere in Salmasium, quem colere se simulat. Etenim Salmasius est, qui sic argumentatus est: ex Salmasio adduxit ipse in sacerrimis exercitationibus: Salmasius igitur est misericordia dignissimus: Salmasius Hippocratis vinculis constringendus: Salmasius dialecticam non didicit, hæc omnia judicio tetrarchæ veritatum. Nisi ageret ferret hominem inconsideratissima temeritas, potuisset huic convicio alium locum legere, ubi non mecum Salmasius plecteretur.

78. Sed iste meus stupor, qui extra Sophisticen suam nil videt, nihil audit,

Ipse quis sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit;

„ scit tamen me velle mea dumtaxat ut Grammatica haberi. Quamquam valde malignus est iste voluntatis alienæ interpres, volo tamen, si Grammaticum est, quicquid literatum & ex interiore censu ac mundo eruditionis petitum: ut Mosen primum σοφὸν fuisse καὶ τὴν γραμματικὴν, id est, docte scribendi artem, τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι ex Eupolemo refert Clemens: ut Eratosthenis solertiam in omni genere literarum Grammatici nomine addito significavit antiquitas. Volo vero, & ad tantum opus aliquid conferre mea scripta magnificum duco. Volo etiam, si Grammaticum est, quicquid non discrepat à præceptis recte loquendi; quicquid non ἀποσόλοικον aut βαρβαρόφωνον· & qui vel hoc assequatur, eum cur pœniteat, quantum profecerit, nihil esse causæ censeo. Sin autem Grammaticum est non nisi ex primis puerorum institutionibus decerptum (etsi quicquid ad illarum emolumentum egregie pertinet, non contemnitur à prudentibus, sed ab indoctis, rusticis, malo tirocinio ipsis primum imbutis, derisoribus rerum sanctissimarum, quibus omnis vitæ tranquillitas & reipublicæ salus continetur) hoc igitur si solum ei Grammaticum est, quod ludi puerilis parietes non egreditur, optarim equidem omnium & magistrorum & discipulorum tantam esse indolem, ut nostris uti possint: nihil ex eo detrimenti, opinor, caperent studia. Sed si qua est ea classis, longe profecto infra hanc ablegandus & detrudendus est Theologorum vomica, Jurisconsultorum carcinoma, Medicorum simia, Physicus in turfis & harengis & Maurorum genitura, Dialecticus sine syllogismo, Philologus sine Grammatica, Rhetor Synecdochicus: qui si vere minatur se omnia mea legisse, (at ego perpauca illius

& fere

& fere tantum, quæ intemperies hominis mihi impegit) nihil in illis clamat se intellexisse. Unde autem scit captator & actuarius sermunculorum, me velle mea tantum pro hujusmodi Grammaticis haberi? Nempe scripsi, „ nescire istum, quid sit analogia. Sic solent ratiocinari pessimi dialecticorum. Quid enim? quicumque nominat analogiam, ejus nihil est ipsius judicio nisi Grammaticum? Aristoteles in loco de justitia multus est *τὸ ἀνάλογον* & *τὴν ἀναλογίαν* appellando: sua igitur tantùm vult ut Grammatica haberi. Julius Cæsar scripsit de analogia: ergo quæcumque scripsit, voluit pro Grammaticis haberi. Geometræ & Arithmetici tradunt de analogia: nil igitur tractant aliud quam Grammatistæ. Asse & partibus ejus & Geometræ & Arithmetici & Jurisconsulti olim utebantur: nec illis poterant uti, nisi diligenter expensa illarum partium analogia: de qua nihil omnino Grammatice.

„ 79. Aliud crimen pag. 57. Etiam omnia sua non cohærere fatetur: „ inde illud pag. 79. *Omne simile dissimile est.* Rursusque pag. 70. Minu- „ tiarum Grammaticarum ipsi adeo non constat ratio, ut coactus fuerit di- „ cere: *Omne simile etiam dissimile est.* Et hoc perfrictæ frontis insigne specimen. Ego notavi, quæ nobis sunt *duodecim in centum*, posse vocari Latine *centesimas:* hactenus vernaculæ linguæ cum Romana convenire, ut ambabus numerus quidam lucrativæ pecuniæ rem eandem exprimat, quoque audito utriusvis unius modo callentes nihil diversum animo subjiciant; ipsa tamen pronunciata inter se plurimum differre, nec centesimam significare Duodecim, nec Duodecim centesimam, sed Romanis efferri menstruum, nobis annuum. Hæc quia ille turbat, & quæ sensum eundem efficiunt, putat etiam dici eodem modo, nempe ut & Romani significent annuum, adhibui illud promiscuum: *Omne simile etiam dissimile est.* Iste, qui non, quod fecit, sed quod vult, somniat, hic me vult scripsisse confessionem, mea parum cohærere. Quid si scripsissem, quæ ille pag. 16. Fateor lubens, me „ hæc probare non posse: & pag. 52. Nec inficias tamen ivero, hic aliquos „ scrupulos superesse, & examussim omnia non convenire calculis, quos „ adversarius attendi debere contendit. At in vera sententia, quam nos tuemur, optime omnia cohærent & consentiunt: nihil restat scrupuli: ne obscuritas quidem ulla aut in explicando difficultas. Quicquid ejusmodi fuit, erat, donec omnis pateret. Olim magnis viris, qui non simul eam universam, sed particulatim eruerunt, quum multi errores circa fallerent, nec aut noscerentur statim ubique aut corrigerentur, arduum fuit recta & sana adulteratis conglutinare. Nunc sibi dictum putet: *Dignus cum tuis scrupulis, odium. nodum in scirpo quæris.*

80. Ibidem contemptis & exsibilatis omnibus Jurisconsultis, Jacobum Gothofredum ait secum sapere. Sed impingit solens: nusquam enim Jacobus Gothofredus scripsit *fœnus unciarium* esse centesimam: sed ambigue

atque

atque obſcure locutus eſt, *fœnus unciarium* definiendo, quod unciam unam menſtruam in aſſem pendit. Neque enim quem *aſſem* intelligat, explicuit, illumne noſtri aſſem uſurarium annuum, an aſſem centeſimam menſtruam, an denique aſſem ſortem. Nam & hoc alicui poſſe in mentem venire, ac proinde, qui ſic loquuntur incautioribus plagas tendere, præſto eſt exem-„ plum Nic. Abramus ad Orationem Ciceronis pro Cælio. Compreſſa fœ-„ neratorum cupiditate ſcribit ad *uſuras uncias* ventum, ne plus duodeci-„ ma parte ſingulis annis exigerent. Immo duodecima parte unius nummi menſtrua, uno nummo annuo, in centenos. Sed audiamus ipſum explicantem, quæ ſit iſta, cujuſve rei pars duodecima. Totam enim, ait, ſummam „ antiqui *aſſem* ſive *ſolidum* vocabant: eum aſſem in duodecim uncias dividebant. Sic faciebant certe ſuo loco: ſed non, quod continenter ſequitur. „ Exempli cauſa, inquit, Sejus à Titio fœneratione mille ducentos Philip-„ peos acceperit: cum illum aſſem ſive totam ſummam in duodecim partes „ ſive uncias diviſeris, ſingulæ unciæ centum Philippeos continebunt: quos „ Sejus Titio ſingulis annis *fœnoris unciarii* nomine penſitabit. Ego vero dabo pignus in meum talentum, inque Abrami nummum, ni recuſabit ille & deprecabitur tantam jacturam, ſiquidem ſapiet: non enim plus duodecim numeraturus eſt. At centum Philippei, merces mille ducentorum ſortis annua, ſunt *uſuræ beſſes binæ ſextulæ:* quippe in centenos octo triens. „ Pergit: Quod fœnus ſi ad ſemuncias redegeris, quartam & viceſimam to-„ tius ſummæ partem, id eſt, Philippeos quinquaginta expendet. Juxta pinguis hoc Minervæ: non enim expendet ultra ſenos. At quinquaginta Philippi in mille ducentos annui ſunt *uſuræ trientes ſextulæ.* Nimirum in mille ducentos annui centum requirunt octo trientem in centenos. Duodecies octoni ſunt XCVI: duodecim trientes ſunt quatuor aſſes: qui nonagenis ſenis additi efficiunt centenos. In centum octo annui ſunt menſtrui beſſes: nam duodecim beſſes, octo aſſes. Hæ ergo *beſſes uſuræ.* In centum triens annuus ſunt menſtruæ binæ ſextulæ. Nam triens duodecim habet binas ſextulas, quum uncia tres binas ſextulas. Hæ igitur *uſuræ binæ ſextulæ.* Similiter in mille ducentos annui quinquaginta, requirunt quatuor ſextantem in centenos. Nam duodecies quaterni ſunt XLVIII: duodecim ſextantes, duo aſſes: qui ſi accedant ad illos XLVIII, exiſtunt quinquaginta. In centum quatuor annui ſunt menſtrui trientes: nam duodecim trientes abſolvunt quatuor aſſes. Sic hæ *uſuræ trientes.* In centum ſextans annuus ſunt menſtruæ ſextulæ: nam ſextans habet duodecim ſextulas, ut uncia ſex ſextulas. Sic hanc acceſſionem apparet eſſe *uſuras ſextulas.* Fraudem ſibi fecit homo eruditus & *aſſem* & *unciam* male hoc in negotio interpretando. Nam *unciarium fœnus* duodecimam quidem conficit, ſed menſtruam, non annuam, & centeſimæ partis, non ſortis. *Aſſem* quoque vocabant quidem quamvis ſummam, ſi lubuiſſet: ſed non ſummæ creditæ intuitu dicebant *aſſes uſuras.*

Sed

Sed & usuræ modum lege de unciario fœnore præscriptum non mediocriter ei centesima excessisse videtur. Facile patior: sed quemadmodum? „Nam quum occupatis, inquit, mille ducentis Philippeis centum quot„annis Philippei *fœnoris unciarii* nomine penderent, fœneratores *centesi„marum* nomine duodecim Philippeos menstruos, id est, CXLIV annuos, „exigebant. At ego *assem* putabam duodecies excedere modum *unciæ*. Asses autem usuræ sunt centesimæ. Ergo si fœnus unciarium mille ducentorum sunt annui centeni, usuræ centesimæ ejusdem summæ erunt mille ducenti annui, & sic ipsam sortem æquabunt. Sin autem centum quadraginta quatuor sunt centesimæ mille ducentum, haud dubie fœnus unciarium non erunt nisi duodecim: nam duodecies duodecim sunt CXLIV.

81. Perventum tandem ad Legem XLVII π. IV D. de admin. & peric. tut. ubi hoc saltem bene, quod verba mea integra refert, & in illis mendum operarum corrigit: sed dum libello suo molem quærit, ista comparatione suas ariolationes & sordidas magis & ridendas reddidit. Itaque ne verbo quidem mihi hic opus, nisi quædam ineptiæ hominis detegendæ essent. Quum ipse nihil eorum, quæ probare illum jusseram, adserat, ex me quæ„rit, ubi dicat lex maluisse testatorem eam pecuniam esse penes tutores, „quam alios? Respondeo, ibi: *Volo, ut sit in arbitrio tutorum filii mei, si voluerint hujus summæ uncias inferre usurarum nomine.* Quod est, ut illorum sit optio, velintne eam pecuniam potius ipsi habere fœneratam sub unciis centesimarum hujus summæ solvendis usurarum nomine, an aliis credere, ut solent debentque vulgo tutores, qui pupillorum bona administrant, & ab iis pupillares usuras exigere. Quis enim infert usuras, nisi qui pecuniam habet fœneratam? Ubi autem est arbitrium, nisi minimum duo proposita sint, ex quibus alterum eligere liceat? Quod si alterutrum horum ordinarium est, & arbitrium fecero, utrum ordinarium fiat, an id quod præter morem ego commentus sum, quis dubitat, quin hoc malim? Quærit dein„de, ubi dicat, quos tutores dedit liberis, fuisse viros bonos & exploratæ fidei? Respondeo: si prævidissent jurisconsultus aut testator, fore homines aut tam stupidos aut tam malignos, qui hoc quærerent, non pepercissent adjicere. Sed quia putabant neminem fore mentis compotem, qui de hoc ambigeret, prætermiserunt; quum dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem, verbis Senecæ lib. IV de benef. cap. 27. Quales enim alios, ulla si horum est copia, damus tutores liberis? qua quidem in opinione decipimur interdum: sed nemo ultro præsumit, „in hoc se decipi. Quærit, ubi dicat acceptam sub levissimis usuris potuis„se tutores majoribus credere? Respondeo: usuræ levissimæ inde colliguntur, quod nemini obtrudere pecuniam meam possim, ut ea uti velit non desiderata, nisi sub levissimis usuris. Potuisse autem majoribus crede-

re, palam respondet Jurisconsultus. At quæ iste ex eadem lege sibi fingit,
nemo sanus cogitat.
„ 82. Negat posse credi usuris tam parvis patrem tutoribus permissurum
„ fuisse pecuniam, quam illi majoribus fœnerarentur. At pater, quid illi
ea pecunia facerent, emerent prædia, militiam, decuriam, negotiarentur,
terrestri an nautico fœnore illam occuparent, nihil morabatur: id modo
respiciebat, ut pecunia pupillo esset salva, donec in suam tutelam venisset.
„ Adjicit peropportune: de qua certi esse non poterant ipsi, annon foret
„ dispergenda. Hoc enim si ad patrem refert, quasi ejus metus de disper-
genda pecunia non fuisset sublatus, fallitur; nam ille securus erat, quia tu-
tores videbat, debitores certos & paucos: sin ad tutores, contrarium po-
nit superioribus: si enim talis erat aliquis metus ipsis, non est credibile
„ magnis sub usuris hanc pecuniam accepturos fuisse. Non poterant autem
„ esse certi, nempe, ut in rebus humanis nihil est certi, & sæpe quum opti-
me se cavisse arbitrantur, cautores capti sunt. Alioqui cur certi esse non
poterant, quibus promptum erat providere, ne nisi bonis nominibus collo-
„ carent? Tutores pro pecunia, quam apud se detinuerunt, jus est solvere
quincunces aut trientes. Puta, si contra voluntatem testatoris: non ubi
„ tale arbitrium fecit tutoribus ipse testator. Ut hoc licuerit tutoribus, in-
„ tervenire debuit cognitio judicis. Falsum: *paterfamilias uti legassit super
pecunia tutelave suæ rei, ita jus esto,* edixerunt duodecim. Lex Ulpiani,
quam subsidio vocat, tractat de officio judicis in lite de exhibitione atque
„ alimentis pupilli, quam hic non incidisse planum est. Militare forte testa-
mentum fecerat. Forte non: & utrum fecerit, quid ad Dionysum? For-
„ mulam *usuræ unciariæ* (abolitam jam consuetudine) inter testandum usur-
pavit, *ὥσπερ νόμισμα ἀρχαῖον ἐκ θησαυροῦ πόθεν ἀδεσπότου.* Militem perscitum &
antiquarium, cui de supremis agitanti nondum exciderant glossemata, &
libebat ex Fauni & Aboriginum sermone formulam petere. Supra *fœnus
unciarium* in XII tabulis noluerat æstimari ad recentiorem distinctionem
fœnoris juxta assis partes. Concedit ergo aliquam fœnoris secundum assis
partes distinctionem recentiorem. At hic ubi recentior testator præsto est,
fingitur aucupatus vetus verbum abolitum jam consuetudine? Quo nodo
tenebimus hunc Protea? Qui recentiores isti? in quam ætatem conferendi?
„ Habebat dubio procul depositam apud argentarios? Quare dubio procul?
immo quare? quod vestigium ejus depositi? Qualis quæstio exhibita est
Scævolæ, talem ille nobis remetitur: fuisse honoratæ militiæ virum, qui de
certa pecuniæ summa in testamento suo sic ordinavit. Ubi esset ea pecu-
nia, in vidulo, in risco, an in aula Euclionis, in domestico thesauro an in
fani fovissa, deposita an defossa, apud Lyconem trapezitam an apud leno-
nem Ballionem, tanquam ad rem non pertinere ratus, nec inquirendum sibi
nec chartis mandandum censuit. Sed otiosam in arca intelligimus ex ipsa
dispo-

dispositione testantis: nam si fuisset bono loco, & ubi salva fide sua tutores illam relinquere possent, non invitasset ipsos testator, ut illam ad se re-
„ciperent: nam de sorte potissimum sollicitus erat. Sed habuerit penes ar-
„gentarios: quid tum? immo, refert, ait ille: nam quia argentarii binas
„aut ternas accipiebant centesimas, simplices facile promittebant: & huc
„tendunt verba legis. Ergo tutores isti fuerunt argentarii? Quæ non monstra parturit hoc cerebrum? Unde autem vaticinatur Scaptium familiarem
„Bruti fuisse argentarium? Notum est, inquit, illud Horatii lib. 1 Sat. VI.
„ *Ibant octonis referentes Idibus æra.*
Qui, quæso, ibant? annon
pueri magnis è centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.
Et quidem ad avaros, siquidem avari sunt, qui ad δίδακλον manus porrigunt, ex regula magnorum Moralium cæspiticii dialectici. Quid autem isti ad institutum nostrum?

83. Sed nuntius horribilis subito affertur: totum jam negotium con-
„fectum esse. Bone Juppiter, Latinas jam confectas? Metuo ne sero venerim, & carnis mihi nihil supersit. Eamus tamen vel exploratum. Tu-
„tores uncias usuras singulis mensibus inferre debent: atque similes uncias
„(neque enim dissimiles) minimum cujusque mensis idibus referre: duo-
„denæ autem unciæ, duodenis mensibus respondentes, absolvunt assem
„usurarium, seu centesimam. Ergo χρύ. Quis novit hominem tam stolide sibi blandientem? Balbutit ex insanis suis, quæ vocat, principiis, quod centies confutatum, explosum, conculcatum est: & gloriatur, se confecisse negotium. Audiat & nunc, quod res est. Tutores rogantur uncias centesimæ usuras singulis mensibus inferre: duodecim autem unciæ centesimarum, duodenis Calendis vel mensibus respondentes, absolvunt centesimam toto anno unam: ergo quotannis centesima pars sortis vel nummus unus in
„centenos usura illis statuitur. Hoc verum est, confector. Necesse est sum-
„mam valde grandem fuisse. Si *locuples aquila*, si *magni centuriones*, si primipilarium, non modo funera plebs detinuit, donec hæredibus extorquerent pecuniam ad gladiatorium munus, sed & testamenta atque emerita inhiarunt maligni Cæsares, quid miratur præfectum legionis fuisse locupletem? Quid autem nostra, grandis an parva fuerit? Non potuit habere prædia, unde reficeretur, quo citra illius pecuniæ reditum aleretur pupillus?

84. In postremis Scævolæ verbis habetur: *Respondi, si secundum voluntatem defuncti elegissent usurarum præstationem, neque pupilli nomine in fœnus dedissent, id præstatur, quod testator voluisset.* Verbo significavi, videri Scævolam scripsisse: *præstaturos.* De hoc ita judicat Criticorum obscurissimus:
„Sed pariter vapulat JC. Scævola: nam juxta suum illud Ure seca, pro *præ-*
„*statur* in ipsa lege substituit *præstaturos.* Et hic barritus est barbaricus, non

inspecta causa, cur fiat, clamare, quod ne quidem fit: tanquam non liceat usquam corrigere librariorum errata, & vapulent auctores, quibus suum redditur: quum si loco & tempore id tentetur, laudem pariat; si cedat infeliciter, non sufficiat aperire rictum & intonare, nisi meliora docueris. Quando igitur Grammaticam ejurat, consulat usum loquendi: utrum is ferat, *si elegissent, neque dedissent, id præstatur*, an, *id præstaturos?* Annon idem requirat, si maneat *τὸ præstatur*, præcedere: *si elegerunt, neque dederunt?* Videat etiam quomodo loquatur Jurisconsultus ea in ipsa lege: *Respondi, si & administrationem Mario dedisset, non recte solutum.* Et, *Respondi, si provincialis contractus esset, non pertinere.* Item, *Respondi, si manent res pupilli, vindicari ab eo posse.* Quæ omnia infinitivo modo pronuntiantur. Simili inscitia Accursium ait suffragium dicere non potuisse, nisi vapularet. Quasi non liceat dividere sententiam alicujus, & probare partim, alia abnuere. Ille vero ne intellexisset quidem Accursium in exemplo subjecto, nisi nos monuissemus, quo respiceret. Cæterum si, quod notamus, non jure reprehensum est, proferat rectiora: sin jure, compescat protervum os, aut ipse vapulet.

85. Ad Senecæ locum par est & inanissima λογοδιάῤῥοια. *Usuram haud millesimam* & Scaliger minimam, Lipsius subdubitans & Salmasius non dubie ipsum interpretantur fœnus unciarium, quo duodecima vel uncia centesimæ menstrua, anno vertente una centesima pars sortis usurarum loco cedebat. ,, Hoc genus quæstus ille censet esse τῶν ἀδυνάτων. Ostendi & homines micropsychos ac tenuis rei augendæ cupidos potuisse non præterire jacentem in luto nummum atque hujusmodi capturas sequi. Ostendi munificos quoque ac largos & locupletes potuisse, ut nummo sestertio prædia & gemmas vendebant clientibus atque amicis, ita cum iisdem nomina pactis unciis usu- ,, ris facere. Contra ille ὅλῳ θυλάκῳ, non solos capitecensos esse avaros, & ,, omnes avaros esse suspicaces, nec parvo plerumque contentos, & interdum ,, infimæ conditionis hominibus accessus haud difficiles ad magnates, & fin- ,, gi casus, qui nunquam exstiterunt, & alia plurima, quorum piget vel me- ,, minisse: adeo garrula & nullius usus sunt. Rogavi definiret mihi & explicaret ex suis principiis *millesimam usuram*. Nam si centesima est as usurarius & simpliciter duodecim in centum annui, *millesima* erit decies duode- ,, na in centum, quia millesimus decies centesimus. Ille negat Logicam col- ,, ligere, millesimam usuram efficere decies centesimam, quia eadem sit terminatio. At non Logice modo, sed & Arithmetice, quæ multo certior est quam Logice, nihil illæ quidem nescio quam terminationem, nihil Andabatæ imperatoris principia moratæ, sed ipsi naturæ rerum servientes colligunt mille esse decies centena. Pag. 71 & 72 torquet se in omnes formas, ut inveniat aliquid, cur Seneca *millesimam usuram* pro minima dixerit: cur ita ex usu loquendi potuerit dicere, ne tentat quidem. Et quod est subti- ,, lissimum: Non dicit vero eum fœneratum fuisse usura haud millesima, sed

,, ob

„ ob eam non solutam, clamasse. Cui vero solvuntur usuræ, nisi qui fœneratus est? Utrum fœneratores patiebantur sibi solvi usuras per quædam intervalla & spiramenta, ita ut non clamarent, si millesima earum pars ad diem soluta esset? an quovis mense totum exigebant, quod debebatur? Certe qui nihil donat, nihil remittit, ut ipse de illis loquitur, non tantum temporis donat.

„ 86. Aliud acumen: Forte fœneratores, præter usuras grandiores, stipu-„ labantur creditæ sortis, quando restituenda esset, additamentum exiguum, „ velut fœnusculum. Sit hoc, quod nihil est: cur tamen aut unde hoc additamentum vocari potuit *usura millesima?* Deinde, illa *millesima usura* per „ vadimonia potuit vindicari: hoc additamentum quibus interdictis? Id „ dici *accessionem creditæ sortis* nemo mirabitur, si vera sunt, quæ Gronovius „ in Mantissa adversus Salmasium disputat p. 108 & seq. Non cervicem tantum equinam humano capiti, sed quidvis cuivis jungit hic pictor. Disputabam illic, quibus in locis veterum *fœnus* significet ipsam sortem creditam, non autem accessionem creditæ sortis vel usuras. Ille dicit quod nusquam est, nisi in ipsius portentifico capite, posse vocari accessionem crediti, si vera sunt, quæ tum ego disputavi. Statim autem, ut instar puerorum passim ædificat casas, quas destruat, hoc quod etiam vocat *fœnusculum*, esse partem crediti minus censet probabile, idque se demonstraturum vindicaturumque Salmasium. Quid autem ad Salmasium, quid ad me, utrum hoc, nunc primum auditum & in tam infelici officina procusum, additamentum vocari possit accessio crediti, nec ne? Huc illi facere vide-„ tur singularis Plauti locus Pseud. act. 1 sc. 111, ubi Ballio leno Callidoro „ amatori hoc consilium dat. *Amabas? invenires mutuum, Ad danistam „ devenires, adderes fœnusculum:* scilicet usuris grandibus, quæ ordinario „ solvi solent ab iis, qui mutuabantur. Hæc quoque, opinor, lacinia est gustus vicem præflorata & præcerpta ex beatis illis & reservatis Adversariis, quæ si quando habuerimus, nullas Nugas, nullos Sardos Venales desidera-„ bimus. Sed ô sententias capitales! Romæ centesimæ erant duodecim ta-„ bulis introductæ, & plebiscito tribunicio pro beneficio pauperibus con-„ cessæ, & leves habebantur adeo, ut illi rigidi justi antistites neminem au-„ dirent de illarum iniquitate querentem. Itaque jam homines istis conten-„ ti non erant, nec ferebant molestiam pecuniam numerandi aut tabulas „ conscribillandi, nisi accederet superpondium, quod simul cum reddita „ sorte dabatur. Id Senecæ est *millesima usura*, Plauto *fœnusculum*. Quot Anticyræ, quot hellebori jugera huic malo indies ingravescenti sufficient? Plautus loquitur, ut decet, quam induxit, personam: Si tibi cordi erat, nec in loculis aut in arca quî parares, quin circumspiciebas amicos, sicunde ad præsentem usum gratuita concederetur pecunia? aut si recusarent illi, quin ibas ad danistam, pollicebare te sorti reddendæ additurum aliquid usura-

 rum?

rum? te redditurum cum fœnore? Hoc est, quod ibi dicitur. *Fœnusculum* nihil est aliud quam fœnus, vel si sit gravissimum: ὑποκορίζει enim ad minuendam invidiam, blandeque ac tacite inculcat adolescenti, pro leviculo æstimandum quantumvis, dummodo amores suos redimat. Duos modos parandæ pecuniæ ad tempus conjungit, mutuum gratuitum & fœnebre, sine ullo alio additamento: ut Cicero quum Laconem illum præstat loquentem, se gratias habere legislatori, qui ipsum ea mulctasset pœna, *quam sine mutuatione & sine versura posset dissolvere.*

87. At alia miseria: hoc etiam videntur innuere Impp. in l. 11 Cod. Theod. de Usuris: *Quicumque ultra centesimam jure permissam quidquam sub occasione necessitatis eruerit.* Scilicet ignoraverunt, quid essent centesimæ & unciæ usuræ, quid centesimæ & sextantes usuræ, quid centesimæ & quadrantes, quid centesimæ & trientes, quid centesimæ & quincunces, quid centesimæ & semisses &c. quid denique centesimæ binæ aut ternæ. Horum enim est aliquid, quod sub occasione necessitatis erui significant imperato-
,, res. Rursus callide, ut putat, Sed nihil definio. Εἰκότως δέ σοι, ὦ πολλὰ πράττων· quid est enim in his commentis, quod sperare possis te cuiquam approbaturum? Sed hiccine est, cui primum numerum exacte pensitandorum modo fecit, doctæ & ingeniosæ Salmasii suspicioni me parum tribuere? Quanto certius habebimus vana & stolida esse, quibus ipse inventor, præceps alioquin & temerarius & quidvis adfirmandi negandive pro libidine, τοῦ τε κρείττονος καὶ τοῦ ἥττονος jactator parum tribuit? Sed statim corrigit, quod timidius profabatur: ut agnoscas in eodem diversissima vitia (quæ valetudini mentis adsignat in Caligula Suetonius) summam confidentiam & contra nimium metum: & quam vere Hippocrates τὴν ἀπειρίην dixerit
,, δειλίης καὶ θρασύτητος τιθήνην. Sufficit, inquit, evictum esse, Usuram vix
,, millesimam à fœnore unciario toto cœlo distare. Vix elocutus est, se nihil definire, & statim, certum esse pronunciat id, de quo nihil definit. Ubi autem evictum est? quando? quomodo?

88. Orationis reprehendendæ, perinde ut omnis hujus litis, ab ipsius procacitate initium est factum. Postquam illam quoque legem certaminis accipi & se inferiorem videt, tropæum id Grammaticum est. Ego vero ita sentio, qui se Philologicæ veritatis quæsitorem, qui de Criticorum familia, quamvis obscurissimum, profiteatur; qui ad materiam ex antiquitate Romana petitam lectu & arbitratu suo disputet, atque in ea plus aliis vidisse confidat; qui eloquentiæ doctoris personam ultro ambierit, susceperit, gesserit; qui se orationem pectere scire jactitet; ei sermonem dumtaxat Latinum, ut nunc haberi potest, præstandum, eumque turpiter discedere, si tropæum erigi de se Grammaticum injuria queratur. Præsertim, si is non iterum iterumque peccet (quemadmodum & diligenter ac sollicite loquentibus scribentibusque humanitus contingit, ut sæpe excidant, quæ impro-

bant

bant alioque tempore facile vitant ipsi) sed si tota ejus compositio sit indocta, inficeta, inæqualis, & qua verbis inculta atque impura, qua sententiis ineptis & male connexis ubique dissoluta, frivola, sordida: denique omnibus, quæ non modo Grammatici, quorum osor est, sed etiam rhetores, quorum contubernalis haberi desiderat, in ea re caveri præcipiunt, vitiis scateat atque affluat. Ejus generis, quum acervi construi possint ex paucis illis paginis, quibus me invasit, perpauca attigimus: ille ex omnibus quatuor loca vindicat. Quam strenue, videamus.

89. Quæritur, an Latine dicatur: *Quum hoc ita sit, etenim cur non sit & illud?* Item, *Hoc fecerunt: etenim cur voluerint facere, si Salmasii vera est „ opinio?* Ille semel atque iterum redundans meo judicio τὸ *Etenim* posuisse „ confitetur; solœcismum fecisse negat. Audiat, quid censeat Diomedes: *Solœcismus quoque fit modis quatuor, adjectione, detractione, immutatione, transmutatione. Adjectione, quum supervacuo quid sententiæ adjicitur.* Capiat mecum, quem voluerit, judicem, annon hæc particula supervacua istis „ sententiis adjecta fuerit. Quid dixisset, inquit, si illam tam frequenter „ usurpassem, atque simili ratione unoquoque capite solet Cælius Aurelia„ nus, Medicus antiquus, adhoc accuratus & nitidus. V. C. consulatur vel „ solum cap. V lib. 1 tard. passionum. Primo cur, Tam frequenter? Num quid ego culpavi frequentius, quam par erat, interpositam hanc particulam? Immo, adhibeat una pagina vel decies, dummodo ut illam & adfines, *enim, nam, quia,* &c. adhibere Latini solent. Deinde taceo de Cælio Aureliano: sed ubi ille simili ratione? Recte utimur hac particula, quoties quod diximus, imus confirmatum: non, quum ex posito argumentamur. Hoc posteriori modo iste; priori semper Cælius. En exempla ex eo ipso capite, quod nobis objectum est. *Sed hæc quidam discernunt, communibus propria jungentes: graves etenim, inquiunt, somni magis epilepsiam fore significant.* Mox: *pulsus parvus atque creber & vehemens. Etenim in epilepsiam declives atque pronos major atque rarus pulsus sequitur & imbecillus.* Iterum: *Patitur autem omnis nervositas* &c. *magis tamen caput. Etenim antecedentes plurimæ querelæ ejus partis existunt.* Et ita per omne caput. Secundum quod tuetur, est *jugeri* dictum in nominativo plurali. Ille monstrum monstro „ protegit: cur non & *jugeres*, inquit: utrumque juxta mea principia æque „ verum atque *jugera.* Taliane habet principia, qui toties consuetudinem loquendi ingerit? Agnosco hominem Grammaticis præsidiis, fulcris, tibicinibus destitutum. Tertium erat, *collocare* vel *dare ad usuram.* Defendit ille se veteris Grammatici auctoritate, qui ad Horat. 2 epodon etiam dixerit *ponere in usuram.* Quis autem vetus ille Grammaticus? Non Acro, cujus hæc verba: *IDIBUS] Tanquam eum pro fœnoris lucro jam receptæ pœniteret, ita recollectam Idibus, Calendis properat commodare, PONERE] Deponere.* Non Porphyrion, cui sic est: *Exigit, inquit, à debitoribus pecuniam*

compa-

comparaturus prædia, cogitans jucunditatem vitæ illius, quam in rusticis laudat, sed rursum stimulatus cupiditate pecuniarum quærit eam fœnori dare. Non Cruquianus, apud quem invenio: *PONERE, deponere, in fœnus dare.* Hoc si prodesse sibi credidit, cur non potius Plautum aut Varronem aut Scævolam invocavit, quibus *dare in fœnus, quæritare argentum in fœnus* dicitur: aut Tacitum, cui *fœnus in usuras extendere?* Sed horum nemo dixit *collocare in usuram* vel *dare ad fœnus,* aut *ad usuram. Certum as habere,* quod quartum fuit, errato excusat operarum, quia num. 11 legatur as usurarius. Sed hic alieno ore loquitur, nempe Hotomanni; illic suo. Si cui tamen hoc purgatum videbitur, superest abunde, quod substituamus. Etenim ne jejunum & parum ornatum esset tropæum nostrum, ipse illud egregie his Vindiciis instruxit: & me poscere auctores docuit.

90. Velim igitur monstret mihi τῆς βαρβαροφωνίας medulla & solœcissantum Siren, quem secutus sit in illo pag. 52. *Hactenus conjecturæ meæ cum suis paria faciunt.* Et p. 58. *Tam liberalis ero, ut suis fautoribus ultro adjiciam Budeos, Brissonios.* Et pag. 77. *Judicent qui hæc legent & mea cum suis contendere possunt.* Horum mihi det auctores: ut & illius pag. 1 *pelves profundere:* nam *effundere pelves* quid sit, scio; *profundere pelves* nunc primum audio. Sic pag. 8 *procurare famam* pro comparare, adipisci. Pag. 12 *deducere aliquid prolixe,* pro multis de aliqua re agere. Pag. 16 *audax adversarii assertio* pro sententia, opinione. Et iterum pag. 16 *quod mihi coincidit, imo coincidere debet.* Tum illud bellum *Ratione,* pag. 16. *Centesima potuit ordinarium fœnus fuisse juxta duodecim tabulas ratione omnium contractuum: & ratione cujuscumque licitæ negotiationis Justinianus usuras bessis permisit.* quum vellet dicere, *in contractibus, in licita quacumque negotiatione.* Sic p. 18. *Romanæ saltem reipublicæ ratione favere deberet Dio.* pag. 48. *Idem contendo ratione fœnoris unciarii.* p. 70. *Ætates Latini sermonis ratione distingui debent.* Cupio scire, cui hoc bono auctori ante istum placuerit. Tum *seponere conjecturas,* pro facere, quis dixerit, ut cum ille pag. 16. *Interim seponere tuto mihi licet hasce conjecturas.* Præterea qua syntaxi: *ea modestia, ut, cum forte hunc liberius notare potuissem, contentus tamen fui,* p. 4. Item pag. 22. *Fingamus Titium accepisse à Cajo* &c. *Cajus autem voluerit:* pro Titium autem voluisse, vel, si Titius voluerit. Sed & τὸ *Quod si,* quis sic adhibuerit, ut noster pag. 5. *Hoc scio, quod si iis sisteretur* &c. *commendandum esse:* & pag. 8. *Quis fando unquam audivit, quod si fuerit,* &c. *leges definivisse.* Item, *tam diu quam,* pro *tam diu, donec,* ut pag. 76. *auctorum loca tam diu in equuleo torquentur, quam similem explicationem in speciem admiserint.* Super hæc, cui tam lepide redundarit τὸ *vel,* ut huic pag. 22. *quis voluerit tantillo vel pecuniam suam collocare, periculum sustinere* &c. Tum quis tam bene didicerit doctrinam de Oppositis, ut diceret: *quo centesima opposite ad fœnus unciarium permissa in urbe fuerit,* pag. 37. Quin etiam, cui *mutuare pecuniam* fuerit mu-

rit mutuam dare, ut nostro pag. 39. Cui *discursus* pro scripto, quod lego pag. 55. *ut in toto hoc discursu agit.*

91. Sed quæ finis erit, si omnes colligam corruptissimæ dictionis nævos? præsertim, quum paullo politiorum sit nemo, cui non manifesti passim incurrant. Hic tamen notavit sibi fascinantibus illis oculis, in quo mihi pares „ redderet dolores. Scripsi enim de homine, verba ejus illudens: quanta, „ qui somnos nostros aucupatur & quadrijugum verum per lancem & licium „ concipit, in scribendo aut veret cum vigilantia aut cum veritate vigilet. „ In hæc ille: Certe si viveret Priscianus, hæc non intelligeret. ex Gellio li„ cet sciamus, quid sit *furtum per lancem & licium*. Ac fortasse non intelli„ git ipse, qui scripsit. dum morose Tullianæ elegantiæ & Liviano nitori „ Aboriginum jus & Saliorum hymnos intexit, Oedipo lectore indiget. Verum, si militi suprema ordinanti licuit formulam abolitam jam consuetudine usurpare, ὥσπερ νόμισμα ἀρχαῖον ἐκ θησαυροῦ πόθεν ἀδεσπότου, quæ invidia est de verbis & rebus antiquis disputantem adversus illum, qui se pro docto gerat, judicibus non nisi eruditis, aliquid ex interiore literarum vetustate arcessere? Priscianus quidem, si viveret, sciret me joco, non serio, agere, & hominem doctis deridendum cum suis veritatum quæstionibus & meæ dormitionis animadversionibus propinare: qua in re nescientem verba valere ab usu vulgari remota, juberet ille Plautum inspicere, multa fingentem risus gratia, quæ ab seria oratione abhorrent. Sciret furtum *per lancem & licium concipere* nihil esse aliud quam quærere aut quæsitum deprehendere. Sciret Ennium cecinisse: *satin verant vates ætate in agunda.*

92. Sed superest latebra: Insulto ut philosopho. Ego vero nec philoso„ phiæ unquam nec philosopho cuiquam insultavi. De istis, qui sibi non nisi barbare philosophandum censent, audiat, quid sentiat philosophus M. Tullius lib. II Tusculanarum: *Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini sane multi libri: quos non contemno equidem, quippe quos nunquam legerim: sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte, neque distribute, neque eleganter, neque ornate scribere, lectionem sine ulla delectatione negligo. Quid enim dicant, & quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. Quamobrem, quoniam, quemadmodum dicant, ipsi non laborant, cur legendi sunt, nisi ipsi inter se, qui idem sentiunt, non intelligo.*

93. Restat unum, ut noscamus, quas ille literas interiores censeat, quaque ratione & via in addiscendis illis sibi utendum existimarit. Ita fert hominum natura: facile nostri similes imaginamur & fingimus: quibus virtutis inest indoles, plerosque non malos credimus; quo autem quisque deterior, eo pauciores sperat inveniri probos: & qui de moribus alienis judicat, suos in consilium adhibet. Sed nemo in hoc genere intemperantior: quemcumque videt, obstat occurritque ipse sibi, & alios per mediam pellem suam

intuetur. Itaque quum non nisi invidia, maledicentia, contumeliosus animus, & quosvis lacessendi lædendique libido, obtrectatio & ingrata voluntas erga auctores suos, cœca & præceps temeritas, πολυπραγμοσύνη molestissima, frons pudoris expers, quæsitissima ὑπόκρισις & omnia fucata perpetuaque vitæ histrionia, suspicax & maligna interpretatio innocentissimarum cujusque actionum & cogitationum & ex suspicionibus odium, eruditio ἐπιπόλαιος, perfunctoria, vix ingenuo digna, & tamen omnia promittens, persuasio scientiæ & venditatio immodica & arrogantissima, gloriæ insolentes ubique, & verborum triumphi, ubi maxime & miserrime victus & captus tenetur, illecebræ ad juventutem ab solidis ad inania convertendam, collegas refrigerandi calumniis & quamvis amicos inter se committendi susurris artificium, avaritia speciem contempti quæstus induens & quod recta via recusat, id duplum per pseudothyrum invitans, quos & plures hujusmodi Furiarum stimulos additos habet atque infixos, προσκαρήνους, ποδικαρδίους, ὑπαγκαλίους, ὑποκολπίους, ἐνδομύχους; quum igitur, ut occœpi dicere, non nisi hæ ferales species oculis ejus oberrent, perpetuo laborat hoc morbo in judiciis de aliorum persona faciendis, ut his attribuat, quæ in sese invenit: nec certior est ratio deprehendendi hominem, quam si aptes ei, quæ pingit in illis, quos injuria insectatur: semper enim ab se formam & colores sumit. Hic igitur etiam pulcre se prodit ac detegit, quum nescio quos furfurosos Criticos ita ,, progredi scribit: Singulares aliquas voculas & locutiones, nomina quoque ,, propria apud auctores observant: ea in indicem redigunt. Noli putare, hunc ludium aliam quam suam ipsius personam agere. Hoc nimirum unum fecit ipse, & hoc facto furfurosis se Criticis immiscuit. Hoc clamant Volusianæ chartæ, quibus bibliopolia jamdudum gravavit, nihil aliud hominem in studiis humanioribus præstitisse, nisi quod singulares aliquas voculas, locutiones, proverbia collegit & in numerato habet: sed quid ista sonarent in ore Romano, ubi proprius illorum locus ac sedes, quibuscum conjungi, à quibus separari & abesse debeant, hoc observare insuper habuit: quod ostendit passim inepte & locis alienissimis eadem inculcando: ut omnium rerum, morum, hominum, sermonis, historiæ veteris imperitissimum vel ipsis his Vindiciis se probavit. Nec mirum est ignorare res Romanas, qui (ut Circes Sophistices poculo ebrii & in eadem hara producti omnes) totam Græcam & Romanam antiquitatem neque rerum neque scientiæ numero ducat; quæ antiqua sunt, facere ad doctrinam inficietur; Criticum seu Grammaticum & Reale pro distantibus toto genere, ac tantum non pro contrariis inter se repugnantibus, nec commune quidquam ferentibus, habeat. Quæ sequun- ,, tur, superant sane captum ejus, Sollicitare varias lectiones & bibliothecas ,, ad suffragium vocare: sed redit ad suum illum regium morbum, primo, quum, quod laudi est, per quod meliori seculo vivimus, & priscos auctores, dicendi magistros, sinceriores habemus, & omnia studia cultiora sunt,

,, infa-

"infamat; deinde quum addit, MSS. licet nunquam inspectis: hic enim iterum alios videt in fallaci sui ingenii speculo & ex sua fide alienam æstimat. Quemadmodum etiam, quum meminit locorum obtorto collo tractorum & in eculeo tortorum: scit enim, quid Livio, quid Plauto, quid Horatio, quid Senecæ, quid Scævolæ, quid Imperatorum constitutionibus nuper fecerit.

94. Persequuti sumus omnia, de quibus moneri studiosorum hujus controversiæ disceptatorum interest. Quæ præterea ὡς ἐξ ἁμάξης deblaterat, flocci facio: neque enim vel si dignus istis ego, ille in meliore causa & fœnus unciarium erit centesima. Sed etiam aut palam ementita sunt; in his, quæ ipsum in sese admisisse constat, ego semper procul habui: aut honori mihi ducunt prudentes, quæ vituperat: aut media & innocenter facta in pravum malignissime detorquentur. Iterum dicam, ut ringatur & rumpatur, hæc alto vultu contemnimus, confisi satis moribus nostris & judiciis bonorum. At ille existimationis suæ, si quid ejus reliquum fecerat sibi, plaustrum perculit, tam temere & inconsiderate, tam infeste atque inimice, tam minaciter & gloriose aggressus, in quo nil nisi ignaviam suam publicaret. Exposita in theatro & denudata est hominis ambitiosissimi infantia in illis studiis, quæ docere ausus est, antequam didicisset, & in quibus & vulgo & sibi mire jamdudum placuerat. Hanc ille veritatem, dum quaternas quærit, unam omnibus certiorem, & Hercule dextro & communi satis Mercurio, invenit, atque orbi literato patefecit. Eat nunc & conquirat omnes rumusculos, fabellas, auditiunculas: & his referciat, quod profana Eleusin parturit rescribenti, si quis non tacitus hujus Fimbriæ ferrum recipiat; suas Ridiculogrammaticosycophanticas Vindicias; sua Adversaria, in quibus utramque paginam facimus; suum adversus Critica mangonia prolixi libri prolixum malum; suam æruginem adversus institutionem auream: non abolebit notas, quas ipse sibi inussit, ego tantum ostendi. Interim aut tacitus fruar in barbariæ petauro cernuantis insania, aut si quod iterum ciebo bellum, perinde ut hoc prius, non adversus narratiunculas, sed adversus unicam hominis inscitiam militabitur.

LECTORI.

Ut omnes pueri posthac rem, quæ doctissimos viros tantopere ac toties vexavit, capere possint, en tibi descriptionem usurarum secundum Romanos ex ipsorum mente lingua Belgica & Gallica expressam.

Centesimæ usuræ, **een van hondert ter maent: maeckt in't jaer twaelf.** *Un denier pour cent par mois. par an douze pour cent.*

Semisses usuræ, **een half penningh van hondert ter maent: in't jaer ses penningen.** *Un demy denier pour cent par mois. par an six.*

Quadrantes usuræ, **een vierdendeel van een penningh van hondert ter maent: in't jaer drie penningen.** *Une quatriesme partie d'un denier pour cent par mois. par an trois.*

Trientes usuræ, **een derdendeel van een penningh van hondert ter maent: in't jaer vier penningen.** *Une troisiesme partie d'un denier pour cent par mois: par an quatre.*

Sextantes usuræ, **een sestendeel van een penningh van hondert ter maent: in't jaer twee penningen van hondert.** *Une sixiesme partie d'un denier pour cent par mois: par an deux.*

Unciæ usuræ, **een twaelfden deel van een penningh van hondert ter maent: in't jaer een penningh.** *Une douziesme partie d'un denier pour cent par mois; par an un.*

Quincunces usuræ, **een derdendeel en een twaelfden deel van een penningh voor hondert ter maent: in't jaer vijf penningen. Want twaef derdendeel maecken vier geheele penningen: twaelf twaelfdendeel maecken eenen gantschen: sijn t'samen vijf.** *Une troisiesme & douziesme partie d'un denier pour cent par mois. par an cinq.*

Septunces usuræ, **een halven deel en een twaelfdendeel van een penningh voor hondert ter maent: seven in't jaer.** *Un demy & une douziesme partie d'un denier pour cent par mois, par an sept.*

Besses usuræ, **twee derdendeel van een penningh voor hondert ter maent: in't jaer acht penningen.** *Deux troisiesmes d'un denier pour cent par mois, par an huict.*

Dodrantes usuræ, **drie vierdendeel van een penningh voor hondert ter maent: in 't jaer negen penningen.** *Trois quatriesmes d'un denier pour cent par mois, par an neuf.*

Dextantes usuræ, **drie vierdendeel en een twaelfdendeel van een penningh voor hondert ter maent: in't jaer tien.** *Trois quatriesmes & une douziesme d'un denier pour cent par mois, par an dix.*

Deunces usuræ, **drie vierdendeel en twee twaelfdendeel van een penningh voor hondert ter maent: in't jaer elf penningen.** *Trois quatriesmes & deux douziesmes d'un denier pour cent par mois. par an onze.*

Asses usuræ, eædem quæ centesimæ, **een penningh van hondert ter maent: in 't jaer twaelf.** *Un denier pour cent par mois, par an douze.*

FINIS.

JOH. FREDERICI GRONOVII
DE
CENTESIMIS USURIS
ET
FOENORE UNCIARIO
ΑΝΤΕΞΗΓΗΣΙΣ III.



Principium tredecim paginarum, tanquam ex meris maledictis, mendaciis, ludibriis aptum & connexum, quæ refelli nec studiosorum nec mea interest, nihil moror. Præsertim quum speculo genii morumque suorum, quod in extremo Antexegesis illi secunda opposuit, quoque multi ejus familiarissimi ultro apud me jurarunt nihil esse similius, nihil expressius, ita sit ipse delectatus, ut id omne huc transtulerit, quasi domi habere vellet, inque antipagmentis velut atque ornamentis postium dedicaverit. Hic mihi adversus invidiam, ex veris innoxiis, sed malignissime perversis & infuscatis, ex falsis ab ipso & rumigerulorum, a quibus semper pependit, grege commentis confictisque, ex ambiguis & utramvis interpretationem patientibus in pejora deflexis, sine fine in me quærit & congerit, fascinus sufficit, hoc amuletum: quum a tam pravæ mentis homine vituperari sit laudari.

2. Numero igitur IV pag. 108 primum suum argumentum incipit vindicare, cujus hanc fecerat propositionem: „Quæcumque respublica, cum „& populi & privatorum opibus floreret, admisit usuras centesimas, ea „multo magis illas tulit, quum esset inops & modicarum virium. Hanc ego negavi necessariam & in universum veram esse; eoque non stare syllogismum e puris μερικαῖς aptum & cohærentem dialectico διαλεκτικῶς ingessi: posse namque contingere, ut ea respublica cum flore potentiæ & opibus acceperit vitia fœnus incitantia, quæ rebus tenuioribus ignorabat. Hic nemo non videt unum ei negotium dari, ut ostendat hoc nunquam contingere, quod dixi, & aut mores corruptos atque insolentes non augere fœnoris modum, aut, utcumque augeant, tamen nec tenuem & mediocrem publicum

cum & privatorum ſtatum per ſe ſine gravibus vulgo graſſantibus uſuris tolerari, atque ita propoſitum ſuum eſſe immotæ veritatis. Neutrum ille, ſed
„ cavillatione inani, non hic quæri quid fieri poſſit, aut quid alibi factum
„ fuerit, ſed quid Romæ accidiſſe vero conſentaneum videatur. At enim non quæritur hactenus, quid Romæ factum fuerit, aut fieri quiviſſe debeat videri: nam vox *Romæ* in eam propoſitionem, ut nunc concepta eſt, aditum nullum invenit: hoc controverſum eſt, an propoſitio iſta ſit καθολική & in univerſum vera; & annon perpetuam ejus fidem mutet atque infringat caſus nec novus neque incredibilis, quem ei obduximus.

„ 3. Sed initio, ait, notari convenit πρῶτον ψεῦδος, quod maximum quo-
„ que Salmaſium tranſverſum egit. Jus poſtulat. dignum enim & obelo & nigro theta, ſi quid apparet hujuſmodi. Exſpecto igitur, quæ ſit illa πρωτο-
„ λογία ψεύδους, quæ Salmaſium etiam vertigine corripuerit. Senſimus ſcili-
„ cet Romanos eo tempore, quo a Decemviris leges duodecim tabularum
„ ferebantur, admodum pauperes fuiſſe. Hoccine ψεῦδος eſt? & quidem πρῶτον? tum arguente illo, qui eandem omni diſputationi ſuæ ſuppoſuit baſin? Quis enim ſic diſſeruit in ſacerrimis Exercitationibus: Quum apud
„ omnes ſanæ mentis homines in confeſſo ſit in ea republica, quæ ſubjectos
„ habet pauperes & æris indigos, uſuras eſſe grandiores &c. Non utique Salmaſius, non Gronovius, ſed is ipſe, qui nunc ſuam culpam in illos trajicit. Quis in Vindiciis prioribus hanc tranſennam ſtruxit pag. 12 in ea re-
„ publica, cum egena & impotens adhuc eſſet, minimum uſuras centeſimas
„ per leges receptas fuiſſe. Pag. 16. Quid veteres leges, niſi quæ Roma in
„ cunis adhuc vagiente vigebant, & præſenti pauperis reipublicæ conditioni
„ ſerviebant, quæ pag. 126 Vindiciarum poſteriorum repetit. Pag. 18 Ro-
„ mæ cum pecuniæ eſſet ſterilitas & populus egenus, Unciarium fœnus ſeu
„ centeſima legibus permiſſa fuit. Sic ipſe. Cæterum quoties Romanos primorum ſeculorum pauperes dictitamus, non facimus eos Iros, mendicos, ſine ſtatu & lare

Sordido vitam oblectantes pane, in pannis, inopia,

quales turpis egeſtas ad facinora promptos agit: ſed modico contentos, cenſu brevi divites, parvo utentes, *parvi beatos ruris honoribus*, qui cum M' Curio civem inutilem judicantes, qui ſeptem jugeribus locupletem ſe non putaret. Certe prima claſſis XCVIII centuriarum non habebat inciſos, niſi opulentos, nec tantummodo centum, ſed & quadringentorum & octingentorum & decies centenum millium æris dominos: quæ non dubito, quin illo ævo tantidem aut pluris fuerint, quam poſtea in tot luxurioſis neceſſitatibus centum, quadringenta, octingenta, decies ſeſtertium. Quum pauperes primis incrementis Romanos vocamus, reſpicimus eorum tempora iſta & comparamus cum ſubſequutis: videlicet non ita copioſos, ut poſtea facti ſunt, ex quo aurum & argentum, quæ moneta ſua per annos prope quin-

quingentos excluserant, admiserunt, & spoliis tributisque omnium gentium ditari sustinuerunt. Frustra igitur prædas Italicas & exsuvias urbium expugnatarum aut solo æquatarum jactat: frustra Tarquinii fasces, trabeas, curules, annulos, phaleras &c. e Floro annumerat: frustra ex eodem aureas armillas Sabinorum ostentat: frustra de Suessæ Pometiæ spoliis quinque minas viritim tributas venditat. Nemo nostrum hæc nesciebat aut inficiabatur: non Salmasius, non ego, non ipse, (vide quam æquus sim) qui nunc sua vineta cædit: sed pauperes diximus non affluentes pro habitu pecuniarum, quibus eorum posteri abundarunt. Nonne illa ipsa, quæ ex Salmasio ,, advocat: Solis inopibus soli divites fœnerabantur: hæc nonne agnoscunt illo seculo & inopes & divites? Quin ego quoque jamdudum inculcavi statim cum ære principum & bonorum civium urbem & agros intrasse æs alienum tenuiorum, & cum ære alieno usuras, inque usuris centesimas, longe ante duodecim tabulas: nempe quod nihil definitum esset publice de usurarum modo, sed quisque rem suam, quantum posset, sibi faceret fructuosam. Ergo qui confutat suum ipsius πρῶτον ψεῦδος, & postulat se vincere, Romanos illo tempore, quo Duodecim promulgabantur, neque pecuniæ inopes & navigationibus ac mercaturis deditos fuisse, recidat illud, Neque pecuniæ inopes; nemo enim id in dubium vocat: de navigatione ac mercatura transmarina videbimus.

,, 4. Polybius, inquit, testatur Romanos mox ab ejectis regibus, Cos. ,, Junio Bruto & M. Horatio, annis, priusquam Xerxes in Græciam traji- ,, ceret, duodetriginta, ante latas leges duodecim tabularum sexaginta, ex ,, fœdere cum Carthaginiensibus mercaturæ gratia adiisse Carthaginem & ,, regionem universam Africæ cis Pulchrum promuntorium: ac ne quis du- ,, bitet, ipsas fœderis tabulas exhibet. At ego pro comperto habeo toto Polybio, quod hic ei testimonium denuntiatur, nusquam reperiri. Quid enim? qui populus fluctuum rudis ac vere terrester circa quingentesimum annum describitur; qui bello Pyrrhi in fœdere cum Magone sic cavit: ὁπότεροι δ᾽ ἂν χρείαν ἔχωσι τῆς βοηθείας, τὰ πλοῖα παρεχέτωσαν Καρχηδόνιοι καὶ εἰς τὴν ὁδὸν καὶ εἰς τὴν ἔφοδον· qui caudicariis freto exercitum transponere in Siciliam necesse habuit; qui quinqueremis ne formam quidem noverat, antequam ex hostili capta sibi ejus exemplum sumeret; quem adjurabat imperator Pœnus se non permissurum, ut quisquam eorum aqua marina manus ablueret: is jam ante ducentos annos mediterraneum transiit, Carthaginem frequentavit, oras Africæ circumvectatus est? Cur igitur Romanis invisitatæ Pyrrhi elephantorum formæ vincentibus palmam extorserunt, quos tot totidemque annorum commeatibus & cataplis Carthagine familiares oculis reddere potuissent, & publice ali ac bellare doceri conspexissent? Nimium inscius antiquitatis Romanæ fuit Polybius, hoc si mandare literis ausus est. Cur autem, qui Flori vulgatissima & pueris nota verba tam late recenset, de Polybio

lybio ne voculam quidem transſcribit, librum & ſectionem ſignare contentur? niſi quod ſperavit legentium raris vel otium vel curam ipſum Polybium explicandi, & (ut ferme accidit in his pugnatoriis libellis, quos curſim tranſeunt plerique, non ut diſcant aliquid aut de re judicent, ſed ut faveant vapulanti) ſic fore, ut ab illo decipi malint quam verum cognoſcere. Nec novum eſt cujuſcumque orationis canalicolas & cavillatores ac verborum aucupes longe aliam, quam voluerat auctor, ſententiam comminiſci. *Nihil eſt, Antipho, quin male narrando poſſit depravari*, inquit Comicus. Ergo ipſum Lycortæ filium audiamus. Εἰς Καρχηδόνα καὶ πᾶσαν τὴν ἐπὶ τάδε τοῦ Καλοῦ ἀκρωτηρίου τῆς Λιβύης, καὶ Σαρδόνα καὶ Σικελίαν, ἧς ἐπάρχουσι Καρχηδόνιοι, καὶ ἐμπορίαν πλεῖν Ῥωμαίοις ἔξεστι. De Pulchro promuntorio ibidem: Τὸ μὲν οὖν Καλὸν ἀκρωτήριον ἐστὶ τὸ προκείμενον αὐτῆς τῆς Καρχηδόνος πρὸς τὰς ἄρκτους, οὗ καθάπαξ ἐπέκεινα πλεῖν ὡς πρὸς μεσημβρίαν οὐκ οἴονται δεῖν οἱ Καρχηδόνιοι τοὺς Ῥωμαίους μακραῖς ναυσί. Non hic lego, Ῥωμαίους πλεῦσαι εἰς Καρχηδόνα &c. ſed Ῥωμαίοις ἐξεῖναι πλεῖν. Quantum igitur intereſt inter licere facere & facere de præſenti, tantum intereſt inter id, quod ex vero tradit Polybius, & quod ὁ ψεύστης ſibi, tanquam a Polybio traditum, vult credi: Καὶ ἴσα μαρτυρία οὐκ ἐστί. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν; inquit Apoſtolus gentium: numquid inde perſuaſum voles circumduxiſſe? Licuit per legem Canulejam tribunos militum conſulari poteſtate de plebe creari: numquid propterea intra quinquageſimum annum & ante obſidionem Vejentem quiſquam eſt creatus? Licebat etiam ſervis naturaliter in ſuum corpus ſævire, teſte Ulpiano l. IX π. VII D. de peculio. ergone frequentes etiam fecerunt? Sic hujus ex fœderis formula haudquaquam ſequitur, ut quod liceret Romanis, id uſurpaſſe ſtatim poſſint dici. Quam multa vero & olim reges reſque publicas potentes condixiſſe legimus, quam multa hodie quoque paciſcuntur ex magnis cogitationibus, quæ fatum & ſerus veſper fecerunt faciuntque irrita? Nihil vulgarius. Pœni jam tum mari pollentes, ut viderentur aliquid gratificari, neu pacta eſſent inania ſine commodo contrahentium conceſſerunt, ut in Sardiniam, in Siciliam Punicæ ditionis, Carthaginem & ad Africam, excepta regione ultra Pulchrum, navibus ambularent Romani, eo facilius, quia ſciebant homines ἀθαλαττώτους, ἀσυλαμινίους, ægre hoc jure uſuros. Conſules admiſerunt pacta qualiacumque, ſive ſpe quandoque maris excolendi, quæ quidem in arcto erat vivis Tarquiniis, ſive ipſam tam clari populi ſocietatem magni ducentes, præſertim tali tempore; ſive quod merces transmarinas per eos conſequerentur. Jam quod imperari ſibi patiuntur Romani, ne Pulchrum ultra progrediantur, & in alio fœdere Samnitici belli tempore τοῦ Καλοῦ ἀκρωτηρίου, Μαστίας τε καὶ Ταρσηΐου μὴ λῄζεσθαι ἐπέκεινα, μηδ᾽ ἐμπορεύεσθαι, μηδὲ πόλιν κτίζειν, id, ſi bene calculos ponas, ſatis demonſtrat longinquæ navigationis nec ſuetos tum nec cupidos fuiſſe Romanos: quales ſi fuiſſent, nunquam deſcendiſſent ad eam conditionem, quæ

datam

datam a natura libertatem illis adimeret, & tantum vasti maris una cum adjacentibus terris clauderet. Pellucet igitur jam fraus falsi testimonii Polybio invito expressi.

5. Flori & Dionysii non minus *συκίναι ἐπικουρίαι*. De Anco rege, Ostia ab eo colonia deducta Florus, *præsagiens animo futurum ut totius mundi opes & commeatus illo, quasi maritimo urbis hospitio, reciperentur:* Dionysius, *οὐ μόνον ἠπειρωτῶν, ἀλλὰ καὶ θαλαττίων παρεσκεύασε τὴν Ῥώμην γίνεσθαι καὶ τῶν διαποντίων ἀγαθῶν γεύεσθαι.* Hic audio quidem mundi opes maritimo urbis hospitio receptas & Romam *γεύσασθαι τῶν διαποντίων ἀγαθῶν*· sed non audio statim id, ut condita erat colonia, evenisse, nec Romanos fuisse, qui jam tum merces istas adveherent. Et satis caute Florus, *præsagiens animo futurum.* Ecquando autem? nempe postquam orbem terrarum arma principis populi & fama magnitudinis Romanæ perambulavissent.

6. Vix crediderim quemquam mortalium hoc seculo Sopistica ebrium, saucium, mersum, obrutum & sepultum fuisse, præut hoc portentum. Ea de re signa & argumenta paucis eloquar. Ne unum quidem eorum, quæ de meis invadit aut arripit carpenda, sic exponit, ut lectori justam judicii copiam faciat; utque appareat, quæ mea in eo mens, quæ finis, quæ intentio fuerit: probationis illud, an exceptionis, speciei & ornatus, an illustrandi ergo adjecerim: meumne confirmare, an ipsius aliquid demoliri ac destruere voluerim: ad caput summamque rei, an ad obiter enatam atque incidentem quæstionem id pertineat. Omnibus autem eam sententiam, causam, occasionem adsignat, ut non nisi putide atque inepte in ista parte, prolata „& collocata videantur. Quale est Num. V pag. 112. Ad paupertatem „populi Romani probandam advocat Valerios Poplicolas, Menenios A„grippas, Curios, Fabricios. Mentitur volens: non enim ad paupertatem populi Romani probandam (neque causa erat probandi, cum ipse pauperes eos & æris indigos appellasset) sed ut constaret pauperes parvoque contentos vivere posse sine ære alieno, sine fœnore, illorum heroum mentionem feci. Vide Antexeg.prim. Num. 5 pag. 467. Ideo illis Scythas, Germanos, Indos adjunxeram. Quod quum tot exemplis firmatum nequeat negari, rursus labat propositio, & auctoritatem perdit generalis dedicativæ, „In ea republica, quæ cives habeat pauperes & æris indigos, usuras esse „grandiores, quam ubi pecunia & opibus affluunt. Nam si datur, *læta res, honesta paupertas*, sine alieno ære, sine usuris solvendis, non est necesse, ubi minus est opum, ibi graviores usuras esse. Iamque, quos ille mihi objectat, Aristides, Socrates, Ephialtes, Phocion Athenienses, Epaminondas & Pelopidas Thebis, & ex Valerii Maximi loco longo, tantum ut chartæ plus impleat, producti Ælii, Scipiones, Scauri, deserunt illum, & in meas se partes conferunt. neque enim hos obæratos fuisse aut versuram fecisse a quoquam accepimus.

7. Collegeram exempla quædam vitiorum, quæ Romæ fortunatissimis in speciem temporibus fœnus intenderunt, & in M. Tullio Cicerone, Crispo Sallustio, Julio Cæsare, Suetonio, Plutarcho, aliis, velut pecuniæ in tabulis patent. Ea erant luxus, ambitus, amor possessionum magno in ære alieno, redemptio facinorum & metus judiciorum, nequitia adolescentium, æs alie-„ num amplissimorum & nobilissimorum virorum. Hos ille Num. vi pag. „ 116 vocat errores, quos castigare si velit omnes, πάρεργον ἔργου μεῖζον ἂν „ γένοιτό μοι, ait. At nullam ego rem posui, nullo eam vocabulo convestivi, quæ non in eadem materia apud illos, quorum nomina edidi, reperiatur: nec mentis compos quisquam, qui paullulum operæ in versandis tam necessariis scriptoribus contriverit, hoc potest inficias ire. Sed rursus hic ἀπαρτιῶν delitescere fraudem putat omissis ipsorum testimoniis, quæ singulis ego titulis subjeceram. Dein sex mihi annumerat responsiones. Prima hæc est: „ Egenis, decoctoribus, ambitione excæcatis, luxuriosis & insanas substru-„ ctiones molientibus nemo credit. At si Romanis istis, quos descripsimus, nemo credidisset, unde illorum æs alienum? Humiles, infames, despicatissima mendicabula nobis obducit, quum illa vitia, de quibus nos agimus, essent hominum honestissimorum & ornatissimorum, summis natorum generibus, principum civitatis, prædiis urbanis rusticisque & quidem instructissimis præditorum, etsi pars eorum maxima fiduciata & opposita pro debitis esset; splendidorum & ostentatorum pecuniæ, quique plurimis arcana illorum „ vulnera ignorantibus optimæ fidei esse crederentur. Deinde frustra solli-„ citari ait adolescentes amatores; quotquot ex argentariis vel micam sa-„ pientiæ habuerint, ne nummum quidem sestertium illis credere voluisse. Cui unum exemplum valet ad probabilem modo propositionem reddendam necessariam, quanto magis satisfacient duo, Plautinus Calidorus & Terentianus Antipho, qui sibi copiam versuræ faciendæ queruntur esse nullam. Quasi vero cum scripsimus nequitiam adolescentum auxisse fœnus, voluerimus intellectum, neminem unum adolescentulorum fuisse, cui danista responsaverit. Cur nunc obliviscitur Stratippoclis in Epidico, Philolachis in Mostellaria? Quot autem fuerunt, qui Augustos & senatum moverunt ad „ condendum SC. Macedonianum? Hic, ut aliquid regerere videatur, Nec „ improbus, autumat, ille & improvidam juventutem circumvenire solitus „ Macedo adolescentibus aliquid credebat, nisi in mortem parentum. Sed id aliquid prorsus nihil est: jam quod ad ea, ob quæ nobis mars in manibus, temporius an serius exegerit, nihil interest, dum exegerit nimium quantum & nobilium magnarumque domuum juvenes improbo in quæstu habuerit, eorumque nequitiam fœnoris majoris conciliatricem. Rursus, Contraxerit, „ infit, Macedonius centesimis quoque cum decoctore amatore adolescente: „ non tamen per clandestinum illum & vetitum legibus contractum usuræ „ in foro crescunt. At neque iste, quisquis fuit, cum uno solummodo, sed

cum

cum plurimis, haud dubie contraxit; neque unus tum temporis tam infamis lucri sectator fuit, sed infiniti ut in tanta urbe tantaque multitudine; neque tum primum coorti, sed aliquot ante seculis grassati quam reprimerentur. Jam apud Nævium in Triphallo pater servo minatur:

Si unquam quidquam filium rescivero
Argentum amoris causa sumpse mutuum,
Extemplo illo te ducam, ubi non despuas.

Fufidium quoque sua ætate impune id fecisse testatur Horatius lib. I Sat. II.

Quinas hic capiti mercedes exsecat atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.
Nomina sectatur modo sumpta veste virili
Sub patribus duris tironum.

Hi ergo τοκογλύφοι, ut sufficerent suis, arca deficiente ab argentariis aut aliis pecuniam suam mercede occupantibus mutuati gravioribus solito usuris, cum ipsi maximas consequerentur, facile tot inter alia momentum fecerunt, ut fœnus cresceret.

„ 8. Tertio inculcat, dissolutos nattas, obæratos, importunos prensato- „ res, adolescentes amatores non plus contulisse ponderis ad intendendum „ fœnus quam assiduorum virtutes & fidem fallere nesciam ad id minuendum. Fallit iterum & fallitur: nam assidui & certi homines haud difficulter minoribus usuris nummos inveniunt etiam, quum vulgo fœnus immodice auxit. Hinc Cicero lib. v famil. epist. VI. *Bonis semissibus magna copia est.* Sed ubique fere gentium, quod Thales ajebat Milesius, mali sunt plures, & non pauci, qui bonos mentiantur. Sic omnes candidati vocabantur *boni viri*, qui *creta se occultarent, & sederent quasi homines frugi.* Atque hujusmodi homines potissimum rem inclinant, & non bonis quidem, sed sæpe sat bonis quoque versuram reddunt difficiliorem. Quarto, quod Cicero scribit ad Atticum & ad Q. fratrem ardente ambitu fœnus uno die bessibus ex triente „ factum; Hoc, inquit, non tam tribuendum cæcæ ambitioni candidato- „ rum, quam partim inopiæ pecuniariæ, quæ erat penes argentarios, partim „ immodicæ illorum liberalitati, qui cum grandem pecuniam inter tribus „ distribuere meditarentur, certatim argentum, quod in foro erat, sibi credi rogabant. Sed unde iste nos certos faciet tum temporis penes argentarios inopiam pecuniæ fuisse? Hoc est exserere in ventum brachia & τὸν ἀέρα δέρειν. Ubi enim, quæso, tum erat pecuniarum copia, præterquam in urbe Romana? Dein quid huc pertinet ambitionem candidatorum *cæcam* dicere? nisi suum ipsius vitium, qui cæca, temeraria, inconsulta, per totum hoc opusculum ambitione se venditet imperitis, quacumque occasione nominare „ voluit. Quid vero, non cæcæ ambitioni candidatorum, sed immodicæ libera- „ litati? Quam miserum est conflictari cum homine, qui neque quid eloquatur ipse, neque quid is, quicum ei negotium est, intelligat, aut intelligere se

simulet, & pro diversis dissentientibusque accipiat, quæ per omnia conveniunt; contraque quæ longe divertunt ac discrepant, eodem numero sensuque habeat. Superius audivimus fingentem tantumdem esse facere licere ac facere: nunc pro aliis atque aliis ponit ambitionem candidatorum & eorundem quam vocat immodicam liberalitatem. Quid? ille non vidit, cum dixi, *Ambitio candidatorum*, nihil aliud me significasse, quam non quidem liberalitatem (nam eo vocabulo res indigna est) sed effusionem nummorum immensam per tribus honoris petendi gratia: quos nummos ut in promptu haberent, quamvis durissimas fœnerantium pactiones subibant, quicquid erat vel in suis vel in clientium & amicorum bonis, pignori opponebant; se denique ac suos depauperabant, ut mox rempublicam depecularentur. Itaque qui me contendit male statuisse ambitionem candidatorum causam crescentis fœnoris, & potius illorum immodicam liberalitatem nominat, præstigias facit auribus & id ipsum revera dicit, quod ego dictum volui, & intellectum sapienti lectori exploratum habeo. Neque aliter ipse locutus est „ Vindic. prior. p. 41. Quodque tam repente a triente ad bessem fuerit de- „ ventum, imputari debet ambitiosissimæ candidatorum nationi: nihil de inopia pecuniæ apud argentarios præfatus, neque immodicam liberalitatem candidatorum a cæca illorum ambitione distinguens.

9. Subjicit Quinto, quod neque illum juvat neque me offendit; nisi quod „ si quid boni est, id more suo pronuntiando reddit malum; Rationem usu- „ ræ, quæ in foro versaretur, pependisse a conditione provinciarum; & fi- „ dem multorum in foro sæpe vacillasse, si metus subesset parum argenti „ Romam deportatum iri. Cæterum his quid prodest, interponi, Cum co- „ gerentur vectigalia per ipsos equites & provinciales magistratus? Sive per hos enim sive per alios id fieret, naturaliter usuvenit, ubi proventus & reditus sunt maligni, ibi labare fidem, quæ proventibus istis ac reditibus nitatur. Neque tamen hoc exsequitur Cicero, quod iste ex eo collegit, aut id, quod ex eo collegit, ad rem facit præsentem. Narrat Tullius, quia maxima populi Romani vectigalia erant in Asia, & numerosis ac frequentissimis societatibus equitum civiumque Romanorum & familiarum agitabantur, qui suos procuratores, qui negotia & commercia Romæ quoque haberent plurima, si quid in Asia sit calamitatis acceptum, non posse fieri, quin multi quoque in urbe decoquant, multi suspecti fiant tanquam cladi affines & proximi: adeo ut consistat negotiatio, quisque se removeat a periculo, atque otiosam & sine fructu pecuniam quam occupatam nominibus incertis malit, nemo sciat, cui credere debeat. At iste unum intendit, nempe ut rejectis, quas ego causas subolescentis fœnoris ex malis & vitiis temporum perhibui tam manifestas, sola recipiatur, si ex provinciis parum argenti Romani „ deportaretur. Nec subtilius statim, Quicquid pecuniæ per avaritiam pro- „ vinciales magistratus coegissent, Romæ fere fœnori eos per argentarios dedisse,

dedisse, Ciceronem ostendere, quum scribit: *qui pecuniam ex ærario deprom- ptam, ad administrandum bellum, aut propter cupiditatem provinciæ magistrati- bus diviserit, aut propter avaritiam Romæ in quæstu reliquerit.* Res omnino probatione non indiget: nec quin multi id fecerint, ambiguum est: sed cu- jus judicii tam imparia jungere, & confirmare, quod necesse non est, iis, quæ a proposito aliena sunt. Cicero de pecunia loquitur, qua provincia or- nabatur magistratus in eam ituri; Theophrastus in Charactere βδελυρίας id dicit ἀποδημοῦντα δημοσίᾳ τὸ ἐκ τῆς πόλεως ἐφόδιον οἴκοι καταλιπεῖν· hic de pecunia, quam magistratus ab sociis vi vel fraude cepisset, & redux Romam attu- ,, lisset. Sexta bellarum responsionum triumphat vindicatum argumentum ,, suum esse atque iterum confectum grandiores usuras solvi ordinarie sole- ,, re, si pecuniæ egestas sit: cui nec longe Num. VII pag. 120 adjicit repeti- ,, tum, in republica Romana, cum egena & impotens adhuc esset: ille qui Salmasii & meum πρῶτον ψεῦδος fuisse paullo ante desputarat, quod Romæ primis temporibus penuriam pecuniæ fuisse & rempublicam aliquando mo- dicis rebus egisse dictitassemus.

10. Mox redit ad armillum, & suo more aliquid meum producit ita ut mirere, qui mihi tale quid excidere potuerit: Quod enim scripsisset ipse in ,, republica Romana egena & invalida minimum usuras centesimas per leges ,, receptas fuisse, me concoquere non potuisse, quod addiderit PER LE- GES. Hæc insignis malitia est & dissimulatio meæ sententiæ. Usus fuerat argumento, quod aliquoties repetitum est, quoniam Romæ florentissimo statu magnæ valuerunt usuræ, haud dubie & olim tenui publica & privato- rum persona non minores receptas fuisse. Quod cum confossius reddidissem ,, soricina nenia, querebatur in suis Seriis Vindiciis, me argumentum suum vel noluisse vel non potuisse capere: &, ut clarius scilicet illud exponeret, omnia ejusdem recoquebat eadem, nisi quod pro solo RECEPTAS nunc faceret PER LEGES RECEPTAS. Monueram enim illud ar- gumentum, etiamsi totum concederem, nihil mihi nocere: qui certum ha- berem longe ante XII Tabulas in usu centesimas fuisse, sed numquam lege sanctas: quippe cum ante illas modum ullum fœnori præfinitum fuisse nul- lo vestigio deprehendatur. Ergo Antexegesi secunda deriseram illud, Me non voluisse aut potuisse capere, in quo nihil iste nunc redderet explicatius, nisi quod allineret PER LEGES, quod me oportuisse adscribendum di- vinare negabam, quum ipse omisisset. Et tamen ostenderam, satis me capere hac accessione argumenti sui hominem tacite insinuare, si centesimæ rece- ptæ fuerint, Decemviros eas lege sanxisse: idque nullo modo sequi monue- ram, quum Decemviri non sævitiæ fœnoris, sed saluti plebis, faverint. Ad hæc omnia nihil mihi rependitur, nisi concoquere me non potuisse addi- ,, tum, Per leges. Subjungitur me, postquam verba ejus ad syllogismi for- ,, mam redegissem, consecutionem negasse, nulla negationis ratione reddita,

„ verbis quippe otiosis & homine futili dignis subjectis, Non id necessarium,
„ & Potuerunt etiam non esse. Quod sequi & bene colligi negavi, hoc erat:
„ In quacumque republica locupletata & potenti probatæ fuerunt jure cen-
„ tesimæ, in eadem multo magis receptæ fuerunt per leges etiamnum inopi.
Ad hoc respondi scilicet otiosum & homine futili dignum, id non esse necessarium. hoc est, eam propositionem non esse perpetuam, sine exceptione, universalem; eoque syllogismum, ut prius, fallacem, qui meris particularibus constet. item, Potuerunt & non esse, nempe receptæ per leges centesimæ in republica inopi: quod satis supra demonstratum, posse paupertatem tolerari sine ullo ære alieno, sive quantulovis fœnore: & si potuerunt non esse, non est necessaria neque universalis adversarii propositio. Denique potuerunt non esse lege scripta sed moribus introductæ, nulla lege vetante, quæ postea accesserit: ut prorsus Romæ diu obtinuerunt, ante quam modus usuris lege fieret: & hoc si potuerunt, rursus concidit auctoritas propositionis, quæ pro universali nobis intentatur. Jam judicet lector, an hæc satis repulsa & declinata sint tela dicendo, nihil aliud me quam otiosa & homine futili digna profari.

„ 11. Accipiat & cavillationes alias. Mirum, ait, hominis ingenium! per
„ possibile laborat illud eludere, quod lege & scripta & non scripta receptum
„ esse probavi. Ubi? quando? qua utravis? quis ausus unquam tam impudenter mentiri? Quid est autem eludere per possibile? Nihil ego firmum aut assensu dignum eludere tentavi: sed quod adseveres semper & ubique verum esse, si ostendatur alicubi & quandoque non verum esse posse ac sese aliter habere, jacet haud dubie vis virtusque propositionis, quam quasi nusquam
„ fallentem & universalem argumentationi tuæ prætenderis. Novus Sophi-
„ stices fœtus: Bonum interim factum quod aliquid tale fieri potuisse concedat. Quasi ego concesserim aliquid nugarum ejus fieri potuisse: quum id fieri potuisse dixerim, quod ille nullo modo fieri potuisse videri volebat, (nempe ut centesimæ obtinerent sine lege) & quidem ideo, ut persuaderet eas duodecim tabulis originem debere, atque in his duodecim *fœnus uncia-*
„ *rium* esse centesimas. At quo pacto commeruerim, quod audio, doctoris
„ juris exsuvias a me repeti fas esse, quod legem, quam latam fuisse suppo-
„ nam, ad præterita quoque revocem; vix profecto assequor, nisi hæc quo-
„ que calumnia est illorum verborum: Potuerunt esse moribus introductæ, non lege, quæ postea accesserit. Significavi nimirum, quod res est, & id posse fieri, quod Romæ contigit; nempe ut consuetudo fori & placita contrahentium centesimas admitterent, quum lex nulla de modo usurarum rogata exstaret: quæ centesimæ postea jure, vel vetitæ, ut lege duodecim tabularum, vel approbatæ fuerint, ut SC. Sulpiciano Claudiano. Hoc iste vocat legem ad præterita revocare, quasi vellem ex lege serius lata ea, quæ, priusquam ea lex ferretur, facta essent, quæri & puniri; ut scilicet obiter & fugi-

tivo

tivo oculo undecumque acceptum caput VI Cod. de Legibus ab se non ignorari rescisceremus. Mihi vero nunquam istud in mentem fuisse facile omnibus æquis judicibus constiterit.

12. De Batavorum exemplo quæ multa garrit tantummodo paginarum extendendarum gratia, responsionem nullam merentur, quia nec summam quæstionem transigunt, & sufficiebat, quod ille dissimulat statim a me objectum, exemplum unum non posse ex propositione particulari, & utcumque verisimili, reddere universalem & constantis perpetuæque veritatis. Quin & edidi duplex, sed satis magnum, discrimen inter ea, quæ ille comparat. Hic omnes effundit loquacitatis & conviciorum habenas. Reprehendit autem, quod dixi, Belgas pro libertate bellantes habuisse mercenarium militem, cum fuerit auxiliarius: quasi auxiliarii nulli sint mercenarii; quasi auxilia, vel tanquam profecti Sutrium, suo cibo se tuerentur, vel semper ab iis, unde veniunt, non ad quos, alerentur. Reprehendit quod addidi magna eos ad illum continendum pecunia eguisse, & ait potuisse eum ali sine publica versura: multæ temporum vices in historia docent contrarium. Primi armatos anno C. CIↃ IↃLXVII coegerunt Brederodius, Tholosius, Bombergius, suo & amicorum ære, instar quinque millia: sed eum globum cito disjecit Margarita Parmensis. Anno sequenti (ut velitationes irruptionesque leviores taceam) septem millibus è Germania in Frisones comitatus venit Ludovicus Nassavius, post felicem cum Arembergio pugnam inter Heiligerledam & Vinschotam, ab Albano victus apud Gemingam, superveniente incompositis, &, ne quis dubitet mercenarios fuisse, æra importune poscentibus militibus, cum in hostem eundum esset. Tertium τῦτες CIↃ IↃ LXVIII exercitum duxit Guilhelmus Arausionensis octo & viginti millium cum magnificis sociorum promissis; sed Albano de summa re dimi-
„ candi non faciente potestatem exhaustus (quum pecunia, ut convenerat,
„ non persolveretur, quod unum supererat, partim divendita, partim op-
„ pignorata supellectile ac reliquo belli apparatu, & sic utcumque placatis
„ militibus, Stradæ verbis utor) eum apud Argentoratum dissolvit. Quartum Princeps idem a. CIↃ IↃ LXXII pari modo elusum & ab hoste & ab socio rege ad Orsoiam exauctoravit, magno cum periculo salutis ob non depensa militiæ pretia, cum quidam retinendi ejus & hostibus vendendi consilium formassent. Sed & Guilhelmo ipsi utrumque onus incubuisse docet Colloquium Gandavense, in quo Hollandi & Selandi postulavere, ut commune omnis Belgii curam solvendi æris alieni, quod duabus tam gravibus expeditionibus princeps contraxisset, susciperet. Quintum duodecim fere millium biennio post Ludovicus Nassavius, inter Movicum & Novomagum cum imperatore cæsum, peditibus, cum rogarentur, ut equitatui satagenti succurrerent, *Pecuniam, Pecuniam*, vociferantibus, donec & ipsi suis in castris obruerentur. Sextum, qui proprie fuit Ordinum post Requesenii

exces-

excessum omne jus tenentium a. cIↃ IↃ LXXVI, collectus adversus seditiosos & tumultuantes Hispanos, dein Johanni Austriaco oppositus, quum facerent, edixerunt, uti magistratus, collegia, ecclesiæ, societates, sodalicia &c. quod haberent auri & argenti facti (præter vasa sacris usibus dicata & imbuta) in publicum conferrent, monetæ signandæ ergo, uncia argenti XXXVIII obolis, auri temperaturæ scutatorum XXII florenis taxata, receptis cautionibus ab ærario: ita, ut si qui pro auro & argento collato nummis sibi satisfieri vellent, possent eos petere, sorte ad eandem legem æstimata, usuris commodis: velut hæreditaria perscriptione facta bessibus & binis sextulis, aut septuncibus, aut semissibus & sicilicis; in vitam hominis assibus vel centesimis & trientibus & quaternis sextulis, aut centesimis & sextantibus & septima sextantium; in vitam duorum centesimis & semunciis, aut dextantibus. Ita enim efferenda sunt, quæ Belgæ dicunt *Nummo duodecimo*, *quarto decimo*, *sextodecimo*, *sexto*, *septimo*, *octavo*, *decimo*. Scilicet *nummo duodecimo*, ut duodecim nummi fœnerati quotannis unum pariant, est, bessibus & binis sextulis usuris. Duodecim besses faciunt octo asses: duodecim binæ sextulæ, quatuor uncias. De XCVI veniunt octo, de quatuor unciis unius pars tertia. *Quartodecimo nummo* est septuncibus paullo plus, de quatuordecim nummis annuo uno. Septies quatuordecim sunt XCVIII: accedere oportet septimam duorum nummorum. *Sextodecimo nummo* est semissibus & sicilicis, de sedecim nummis annuo uno. Sexies sedecim sunt XCVI: sedecim sicilici quatuor unciæ. De XCVI ergo proveniunt sex, de quatuor unciis sicilicus sive quarta pars unciæ. *Nummo sexto* est centesimis & trientibus & quaternis sextulis. Sexies duodecim sunt sunt LXXII, sexies quatuor sunt viginti quatuor unciæ, junctim XCVI: sex quaternæ sextulæ, quatuor unciæ. hoc est, $16\frac{2}{3}$. *Septimo nummo* est centesimis & sextantibus & septima sextantium. Septies duodecim sunt LXXXIV: septem sextantes, quatuordecim unciæ, una XCVIII: restant duo, quorum septima addenda est. *Nummo octavo* est assibus vel centesimis & semunciis: nam octies duodecim sunt XCVI: octo semunciæ, quatuor unciæ. *Decimo nummo*, quod Latine dextantibus. Anno proximo pacti sunt Ordines in Anglia centum millia librarum genticarum sub usuris mutua, intercedente Regina & civitate Londiniensi (quibus ipsi caverent urbibus obligatis Elisabethæ arbitratu) & ut quinque millia peditum, mille equitum e regno sibi præberentur: quorum conquisitio & paratus quanti constaret, intra tertium mensem a die, quo conscendissent, Londinium Ordines permutatum haberent, utique illis stipendii non minus, quam ullis aliis, qui hic locorum mererent, statueretur. Quæ res etsi postea mutata est in delectus Casimirianos, tamen & horum, ex quo Belgio pedem intulerunt, sumptum & tutelam sustinuerunt Ordines, (novies tum centena millia florenum singulis mensibus in stipendium soluta ex imperato provinciis tributo testis Strada)

& quot-

& quotquot his temporibus externi, Germani, Franci (præterquam quos Andium dux fecum traxerat) Angli, Scoti, hac in parte militabant, omnes Ordimbus mercede militabant. Eadem ingentis animi virago, quum Dudlejo reliquias fefforum pro libertate pugnandi, fine fraude quidem illa, & id confultiffimum rata, fed fibi & illis inutiliter, commendaret, firmavit eum quinque millibus peditum, mille equitibus, quibus durante bello ipfa ftipendium daret: fed ea conditione, ut, ubi debellatum foret, quicquid impendiffet, Ordines renumerarent: & primi quidem anni impenfas primo anno pacis, fequenti quadriennio fingulis unius anni quadrantem: inque fidem pactorum, pignoris vicem, Brilam cum duobus caftellis de Hollandia, Rammicam arcem in infula Walchria & Fliffingam de Selandia præfidio Anglico cuftodiendam traderent. Eat nunc obtrectator, & neget initio belli Ordines copiis conducticiis ufos, & ad eas tuendas magna illis pecunia opus fuiffe. Quid autem me lædat ufuras ingentes tum folutas, ne tributis egens populus gravaretur, & leviores futuras fuiffe, fi pecuniæ fuiffet copia & populi fiducia: quid, inquam, hæc me lædant, & an differentiam, quam monftravi in illis, quæ ifte, ut canibus catulos, ut matribus hædos, fimilia componit, tollant, ut mereantur duobus numeris multiplicis refponfionis fignari, ipfe viderit.

13. Reprehendor, quod dixi rem fuiffe Romanis cum male fortibus, & „ oftentantur Vejentes. Eventus declarat, utri animis & fpiritu plus valuerint. Feroces video, rebus fecundis nimios, turbidos, inquietos, rebellandi avidos: fortes non video. Nec vero fortitudinis indicium duco, rapere atque abire, quod de lupo Phædrus ait. hoc eft, inftar latrocinii bellum gerere, irrumpere in fines, ferro & igni vaftare, prædas agere; ad famam venientium, qui fua velint ire defenfum, fugere, atque intra muros correpere. Denique hic quoque fermo non fimplex, fed comparatus eft. Cum male fortibus, id eft, non tam fortibus, tam ftrenuis, militiæ tolerantibus, quam ipfi Romani erant. Hac Vejentium mentione exfultat: quia in obfidione Vejo„ rum ftipendium militibus dari cœpit, me neminem ineptiorem, qui huc„ ufque Romanos finxerim fuiffe pauperrimos, & fic ftipendio folvendo impares. Ut ego, ut Salmafius, ut ille ipfe nugator, qui nunc id in me carpit, dixerimus pauperes iftis feculis fuiffe Romanos, & tamen non folvendo militantibus ftipendio, non aliis publicis privatifque muneribus cum fumptu „ ac fplendore quodam obeundis impares, fatis demonftratum eft. At hos, „ inquit, pecuniarum inopis reipublicæ præfides quis exiftimaret tam levi „ fœnore, quantum ille fomniat effe unciarium, permoviffe homines vix „ mediocriter divites, ut fibi pecuniam crederent? Præclarum hiftoriæ veteris profefforem, & unicum T. Livii difcipulum, nec minus βεκκεσέλινον & vetera in novis, nova in veteribus quærentem, qui putet Romanos aut rectores reipublicæ Romanæ ad folvendum militibus ftipendium verfuram

 feciffe.

fecisse. Veriora discat e Patavini lib. IV extremo: *Tribuni plebis, communis ordinum lætitiæ concordiæque soli expertes, negare, tam id lætum Patribus universis nec prosperum fore, quam ipsi crederent. Consilium specie prima melius fuisse quam usu appariturum. Unde enim eam pecuniam confici posse quam tributo populo indicto? ex alieno igitur aliis largitos. Neque id etiamsi cæteri ferant, passuros eos, quibus jam emerita stipendia essent.* &c. *Postremo indicto jam tributo, edixerunt etiam tribuni, auxilio se futuros si quis in militare stipendium tributum non contulisset. Patres bene cœptam rem perseveranter tueri: conferre ipsi primi: & quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Quum senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici, ex composito conferre incipiunt. quos cum & a Patribus collaudari & a militari ætate tanquam bonos cives conspici vulgus hominum vidit, repente spreto tribunicio auxi-„ lio, certamen conferendi est ortum.* Hic quoque somniavi omnes Romanos „ ante latas LL. XII tabularum parvo fuisse contentos. At illud, Omnes, in meis verbis nullum. Deinde parvo contentos, perinde ut pauperes, non aliter dicimus fuisse Romanos, quam comparando cum illa infinita possessionum & opum cupiditate, quæ postea invasit. Nunquam denique, quod de populis & nationibus in commune narratur, acceptum volumus, ut in singulos competat, & ne unus quidem sive laudem eam sive vituperium illud effugiat: sed quod de multis & præcipuis creditur, id audiunt omnes. Postremo effundit atque evomit odium Vatinianum in Batavos: & qui peregrinarum regionum nihil vidit, præter Groningæ & Berolino vel Franco-„ furto ad Viadrum interjecta, audet eos malignissime comparare cum omni-„ bus gentibus, ac præcipue Tyriis apud Ezechielem: quasi superent luxu, qui, quamvis nitidi & splendidi, frugalitatem in magnis opibus & sumptuum qua dispensandorum qua recidendorum solertiam soli docere possunt. Hoc habent, quod in Academiam suam non vocarunt prensantem, quum me necopinantem & tantum non tergiversantem.

14. Num. IIX pag. 125 venit assertum Justiniam & Harmenopuli olim „ mihi objecta verba, quibus ad centesimam, & non ultra, in trajecticiis „ contractibus progredi concessum, etsi ultra olim, refertur: cum etiam τὸ „ παλαιὸν, item *veteres leges* nihil aliud esse contenderet quam leges duodecim tabularum. Quid vanius? & quoties *jus vetus, jus priscum, jus antiquum* appellatur, quod aliquantum etiam post eas natas demum exstitit, neque inde repetitur? Sed & nos quærimus de omni fœnore: illi uterque trajecticium nominant, quod Romanis, quum mare nondum excolerent, incogni-„ tum. Falsum hoc intonat, & supra contrarium probatum. Nempe Polybii adulteratis sensibus & mente corrupta: de quo nihil habet, cur sibi gratuletur, deprehensus inter eos, *Qui falsas lites falso testimonio Petunt.* Jam „ etiam non se præcipue ursisse ait per *Veteres leges* intelligendas esse leges

duo-

duodecim tabularum: & in fidem hujus dicti apponit sua verba: Quid ve-
„ tus jus, quid *veteres leges*, nisi quæ Romæ adhuc in cunis vagiente vige-
„ bant, ac præsenti pauperis reipublicæ conditioni serviebant? Quid est igitur urgere per *veteres leges* non posse aliud intelligi quam XII tabulas, hoc si non est? Sed sit ita: non videatur fecisse, quod fecit: quid agebat ergo?
„ Hactenus, inquit, mihi sufficiebat probasse pro conditione reipublicæ sive
„ florentis sive afflictæ usuras vel intendi vel remitti. Mentitur de industria nam cum ego scripsissem centesimas in usu Romanis fuisse nondum Italiam egressis, sed haudquaquam lege finitas; iste usuras majores centesimis jam olim lege XII tabularum permissas fuisse me jussit discere ab Justiniano & Harmenopulo. Crescere autem vel remitti usuras, prout floret aut adfligitur respublica, non erat, cur probaret, quum esset nusquam, hoc qui negaret. Aliud est autem afflictam esse rempublicam, quæ scilicet aliquando floruit, aliud florere statu modico & temperato, qualia Romanorum erant initia. Sed & ille, qui non ursit *veteres leges* & τὸ παλαιὸν esse omnino duode-
„ cim tabulas, me graphicum inscribit prævaricatorem, qui finxerim Har-
„ menopulum per τὸ παλαιὸν aliud quidquam intellexisse quam Duodecim. Ita secum consentit: quod modo adfirmavit, negat; quod negavit, adfir-
„ mat. Non vatem se nec vatis filium dicit, convenienter tamen intulisse a
„ Tacito carmen totum legis, quod de unciario fœnore loqueretur, non
„ fuisse exhibitum. Sed qui fingit ad libidinem plura fuisse in Duodecim de fœnore capita, quæ dissimulaverit Tacitus, & ea aura productus effari audet in parte omissa cautum fuisse de fœnore nautico, tanquam nihil sit aliud, quo respexisse Justinianus & Harmenopulus potuerit, is infert, non aliquid convenienter, sed fraudem & causam, cur furere videa-
„ tur & vaticinari. Ubi meis me verbis postulat se convincere, Hactenus
„ ait controversum inter nos fuisse, annon juxta rempublicam, sive locu-
„ pletiorem sive minus locupletem usuræ aut grandescant aut minuantur. Iterum mentitur impudentissime, quamvis me mendacem vocet. Non enim istud inter nos disputatum, neque dubium est, ubicumque semel fœnus inolevit: sed controversia inter nos erat, an respublica rebus florentibus luxurians, eoque gravi fœnore inter cives grassante, perinde aut gravius usuris necessario laborarit, quum bonis moribus & mediocri statu ageret.

„ 15. Num. IX pag. 128. Verba mea generalia frustra limitari causatur. At illa limitatione nulla egent: & idem Romæ contigit, quod alibi: non propterea tamen obtinuerit, quia septingentesimo urbis conditæ anno centesima facta est legitima, ideo etiam trecentesimo legitimam fuisse. Frustra
„ me provocare ad leges duodecim tabularum & petere principium criminatur. Verba mea, Ille centesimam vetusta decemvirorum lege latam, quod nunquam ei concessi, persuasum venit. Hoccine est ad legem duode-

cim tabularum provocare? Nihil tam minutum est, quod non convertat ad invidiam & maligne detorqueat.

„ 16. Num. X pag. 129. Ut ad incitas me redigeret, adducto Dionis „ testimonio se probasse jactat Romæ quoque pro modo pecuniæ aut abun- „ dantis aut deficientis usuras vel grandiores vel minores solutas fuisse. At laterem lavit, si nihil aliud hoc Dionis loco effecturum se cogitavit: nunquam enim hoc ei negavi. Sed ut ad incitas me redigeret, probare debuit & privatos & oppida rebus a primo conditu mediocribus necessario æri alieno & gravibus usuris implicari, præsertim si postea auctis & potentibus „ idem evenerit. Locum Dionis non integrum adscripsisse me acerbe exprobrat, quasi verba omissa vel me gravare vel illum sublevare potuerint. Integra sic habebant: Τοσοῦτον γὰρ τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς πόλεως ἐχώρησεν, ὥστε τὰ μὲν κτήματα ἐπιτιμηθῆναι τά τε δανείσματα ἀγαπητῶς ἐπὶ δραχμῇ πρότερον ὄντα τότε ἐπὶ τῷ τριτημορίῳ αὐτῆς γενέσθαι. Ego sufficere ad sensum putabam, post Actiacum Octavii triumphum τὰ δανείσματα ἀγαπητῶς &c. Quis enim non intelligit hoc ob advectæ pecuniæ copiam accidisse? Dein nihil interesse censebam, ἄρτιος ὁλόκληρος an curtus apponeretur locus, in quo nihil esset adversario præsidii, nihil mihi formidinis. Et tamen sycophanta hanc ob rem ab illo audio, cui sæpius sua verba redderem, si viveret. Nam, ut emendaret, quod reponit iterum ex Græco inepte versum, *fœnus quod antea denario pendebatur, tum ad trientem ejus recideret*, pro Latino, *ut fœnus ex centesimis ad trientes redigeretur*, fortassis ab eo postulandum non fuit.

17. Num. XI pag. 130. Duas ingentes περικοπὰς late describit e meo libro, tantummodo, suum ut spisset. Locupletiores fœneratoribus pecunias suas credidisse certam usuram stipulando patere quoque scripserat e Mostellaria Plauti. Hujus rei non meminisse me fassus sum: ut notaret locum, desideravi. Profert ex a. 111 fo. 1.

Nunc pol ego perii plane, in perpetuum modum.
Danista adest, qui dedit argentum fœnori,
Quî amica est empta, quoque opus in sumptum fuit.
Manifesta res est, nisi quid occurro prius,
Ne hoc senex resciscat.

„ Ad quam orationem si diligenter attendissem, pro imperio, ut interpreta- „ tur, me postulaturum non fuisse, ut locum indicaret, existimat. Cum Demiphone dicam, *Ego nego: tu, quì ais, redige in memoriam.* Hoccine est pro imperio loqui? Tamen non diligenter attendi animum. Immo ne nunc quidem lectis & relectis & ἀργυραμοιβικῶς ἐξητασμένοις istis verbis, quidquam reperio, quo id significetur. Senex Theuropides in patriam redit e longinquo mercatu. Eum moratur servus, ne in ædibus opprimat filium & sodalem ejus cum meretricibus helluantes. Intervenit danista, a quo nummis

acceptis amicam liberaverat Philolaches pipulo flagitaturus a reliquatoribus, quod sibi debebatur. Ita omnino futurum erat, ut senex statim calamitatem suæ domus cognosceret, & omnis flagitii ministrum Tranionem gravissime plecteret, nisi quid hic inveniret remedii. Interrogo conscientiam cujusvis hominis tantum consipientis, num quid pecuniæ fœneratori a locuplete creditæ ullam hinc mentionem aut significationem vel fidiculis extorquere possit. Atqui patet ex iis, quæ adduxi, autumat iste: ideo enim a sene sibi „ metuunt, quod ejus pecunia, apud danistam deposita, amica & alia necessaria comparata essent. Quid dicam, nisi hominem manifeste κορυβαντιᾷν & colubras videre? Primo, cur, metuunt, ubi nemo metuit, nisi unus Tranio? Dein non sistat in his, perambulet totam comœdiam & spiculis eam scrutetur: nihil reperiet, cur censeat pecuniam a danista datam fuisse senis olim depositam. Si erat senis, cur danista videns præsentem, a quo depositum acceperat, non statim ei dicit pecuniam filio numeratam esse? Cur senex audiens & sortem & fœnus flagitantem danistam, non admonet depositi? Quemadmodum autem agitur inter ipsos, tanquam minime familiares? Senex non noverat, apud quem tantum pecuniæ deposuerat? Danista non noverat, a quo tantam summam custodiendam & collocandam acceperat. Sed ego inscitus, qui argumenter in re nemini dubitabili.

18. Vocabulo *Fœneratorum* in prima historia Romana qui appellentur, quin nescierit, & de illis indocte locutus fuerit, non potest diffiteri. Ergo decurrit ad Salmasium, qui abunde probarit id nomen in se μέσον ad sequiorem significationem traductum fuisse. Recte ille: sed hoc non purgat, qui qua parte id sine crimine accipiebatur, sequioris tantum illius significationis „ memor erat. Quod plebs, inquit, aut inopes inviderent non modo fœne„ ratoribus & equitibus, sed omnibus, qui censu prævalebant, Fœnerato„ res esse clamabant, si, quod crediderant, durius exactum venirent, debi„ tores suos adducendo in nervum. Hoc demum vere futile & homine futili dignum. Cur enim clamarent fœneratores esse, qui fœneratores non erant, neque acerbitate illa quemquam offenderant? & quem habet hujus „ rei auctorem? Sed, inquit, si, quod crediderant, durius exactum veni„ rent, debitores suos adducendo (abducendo dicere volebat) in nervum. Atqui si crediderant, si creditum exigebant, & exigebant durius; si habebant debitores & abducebant eos in nervum, profecto jam fœneratores erant, non tantum clamabantur: sive illi & ipsi de plebe primores forent, sive illustres celsique equites, sive clarissimi senatores. Non Dionysius, non Sallustius, non Livius, non Florus, quos testes adhibet, ut grandescat libellus, narrant ex invidia fœneratorem clamatum qui non esset. Pergit: Si „ Gronovium audiamus, & fœnus levissimum fuisse cogitemus, non tam „ hoc ipsum quam sors & creditum tumultuantem plebem gravabat. Hic duæ inexcusabiles culpæ. Prior est calumnia, qua me onerat gnarus melio-

rum. Leviſſimum fœnus eſſe unciarium lege XII tabularum ſanctum eſſe diſputavi, quippe quod unum tantummodo quotannis nummum mereat in centenos: ſed nequaquam definivi unciarium aut leviſſimum fuiſſe fœnus, quod plebem ad ſecedendum efferarit. Immo ante duodecim tabulas nullum modum fœnori publice præſcriptum ſenſi: ſed unumquemque tantum pepigiſſe de collocato ære, quantum poſſet auferre ab accipiente: nec dubitavi unquam, quin & ſanguinolentæ centeſimæ plebem in Sacrum montem egerint. Hoc iſte non ignorabat: interim cum maxime loquens de ſeditione illa, me fœnus ait ſtatuere leviſſimum, propter quod turbæ tam periculoſæ exſtiterunt. Et tamen ſimile vero eſt, ea in ſeceſſione complures fuiſſe, quos non fœnus modo vel leviſſimum, ſed ſors ipſa creditumve jam exhauſtos & depauperatos gravabat: quod cum hic vitio mihi vertat, pa„ gina ſequenti pro certo ponit ipſe, non tam ingemuiſſe plebem ſub fœno„ ris quam ſub æris alieni onere. Quid hunc hominem ſibi velle dicemus? Quod alius tradit, rejicit, deridet, ſubſannat: ipſe cum idem tradit, pro certo venditat. At ego ſi meo, non impuro illo, ore loquens audiar, ut jam ſignificavi, utrumque onus grave plebis humeris incubuiſſe & alterum alterius cumulo intolerabilius redditum perſuaſero.

19. Rogationem Duiliam de unciario fœnore cur Livius dicat *haud lætam Patribus*, ego cauſam cenſui, quod fœnus id minimum eſſet, Patres autem fœneratores maximi: iſte potius, quod tribuni plebis poteſtatem ſibi arrogaſſent definiendi uſurarum modum. Utri credes, cordate lector? Tribunos, qui tot jam annos de ſumma republica rogationes pro libidine ferebant, offendiſſe Patres ſanciendo cruentas centeſimas, (id enim illi fœnus unciarium) quibus ipſorum opes creſcebant; non offendiſſe plebem tam immani calamitati ſubjectam, quod ſui corporis magiſtratus eſſent? Hoc qui concoquere, fœnum comeſſe & ungendis axibus poteſt utilis eſſe. Eandemne ob rem, calamitoſam in primis & noxiam, merito plebs exoſa Decemviros, præter exſpectationem in gratia tribunos plebis habuit: & inviſas peſtilenteſque uſuras in XII tabulis deteſtata, cupide ſcivit injunxitque ſibi, uno alterove illis lenocinante ſui ordinis magiſtratuum? Nemon' inventus inter octo cæteros, qui tantæ iniquitati obviam iret atque intercederet, & ex errato, acerbitate, injuria collegarum auram favoris popularis peteret? Atqui putabam auxilii lationem tribunis datam in plebem, non immodicorum, intolerandorum, inſtar gangrænæ depaſcentium onerum impoſitiones. Quumque accidat fere cunctis, nedum cauſarum ſuarum bene gnaris Romanis, ut, a quibus defendi & ſublevari rebantur, violati & graviora paſſi juſtioribus furiis conſurgant & infeſtius cooriantur, quam ſi ab illis, quos minime factum ſibi velle commodiſque ſuis adverſari olim credebant, plagam acceperint, leniuſque eam ferant: unde nunc his tutorum & propugnatorum, a quibus perfide prodebantur, & crudelibus dominis

nis condonabantur, humilis viliſque patientia? Non poteſt concipere mens humana, quemadmodum in populo æris alieni tabem jam ſic dolente ac querente, adjiciendis ei centeſimis quiſquam ambitioſus eſſe potuerit, & oleum igni affundendo flammas exſtinxerit. Addit Livius: *& plebs aliquanto eam cupidius ſcivit accepitque.* *Cupidius*, allinit iſte, quia propter „ fœnoris unciarii magnitudinem antea Decemviris offenſa, obliviſcebatur „ hoc tempore querelarum ſuarum; quod tribuni plebis, æque atque De- „ cemviri, gnari, quantum uſurarum pro præſenti ſtatu reipublicæ ſolven- „ dum eſſet, legem in XII comparentem, peculiari plebiſcito confirmaſſe. En T. Livii ſcævum interpretem dicam an tortorem! certe ſententiarum alieniſſimarum, quicquid veterum adflat atque amburit, extortorem! Tu *cupidius* puta quam rogationem de ambitu & nundinis conciliabuliſque non obeundis. Quare? quia ex hac nihil commodi pars maxima capiebant: altera ſublevabantur revocata duodecim tabularum in modo fœnoris clementia, quam mos lege potentior conculcaverat & immodicis uſuris tenuiores „ vexabat. Gnari erant, inquit, quantum uſurarum pro præſenti ſtatu rei „ publicæ ſolvendum eſſet. Doceat ergo nos, quis qualiſve fuerit mirificus ille reipublicæ ſtatus? unde repente exortus? quid beaverit miſeros debitores, ut oppreſſores ſuos & ſanguiſugas ultro centeſimis ſaginandos judicaverint? Sed incredibilium commentorum, quæ temere, indocte, inconſiderate accumulat, non notam, non ſignum, non ἐκ μιᾶς κεραίας aut puncto ab uno ſuſpiciunculam ei præbet hiſtoria. Ipſe autem inſtar parabolani aut deſperati, ut laqueos, in quos ipſemet induit ſeſe, quodammodo expedire videatur, quid dicat, quidve faciat, nihil habet penſi: nec quam in partem tuto ſe convertat, quid moliatur, intentet, opponat; capulo cultrum an mucrone arripiat; denique quam jactando & quaſſando ſe acrius irretiatur, cæcus ira & malitia hilum intelligit.

20. Ecce alia infantilis imperitia moris Romani ſuperbis & contumelio- „ ſis dictis ſubornata. Quam judicio deſtituatur adverſarius, oſtendit ad- „ dens non fuiſſe in ſenatus poteſtate, legem aliquam ære inciſam publice „ proponere, niſi populus eandem juſſiſſet. En unquam didicit iſte, quid fuerit *rogationem ferre, legem ferre, rogare, antiquare, accipere, jubere, Uti rogas,* vel *Antiquo dicere?* quid illud, *Velitis jubeatis Quirites?* quid, *Omnium rerum cauſa antiquandas cenſeo iſtas rogationes; quod faxitis, velim deos fortunare?* quid illud, *T. Quinctius Criſpinus conſul populum jure rogavit, populuſque jure ſcivit?* En unquam didicit, quid differant *Magiſtratus* & *Senatus:* nam Senatus non fert neque proponit legem, ſed Magiſtratus, ſi recte atque ordine res fieret, ex auctoritate ſenatus; quidam invito ſenatu, nec tamen, niſi per tribunum aliquem aut augurem, impediente. Neque illa incidebatur æri, niſi comitiis perlata & ſuffragiis populi juſſa eſſet. Hic rurſus dicavit inſigne ſpecimen, ut ſecum pugnet, ut ſibi contradicat, ut

idem

idem modo laudet, modo damnet; nec fuerit illi, ut præcipit Apoſtolus „ Ναὶ ναὶ vel Οὐ οὐ, ſed Ναὶ καὶ οὐ. Subnectit enim: Quamdiu libera fuit reſpu- „ blica, libenter concedo. Quid, inficetiſſime mortalium? noſne aliis in temporibus verſamur quam libertatis? cum duodecim tabulæ ferrentur, cum rogatio Duilia, annon libera erat reſpublica? Hoc igitur ſi concede- „ bat, quid mihi erat moleſtus? At indignatur hoc applicare me ad leges „ Romæ de fœnore latas. At inſanit, qui quod in omnibus fieret legibus, & abſque quo fuiſſet, quicquid promulgatum foret, legis nec auctoritatem nec nomen haberet; id ſolum defuiſſe putet legibus de fœnore. Sed neque „ in hoc præſidio conſiſtit: certe enim nulla ratione hoc mihi favere poſſe „ in opinione de fœnore unciario, quod populus ratas eſſe juſſerit XII ta- „ bularum leges; & ita ſpeciatim quoque illam probaverit de fœnore uncia- rio. Quis ambigit? ſed an ideo *fœnus unciarium* eſt centeſima? Immo ſi centeſima eſſet, nunquam eam populus accepiſſet aut ratam eſſe juſſiſſet, ſive a Decemviris ſive a tribunis plebis venditatam.

21. Poſt quæ non paucis petitionum ſuarum (quas ut hebetes & in va- num miſſas depuli) deſertis & proditis, omiſſa etiam argumentorum annu- „ meratione, Num. XII pag. 141. T. Livii locum nulla item ratione mihi „ favere oſtendiſſe ſe prædicat. Hæc iterum calliditas eſt celatos & ignaros habendi τοὺς ἐντυγχάνοντας, quantum momenti fecerit in cauſa ille Livii lo- cus, quis ejus in ſcenam ingreſſus, cuja cauſa adhibitus fuerit, primarumne ſit an ſecundarum tertiarumve partium. Quamvis autem pigeat toties ea- dem, tamen fungemur hac moleſtia, ne ſutor ſatorque fallaciarum in cali- gine, quam ſibi pro galea orci circumdat, deliteſcat. Altero argumento „ interrogabat, Quum fœnus ab unciis uſuris, tanquam adhuc gravantibus, „ ad ſemuncias brevi poſt redierit, cui perſuaderi poſſit grave fuiſſe unum „ in centenos annuum pendere? Huic quæſtioni ſatisfacere Livium juſſi lib. 7, ubi ſcribit: *Etſi unciario fœnore levata uſura erat, ſorte ipſa obrueban- tur inopes nexumque inibant.* Cujus ille ſententiam furabatur ac delebat cir- cumlitione ſcholii putidi & inepti, & cum a re, tum a verborum ſenſu alieniſſimi, Uſuras ſolvi ante ſortem ſolitas: quod igitur uſuras jam ſol- viſſent, ideo ſorte obrutos dici. Ego ſtolidam fictionem caſtigavi, do- cuique *ipſa ſorte* eſſe ſola ſorte abſque uſuris, & ſpeciem facti, quod ſi- gnificat Livius, non omnibus obviam, ſatis probabiliter enarravi. Ad hæc ille nihil pro ſuis tricis affaniiſque: mea tantum vellicans, Simus, „ inquit, liberales & demus *ipſa ſorte* idem eſſe atque ſola ſorte; non tamen „ evicerit grave fuiſſe Romanis cum paupertate luctantibus uſuræ nomine „ ex centenis unum annuum ſolvere. Quid facias tali dialectico? τοῖς τεθεῖσι conceſſis palam negat τὸ ἐξ ἀνάγκης συμβαῖνον διὰ τῶν κειμένων. Quid enim col- lectius? Sola ſors gravis; ergo & gravis, non dico uncia centeſimæ; vel ſici- licus vel ſcriptulum vel ſiliqua ſorti accedens. Qui prius largitur, poſterius

„ quo-

„ quoque confitetur. Addit alia non minus frigida: Oppresserint locuple-„ tiores egenam plebem exigendo sortem: hæc substitistet utique, si versu-„ ram facere potuisset. Libentissime centesimas usuras solvisset, suos modo agellos retinuisset. Ad quæ quid respondeam, vix succurrit: neque enim liquet, quid aut qua parte vel me urgeant vel isti ferant suppetias. Oppresserint, ait. Certe oppresserunt: nihil enim dubitans Livius, *obruebantur*. „ Plebs substitisset, si versuram facere potuisset. Credo; sed in eodem hæsisset luto, & malum præsens in diem distulisset. Libentissime centesimas solvisset. Hoc vero ego non credo: nam centesimas nemo solvit libens, præsertim tenuiorum, & non binas aut ternas eo, quod sub tam gravibus usuris accepit (ut in pecunia trajecticia, si fors fuat) lucratus. Juxta dissolutum: „ Graviori pecuniæ summæ si non sufficiant inopes, benevolos & minus „ difficiles creditores suos experiuntur, si ad diem usuras grandiusculas quo-„ que solvant. Quis miretur, nisi cui sit opus ipsi ad alios sumptus vel quæstus, quod collocavit? Cicero ad Atticum lib. VI epist I de Pompejo: *ei tamen sic nunc solvitur. tricesimo quoque die talenta Attica XXXIII. & hoc ex tributis. nec id satis efficitur in usuram menstruam. Sed Cnæus noster clementer id fert: sorte caret; usura, nec ea solida, contentus est.* Sed qui usuras solvere, & quidem grandiusculas, potest, non est de illo genere, quo de nos agimus, inopum & olim exhaustorum fœnore, & neque ad sortem sine usuris neque ad quicquam in sortem numerandum sufficientium. Hoc quærebatur, an plebi Romanæ fœnore oppressæ quandoque possit grave videri fuisse unum in centenos pendere annuum. Ego ajo, & non plebi Romanæ tantum id evenisse, sed infinitis in omnium gentium plebe patriciisque idem hodieque evenire puto, & longe pluribus, quam boni vellent. Ille negat, quia scilicet creditores mites usuris, præsertim grandiusculis, contenti sunt. Ridicule: nam his, qui grandiusculas usuras, & quidem ad diem in parato habent deferuntque, graves non esse singulos & amplius in centenos facile concedimus.

„ 22. Simili ludibrio in Taciti loco exsultat: me non eum integrum ex-„ hibuisse; subdole ac nequiter factum, quod totum non adduxerim; se bona „ fide illum repræsentasse. Et tamen ne verbum quidem unum designat, quo omittendo sensum corruperim, aut meæ opinioni per dolum servierim. Peperci chartæ, peperci fastidio legentium, peperci labori meo: describere omnia necessum esse non autumavi. Post adscripta igitur complura verba, Ut pa-„ teat, ait, quam dextre locum eum interpretetur Gronovius, post illa, inquam „ verba sic accinit sibi: Gronovius cum admodum urgeat voculam *amplius* „ (nec scio, ubi id fecerim) quæ in ipsa lege occurrit, dicta pag. 28 (514 h.e.) „ sic loquitur: Etsi non plus uncia libræ menstrua &c. En stuporem! en negligentiam incredibilem! Tacitum male interpretari me arguit, inque fidem ejus rei ponit expositionem verborum Livii. Jam quid adfert adversus in-

„ terpretationem istam? nam cognoscere operæ pretium est. Si attendisset „ proxima historici verba, mecum conclusisset unciarium fœnus centesimæ „ æquivalere. Hoccine est ostendere vitium in mea interpretatione? Ego & ante & retro proximis verbis ita diligenter attendi, ut compertum habeam neque in mediis neque in extremis eum vivis oculis usum. Cur autem illud, „ ut loquitur, conclusisset? Certe nemo præter Gronovium fuerit adeo de-„ mens, ut credat locupletes credituros fuisse egenæ plebi pecuniam, si un-„ ciarium fœnus duodecima dumtaxat centesimæ pars ac proinde perleve fœnus fuisset. Κοκκύζει, & repetit ad quod Antexegesi secunda Num. XIV „ satis responsum. Pergit: Urserat petulans adversarius, rationem ut redde-„ rem, cur Romæ fœnus omne abrogatum esset. Mentitur petulantissime: non enim jussi eum reddere rationem generatim, cur fœnus abrogatum: sed cur, postquam semunciarium aliquamdiu lege fuisset, omne abrogatum sit? Nam quum ille fœnus semunciarium faciat usuras semisses, si sic accepissent & veteres, poterant quincunces, trientes, quadrantes, sextantes instituendo satis id oneris levare. Ego causam edidi, quod a semunciario, minimi scilicet modi, mollis esset transitus ad nullum. Ille fœneratorum fraudes incusat Sisyphias vel Ulysseas: hoc est, solvit quæstionem, quam sibi otiosam & supervacaneam fallendi causa ipse finxerat; non quam ego posueram. Quin & responsionis aliquid meæ, cujus ne nunc quidem me pœnitet, solito stupore contradicendi sibimet ipsi, & nocitura causæ suæ ostentandi, describit: „ sed ad eam elidendam nihil habet dicere, præterquam me prudenter, aut „ verius subdole, si non nequiter, Taciti locum mutilum advocasse: quod est falsæ invidiæ apud imperitos faciendæ, non rationibus dissolvendis.

23. Ipsi si credimus Num. XIII pag. 145 admodum apposite respondit ad quæstionem meam: Si fœnus unciarium erat centesima, semunciarium centesimarum dimidium sive usuræ semisses, cur per quincunces, trientes, quadrantes, sextantes non descenderint? Quam apposite illud fecerit, quamque mercedem appositus responsor retulerit, vide Antexeg. II Num. XVII. Nec dubitandum, quin ad hæc quoque se apposite respondisse sat acceptum habuerit, cui superesset scilicet quod diceret, me pelves verborum profu-„ disse, & non modo ipsi, sed & lectori glaucoma procurasse (agnosco Latinitatem historiographi & Philologicorum verorum quæsitoris) nec dis-„ putare ad lineas, sed glomerare quæstiunculas, quibus fatui sit respondere. Et certe tutius cautiusque silet, qui sic evadere potest, quam respondet, ut suo ipsius sermone magis implicitus hæreat. Intolerandæ arrogantiæ ar-„ guor, & per eam phrenitici videtur isti, quod scripsi, Quasi jus interrogandi non habuerim. recidit enim, qui a me Tacitum mutilatum crimina-„ tur, quod continenter sequitur, Qui hanc sententiam foveam. Unde satis apparet me nihil superbius hac parte locutum, quam paullo ante: Quasi hac interrogatione convellam sententiam meam, & perconter, quod me per-

„ con-

„contari minus deceat. Si attendatur, inquit, existimatio ordinis senato„rii, & ea, quæ ante dixerit, appariturum, in ordine amplissimo neminem „usque adeo frontem perfricuisse, ut per suos procuratores usuras legibus „vetitas ex collocata pecunia exigere ausus fuerit. Nempe in Platonis republica, non in fæce Romuli: ubi vix unus in decem, immo præter Menenios, Curios, Fabricios, Æmilios & cæteros paupertate nitidos, vix quisquam, dumtaxat frugi & integro censu reique attentus, quin utrumque esset & *Dives agris* & *Dives positis in fœnore nummis:* id quod per procuratores, per servos dispensatores, arcarios, atrienses, per mensarios & argentarios, per cotiones, pararios, stipulatores, intercessores, prout fors tulisset, domi, per Italiam, in provinciis, apud reges fiduciarios & beneficiarios populi Romani, apud liberas civitates & fœderatas, exercebant; clam palam, pars magna sine legum metu, quas paucis tempestatibus, utcumque acres & minaces, mos & pactio timefactas & subjugatas conterebant. Neque enim ipsum fœnerare, aut (ut Plinius minor, vir senatorius & sanctus, de sese loquitur) *aliquid esse fœnore* umquam turpe Romæ habitum, nec fœnerator infamis, nisi si quis hoc tantum & sordide atque acerbius agitaret; & ista infamia non eo valebat, ut censorium opus esset, ordinibus moveret, honoribus, sacerdotiis, curationibus arceret; sed erat surdus vulgi rumor, a quo sibilati plaudebant sibi, & non desinebant, ut quisque potentior & factiosior, spreta fama & invidia, quasi justa negotiatione opes firmare & ob hoc ipsum boni viri audire. Sed noster de historia, de vita, jure, disciplina, consuetudine, militia, vestitu, de omnibus denique rebus & hominibus Romanis, de vocabulis quoque ac verbis & sermone corruptissimas & longe alias veris ideas induerat, & cuncta obliqua & obstipa videbat. Jacit etiam me non attendisse, quod supra dixisset. Id exstat pag. 134, ubi ex dicto Prisci Catonis, *pejorem civem fœneratorem quam furem*, glomerat & ipse quæstiunculam: Quis vero „in animum induxerit, senatorii ordinis virum illud factitasse, quod omnium „judicio Quiritium furto gravius habebatur? Oblitus, quod idem Cato scripsit alibi: *Fures privatorum bonorum in nervo & compedibus ætatem agunt, fures publici in auro & purpura.* Deinde hoc dictum est magni unius viri ὑπερβολικὸν, ἀπότομον, παράδοξον, παράβολον, ex suo sensu majorum mentem interpretantis; non omnium Quiritium judicium, ut vaniloquus & stultiloquus exaggerat. Sed & pondus frontemque tam severæ vocis immensum quantum elevat destruitque ipsius auctoris exemplum, qui ἐχρήσατο δὲ τῷ διαβεβλημένῳ μάλιστα τῶν δανεισμῶν ἐπὶ ναυτικοῖς, τὸν τρόπον τοῦτον. Ἐκέλευε τοὺς δανειζομένους ἐπὶ κοινωνίᾳ πολλοὺς παρακαλεῖν· γενομένων δὲ πεντήκοντα, καὶ πλοίων τοσούτων, αὐτὸς εἶχε μίαν μερίδα διὰ Κειντίωνος ἀπελευθέρου τοῖς δανειζομένοις συμπραγματευομένου, καὶ συμπλέοντος· ἦν δ' οὐκ εἰς ἅπαν ὁ κίνδυνος, ἀλλ' εἰς μέρος μικρὸν ἐπὶ κέρδεσι μεγάλοις, verbis Plutarchi. Quorum hæc sententia est: *Fœnore usus est maxime improbato nautico ad hunc modum. Jubebat, quibus fœnerabatur,*

 tur,

tur, complures societatem facere. Ubi quinquaginta coissent, & totidem essent navigia, Quinctionem libertum, qui suam partem procuraret, negotiationis socium & navigationis comitem illis, quibus crediderat, dabat. Et, uberrimo quæstu, nunquam omnis summæ, modicæ tantum partis periculum subibat.

24. Locupletiores ex senatorio ordine apud fœneratores levioribus usuris pecuniam collocare solitos, quam illi grandioribus mutuam dederint, confirmaverat Suetonii Augusto cap. XXXIX. *Notavitque aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati graviore fœnore collocassent.* Quod ἀπροσδιόνυσον. nam qui hoc fecerunt, equites Romani fuerunt, non senatores: & ipsi mutuati pecunias leviore collocarunt eas graviore fœnore: non leviore crediderunt fœneratoribus, ut ille loquitur, cum vellet dicere nummulariis,
„ mensariis, trapezitis. Deprehensus uno loco in triplici culpa, Concedo, in-
„ quit, totum. Accipio inscitiæ confessionem. Sed hoc probaverit, (addit)
„ equites hoc fœnus exercuisse per procuratores, non per nummularios. Primo stultum est dubitare, an potuerint facere per utrosvis. Dein non mei officii est hoc probare, qui non ipse a Suetonio in eam rem testimonium petierim, sed ab isto male petitum coarguerim. Solitos quidem ad hoc uti procuratoribus, libertis, servis, & quos nominavi, ut cuique commodum, probatu non difficile. Cicero lib. VI ad Attic. ep. I. *primum ab Ariobarzane sic contendi, ut talenta, quæ mihi pollicebatur, illi daret. Quoad mecum rex fuit, perbono loco res erat. Post a Pompeji procuratoribus sexcentis premi cœptus est.* De Quinctione Catonis liberto modo accepimus. Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς· τῶν μὲν γὰρ δούλων τῶν σπουδαίων τοὺς μὲν γεωργοὺς ἀποδεικνύουσιν, τοὺς δὲ ναυκλήρους, τοὺς δ' ἐμπόρους, τοὺς δ' οἰκονόμους, τοὺς δὲ δανειστάς. Personatus atriensis Saurea in Asinaria Plauti a. II Sc. IV.

Quia triduum hoc unum modo foro assiduam operam dedi,
Dum reperiam, qui quæritet argentum in fœnus.

Quintilianus decl. CCCXLV. *Satis sit vobis, o divites, hoc vestras præstare fortunas, quod per dispensatores fœneratis.* In edenda ratione, cur fœnus abrogatum sit, ingeminat denuo, qua senatores, qua equites, quod eis displice-
„ rent usuræ semisses (has enim *semunciarium fœnus* esse imbibit noster)
„ auctores fuisse, omni ut fœnore interdiceretur. Quam hoc vanum & falsum sit, aperuit Antexeg. II Num. XVII & VIII. At insimulor rursus, quod ille solide probaverit argentarios scisse rumpere omnes rogationes, quas populus sciverit, & semper aliquam invenire rimam, ex Plauti Curcul. a. IV sc. II, id me subdole dissimulasse, non ausum hoc ferrum arrodere. Atqui, quod probasse se jactat, neque ille cur probaret, neque ego cur repeterem, ulla fuit necessitas: quum illud nemo desideraret, quippe omnibus notum; hoc nec, si fieret, pondus; nec, si omitteretur, præjudicium veritati faceret.

25. Monui namque ex T. Livio & Appiano non senatores & equites, non

non argentarios, vel auctores, vel (ut antea loquebatur) passos fuisse, ut fœnus tolleretur, neque ullum istorum huic negotio arbitrium intervenisse; sed plebem hoc extorsisse Patribus post victoriam de Samnitibus conjuratione facta Capuæ occupandæ. Rem tam manifestæ ac testatæ fidei, barbarie, insolentia, amentia excipit incredibili, Num. XIV p. 147. Ut „alia transeam, O hominem, exclamat, impudentem & fronte carentem! „Extremæ vero impudentiæ indicium est, quod me ableget ad Livium & „locum Appiani in obscuro angulo libri rarioris inveniendum. Agnosco historicum, agnosco philologum, agnosco eloquentiæ & historiæ professorem, qui ne libros quidem rerum Romanarum notissimos e Græcis & Lati„nis familiarius nosset. Provocat ad omnes sua lecturos, dignentur Livium „sub finem libri VII inspicere: nihil inventuros, quod mihi favere queat: „me ipsum ostendere qua fide agam: si enim certus præsidii fuissem, non „cessaturum ipsa verba auctorum adjicere: se concedere extortas fuisse ta„bulas novas; pernegare simul extortum fuisse, ne fœnerari liceret. Quid contra vociferer aut rumpar frontem tam perfrictam & impudentiam plus quam Cynicam aut Cyclopicam detestando? Faciet id Livius tranquille ac sine tumultu, sine indignatione, hominem juste omnium objiciet indignationi Lib. VII cap. XLII. *Invenio apud quosdam L. Genucium tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerari liceret.* Faciet ipse, maximus obtrecta„tor sui, Vindiciis prioribus pag. 26. Ne autem fœnerari liceret, Romæ „multis annis post T. Manlium Torquatum & C. Plautium consules effe„cit L. Genucius tribunus plebis, Livius lib. VII cap. XLII. &c. Et hoc respexit Appianus lib. I civilium, quum narrat νόμου τινὸς παλαιοῦ προαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν. Hoc Tacitus, quum interjicit, *postremo vetita versura.*

26. Quærit ubi dixerit, locupletiores cum nummulariis contendisse. Ver„ba exstant pag. 26 Vindic. Quod ergo locupletiores minus quam semis„se cum argentariis transigere nollent. Quoties hi vehementer cupiunt & æquum se postulare censent, illi præfracte recusant & nihil concedunt, quid sequitur, nisi contentio, rixa, criminatio mutua? At quomodo, inquit, „hæc omnia faciunt ad evertendum illud, quod dixeram, locupletiores „scilicet, & inter eos viros amplissimos, usos fuisse opera argentariorum, „ut possent grandes usuras exigere? Certe nihil ad hoc faciunt, neque, ut id efficerent, producta sunt. Nempe antiquum obtinet, ut in referendis meis dissimulet meum institutum, mentemque pervertat, & tacite inculcet legentibus absurda illa & loco temporique inconvenientia esse. Jecerat „ὁ αὐθάδης Vindic. priorum pag. 26. locupletiores argentariis pecuniam „minus semissibus usuris (hoc enim ei *semunciarium fœnus* apud Livium) „credere recusantes, passos fuisse, aut, ut repetit Vindic. poster. pag. 147. „senatores & equites, quod displicerent usuræ semisses, auctores fuisse,

 „ut

„ ut omni fœnore interdiceretur. Hoc falsum demonstravi ex Livio & Appiano atque acceptum id plebiscitum per secessionem plebis. Mox queritur „ me more meo urgere, ut indicet distincte locum Plauti ex Mostella„ ria &c. se vero id non facturum, ut ulciscatur, quod ego Livii verba non apposuerim. At inique injurius est, qui suæ memoriæ interpretari me æquum censeat; deinde oblitus miser, quod facturum negat, se jam fecisse pag. 135. ubi si tam cautus fuisset, quam hic est, notam stolidæ falsæque interpretationis verborum Plauti lucrifecisset. Ibidem me contendere scri„ bit plebem non fuisse oppressam a fœneratoribus, sed a locupletibus atque nobilibus. Non agnosco hunc sermonem meum, sed perpetui hujus falsarii. Ego enim omnino, a fœneratoribus, hoc est, a divitibus, nobilibus, principibus Patrum atque ipsius plebis. De Manucio, deriseram insubidam & intempestivam mentionem illius viri præstantissimi. Impegerat „ enim, Ut & Manucio viro doctissimo & mihi testatum faciat. At ego illo loco nihil proprie adversus Manucium, nec nomen illud magis huc quadrabat, quam Scaligeri aut Junii aut Hosti, aut omnium, qui hanc materiam infeliciter attigerunt. Valde vellet me quoque affinem esse illi inconstantiæ & mutationi dictorum suorum, qua toties ipse se prostituit. Itaque tanquam pugnantia mihi exprobrat, quod alibi legitur, Unciarium fœnus & semunciarium grave fuisse dixi non in universum, sed pro tempore ac loco; quodque alibi, Leges (nempe de semunciario fœnore & quæ fœnus abrogavit) ostendunt plebem Romanam, hoc quoque, quod ille levissimum censet, grave duxisse. At recto puroque judicio nihil his subest contrarii. Quis „ Argus, inquit, hic sive loci sive temporis mentionem fieri videt? Quasi quoties aliquid dicitur non ubique ac perpetuo sic se habens, necesse sit eam mentionem adjicere, ac non infinita & penes antiquos inveniantur & quotidie omnium hominum oribus excidant, quæ pro loco & tempore valere ipsa res & proxima verba demonstrant sine loci temporisque nova mentione.

„ 27. Num. XV pag. 150 me scripti mei pag. 36 (518 h. e.) accedere ait ad „ considerationem novarum tabularum. Hoc quoque loquendi genus de industria comparatum est, ut fucus fiat legentibus & consilium meum ignoretur. Cogit me pæne repetere, quæ tam plane tamque perspicue Antex. II Num. XX exsecutus sum, ut si paullulum modestiæ aut purgatioris mentis in homine fuisset, vel hiscere contra temperasset. Nullam ego ad considerationem novarum tabularum accessi: hoc commeminisse, si non istum, certe lectorem volui, novas tabulas argumento esse inventos populos adeo inopes & usurarum impatientes, ut vel uncias centesimarum menstruas, sive unum in centenos annuum, creditoribus solvere grave onus duxerint. Potestne hoc negare? Sæviat jam in tabulas novas, in seditiones, in plebem lascivientem: non opus est, quamquam facile possem, ire per singula: numquam

quam tam belle copioseque declamabit, quin stet maneatque, sive secessione petierint eas, sive viri prudentes in tempore ad præveniendam seditionem concesserint, sive male populares in regni affectatione ostentaverint tulerintque, novas tabulas clamare, ubicumque sive per tumultum sive per benignitatem introducuntur, esse & homines & populos, quibus durum & onerosum sit solvere ipsam sortem, nedum teruncium ultra sortem.

„ 28. Num. XVI pag. 153 me laborasse pag. 43 (521 h. e.) ait, ut ignorantiæ „ reum facerem, tanquam, qui, quid esset *decidere besse* vel *quadrante*, nescierit. Fateor, id accusavi tum, & ne nunc quidem muto: idque adeo plane ac probe me demonstrasse censeo, ut nullus sit color, obtentus nullus, hujus ei criminis qui gratiam faciat. Itaque perditi & exstincti pudoris argumentum puto, quod verba mea, quibus sole clarius & quasi ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus convincitur, simpliciter transscripsit, & charactere variato, notaque etiam interposita, suum dedecus reddidit testatius. Tamen non deest lusci- „ niæ cantio. Ut mihi dolorem reddat, his me solere ait deliciis pasci. Non eo inficias me gaudere, cum mihi bene processit sermo Romanus: & qui deliciis his non pascuntur, eis Cyprii bovis merendam non invideo. Se „ duodecennem ait scisse, quid esset *decidere cum creditore*. Tanto magis vapulet, quando illud ætatis homo nescivit, quod puer duodecennis didi- „ cerat. Posse decidi cum creditore juxta sortem, verum juxta usuras quoque, quæ in stipulatum venerunt. Apparet hominem redisse in memoriam & ad solita ejus, quam nominat, ætatis: prorsus enim puerilis est sermo, *decidere cum creditore juxta sortem, decidere cum creditore juxta usuras.* Aliquis sanus ætate illa & ingenio minus præcoqui, sed bene doctus, quid sit *decidere cum creditore*, dixisset *decidere cum creditore de sorte, de usuris.* Itaque pessimum mihi statuit minerval, hoc ut ab se discam, quod si quando „ didicissem, dediscere laborarem. Earum de usurarum quantitate merito „ arbitrari magistratum, si contingat innocuum debitorem haud sua culpa „ succumbere: hanc decisionem secundum usuras se respexisse, quod exi- „ stimaret eandem me in animo habuisse, eaque potius pertineret ad id, „ quod inter nos controvertebatur. Hoc est, ignorantiam tegere alia ignorantia. Primum quis unquam dixit veterum *decidere besse, uncia, quadrante, dimidio*, qui de sorte id non intellexerit? Dein quot fictiones sunt faciendæ, ut hic fiat verborum meorum sensus? Cogitandum primo debitorem non suo, sed fortunæ, vitio decoxisse: deinde inter illum & creditorem intervenire magistratum: denique decisionem solummodo fieri quod ad usuras. Quid omnia quid juvare institutum meum poterant? aut qua admonitione illi venire in mentem tanquam me adjutura? Prorsus hoc nihil aliud est quam κρησφύγετον, non ab initio cogitatum, sed tum demum excogitatum, postquam animadvertit aliquid videndum sibi, quo eluderet, aut ma- „ culam inscitiæ subeundam. Lepidissimum & illud. Quod propius perti- „ neret

„ neret ad id quod inter nos controvertebatur. Scilicet, quia de uſuris unciis diſputamus, ideo *beſſe* vel *quadrante decidere* a me dictum putavit de beſſe vel quadrante uſurarum.

29. Quod ſi, quod ille comminiſcitur me animo concepiſſe meo, & ſe crediſiſſe ſimulat me formis iſtis loquendi expreſſum voluiſſe, id revera ſenſiſſem; nactus eſſet ſtupiditati ſuæ & ἀβλεψίᾳ parem: nactus quem ſubſannaret, ut nullius judicii adverſarium, qui telum miſiſſet, quod in ipſum reflecteretur, & actorem, non hoſtem, transfoderet. Quid enim quæſo inter nos alternabatur? quæ nobis erat ſubjecta contentionis materia? quid ille me præſtare juſſerat, nunquam id præſtiturum perſuaſus? quid ego præſtandum ſuſcepi, &, ſi quid unquam, egregie præſtiti? Annon poſcebar exemplum nationis adeo inopis & adverſus uſuras invalidæ, ut vel unum in centenos annuum pendere onus impetibile judicaret? Hac conditione propoſita ſi ego ſubjeciſſem, qui beſſe, triente, quadrante, de uſuris cum creditoribus ſuis deciderunt, ubi mens mea, ubi ſenſus, ubi intelligentia? Nonne cachinnum latiſſimum tollerent, & non occiput, ſed frontem mihi ciconia pinſerent omnes acuti & ingenioſi homines, qui probaturus fuiſſe, quibus unum ſupra ſortem uſurarum nomine numerare difficile eſſet, producerem eos, qui de uſuris, pro centeſimis initio promiſſis, deinde octo vel quatuor ſolvendos pepigerunt. Non glorior: non ſimus ὀξυδερκεῖς nec valde ſubtiles: ſed adeo cæci & male collineantes non ſumus, ut tam longe aut ſuperjaciamus ſcopum aut ab ejus latere aberremus. Ergo ut negare nolim cum creditore *de uſuris beſſe, triente, quadrante decidi* recte dici, ubi ſit ilud: ita certum ratus, quotieſcumque veteres hoc ſermone utuntur, ſine uſurarum mentione, toties de ſorte illos agere; ſecundum exemplum illorum, quos vel minimum ſupra ſortem apponere graviter oneraret, dedi eos, qui cum creditoribus beſſe aut triente aut quadrante deciderunt: hoc eſt, adeo non potuerunt aliquid ultra ſortem adjicere, ut ne ſortem quidem integram, ſed pro aſſe beſſem, aut trientem aut quadrantem ſe creditor accipere gaviſus ſit. Et quicquid fremat adverſarius, quicquid conjiciat pulveris, quicquid fumi exhalet,

> *Κὰδ δ' ἔπεσ' ἐν κονίῃσι μακὼν, σὺν δ' ἤλασ' ὀδόντας*
> *Λακτίζων ποτὶ γαῖαν.*

„ 30. Tamen, Nec, inſit, per auctores, quos adducit, ignorantia mea probari poterit. Incipitque a Vellejo Paterculo, cujus locum rurſus clamat me truncaſſe & peſſima fide tractaſſe, quod vocabulum *turpiſſimæ* omiſerim ſubdole, ſi non malitioſe, advocans, *Valerius auctor legis*, cum ſit in Vellejo *turpiſſimæ legis auctor*, quod augurarer illud *turpiſſimæ* mihi adverſari. Mentitur, & peſſimus eſt interpres cogitationum mearum. Ego enim turpiſſimas leges omnes duco, quæ fidem tollunt, quæ bona creditorum debitoribus condonant, quæ jus prætoris & auctoritatem magiſtratuum infringunt,

quæ

quæ ſenatum plebi obnoxium reddunt. Sed hæc tamen neceſſario fiunt interdum majoris mali vitandi, & ſunt remedia calamitatum, quæ impendent, graviorum: peccantque, qui omnia malunt in caſum dare & ſumma imis miſcere, quam de republica pactionem accipere: peccant, qui indigna depecti, quaſi injuria coacti & ſacramentis interpoſitis non obligati, nondum conſidentia mala exaſperant, & ante cicatricem ductam vulnera reſcindunt. Cæterum, honeſte an ſecus fiat, haud quæritur; ſufficit fieri quandoque & „ factum eſſe. Sed, Jactet, audio, jam Gronovius inveniri populos, apud „ quos creditores coacti fuerint ſortem abſque uſuris recipere magna parte „ imminutam: hoc equidem non dicit Paterculus. Credo, homini (qualem ſæpe ſtitit hic nobis ludius) barbaro nec Latine perito: cæterum qui ſcit, quid ſit *creditoribus quadrantem ſolvere*, ei ſatis dixit Paterculus.

31. Similiter tumultuatur in Suetonii loco, tamquam & eum debilitarim, quia, quæ poterant abeſſe ſalva eorum, quibus indigebamus, ſententia, „ legi apud ipſum quam exſcribere malui: & ſatis profane: Mi Deus, quid „ non ſuadet mortalibus ſuperba pertinacia? quod uni ſibi ſi dixiſſet, nihil unquam verius protuliſſet. Narrat Suetonius per æſtimationem poſſeſſionum ex lege Julia creditoribus ita ſatisfactum, ut quarta pars crediti deperiret. Hoc mihi ſufficiebat: exemplum enim quærebam eorum, qui ſortem „ integram reddere non potuiſſent. Quid ille contra? I. Quod Cæſar dis- „ jecit exſpectationem tabularum novarum, id ſummam earum injuſtitiam „ arguere, etſi ego adeo prolixe pro earundem æquitate digladiatus fuerim. Sed hoc nihil ad rem præſentem. Mentitur autem me pro æquitate novarum tabularum digladiatum fuiſſe. Nunquam eas probavi, niſi in noviſſimo caſu civitatis. Quod autem complura earum exempla congeſſi, non eſt factum, ut eas laudarem; ſed quod ille novas tabulas tantummodo turbatoribus reipublicæ adſcriberet, demonſtravi, ſine ſtimulis facinoroſorum civium & regni affectatorum, integros populos, cætera tranquillam & quietam rempublicam cupientes, exhauſtos iniquitate nobilium & divitum eas deſideraſſe: & indicium feciſſe, adeo non unum in centenos quotannis accreſcentem, ut ne unum quidem de centenis acceptis, ſe renumerare poſſe. II. Quo- „ niam deciſio cum creditoribus facta fuit uſurarum quoque ratione habita, „ confirmatur, ait, mea ſententia, atque uſuras plebi Romanæ præ ſorte gra- „ ves fuiſſe patet. Hoc iterum quid ad rem præſentem? quid ad tres capellas? aut quomodo extorquet mihi dodrante deciſum? & ſic indulgendum fuiſſe creditoribus, ne integram ſortem, ſed tribus unciis imminutam, redderent? Illud autem quam tempeſtivum, deciſionem factam cum creditoribus uſurarum quoque ratione, quo confirmetur iſtius ſententia. Hæc ſententia erat decidere interdum creditores cum debitoribus de uſuris: quæ confirmatione nulla eget: eſt id ſine dubio & factum olim, hodieque fit frequenter, præſertim ſi temporum atrocitate complures annos reliquatum ſit:

 mihi-

mihique id ipsi accidisse memini. Sed hoc & supra peccavit, quod hanc sententiam suam applicuit, quo non debebat: & nunc peccat, quod ejus aliquid Suetonio narrari existimat. Nam Suetonius meminit usurarum jam olim solutarum, & ex constitutione Cæsaris valentium ad sortem minuendam: quarum vero iste rationem habitam scribit, eæ sunt adhuc solvendæ „ & sorti nihil detrahunt. III. Ignorantia intoleranda Gronovii pellucet, „ qui hinc cognoscere potest cum creditoribus decidi æque secundum usu- „ ras, & quidem sæpius quam secundum sortem. Verba, quæ nihil aliud sonant quam dolorem ex probro merito neque inficiando, & cupidinem vindictæ vanissimæ neque nociturae, cui paratur. Conscius erat sibi pudendæ ignorantiæ tantus præsertim Philologici veri atque ipsius Critices ostentator: civitates *decidere besse* vel *quadrante* putaverat, quarum rectores usuras besses vel quadrantes lege statuerent: me, cui Minerval debebat, oderat. Facit ergo verum, quod de alio genere peccantium canit poeta:

nihil est audacius illis
Deprensis. iram atque animos a crimine sumunt.

Atque ut vicem mihi redderet, non potuit ab loco discedere, quin & mihi aliquid ignorantiæ opprobaret. Quid illud? creditores interdum decidere cum debitoribus de usuris. Utinam non ipse expertus essem! Unde autem illi compertum hoc me ignorasse? non enim antehac ea de re inter nos actum fuit. His demum Vindiciis alteris eam ille mentionem fecit: ideoque exspectare debuit, quemadmodum ego illam exciperem, priusquam de scientia mea vel ignorantia judicium ferret. Monui autem paullo ante, non hunc plus scire quam omnes: neque in re quidquam esse dubii aut ignorabilis atque auctoritatibus adfirmandi: sed ad neutrum locum, cui eam iste accommodat, hanc decisionem pertinere.

„ 32. Quod adjungitur, Atque usuras plebi Romanæ præ sorte graves fuisse manifesto patet, ne hoc quidem cur venditet quasi singulare atque observatione dignum, causa est: jam enim centesimæ Senatusconsulto legitimæ factæ erant: & antequam Senatusconsulto, moribus invaluerant etiam contra plebiscitum Genucium. Sed noster tacite significat, quas graves usuras præ sorte appellat, eas venire ex lege XII tabularum, in qua quia non *Centesima*, sed *fœnus unciarium* nominatur, ideo *fœnus unciarium* esse centesimam. Quasi non cessaverit auctoritas capitis illius in XII tabulis, ex quo semunciarium rogatum est; & magis, ex quo Genucia rogatione fœnerari vetitum. Etsi autem & ipse pro certo habeam non leves usuras fuisse, quæ tum vulgo exigerentur: tamen hic homo (qui probat omnia, quæ probationem non requirunt; quæ necessario probare debebat, destituit,) quid videt in Suetonio, unde colligat usuras plebi Romanæ præ sorte graves fuisse? Numquid ubi usuræ superioribus annis aut mensibus pernumeratæ cedunt in solutionem sortis, ibi oportet eas graves fuisse, & quidem graves

præ

præ ſorte? Atqui hoc tantum Suetonius: *deducto ſummæ æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet.* Unde qua vi effecerit, quod manifeſto ait patere, aliis fortaſſe, mihi profecto minime, liquet. Cæterum ſint iſta, quæ coacervavit, omnia; vicerit de novarum tabularum injuſtitia, de deciſione in uſuris, de mea ignorantia, de uſurarum gravitate, de loco etiam Suetonii a me mutilato: annon, ubi quarta pars crediti deperit, ea eſt debitoris conditio, ut ille nec ſortem ſolidam, nec quidquam ſupra ſortem (vel ſit unus in centenos nummus,) rependere poſſit? Et hoc erat, quod mihi præſtitit Suetonius: hoc erat, in quo, mihi Suetonium non ſervire, illi pugnandum & vincendum erat: ſed id alto ſilentio tranſmittitur. Super Vellejum & Suetonium adhibui etiam Feſtum Pompejum docentem fuiſſe, ubi non niſi ſortis uncia creditoribus reſtitueretur: eumque in omnibus libris corruptum & mutilum, ratione dictante, redintegravi. Ergo minatur „ ſe patefacturum Criticam impudentiam alibi, qua uſus ſim in ſupplendo „ Feſti loco juxta caput meum, ſed cerebro vacuum. Flos Latinitatis Philologi & hiſtoriarum conditoris, Juxta caput ſuum. Cæterum qui in Plauti Moſtellaria poteſt videre, quod nemo; cur non quivit videre, quod omnes? & exſtat a. I I I ſc. I.

Sortem accipe. D. *immo fœnus. id primum volo.*
T. *Non dat, non debet.* D. *non debet?* T. *ne erit quidem.*
Cui ſortem vix dare licebit.

Hic certe tam inops & uſurarum impatiens proponitur, ut non dico unciam centeſimæ menſtruam, ſed vix ſortem renumerare poſſit. Quod ſi nunquam cuiquam accidiſſet, inepte a Poeta in hac perſona fingeretur.

„ 33. Num. XVI pag. 157 male me habuiſſe ait, quod obſervaſſet Ro- „ mæ prærogativam nullam fuiſſe debitoris, cujus fortunas triſtis aliquis caſus perdiderat, præ decoctore. Haudquaquam, o cupide non me tantum ſed omnes & familiares tuos male habendi. Quî enim male me haberet, quod nihil proficiebat in cauſam? Itaque mirabar & interrogabam, quemadmodum hoc ad rem attingeret? Hoc cum docere nos deberet, „ muſſat: verba ſua diſcerpi a me queritur: me fidei Satanicæ manifeſtum: „ locum Senecæ de benef. 7, 16 ab ſe adductum diſſimulare. At illa Senecæ hoc tantum atteſtantur, quod ille ſine vi argumentandi poſuerat, eodem numero haberi, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine an alea abſumpſit, & qui incendio aut latrocinio aut aliquo caſu triſtiore aliena cum ſuis perdidit. Itaque, perinde ut antea, miramur & quærimus, quid iſtud ad rhombum?

34. Fuerat ejus in primis elumbe atque enerve hoc argumentum: Pius „ & Alexander non fuiſſent laudati, quod fœnus trientarium exercerent, „ ſi unciarium centeſimæ duodecima foret, ſemunciarium quarta & viceſima. Quod enim, amabo, ſacramentum, quæ neceſſitas, quod vinculum

hujus collectionis? Potuissent, ait, optimi principes revocare duodecim tabulas: quod non fecerunt, quia scilicet unciarium fœnus trientario gravius erat. Hariolatio vanissima, & nulla prorsus nixa veri similitudine. Quos magnum est & admirabile ad trientes descendisse, quum vulgo centesimæ obtinerent, quis tam expers est verecundiæ, ut minores tolerare jubeat? Cur non pari sophismate colligit nullum exstitisse plebiscitum Genucium, quia si fuisset, optimi principes id revocassent, & omne fœnus sustulissent. At vero, quod illic obiter jactum, Antonini & Severi temporibus Tabulas duodecim consenuisse, & præsertim earum caput de fœnore exolevisse, id arripit, id ulcus, in quo ungues suos experiatur, eam bellam occasionem me „ carpendi arbitratur: quando Justinianus toties earum in Institutionibus „ meminit, quod frustra fecisset, si venerandæ illæ leges plane a pluribus „ seculis abrogatæ & quasi sepultæ fuissent. Palam est, ut ad invidiam mea dicta immutet. Ego scripsi Duodecim tot aliis subsecutis legibus consenuisse, ut, quasi arbor annosa, trunco, non frondibus umbram efficerent; unum insigne caput earum prorsus exolevisse: hoc illi est, abrogatas omnes & sepultas fuisse.

„ 35. Num. XVII pag. 159. Redit deinde, inquit, ad locum Dionis. Quid ego redeam? Quasi non sit vel invito mihi necessaria reditio illo, quo iste me rapit, retrahit, retorquet, tanquam ad primum, quos appellat, triariorum suorum: quamquam levissimæ sit armaturæ & fugæ quam pugnæ expeditior. Dio tradidit ante Actiacum Octaviani Augusti triumphum τὰ δανείσματα ἀγαπητῶς fuisse, ἐπὶ δραχμῇ, id est, de fœnerata pecunia neminem centesimas recusasse. Assentior libens: sed quid inde boni pro centesima unciaria? Hoc nemo facile exputaverit, nisi ex ipso nodo- „ so dialectico cognoverit. Nempe si centesimæ adeo vulgares & quotidia- „ næ consuetudinis fuerunt, legem aliquam eas oportet fovisse: si legem, „ ergo legem XII tabularum: si duodecim tabulas, *fœnus unciarium* est „ centesima: neque enim alius fœnoris in illis mentio. Acervus iste minime Chrysippeus, quicquid Dionis verbis superimponit, fluxum, cassum, evanidum habet. Quare namque legem potissimum eas fovisse oportet? & non potuerunt moribus invalescere? quemadmodum olim, antequam ulla lege modus est statutus usuris. Cur autem, si lege, duodecim tabularum lege? Utrum leges aliæ nullæ sunt, an, quas ignoramus, nullæ fuerunt? Denique nec si forent ista, sufficerent ad induendam fœnori unciario centesimæ explicationem: ipsorum enim vocabulorum natura & ratio etiam inspicienda est; & hic quoque calculus ponendus: qui si desit, possent concedi positiones priores, & legem tabularum XII centesimas sanxisse; sed non potest concedi sanxisse sub nomine fœnoris unciarii, quod vi sua & usu omnium Romanorum hominum duodecimam centesimarum designat. Et hoc quidem reposuimus olim, neque inepte reponebatur, moribus tum

rece-

receptas fuisse centesimas, & mentiri illum, quum audet effari Dionem de illis ut legitimis & jure concessis loqui, apud quem nullum verbum est de jure aut de legibus. Sed postea eruimus illud adhuc obscurum & latens apud Ciceronem Senatusconsultum: ex quo scimus, non moribus tantum, sed etiam jure scripto eas approbatas: & hoc egregium exemplum est ejus, quod Ulpianus tradit l. IX D. de legib. Sc. & Lon. Consu.. *Non ambigitur senatum jus facere posse.* Nam ex XII tabb. provenisse non poterant videri, quibus si maxime introductas concedamus, palam est illud caput, & de semunciario fœnore, & quod fœnus omne tollebat, plebiscitis abrogatum fuisse.

36. Interim jam illum, cum hæc nugaretur, temerariæ sponsionis senatusque consulti Sulpiciani Claudiani fulmen adflaverat: jam exulcerabat mentem, quod instaret, dictis non maneret an causa caderet, hora judicatura: cujus tanti vulneris sensum lentus dissimulat, ut merito cramben suam recoquere, neve ab inimico doceri quid aut cogi potuisse videatur. Itaque ne nimium bene speremus, mature atque in antecessum hic quoque statuit documentum, quam constiterit in adfirmatis semel, quam parate recesserit a defensis adsertisque olim, secumque dissentire cœperit, non ut in meliora transgressus, sed ut ad tempus brevem & infidam erratis latebram reperiret. „Si Dio, inquit, rationem habuisset fœnoris, ut solet exerceri ex libidine „argentariorum aliorumque, qui pecunias suas illis credere solebant, nihil „dixisset. Quemadmodum, quæso, nihil? Annon satis magnum est, annon illustre ad gloriam Principis, annon mirabile auditu, fœnus (unde unde ortum, jure scripto an non scripto subnixum) quum sine indignatione cujusquam centesimis duceretur, repente ad trientes devenisse? Quid interest creditorum & debitorum, lege an more sæpe valido contra leges, illi læti fruantur, hi frustra gementes premantur ingentibus usuris? Quod pondus, quod momentum adjicit huic orationi modus & initium permittendi? Quum Cicero narrat *fœnus ex triente* factum esse *bessibus*, nihil dixisse putandus est, nisi legem imaginemur de usuris trientibus? Hoc non est interpretari Dionem, sed ei præscribere, ut commentari debuerit. Cæterum locupletiores quandoquidem tum, cum semunciarium fœnus esset, de illius sententia nummulariis pecuniam usuris semissibus credere noluerunt; quî nunc tam æquo fuerunt animo, ut ex centesimis trientes paterentur? præsertim cum centesimas lege, & quidem, ut ille vult, XII tabularum lege post tot secula reviviscente, permissas haberent? cur non rursus operam dederunt, omne ut fœnus tolleretur, quo remedio quondam usos iste, sed solus, prodidit? At noster omnium, quæ extra rem sunt, quæ longe a mente auctoris, quæ verbis nec continentur nec quantumvis obscure alluduntur, adjunctor & subaudiendi solers, edet rationem, cur Dio suis verbis contentus, nisi expandantur & dilatentur distendanturque ad libidinem hujus

 „Scho-

„ Scholiaſtæ male grammatici, nihil dixerit. Nam per ganeones, ait, de-
„ coctores, ſimileſque homines æque omni tempore ſatisfieri poterat cupiditati hominum avarorum. Lepide, ſed plorantibus & invitis, quæ ſuperius aſſeveravit, cum diſputaret vitia corruptarum civitatum non intendere
„ fœnus, Num. VI pag. 116 & 118, decoctoribus, luxurioſis, diſſolutis
„ nattis, quos vitia ſua mutuum ſumentes mala nomina eſſe aut brevi fore
„ arguant, nullum ſapientem pecuniam ſuam credere. Quibus nemo credit, quemadmodum per eos omni tempore ſatisfieri poteſt cupiditati fœneratorum? quomodo tum etiam, cum trientibus eſt fœnus, iiſdem poſſunt extorqueri centeſimæ? & cur magis, ſi eas centeſimas lex conceſſit, quam ſi mos introduxit? Nam nec lex nec mos eam vim habent, ut non liceat, niſi centeſimis, dare creditoribus, accipere debitoribus; ſed ut liceat ſic paciſci, ſi non poſſunt minoribus. Et contrariæ igitur prioribus, quas non revocat, & per ſe inertis operæ ſunt hæ δεύτεραι φροντίδες. Tamen illi hoc tantummodo ſingulare apud Dionem videri poſſe videtur, quod
„ uſura maxima, ſive centeſima, legibus ſcilicet permiſſa, uſque adeo deminuta fuerit. Quoniam igitur ab iſta legis permiſſione abduci non poteſt, miſerti hominis ſumus, & pepercimus animo miſerabile vulnus habenti: tantum convenimus, ſi quem habet, pudorem ejus, ne bis idem petat, & pro inſoluto ducat, quod in aſpero & probo ei numeratum eſt. Eruimus & produximus legem his temporibus propinquam, in qua non poſſit ſerra duci ob ambiguitatem vocabuli, quæ non *fœnus unciarium*, ſed *centeſimas* indubitabiles appellat. Omittat ſuas duodecim tabulas & ſenatusconſulto contentus ſit: neque enim negabit, opinor, & SC. & plebiſcita ſæpe Legum nomine in jure venire. Quod in Hollandia fit, non neceſſum eſt, immo ne veroſimile quidem Romæ factum: & quod publico collocatæ pecuniæ mercedes corripuerunt Ordines, id contractus privatorum non impedit, quo minus, quibus antea, ſive moribus ſive juribus regantur.

37. Num. XVIII pag. 160 reſumit quem ſecundum triarium dederat, Quod Ciceroni Ciliciæ proconſuli obvenit: in quo quatuor veritatum perſecutorem, ne a ſuo numero diſcederet, quater flagitioſiſſime impegiſſe, & nullam partem rei bene aſſecutum eſſe tam planum feci, ut ne unum quidem tot gravium peccatorum auſus ſit defendere. Tantum invidiam inge-
„ rit. Octo paginas argumento iſto me impleſſe. Quid tum? ubi abundabant illius nugæ, prolixiorem quoque fieri oportuit illarum reprehenſionem. Cæterum octo illæ pagellæ plus ſolidi continent & ſani quam illius δωδε-
„ κάπτυχοι Vindiciæ. Manucium quoque ac Sim, Boſium imprudentiæ argui: ſed nec Cujacio me parcere ſciſſe. Si nequiter expetivit hæc fiducia mihi, meliora doce: ſi recte, tace ac diſce & parce tibi ſimilemque impru-
„ dentiam vita. Me fateri cogi auctorem ſe habere Auſ. Popmam, a quo
„ hos carbones pro theſauro ſuffuratus ſit. Itane fateri cogi? Ego vero neque

que fateri neque coactus sum, sed pervolens perque libenter inclamavi furem, & furem sine ingenio, qui neque eligere, in quibus tanti sit peccare, nec poculorum ansas mutare potuerit. Admonitus *dare* vel *accipere in versuram* Latinis non placuisse, remurmurat, si cogitassem illum *versuræ* verbum in ea significatione accepisse, quam ei aptat Cujacius, clementiorem ei me præbiturum fuisse. Haudquaquam: non enim, quod vir magnus aliquid est humani passus, id objurgatione merita liberat parasitastrum parvolum, Criticorum indoctissimum & imperitissimum & obscurissimum (quos titulos statuis suis ipse subscribit) eodem errore lapsum, præsertim si & ipse jactare se aliis exagitandis & de strenuioribus crescere velle cœperit. Dein mentitur se in ea significatione, qua Cujacius, *versuræ* vocabulum accepisse. Huic enim excidit *pecunia sub usuris sumpta per versuram*, quod sit, ut ea pecunia usuræ aliis debitæ solvantur: nostro, caput fuisse legis Gabiniæ ne cuiquam in provinciis dare accipereve pecuniam in versuram liceret. Illi *versura* sunt sumpti sub usuris nummi ad usuras, alii creditori debitas, expungendas: huic *versura* est quævis pecunia fœnebris. Et hoc rectius: sed maluit παρόραμα Cujacii pro clypeo sibi obtendere, quam bene acceptam vo„ cem indocte cum aliis vocibus junxisse videri. Ciceronis, inquit, ne illi „ faveat, verba me mutare. Mentitur iterum: neque enim toto in corpore Ciceronis locus est ullus vel palam corruptus & emendandus, qui faveat huic sermoni *dare* vel *accipere in versuram*.

37. Salaminios in eadem pecunia duas dedisse syngraphas arbitratur, quarum in altera centesimæ, in altera quaternæ centesimæ, sed per imprudentiam eorum, essent perscriptæ. Hoc commentum pro absurdissimo & res ipsa & vita mosque hominum in contractibus, & nulla necessitas tam periculosæ rei, & alia M. Tullii verba, in quibus suspicio mendæ nulla est, aversantur & proscribunt. Quis unquam adeo imprudens & fatuus fuit, ut eadem de summa, eidem creditori, duabus syngraphis, inque altera justis, in altera tam enormibus usuris promissis, caveret? Neque opus fuit duabus, quasi altera esset ostentui, ne Patres offenderentur usurarum immanitate; quum ea, quæ sola facta est, non sit exhibita senatui, sed totam rem confecerit Bruti studium & gratia. At lib. VI epist. II visitur, *centesimis ductis a proxima quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renovatis quotannis.* Hinc ille putat constare Salaminios in duas syngraphas consensisse. Ego, quemadmodum & Manucius, integritati verborum illorum diffidebam. Ille mordicus arripit ea tenetque, nec sentit nihil in iis esse sani. Quid est enim *proxima syngrapha?* nisi si & altera *remota* est. Cur tamen *proxima & remota*, quæ, si exstiterunt, ambæ eodem tempore factæ sunt? Quid deinde *centesimæ ductæ a syngrapha?* Lib. V epist. ult. *quum SC. modo factum sit in creditorum causa, ut centesimæ perpetuo fœnore ducerentur.* Lib. VI ep. I. *ut solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum.* Epist. eadem:

diem

diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico me centesimas ducturum; si non solverint, ex pactione. Et sequenti: *nisi forte id volumus armis efficere, ut fœnus quaternis centesimis ducant.* Hæc omnia & declarant hoc genus loquendi *ducere centesimas, fœnus ducere centesimis,* & in majore suspicione ponunt illa, *a proxima quidem syngrapha.* Videndum, ne Tullius scripserit: *Salaminios autem adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent solvere, sed centesimis ductis, nec perpetuis, sed renovatis quotannis.* Nihil enim deest ad perficiendum sensum: & illud *a proxima quidem syngrapha* videtur esse additamentum hominis mediocriter docti, nec, quam sibi sufficiat τῷ *centesimis ductis,* quamque non requirat *Unde* vel *Quo*, scientis.

38. Quæ Num. XXXVI de Salaminiis eorumque syngrapha garriam, ,, evertendis suis negat vim habere; niti enim ea conjecturis magis quam sua. Quasi non ab imis fundamentis disturbata & subversa sint & hoc & Numero præcedente, ita ut pro illis nullum verbum miserit, nisi quo rusticam ,, suam pertinaciam redderet insignitiorem. Si evicerit, inquit, per consue-,, tudinem solam, non vero per legem Gabiniam centesimas usuras in pro-,, vinciis receptas fuisse, everterit meum argumentum. Ego consilium ab inimico non capio: & meliorem illum nectendarum quam solvendarum stropharum auctorem duco. Jubet evincere me centesimas per legem Gabiniam receptas non esse. At ante nos natos constitit inter eruditos, & abunde demonstratum est etiam in Antexegesi altera, legem Gabiniam nihil rogasse de fœnore in provinciis, sed vetuisse provincialibus in urbe Romana in fœnus dare, ipsos accipere. Repetit deinde, quod vocat, argumentum suum, & subjicit meam responsionem, nec contra eam aliud, quam exar-,, mandis suis non sufficere meos logos. Facile & ego acquiesco judicio lectoris, & eum dispecturum censeo, quid distent æra lupinis. Tamen, ut vitium ,, illius argumenti magis patescat, & nos id repetamus. Quæ vero iniquitas ,, fuisset, inquit, si Romæ per leges XII tabularum duodecima solum cente-,, simæ pars usura maxima fuisset, & tamen promiscue omnibus, lege quoque ,, lata, centesimis in provinciis fœnerari licuisset? Ostendi, etsi vera essent, quæ ille pro veris præsumit, nihil in eis iniqui, aut si quid iniqui, nihil tamen mirandi fuisse. Sed alia fraude maxima in verbis istis legentem circum-,, scribit. Nam illa, Si Romæ per leges XII duodecima solum centesimæ ,, pars usura maxima fuisset, sic audiuntur a minus intentis, neque historiam usurarum, quæ Romæ obtinuerunt, in promptu habentibus, quasi illo ipso tempore, quo hæc a Cicerone scribebantur, duodecim tabularum caput de fœnore unciario valuisset ac viguisset: quum interim decies ad ravim usque occlamarimus homini, caput illud duodecim tabularum de unciario fœnore ante trecentos amplius annos duobus plebiscitis, altero de semunciario, altero ne fœnerari liceret, abolitum & in usu esse desiisse: & contra omnes leges, tam quibus ei modus finitus, quam quibus omne vetitum esset, contraque

omnes

omnes animadverſiones, quibus fœneratores puniti, fœnus increviſſe ad mo-
,, dos inciviles atque immanes. Rurſus quum ait, Et tamen promiſcue omni-
,, bus, lege quoque lata, centeſimis in provinciis fœnerari licuiſſe, recidit in errorem jam ante notatum, legem Gabiniam ſtatuiſſe, ne gravior uſura per provincias quam centeſima foret. Quod docuimus eſſe falſiſſimum, & ut centeſimas in Aſia & vicinis regionibus excedere non liceret, ortum ab edicto provinciali L. Licinii Luculli. Priori reſponſione mea poſita, Quæ
,, ipſe, inquit, pag. 59 (529 h.e.) non tam in omnes formas vertit quam in
,, equuleo detorquet, ut valeant *a proxima quidem ſyngrapha*. Quo retulit τὸ Quæ? nam ſive ad mea ſive ad ſua verba reſpexit, mentitur: nihil enim dicta pagina vel ipſius examino vel meorum muto aut corrigo: ſed de iſtis apud Ciceronem ſuſpectis opinionem Manucii & meam exſequor. Ea me adeo
,, vexaſſe lætatur, ut ultro fatear illa ſcabri aliquid habere. Nec pœnitet profecto, & ſi quis id non fatetur, eum elephanti corio circumtentum & Ciceroni minime familiarem judico.

,, 39. Num. XIX pag. 162 me pag. 63 (530 h.e.) & ſequentibus pluribus oc-
,, cupari adhuc prædicat circa plebiſcitum Genucium, ordinans quaſi fœnus,
,, &, modum qui excederet, puniens. Rurſus hic lector, quid accipiat, neſcit, & quæ mihi circa plebiſcitum Genucium fuerit occupatio. Dixerat iſte,
,, credibile non eſſe, duodecim tabulas hoc ſeculo & præcedentibus aliis dor-
,, miviſſe, & non puniſſe illos, qui in tantum excederent uſurarum formulam,
,, maxime quod eſſent parati quadruplatores. Hoc & indoctum & futile. Primum toties audiit legis XII tabularum caput de fœnore unciario a plus trecentis ante id ſeculum annis auctoritatem perdidiſſe & de ponte dejectum eſſe. Addidimus, quia quadruplatorum meminerat, & accuſatos & mulctatos fœneratores ædilibus diem dicentibus: verum non id factum ex lege duodecim tabularum jam obſoleta, ſed ex plebiſcito Genucio. Eam ob rem pag. 65 ſemel & pag. 67 ter illud appellavi: quod illi eſt me pag. 63 & pluribus ſequentibus circa plebiſcitum Genucium occupari: cum ipſe interim nihil aut occupationis aut operæ ſumat in argumento ſuo defendendo, removendiſque, quibus illud refutavi. At impoſtura inſignis latet in illis, Plebiſcitum Genucium ordinans quaſi fœnus, &, modum qui excederet, pu-
,, niens. Hoc nemini mortalium traditum ante iſtum: neque ignorabat ipſe Genucio plebiſcito nihil aliud actum quam ne fœnerari liceret: ſed nunc id mentitur ordinaſſe fœnus & puniſſe modum in eo excedentes, ne illud videatur obrogatum legi XII tabularum, & unciarium quoque ac ſemunciarium fœnus ſuſtuliſſe. Locum Appiani me pag. 65 adduxiſſe ait, in quo ta-
,, men neque Genucii occurrat neque XII tabularum mentio. Appianus narrat, νόμου τινὸς παλαιοῦ προαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις. Quum rem expoſitam videamus ab Appiano, quis de auctore dubitet, quem nominat T. Livius? Sed cum tantam materiam & ſua, ſi poſſet, confirmandi &

mea destruendi ei suppeditavissem, omnia præterit, & ubi gladio erat opus, acu comatoria pungit. Una hæc Appiani relatio docet fœnus lege aliquando prohibitum fuisse: docet ei legi fraudem factam & contra eam fœnus consuetudine inrepsisse ac vehementer esse grassatum: docet litibus inter creditores & debitores exortis, neutros decucurrisse ad legem XII tabularum, quæ in fœnore non observabatur: docet fœneratorum suffugium unicum fuisse longam consuetudinem; debitorum alios excusasse bella & seditiones nuperas, tanquam consuetudini aliquid deferentes; alios minatos plebiscitum Genucium, quod, licet intercedente consuetudine, nulla rogatione inductum erat: & plura, quæ Antexegesi secunda percensuimus. Quæ omnia quum illi plurimum adversarentur, nihil eorum ausus est primore digito attingere & a se confutatum iri sperare.

40. Sequitur insigne specimen hominis adversus conscientiam suam veritati obluctantis & instar timidorum animalium, pupillis clausis aut capite abscondito, corpus reliquum, quamvis expositum, fallere præsentium visus existimantis. Dictum inter nos erat, ab ipso adeo ortum, ni lex nulla, nullum senatusconsultum, nullum plebiscitum produci posset centesimas in Urbe permittens, non quidem sacramento quinquagenario deposito eum cariturum, sed in controversia nostra, si quod eorum invenissem, manus daturum & publice errorem confessurum. Deo gratias: investigatum est diligentia nostra Senatusconsultum in illustri positum monumento, & quæ moræ antehac obstiterant magnis viris ad illud agnoscendum & separandum a lege Gabinia, sublatæ Antexegesi secunda Num. XL: & hæc omnia tam clare, tam perspicue, tam dilucide, ut nihil illi restaret, præterquam ut deliberatum iret, fidem perdere mallet an rem?

Pudorin' an amori obsequeretur magis?

Incertus ergo quid ageret, cui præter spem atque incredibile hoc obtigerat, tandem fecit, ut decuit hominem, cui constantia in dictis & factis per omnem vitam nihil fuit vilius. Nam cum huc perventum esset, se jam „ distædere præfatus impudentiæ Gronovianæ; nec dementis (ut loquitur) „ otii tot inter occupationes, afflicta quoque valetudine, existere: itaque „ non decresse singula sua dicta recoquere atque ineptiis meis ultra respon- „ dere; eoque transsilire ad pag. 73 opusculi mei. Sic bolum illum faucibus demittit. Medium scilicet intervallum possidet observatio mea de SC. Sulpiciano Claudiano: in quo sane rustico illius plausu facile careo, neque omnium fallaciarum patri & promocondo irascor: tantum hoc ago, ut lectorem, ubi eum ille in soporem dare conatur, expergefaciam.

41. Merito autem properavit ad locum, ubi sophisticam suam dialecticen oculos nobis ablaturam putavit: & promptius erat illi paralogismum nodare quam M. Tullii Ciceronis sententiam explicare. Duodecim tabu- „ læ, qui ultra unciarium fœnus caperet, plectebant quadruplo. Eadem af-

„ fecit

„ fecit mulctà, qui ultra centeſimam debitori aliquid extorqueret, imperator Theodoſius. Hoc ille nihil eſſe clarius jactat. At ego in quotcumque formas hoc argumentum verterem, vitium manifeſtum effugere non poteram: aut enim exiſtebat affirmatum in ſecunda figura, aut in tertia concluſione generali, aut in prima majore particulari. Nimirum exſpectandus ipſe fuit ſolus inextricabilium cavillationum architectus & magiſter. Ergo, „ Quicumque, inquit, fœneratur ultra quam lege definitum, ille juxta le- „ ges XII tabb. punitur quadrupli. Sed qui amplius fœneratur quam cen- „ teſima, ille fœneratur ultra quam lege definitum. Ergo χεὺ. At nihilo felicius ſtellioni ceſſit hæc fraus quam tot aliæ ultro & volenti ſuſceptæ. Luſus eſt in voce *Lege*, quæ in majore propoſitione refertur ad duodecim tabularum legem, in minore ad Theodoſianam conſtitutionem. Itaque ſic colligendum eſt, ubi ſerio agitur: Quicumque fœneratur ultra, quam lege XII tabularum eſt definitum, ille per eam legem punitur quadrupli. Sed qui amplius fœneratur quam centeſima, ille demum fœneratur ultra modum lege duodecim tabularum definitum. Ergo. Sic apparet ἀμφισβητούμενον ἀντὶ ὁμολογουμένου intentari, hoc eſt, minorem eſſe fallacem, aut ſaltem ambiguam, atque adeo id ipſum, quod eſt in quæſtione: cujus ſi exigatur probatio, Theodoſii conſtitutio afferetur: ille autem, etiamſi ſecutus ſit Duodecim in animadverſione, neceſſe non habuit, nec tempora patiebantur, ut eas ſequeretur in modo fœnoris. Lex XII tabularum, dum valuit, ſubjecit utique pœnæ etiam, qui ultra centeſimas a debitoribus exigerent: verum non hos demum aut ſolos: ſed præter hos & qui centeſimas ipſas, qui deunces, qui dextantes, qui dodrantes, qui beſſes, qui ſeptunces, qui ſemiſſes, qui quincunces, qui trientes, qui quadrantes, qui ſextantes, qui ſeſcuncias uſuras ſtipulati eſſent: non autem permiſit ultra uncias.

42. Juxta ſubducentibus oculos acetabulis ludit hic præſtigiator in „ axiomate ſuo invictæ veritatis, quod nemo mortalium neget: Ubi in eo- „ dem genere delicti eadem pœna irrogatur, delicta aut nomine aut acci- „ dentibus differentia eſſentialiter eadem ſunt. Nam τῶν οὐσιωδῶς eorundem non unum genus eſt. Sunt τὰ τὴν οὐσίαν eadem numero, ubi eſt eadem deſcriptio & eædem partes ac convenientia ſecum cujuſque unius ejuſdemque rei diverſo tempore ac ſtatu: eſt ἡ τὴν οὐσίαν ταυτότης alia ſpecie, ut in perſonis duabus, ſic Philippus & Alexander, homines uterque & Macedones & reges; ſunt τὰ τὴν οὐσίαν eadem genere, ut homo & fera, ambo animalia. Boëthius de ſancta Trinitate: *Idem vero dicitur tribus modis: aut genere, ut idem homo, quod equus; quia idem genus ut animal: vel ſpecie, ut idem Cato quod Cicero; quia eadem ſpecies, ut homo: vel numero, ut Tullius & Cicero, quia unus eſt numero.* Jam iſte clandeſtinum venenum miſcet lectoribus iſto *eſſentialiter eadem*, quaſi hoc tantum diceretur de iiſdem numero: & ſic *centeſima* foret id ipſum, quod *fœnus unciarium*, & *fœnus unciarium* quod *cente-*

 ſima:

sima: quum hæc sint tantum eadem specie, & unum in altero duodecies in-
„ sit. Quomodo (pergit) juxta legem Corneliam gladio feritur, qui sive
„ veneno sive fame sive gladio sive quocumque alio telo hominem occide-
„ rit, quoniam homicida censetur. Consentio consciscoque, quia id generale vocabulum & omnia cædis genera complectitur: non tamen veneficus est percussor vel sicarius, nec sicarius latro aut Corynetes vel Pityocamptes. Sic directarius aut perfossor parietum, plagiarius, depeculator, abigeus, sacrilegus, furum nomina, & ut plurimum juxta gravi pœnæ obnoxiorum: non tamen directarius est plagiarius, nec plagiarius depeculator, nec depeculator abigeus, nec abigeus sacrilegus, utcumque sint ejusdem supplicii rei. Quemadmodum nec venenum est ferrum, nec ferrum clava, nec clava pinus: similiter neque ædes effringere est liberum hominem furari; nec hoc, ærarium compilare; nec hoc, mulum aut equum aut gregem abducere; nec hoc, templorum instrumento atque arcæ manus admoliri. Ipse, ut solet,
„ quæ magno cum strepitu excitavit, mox evertere, Ita fœnerator, inquit,
„ æque est, qui ultra centesimam atque ultra fœnus unciarium fœneratur. Voluit, opinor, fœnerator obnoxius mulctæ legis. Recte, sed & qui ultra quincunces, semisses, septunces, ubi hæ solæ legibus aut moribus probatæ, infames sunt: item ultra besses, ubi hæ tantum licent: quin Romæ, qui ultra semuncias, cum semunciarium fœnus introductum esset. Ideone quincunces, semisses, septunces, besses, semunciæ essentialiter eædem sunt? Credam, si debitori suo ille crediderit pro bessibus, quas pepigit, quincunces aut trientes deferenti & utrasque essentialiter easdem esse dictitanti. Sic neque unciarium fœnus centesima est, etsi peccans unciarium excedendo eadem summa, qua qui sub Theodosio centesimas, ex duodecim tabulis cri-
„ men expiarent. Me quidem ait injicere modi mentionem, at distinguere
„ debuisse inter modum juxta quantitatem & modum juxta qualitatem. Hic quoque nec quid ego voluerim, nec quid ille mecum agat, proclive cuiquam est divinare. Dixeram non esse necesse, ut Theodosius, cum in pœna fœnoris illegitimi secutus fuisset legem duodecim tabularum, etiam eundem finem justo fœnori constituerit: neque enim unum esse omni tempore modum ejus, & nunc minoribus nunc majoribus usuris collocari. Hæc
„ ille reprehensurus, In delictis, inquit, secundum legem Corneliam jam
„ enumeratis occurrit æqualitas secundum qualitatem: atque in pœnæ ir-
„ rogatione semper quantitas respicitur, licet quantitas (manente tamen ea-
„ dem pœna) intensionem aut remissionem procurare possit, suadentibus il-
„ lud circumstantiis, quas ad qualitatem consuevisse referri in confesso est. Verba semibarbara, inepta, aliena, sensus præsenti materiæ congrui expertia, quasi sine mente soni, & ad hoc tantum effusa, ut non siluisse videatur, qui, quod commode diceret, non habuit.

43. Atque hæc ad pag. 73 libelli mei, unde rursus immani saltui mediis,

in quibus cardo rei vertebatur, transmissis & dissimulatis de pag. 80 levia quædam vellicat. Nimirum quia hac parte in prioribus Vindiciis confessus esse quædam mihi præsidia Grammatica, ea ipsa, tanquam in compendium contraxisset, ita corruperat & deturparat, ut nihil in eis esset nec Grammatici nec sani, deprehensum in falso manifesto increpui acerbius: rem ipsam ita diligenter, breviter, concinne, diserte, probabiliter exsecutus sum, ut antehac nunquam, ne a memetipso quidem, factum. Et cum criminaretur me non dare auctores, singulos quasi gradus & ordines & articulos sententiæ meæ adeo firmos & solidos præstiti, ut nimio plus satis unicuique auctorum esse, & in nullo propter rerum liquidam faciem desiderari demonstraverim. Quare si quis adhuc incompertum habuit, an mentiretur, quum pag. 105 me arrogantiæ & inanis gloriæ appellat, quod scripsi hanc me viam planam & expeditam fecisse, is, per me licet, quæ exstant Antexegeseos secundæ Num. XLII, XLIII, XLIV, XLV, XLVI, non dico cum Sigonianis, quæ ille mihi obducit, sed cum quibusvis omnium, qui hanc materiam tractarunt, cogitatis conferat, & mihi gloriæ inanis an illi mentiendi libido incesserit, nullo negotio deprehendet. Hæc igitur nunc quoque lux, tanquam ab ingenti solis clypeo, ita percussit oculos hominis, ut eam ferre nullo modo potuerit, sed connivens, obliquans vultum, stationem deserens, se suaque indefensa, in mea ne impetu quidem tentato, reliquerit.

44. Cæterum quia Grammatica præsidia, Grammaticos canonas, Grammaticos calculos, Grammatica vocabula, ubique mihi, tanquam crimina, ingerebat, admonitus contemptionem Grammatices & Grammaticorum (quæ sophistis hodie rabulisque & omnibus studia cauponantibus neque nisi ad quæstum referentibus creberrima in ore versantur) non interioris, solidioris, elegantis, politæ, sed superficiariæ, perfusoriæ, translaticiæ, sordidæ eruditionis signum certissimum haberi; & in mea sententia nihil esse, quod ex elementis artis ejus proprie sit petitum, eoque fastidiendum; nec me magis quam ipsum præsidiis Grammaticis & in causa & ad scribendum indigere; in tanta occasione vel me deprimendi vel efferendi sese Num. XX pag. 166 hoc unum arripit, me pag. 80 quæsita occasione (quasi non ab ipso ingesta & obtrusa) disserere de Grammatices præstantia: quam in universum nunquam, sed morosam & tetricam, quæ omni prudentia destituitur, cujus ego cultor sim, se arguisse. Morosam puta, quæ hominem mille papiri voluminibus maculandis eloquentiæ opinionem apud vulgos, apud sese ac suos, quosdam etiam inter inimicos (adeo pauci sunt, quibus tanta de re judicium tuto committitur) adeptum, tot illiberalium Latinæ linguæ vitiorum convincendo, admodum momordit, & ab hac parte securi injectis tragulis inexspectatis impetus refrenavit ac tardavit. Tetricam, quæ gallantis & bacchantis ægra mente deliriis, de *centesima* ante menses duodecim imperfecta, quæ ob menstrum & *fœnus unciarium* vocitetur; de asse usurario annuo; de

assibus unciisque Synecdochicis; de minoribus usuris omnibus tantum a centesima distantibus, quantum æris partes ab asse distant, solis unciis ad centesimas assurgentibus &c. de παρεγμιωνείαις veterum scriptorum, in quibus mirificum interpretem se proditurum sperabat, nihil indulgentiæ, gratiæ, veniæ impertivit; quamque ubique adversam, rigidam, inexorabilem expertus, odisse maluit, quam meliora præcipienti ac probanti obtemperare. Illa enim, ut apud Septimium amicus ager domino, *Si bene mî facies, memini:* contra, si negligas, derideas, contemptim conteras.

45. Discere me jusserat ex Justiniani novella XXXIV ævo hujus imperatoris partes assis vulgo notas non fuisse. Tantam ob imperitiam egregie exceptus os præbet patienter & nihil obloquitur: solummodo de Horatii loco „ aliquid mutit; eum loqui de Albini & similium fœneratorum filiis, qui a „ primis annis talibus præceptis instruerentur, quorum subsidio commode „ fœneratoriæ artis exercitio vacare possent: quam rationem calculum sub„ ducendi & assem in minutissimas partes diducendi cum vulgus Quiritium „ ignoraret, contigisse eos sæpenumero decipi. Quasi non ante Albini puerum, exempli vicem nominatum, cecinerit:

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in centum partes diducere.

An *pueri Romani* non sunt nisi filii fœneratorum? Quid autem aliud volunt veteres, quum *numeros* & *numerare* & *Arithmeticen* inter prima studiorum exercitia ponunt? Sic apud Tertullianum junguntur *primus informator literarum & primus edomator vocis & primus numerorum arenarius.* Augustin. lib. I Confess. *primas literas, ubi legere, scribere & numerare discitur.* Idem de tempore serm. XLVIII. *Quantis cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? quantis etiam scholæ vigiliarum & abstinentiæ molestis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoresque vanitatis, ut numerare & literas & disertas fallacias eloqui discant.* Ecquis autem paterfamilias frugi Romæ non conficiebat tabulas? Quid quod Vegetius lib. 2 de re militari docet integro capite, præter corporis robur notarum & computandi artem in tironibus eligendam. Eodem tendunt Acro & Cruquianus: *A prima ætate calculum discunt, hoc est, computationibus operam dant.*

46. Quæ ad Plinii lib. X epistolam LXII notavimus, captum ejus superatura sciebam: eoque minus miror proluviem levium & inanium sonorum, quibus ea oppugnatum venit. Nam cum Salmasii conjecturam, *usuris assibus,* primum ita laudassem, ut tamen vulgatum non rejicerem; dein re diligentius inspecta unice probassem, novisque & Salmasio irrepertis ratio„ nibus confirmassem; Cur ergo prius, inquit Num. XXI pag. 167 usque „ adeo tumultuatus fuit, tantumque pulveris concitavit? Quasi non dies diem doceat, quasi non plurima, præsertim in literis, quæ primam frontem pri-

primumque attactum non approbarunt, mox intentius considerata & crebrius tractata, sola postea judicium auferant & pro planis certisque, quod scilicet erant, etiam agnoscantur. Quid autem tumultuatus fuerim, quantum pulveris excitaverim, videre est pag. 55 (487 h. e.) primæ Antexegeseos. Docte atque ingeniose Salmasium suspicari dixi Plinio scriptum *usuris assibus*: sed etiamsi vulgatum retineatur, hujus dementiæ nihil profuturum. Hic pulvis est, quem excitavi; hic omnis, quem ille tumultum decernit. Subnectit: „Mea erat sententia semperque manebit Plinium significare Trajano, non „potuisse se consulere egestati publicæ, nisi promissa creditoribus usura centesima. Turpem & agrestem negligentiam! Plinius adeo publicam nullam egestatem queritur, adeo non versuræ faciendæ necessitatem, multo minus centesimis usuris, ut etiam scribat superesse reipublicæ in arca, quod collocare gestiat, nec reperiri, qui accipere tam gravibus usuris velit. Se„quitur: Contenderamque *assem* pro uncia sumi & *duodenos asses* anno quo„que conficere centesimam; & consequenter juxta Plinium συνεκδοχικῶς as„sem menstruum considerari divisorem centesimæ ad annum Romanum „relatæ, cujus proprie divisor erat uncia. Scimus & explosimus satis. *As* pro uncia non potest sumi, nisi & *duodecim* pro uno sumantur. Equidem quod uncia fuit respectu alterius assis, id potest fieri as respectu aliarum unciarum, & vicissim: sed id hic locum non habet, quia centesima menstrua sunt ipsæ *usuræ asses*; neque in usuris quidquam assis partibus appellatur, nisi respectu ad usuram centesimam menstruam habito, tanquam assem: ideo non potest as pro uncia ejusdem centesimæ poni. Jam *duodecim asses* accrescunt quidem in anno usuris centesimis sorti centum assium: sed tum *as* ἀσσάριον, denarii sextamdecimam partem, significat: ut *duodecim sestertii* existunt in anno lucrum centum sestertiorum usuris centesimis; *duodecim denarii* vel *daleri* sunt, quod efficiunt annuum usuræ centesimæ in centenos. Numquid ergo Latine dici putabimus *debere alicui duodenis assibus*, *debere sestertiis duodenis*, *debere denariis* vel *daleris duodenis* eum, qui creditos habet centum ejusmodi nummos & de illis duodecim annuos pendit? Ne nunc quidem purgatas aures id concessuras censeo: nedum, ut tam subtilis & cultus Plinius id ausus fuerit. Jam si dici sic posse concederemus, id foret prorsus extra nostram disputationem: nihil enim sonat tale, qualia Romanis in usuris exprimendis placuerunt. Quid est autem *As divisor centesimæ*, & multo horridius *Uncia divisor centesimæ?* Hausit scilicet ex meis libris genus hoc loquendi, *As divisor*, *As finitor*: sed quam id intellexerit, hinc apparet, ubi tam stulte atque incommode adhibuit. Nos cum *Assem divisorem* nuncupavimus, volebamus & assis & partium ejus nomina non monetam aut pecuniam significare, sed ad solidum aliquod partiendum venire. At assem unciamve dici centesimæ divisorem, quod centesima duodecim asses vel uncias complectatur, ratione caret; non minus quam si par-

tem

tem quamvis de duodecim velim dicere diviſorem aſſis vel totius. Denique non opus caſtigare ſingula: peccant enim omnia uno, quod in centeſima quærunt annuum: quum centeſima Romana nihil niſi menſtruum explicet: quod qui capere non quit, nihil hac in re poteſt ſani ſentire.

47. At ecce diſſolutionem fœdam, junctam impudentia incredibili. No-,, lebat hoc antea admittere, at nunc volens nolens cogitur, quia expedire ,, ſe non poterat. Deum immortalem! poſſe quemquam tam exhauſto rubore, tam aperte ac palam populo, tam ſtulte atque inutiliter mentiri! Egone ut quidquam iſtorum unquam admiſerim? Cur ergo verbum adjeci poſtea, quod eſſet contra voluntatem hominis, cui tantum indulſeram ac ,, me dedideram? Alius triumphus: Immo non me ſolum ſic ſtatuiſſe pro- ,, fitetur, ſed Matthæum quoque Hoſtum. Dignum vero gloria, quod iſtius dum retuli ſententiam, ut quam vana eſſet oſtenderem, etiam optimum Hoſtum, virum alia illi diſſimillimum, in eodem valetudinario laborantem obiter notavi. Tum poſt verba Hoſti e meo libello transſcripta: Ita ,, veritas invitos & reluctantes ſubigere quoque poteſt. Quid ſtolidius, aut hinc remotius? ubi veritas? ubi quod ſubegit? ubi reluctans ille atque invi- ,, tus, quem neſcio quid ſubegit? Statim allinit: Cur maledicus homo pa- ,, riter faſſus non fuit Hoſtum mihi eſſe ὁμόψηφον? Si non feciſſem, quid in eo erat flagitii? Et tamen jam feceram Num. VII ſecundæ Antexegeſeos.

48. Quam mihi alteram exceptionem ad locum Plinii annumerat, ea ,, concedit apud ſcriptores illibatam Romani eloquii elegantiam adhiben- ,, tes *Aſſem* æris ſignati ſive nummi rationem habere. Magnam rem & in primis perhibendam, quaſi ſibi adverſariam, remittit: ſed prorſus talem, ,, ut nota ſit pueris nutrices aſſem poſcentibus. Sed unde, inquit, pro- ,, baverit lepidum noſtrum caput cum Salmaſio, quem in poſteriori Exe- ,, geſi ſequitur, atque cujus partes defendendas ſuſcipit, in uſu fuiſſe hanc ,, loquendi formulam, ut *uſuræ aſſes* ſignificarent uſuras centeſimas? Sero petit, quod jamdudum habebat, ſi ſua bona intellexiſſet. Hujus enim rei fides facta eſt Num. LXII Antexegeſeos tam plana & certa, contra ut qui ſentiat, nil ſentiat. Docuimus id convenire rationi; convenire analogiæ & receptæ in ea materia loquendi conſuetudini; negotia medium ad Ianum tam prompta, brevi, antiqua formula carere non quiviſſe; principium omnium uſurarum aſſis partibus explicandi ex hoc capite fluxiſſe; Romanum neminem *duodenis aſſibus mutuari* dicere potuiſſe; unum eſſe Plinio reſtituendo remedium, ſi accipiamus *uſuris aſſibus*, cui Salmaſius ſalutem, nos lucem & ſa- ,, lem reddidimus. At iſte, Quamdiu auctoritatem veterum non adducit, ,, qua Salmaſii, qua ipſius conjecturæ tantundem deferemus atque anus febricitantis ſomnio. Neſcit enim, quæ requirant auctoritates veterum, ſi illis attribuantur, nempe inſolentia, *παράδοξα, παρακεχαραγμένα, ἀνώμαλα*, in quibus non apparet ratio, non apologia & uſus ſimilium. Neſcit eſſe quaſdam

dam φερούσας, perinde ut προτάσεις, δι' ἑαυτῶν γνωστὰς καὶ οἰκείᾳ φύσει πίστιν ἰδίαν φερούσας· quæ quamvis ἀναπόδεικτοι, tamen & μέγισται καὶ κυριώταται λέγονται· nec μόνον ἀλλοτρίας εἰς πίστιν δέονται βοηθείας, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ τῆς ἑτέροις ἀποδείξεως εἰώθασιν εἶναι ἀρχαὶ, quæ verba ſunt interpretis Græci Differentiarum Topicarum Boethii. Neſcit multa eſſe ἅπαξ εἰρημένα, quæ, ſi quis eis conſtet color, tamen recipimus, etſi tantummodo penes unum reperiantur, ſatis creduli, niſi tot excellentiſſimi utroque ſermone ſcriptores periiſſent, plures auctores claſſicos habitura fuiſſe. Neſcit quæ vis ſit analogiæ, ubi ea reſtricta cogatur ſeque coerceat intra veterum exempla; ubi quid jure ſuo ſine illis audeat, non quaſi nullum fuerit, ſed quia quæ fuiſſe probabiliter collegit, in tot ſublatis ingeniorum monumentis amiſſis.

48. Sequitur colluvies, cœnum, ſordes, oletum ſtolidiſſimorum & nemini neque veterum neque recentiorum ſano, nedum docto, uſitatorum „verborum. 3. As receptus veluti nummus in quemque menſem, ut an„nuatim conficiat centeſimam uſuram, quonam referri poterit, niſi ad cen„teſimam aſſis hujus uſurarii regulam? Quid poteſt infantius, inſcitius, ineptius concipi? Quo pertinet illa cautio, As veluti nummus? Non eſt igitur verus æreus nummus, neque ex iis, qui apud ſcriptores illibatam Romani eloquii elegantiam exhibentes æris ſignati ſive nummi rationem habent. „Quid ſibi vult, Ut annuatim conficiat uſuram centeſimam? Immo as menſtruus in centenos ſtatim centeſima eſt: neque, ut agricolæ, annum ex„ſpectat, ut fiat, quod eſt jamdudum. Nihilo felicius, Quo referri pote„rit, niſi ad centeſimam aſſis hujus uſurarii regulam? Hoc eſt, ad Chimæram, ad Centaurum, Sphingem, Scyllam, Sirenas; non illas veteres, ſed re„centis fœturæ, in portentifico circulatoris capite natas. Statim, Centeſi„mo enim menſe, nomine uſurarum, centenarius numerus aſſium nummo„rum debuerit paratus eſſe. Hæc vero non modo nihil conferunt ad id quod agitur, ſed etiam multis paraſangis ab eo diſtant & diſſident. Sed ita blandiuntur ei Paronomaſiæ, uſuram centeſimam, centeſimam regulam, centeſimo menſe, centenarius numerus, quæ centeſima diſtribuitur, ut eas invenire crebras regnum eloquentiæ eſſe putaverit. Fovent præterea errorem ἕωλον, protritum & proculcatum, ipſique, ut alibi diximus, inventori repudiatum, centeſimam inde appellatam, quod centeſimo menſe ſor„ti adæquetur. Jam quid eſt Aſſis regula? Regulas juris novi; regulas aſſis nec vidi nec audivi nec legi uſquam præterquam in his perditiſſimis chartis. Quoties autem huic immemori diſcipulo batui os ob illum *Aſſem uſurarium?* annon monui, caveret ab illo genere loquendi antiquis omnibus ignoto, recentioribus etiam doctis & ſeveris multiplicis erroris cauſa? Quid de„nique, Centeſima regula aſſis uſurarii? Centeſima in uſuris eſt as ipſe, ſive nummus integer in centenos menſtruus. Minores uſuræ ſunt aſſis hujus vel deunx, ut nummus minus ejus duodecima parte item menſtruus; vel dex-

 tans,

tans, decem duodecimæ unius nummi; vel dodrans, tres quartæ aſſis, novem partes duodecimæ; vel bes, duæ tertiæ aſſis, octo partes duodecimæ; vel ſeptunx, ſeptem partes duodecimæ; vel ſemis, dimidium aſſis, ſex duodecimæ; vel quincunx, quinque partes duodecimæ; vel triens, aſſis pars tertia, quatuor duodecimæ; vel quadrans, quarta pars aſſis, tres duodecimæ; vel ſextans, ſexta pars aſſis duodecimæ duæ; vel uncia, duodecima pars aſſis vel unius nummi menſtrua, ita ut integer as ſive nummus unus annuo ſpatio conficiatur. Quia ergo ipſa centeſima eſt as, quemadmodum dici poteſt, *aſſis regula?*

„ 49. Continenter, Quæ centeſima quatenus diſtribuitur per menſes ſin-„ gulos, annuatim duodenos efflagitat aſſes a ſorte centum aſſium. Hæc, perinde ut ſuperiora, lex Papia peregrinitatis damnat & Pompejopolin relegat. Centeſima non diſtribuitur per menſes, ſi veræ centeſimæ pactæ ſunt, ſed quovis menſe naſcitur & conficitur integra. Et eo ſimilis eſt noſtris duodecim in centum, quia toto anno conſiunt duodecim partes centeſimæ ſortis. Neque enim aliud eſt *centeſima uſura*, quam centeſima pars ſortis uſura menſtrua, ſive uſuræ & lucri vicem quot menſibus debita vel ſoluta. Quoties autem per duodecim anni menſes una centeſima pars ſortis diſtribuitur, eæ non uſuræ centeſimæ, ſed unciæ, ſunt. menſibus enim ſingulis debetur duodecima, & toto anno in centenos unus as ſive nummus. Et hoc fœnus eſt, quod Duodecim tabulæ ſtatuerunt. Neque centeſima dicitur accurate duodecim aſſes efflagitare: perinde eſt enim, ac ſi diceret, efflagitat ſeſe duodecies: ipſa enim eſt as: ſed ſi annua die fœnori accepit debitor, duodecim aſſis ſive centeſimas habet ſolvendas; pauciores, ſi intra annum ſortem & fœnus ex pacto retulit: quæ tamen juxta veræ ſunt centeſimæ, quam-„ vis annuum non efficientes. Qui (pergit) duodeni aſſes relati ad aſſem libram. Obteſtatus toties ſum *aſſem* in uſuris & *centeſimam*, *aſſeſque uſuras* & *centeſimas* omnino eaſdem eſſe. Sic igitur loquitur, quaſi diceret: Quæ duodecim centeſimæ relatæ ad aſſem vel centeſimam libram. Quid hoc eſt, referri ad aſſem? & aſſem referri ad aſſem? Cur oportet aſſes ſive centeſimas referri vel ad aſſem, vel ad libram, vel ad libram aſſem, vel ad aſſem libram? Quæ relationis hujus utilitas? quod compendium? quod commodum? Omnia hæc plena inſanæ atque abſonæ novitatis, cinctutis nunquam exaudita Cethegis, inſtar ἀσυγκλώςων a mimo aut urbicario in ſcena glomeratorum, quorum neque principium neque medium neque finem vel ipſe vel ſpectatores intelligunt. Duodecim aſſes ſive ſolida ſi coeant in unum corpus, & grandius ſolidum conſtituant, ſubeunt ſingula rationem unciæ, qui antea fuerant aſſes. Sed hoc non procedit in uſuris: una ibi centeſima uſura as, nummus, centeſima pars ſortis menſtrua uſura: is as menſe perfecto maturus, ἄρτιος, ὁλόκληρος eſt, nec momentum ultra temporis exigit, ut fiat centeſima. Similiter leviores uſuræ, deunces, dextantes, dodrantes, beſſes &c.

ſes &c. elapſo menſe omnibus ſuis numeris conſtant: nec ſi vel ſecundo vel tertio vel quarto menſe ceſſent, contractu ſoluto & ſorte cum uſuris depenſa, minus ſunt quam centeſimæ deunces, dextantes, dodrantes, beſſes &c. Quod ſi prorogantur per annum; exiſtunt quidem duodecim centeſimæ deunces, dextantes, dodrantes, beſſes &c. ſed hæ non habent ſingularem aſſem, aut ſub novo aliquo ſolido cenſentur, quia veteres in omnibus illis generibus nihil annuum ſunt imaginati, omnia menſtruum ad fructum retule-„runt. Fruſtra igitur crepat eos aſſes ſive centeſimas, relatas ad aſſem li-„bram, quoquo menſe nihil aliud quam unciam exhibere. Immo exhibent „ipſum aſſem, ipſam centeſimam. Fruſtra unciam menſtruam juxta annum, „qui duodecim menſes habeat, non poſſe non centeſimæ æquivalere. Voluit dicere, ut debuit, ſi verum voluit, uni centeſimæ parti annuæ; non centeſimæ uſuræ menſtruæ.

50. Quartum, quo ſperat Salmaſii emendationem & meam explicationem Pliniani loci ſe poſſe percellere, eſt, me non invenire aliud quod re-„ſpondeam, quam ut argumenta mea repetam. An repetiverim ſine novis firmamentis, judicet lector, idemque judicet, an hac exceptione adverſarii cadat irritumque fiat, quo Plinium juvimus. Sic alibi queritur me non tam examinaſſe ſuas quam meas confirmaſſe rationes. Falſum cœlo teſte: ſed tamen id ſi feciſſem, laudi potius mihi futurum putaſſem quam vituperio: plerumque enim accidit in his diſcriminibus, ut certantes felicius aliena diruant, quam ſua ſuffulciant. Quinto denique vincor & ſuccumbo illi, quia „non negem conjecturam de *uſuris aſſibus* per alterum idoneum teſtem pro-„bari non poſſe. Hoc jam amentavit, & quam retuſum eſſet, ſenſit ad numerum ſecundum. Nec quod ego ab illo poſtulavi auctores in re contra omnem rationem, analogian, morem, uſum, exempla veterum prodita, id illi jus dat exemplum poſcendi, ubi, quamvis exemplo deficiente, ratio, analogia, mos, ſimilium uſus, conſenſu & quaſi ore uno clamant ita ſe rem habuiſſe, neque aliter habere potuiſſe; aut me neceſſe eſt propterea videri diſſentire mecum & mihi contradicere. Longe aliud eſt ſtatuere *uſuras aſſes* dictas, ut *uſuras ſemiſſes* (quid enim poteſt veriſimilis rationis dari, quare licuerit hoc, illud non licuerit?) totque alias æris partibus nuncupatas: longe aliud centeſimam menſtruam συνεκδοχικῶς & pro uſu loquendi unciam centeſimæ annuæ, ut aſſis uſurarii vocari potuiſſe; cui nihil ſimile nec ſecundum tota præbet antiquitas: huic enim una centeſima menſtrua as in uſuris, nullumque alium ſupra ſe aſſem agnoſcit.

51. Num. XXII pag. 172 non agitur cauſa, ſed conflatur invidia ex libris ſacris, quibus innutriri atque impalleſcere nunquam me prohibuerunt illi, in quibus ille me verſatiorem criminatur. Et ſane a teneris ac primis annis, ipſorum parentum cura & pietate, ſic illis adſuevi, ut nunc quoque, præſertim ætate ingraveſcenti, ad quam majore ſuſpectu ac veneratione

aggrediar, qua viſcera mea & intimos pectoris ſinus magis commoveri ſentiam, ex qua plus ſolatii ad animum tranquillandum & omnibus ſolvendum curis hauriam, lectionem nullam habeam. At iſte qui Zabolicam meam vel Satanicam fidem accuſat, qua fide, amabo, mecum agit? *Bonos libros* more tranſlaticio appellaveram nitidorum ſeculorum ſcriptores & eorum peritos prudenteſque interpretes. Hoc ſceleſtiſſime interpretatur, quaſi nullos alios, atque ipſos adeo ſacros & a Sancto Spiritu dictatos, non pro bonis ducerem: quæ ſecunda barbarorum ſophiſtarum in homines ſine faſtu & oſtentatione doctos ac pios calumnia eſt. Reſpondi ſedatius quam oportebat, non deſinere illos bonos eſſe, quod omnibus bonis melior ſit ὁ θεόπνευστος· eſſe enim & in ſuo genere bonum, quod ad ſummum bonum non pateat aut pertineat. *Summum* ſcilicet *bonum* cogitabam vitam & ſalutem æternam. *Patere aut pertinere ad aliquid,* ſciunt, qui Latine ſciunt eſſe porrigi, extendi, pervenire, attingere ad aliquid, cum aliquo continuari. Significabam igitur, quemadmodum in omni honeſta diſciplina, arte, ſcientia, exſtant quidam libri præ cæteris boni, hoc eſt, feliciore genio nati & eam perſequentibus utiliores & accommodatiores, ſic in ſuo genere, nempe in ſtudius humanioribus, hos nomen illud facile tueri, etſi non proprie nec de proximo conferant ad illam beatitudinem, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη. Iſte omnia in ſequiorem partem deflectere ſolitus *Summum bonum* intelligit ipſum Deum præciſe, *patere & pertinere ad aliquid* ex aliquo pendere & ab eo proficiſci ac provenire, & me dixiſſe facit, eſſe aliquam δόσιν ἀγαθὴν καὶ δώρημα τέλειον μὴ καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς φώτων. Quod a mente mea fuit & eſt eritque ſemper remotiſſimum: qui quotidie ſupinis manibus τῷ δοτῆρι ἐάων grates ago laudeſque, quod, unde ad polienda ingenia & ipſos inſpiratos libros intelligentius tractandos ſufficiam, quantillum mihi literarum impertiverit. quod tamen pro mea forte ſatis amplum eſt, ne cœleſte beneficium extenuem: etſi modeſtiam ob id non exſuam & multis in præſtantiſſimis viris majora χαρίσματα lætis oculis & ſine livore conſpiciam. Vides, quod pudendum τῆς ἀθεότητος emblema vocet aretalogus, & quare honoris, opinor, cauſa me ſalutet, Mi Athee. Quæ, multa quidem dixit, fecit, ſcripſit, cur in eum merito repercuti & remitti ſuſpicioſus aliquis cenſeat: ſed tarde crimen tam deteſtabile in aliquo credere, tardiores ad id objectandum cuiquam eſſe conſuevimus. Satis erit mihi legis Remmiæ cicatrice ſtigmoſum dimittere.

„ 52. Num. XXIII pag. 173. Quæ de denario, inquit, quondam de-
„ cem, poſtea duodecim aſſibus valente dixeram, non merebantur exſibilari. Profecto merebantur & tum, & nunc magis, quum denarium aliquando XII aſſibus æſtimatum projicit. Sedecim dicere volebat: nam de duodecim Lipſii error eſt jamdudum ab non uno rejectus. Quid autem effecerit hac denarii mentione, docet Antexegeſis altera Num. LIV, unde partem in ſuam

pœnam

pœnam & opprobrium deſcribit, & gloriatur rurſus, aliquid me, a veritate expugnatum, ſecum fateri, eadem fortuna qua ſolet: nihil enim dictis ejus magis contrarium. Me diſſimulare, quæ de ἀναπκισμῷ interjecerit, ægre fert. At nihil attulit, niſi vulgare atque omnibus notum, nihilque in cauſam profuturum. Correptus ob Licinum procuratorem in Gallia, *præfectum* appellatum & *Licinnium,* de priore ſilet: in poſteriore recalcitrat, & Unde, „ inquit, Gronovius probaverit Dionis *Licinnium* eſſe eundem, qui *Licinus* „ in veteri epigrammate vocatur, pro quo ipſe ſtat? Inde, quod omnia, quæ apud Dionem, Suetonium, Macrobium, Scholiaſten Perſii leguntur, optime in eandem perſonam quadrent; nec quiſquam ſit hodie doctorum hominum, qui non hoc agnoſcat. Aut quare (addit) nobis non licebit dicere „ poetam propter metrum ſcripſiſſe *Licinum* pro *Licinnio?* Certe non licebit. Primo *Licinnius* non eſt nomen gentis Romanæ, ſed *Licinius:* familiæ, *Licinii Craſſi, Licinii Luculli, Licinii Calvi.* Deinde nunquam ſibi poeta Romanus id juris ſumpſit, ut *Licinum* metri cauſa faceret τὸν *Licinium. Licinius,* ut dixi, nomen gentis eſt: *Licinus* cognomen hominis libertini, quod ſervi nomen fuerat, poſt manumiſſionem appellati *C. Julius Licinus:* ut Tiro Ciceronis, manumiſſus, *M. Tullius Tiro*; Statius Quinti, *Q. Tullius Statius*

„ 53. Eadem pagina, inquit, rurſus vapulo, quod dixerim Ciceronis vo- „ tum fuiſſe lib. v ad Atticum epiſt. ult. ut centeſimæ perpetuo fœnore ducerentur. Et merito. quis enim optatum vel votum dici ferat magiſtratus, quod ille in edicto ſuo de jure reddendo ſeſe obſervaturum denuntiavit, & omni tempore poteſtatis obſervavit? Nec vero paſſus eſt Cicero Salaminios durius tractari, ſed indulſit Bruto, ne faſcibus cogeret creditores eorum, ut „ centeſimis ſine anatociſmo acceptis contenti eſſent. Alia querela, per plu- „ res paginas, nempe uſque ad 127 inſignes in nugis me tragœdias agere, „ ut invito illi perſuadeam, centeſimam ipſam hactenus debuiſſe agnoſcere „ aſſem uſurarium pro explicatione unciæ uſuræ aut fœnoris unciarii. Miſere ſcriptum, Pſeudole! at ſceleſtum, mihi hoc attribui, quod nec ſcripſi nec potui ſcribere, partim quia in eo jactatur as uſurarius, quem ego nullum agnoſco, partim quia quid ſibi velit, vix intelligo. Quid eſt enim centeſimam ipſam hactenus debuiſſe agnoſcere aſſem uſurarium pro explicatione unciæ uſuræ? aut quis unquam ita locutus? Centeſimane debet agnoſcere aſſem uſurarium, an ipſe centeſimam aſſem uſurarium? Jam pro explicatione uſuræ unciæ debuit ſcilicet neſcio quis aut neſcio quid agnoſcere aſſem uſurarium, utrum ut as uſurarius ſit ipſa uncia & fœnus unciarium, an ut ab illo aſſe uſurario explicatio ea petatur? Quam denique vim hoc in ſermone habet particula, Hactenus? Cum diu hæc apud animum meum verſaſſem, & varias interpretationes tentaſſem, una tandem præ cæteris placere ſeſe maxime poſtulabat: nempe aſſem in uſuris eſſe ipſam uſuram centeſimam,

ſeu centeſimam partem ſortis uſuram menſtruam: ab hoc aſſe petendam explicationem unciarum uſurarum & fœnoris unciarii: quæ ſit ejuſdem aſſis uncia, hoc nomen nacta, quod duodecimam hujus aſſis vel centeſimæ vel unius nummi partem ſingulis menſibus apponat ſorti, depenſam debitori & lucrum creditoris; per annum, unum aſſem, partem centeſimam, nummum in centenos. Hoc inde commodiſſime ſenſus exire propemodum decernebam, quum me turbavit oratio proxima, & quam dudum eram, incertiorem „ reddidit. Subjicitur enim: Atque cum videret hoc ipſe mihi affingi. At nuſquam ego illum ea in ſententia poſui: nec tam beati eramus, ille tantum ut boni a me datum reciperet: ego ut recuſanti atque aſpernanti poſſem tribuere. Nam hæc ipſa veritas eſt, quam propugno, & cui lippus & luſcitioſus Philologicæ veritatis indagator jam tertium impudentiſſime calcem impingit atque oppedit, & quia ipſe a principio ad eam penetrare non potuit, alios, ne capiant, ſumma opum vi moratur atque impedit.

54. Nunc qui πρῶτον ψεῦδος Salmaſii & meum tam acute detexit, quod ipſe peccaverat, ſi peccatum erat; cognoſcat ſuum ipſius πρῶτον ψεῦδος, proprium, certe cum Gronovio non communicatum; fontem & originem omnis mali, ſcopulum, ad quem exiſtimationis ſuæ navem confregit, & fidem peritiæ in literis antiquis non minus quam apud creditores decoxit. Id igitur πρῶτον ψεῦδος fuit aliquid in centeſima cogitaſſe annui, quum tota menſtrua ſit, & omnes ei ſubjectæ ſpecies ſolum menſtruum deſignent. De quo cum jam antea monitus a nobis eſſet, ita frontem obfirmaverat, ut negaret ſe per ſomnium cogitaſſe, quod centeſima diſpertita ſit in duodecim uncias, ejus rationem in anno quærendam. Quum loco non uno Vindiciarum hominem conviciſſem, petivi vel nunc daret definitionem vel deſcriptionem qualemcumque centeſimæ uſuræ, in quam non intraret anni vel „ annui mentio. Vides, qua via huc ventum ſit; & quibus ambagibus ille „ me uſum legentibus narrat: me inſignes tragœdias in nugis per multas „ agere paginas, ut invito ei perſuadeam, centeſimam ipſam hactenus de„ buiſſe agnoſcere aſſem uſurarium pro explicatione unciæ uſuræ aut fœno„ ris unciarii: atque cum viderem a me illi hoc fruſtra affingi, pro imperio „ ita ſe juxtimque lectorem affari: Det age vel nunc. Hic ſophiſticus eſt ille introitus, de quo jamdudum conqueſtus ſum. Cui erit operæ noſtra inſpicere, nihil de commemoratis tragœdiis nugarum, nihil de conſuadendo quidquam homini invito, nihil de centeſima quam debuerit agnoſcere aſſem uſurarium pro explicatione unciarum uſurarum, nihil quod ei affingere voluerim, nihil unde appareat, poſtquam viderim fruſtra me fraudem moliri, in verba imperioſa prorupiſſe. Et tamen iniquitate, quam putat, mea converberata, pariturum ſeſe ait, ſed nunc dumtaxat, quoniam veri„ tas latebras non quærat. Itaque hanc definitionem expedit: Centeſima „ eſt uſura maxima, quæ cum centeſimo menſe ſorti adæquaretur, Romæ,

„ relata

„ relata ad Numæ Pompilii annum, quoque mense singulas uncias, annuatim vero duodenas exhibebat. En dialecticum! en definiendi magistrum! en definitionem, quam anni aut annui mentio non intret! *Promittam capillum, optimum est, occipiamque ariolari.* Quod enim prædixeram plane ac verbis apertis, non daturum eum definitionem centesimæ ex sua mente sine admixtione anni, id tantopere indignatus & sese obfirmans ad refutandum, evomit descriptionem tot mendis olim castigatis & reprehensis, quot vocabulis, scatentem, anni non semel, quod satis erat prædicto meo firmando, sed bis mentione interposita.

„ 55. Disce & cætera. Centesima est usura maxima. Falsum. nam majores erant centesimæ & unciæ, centesimæ & sextantes, centesimæ & quadrantes &c. binæ centesimæ, & hæ rursus binæ centesimæ & unciæ &c. ternæ, quaternæ, quinæ centesimæ. Nam jurisconsulti in Pandecte centesimam *maximam* appellant, quod ultra eam isto seculo permissæ nullæ legibus „ erant: idque nihil huc pertinet. Cum centesimo mense sorti adæquaretur. Supervacuum, inane atque extra corpus eminens, nec quicquam illi utilitatis & auxilii subministrans, ex accidenti, & in bonis nominibus raro eveniens. Ne dicam eo recoqui errorem obsoletum & auctori repudiatum, Centesimas dictas ab eo, quod centesimo mense sortem æquarent; & istum jam duo principia facere inter se contraria & pugnantia; nam si centesima dicitur a centesimo mense, non dicitur, quia est usura maxima & as usurarius. Ro- „ mæ, non minus vacuum & inutile: quasi non per Italiam, non per omnes provincias, & per Græciam Asiamque ante Romanos rerum potentes τόκοι „ ἐπὶ δραχμῇ grassarentur. Relata ad Numæ Pompilii annum. Rursus abundat Numæ Pompilii. nam annum, qui receptus est solus inter eos, quibuscum agitur, annum simpliciter nominamus: quemadmodum nec Julianum nec Gregorianum citamus ibi aut inter eos, ubi quive alterum nesciunt: sed quando alter hic locorum, alter alibi, cujus tamen loci etiam ratio habenda est: alter ab hoc, alter ab illo exigentium observatur. Sed non potuit homo pati, quin & inscitiæ suæ & pertinaciæ statueret hic insigne documentum: neque enim alia de causa regis Romani nomen immiscuit, quam ne videretur didicisse a nobis aut concedere, quod argumentis tam claris probavimus, annum Numæ ad mensuras usurarum inutilem fuisse, quia incertus erat, tot intercalationibus mensium & dierum obnoxius, quarum primis temporibus soli pontifices rationem noverant. Quare omisso an- „ no ad menses triginta dierum Romani usuras duxerunt. Quoque mense „ singulas uncias. Falsum & hoc. non enim singulas uncias, sed singulas cen- „ tesimas sortis partes, solidas libras, asses, nummos. Annuatim vero duode- „ nos. Superforaneum rursus de annuo proventu: dein duodenas, non uncias, sed sortis partes centesimas, libras, asses, nummos. At tu, si paucis & sine fuco ac fallaciis rem cognoscere cupis, sic accipe. Centesima usura est

cente-

centesima pars sortis menstrua usura, sive unus nummus in centenos quovis mense sorti accrescens.

56. Sequitur garrulitas futilissima & inficetissima, in qua ruspanda qui durare velit, fullonicam didicerit, oportet. Sed ne quid molestiæ lectori „ relinquamus, ipsi molestiam devorabimus. Quum vero hæ, inquit, unciæ, „ ratione anni Romani, qui respondebat quod ad primam divisionem un„ciis veri assis libræ, quoque mense juxta consuetudinem solvi deberent, „ factum fuit, ut eadem hæc usura unciaria diceretur. Rursus omnia livida, „ cadaverosa, morticina. Quum hæ unciæ quoque mense solvi deberent. Immo ipsæ centesimæ sortis partes, non unciæ centesimarum. Ratione anni Romani. Ridiculum, cur enim Romani potius quam Attici aut Macedonici? An soli Romani annum duodecim mensium habuerunt? Qui re„spondebat, quod ad primam divisionem, unciis veri assis libræ. Sic balbutit pro eo, quod volebat, Qui habebat duodecim menses, quot libra vel as uncias. Cur autem, Quod ad primam divisionem? Annon potest annus perinde primum dividi in duo semestria, in quatuor tempestates, in quatuor trimestria, in tria quadrimestria, atque in duodecim menses. Jam, Factum, „ ut hæc usura unciaria diceretur. Falsum dupliciter. nam *usuræ unciæ* dicuntur antiquis, non *unciariæ:* dein centesimæ tantum absunt ab unciis usu„ris, quantum duodecim ab uno. Subjungit, Quod vero centesima a me „ considerata fuerit ut as usurarius (passim hoc innui) non debet absolute „ considerari, sed secundum annum Romanum, cujus ratione habita quo„que mense centesima singulas uncias exhibet, quæ duodecies juxta anni „ Romani menses multiplicatæ, ipsam centesimam absolvunt. Eadem chorda oberrat. Ut as usurarius, passim hoc innui. Scimus & passim eo nomine vapulavit de rebus antiquorum disputans vocabulis, quæ veteribus ignota & barbara sunt. Si minimam curam hic perversus eloquentiæ professor culti sermonis habuisset, increpitus toties, neque ullam speciem excusandorum eorum inveniens, monitus insuper esse periculosa inque devia & errores ducere, tacitus saltem iis abstinuisset. Sed in barbariei voragine suffocari quam nobis manum præbentibus inde extrahi maluit. Debet non absolute „ considerari, sed secundum annum Romanum. Ergo alius est as usurarius absolute consideratus, alius secundum annum Romanum. Quis has tricas intelligit? aut quot nobis asses usurarios fabricabit? Neque oportuit omitti annum Romanum, ut pote qui solus unciis assis libræ quod ad primam divi„sionem, uti loquitur, respondeat. Quoque mense centesima singulas uncias exhibet. Notissimæ & compertissimæ falsitatis: non enim uncias, sed cente„simas sortis partes solidas duodecim unciarum exhibet. Quæ duodecies „ multiplicatæ ipsam centesimam absolvunt. Immo centesima absolvitur & duodecim suas uncias habet primo mense confecto: etsi statim sortem restituerit debitor: neque annum moratur, cujus ad finem si retineatur fœnus, duo-

duodecim creditori debentur centesimæ solidæ, non unciæ centesimarum: hæ enim tantum unam centesimam vel nummum unam efficiunt: quæ sunt *unciæ usuræ* aut *unciarium fœnus* duodecimo gradu infra centesimas.

„ 57. Pergit labi, Adeo ut centesima alio modo nequeat considerari as „ usurarius, quam in ordine ad eundem annum: pariter nec uncia usura de- „ beat referri ad assem libram, sed ad centesimam relatam ad annum Ro- „ manum duodenis mensibus constantem. Quantum sirporum impeditissimorum! Atqui præcedente periodo dixerat posse considerari etiam absolute, sed non hic loci. Quid vero est considerari in ordine ad annum? Flosculum censeo ex Holcot aut Tricot aut Obscurorum virorum tabulario petitum. Etiam, Uncia usura non debet referri ad assem libram. Facile largior, ut nunc est: non enim libris æris pro pecunia utimur. Sed cum hæc genera loquendi nata sunt, haud dubie ad libram vel assem libralem referebantur: nam centesima nihil aliud erat quam libra, & libris æris in credi- „ tum ibant. Ergo & hoc inepte, Non ad assem libram, sed ad centesimam. Nam centesima erat eadem res quæ as in usuris, & ante asses sextantarios „ libra. Quin etiam, Centesimam relatam ad annum. Eam enim nescierunt Romani, quibus omnis centesima pecuniæ fœneratæ fructus menstruus. „ Alius gryphus, Atque ut maxima usura, totum assem libram exhauriens, „ non potest secundum nomen commode explicari, nisi interveniente anno „ Romano duodenis mensibus constante, ita convenienter Synecdoche si- „ mul in partes sollicitata, centesimam usuram æquivalere fœnori unciario „ statuimus, quatenus ipsa ad annum Romanum relata, singulis mensibus singulas uncias exigit. En facundiam Philologi, dignam cui Atejus invideat. Sed illud, maxima usura, & paullo ante castigavimus & olim Antexe- „ gesi prima Num. XI. Jam, totum assem libram exhauriens, putes scripsisse sitientem, nec contentum triente nigro, sed totum assem sextarium uno „ haustu siccare gestientem. Secundum nomen explicari, ex iisdem myrotheciis, ex quibus in ordine ad annum considerari. Jamque palam fatetur suam sibi centesimam se non posse definire, nisi pro chrysocolla sufficiatur & substernatur annus: cum paullo ante iniquissimum me dixerit mortalium, quod ei objectassem non posse definiri ab eo centesimam sine anni mentione. Quam diligenter autem docemur annum Romanum duodecim mensibus constare? Tantum arcanum quis eruisset, nisi quatuor veritatum „ explorator hoc toties una pagina inculcasset? Sed &, Synecdoche simul in partes sollicitata, quam belle, quam lepide, quam de tropo figurate, quam extra morosa Grammaticorum edicta! Cur enim meminerit ille, aut curæ cordique habeat, ut pugnis, verberibus, flagellis cooperuerit contuderitque audacem illam Synecdochen Antexegesis secunda Num. LIV & LV. Nam centesimam æquivalere (ut ille gaudet loqui, Latine idem valere) fœnori unciario satis est illum statuere. Quemadmodum in postremo licet illi,

quia libet, dicere, centesimam illam annariam uncias assis libræ exigere, quum paullo ante unciam usuram, non ad assem libram, sed ad centesimam referri anxie ac sollicite monuisset.

„ 58. Hoc illi est dilucide sententiam exposuisse: hinc meum crimen „ Apollini τῷ Λοξίῳ (Λοξίᾳ dicere volebat) dicta ejus comparasse, & tamen „ volentem nolentem profiteri cogi mentem suam istam fuisse, quam nunc „ more meo sive maledice eloquar: Hæc sententia hujus velut a Caco „ eructati fumi, diversam esse rationem unciarum & aliarum usurarum: „ quippe uncias unciis anni solutas, nullas autem sextantibus aut trientibus anni. Quid non & quoties hic me, quæ velit Ithacus & magno mercentur Atridæ, cogi fateri gloriabitur? Quid autem vel forte vel ob industriam usquam attulit, quod non me, sed quemquam, vi vel specie prodere causam justam, facilem, vincibilem, optimam compellat? Multa obveniunt in chartis ejus, quæ turbent cognoscendi avidum, rem obscurent, nodos nectant implicentque Gordios, inaudita novitate suspendant, perseverantiam desperatione fatigent, ulteriorem inquisitionem deterreant: nihil quod persuadeat centesimam pro menstrua (cum ex menstruo & aliæ omnes denominentur usuræ) annuam accipiendam; qui centesimam usuram maximam & assem usurarium (quæ centesimas alias & asses duodecim, nunc ad unciarum humilitatem depressas, in ventre gestitet, ut equus aut porcus Trojanus, suffarcinata) excogitarunt, eos cum priscis aut saltem similia priscis loqui; *asses usuras* & *uncias* eandem conficere summam, hoc est, duodecim non plus uno, vel unum tantundem quantum duodecim valere; Decemviros centesimas declarasse justas; & quamvis id caput decemvirale bis abrogatum esset, tamen ex eo capite Ciceronis & Augusti tempore centesimas fuisse legitimas; quod antiquissimi appellarint *fœnus unciarium*, id posteriores jurisconsultos nec quid nec quare dixisse *centesimas*; uncias usuras referri ad alium assem, aut dici respectu alterius assis, quam sextantes, quadrantes, trientes, & reliquæ: taliaque ὅσα κόνις.

59. Nec vero transitus iste a monstrosa finitione centesimæ ad commenticiam unciarum & cæterarum usurarum differentiam legitimus est aut οἰκονομίας meæ: sed, ut solet articulos & commissuras meæ orationis subducit, & amputatis ac prætermissis, quæ huc duxerunt, quæ præsentia mihi elicuerunt, quibus hoc responsum redditur, repente lectorem in locis solis nescia spe destituit, stupentem, & cur, quid, post quæ, adversus quæ, quod ingeritur, audiat, ignarum. Salmasii fuit argumentum invictum & inexpugnabile, Si fœnus unciarium sit centesima, sextantarium fore binas centesimas, quadrantarium ternas, trientarium quaternas. Quod quo labefactaret, cum haberet nihil præter caliginem & nebulam fatuorum vocabulorum, quæ decies lecta vix intelleximus; ea, ut refert, expressimus, uncias solvi unciis anni, non sextantes sextantibus &c. eoque aliam atque aliam harum ratio-

rationem esse. Quod effugium ei præclusum & ereptum est Antexeg. secundæ Num. LXXII. Itaque frustra sollicite repetit, hoc ad Romanorum „ mores, neque ulterius referendum esse. Quasi non & in Græcia Asiaque & ubique gentium tocullionea unciis anni sive mensibus peractis, quibus deberi drachmæ cæpissent, eas exegerint. Quasi nemo post duos, post tres, post tres, post quatuor menses &c. una sortem & usuras, vel cum anatocismo vel sine eo, prout convenerat, creditori reddiderit. Atque ipse hanc inanem & sibi obfuturam cautionem interjecerat, Nisi aliter convenisset. „ Id nunc sibi non nocere postulat: dato enim illas solutas fuisse singulis „ anni quadrantibus (quod circa usuras centesimas quoque, eminenter qua- „ si ita dictas, per contractum fieri potuit) ratio tamen haberi debuit anni „ partium, adeo ut anni quadrante sive tribus mensibus elapsis solvi debuerint ternæ unciæ. Primo non sumus contenti eo, quod dat iste, sed det necesse est, quod dat rerum natura & recta ratio; nimirum, prout cuique commodum fuit, urgente occasione accepisse in fœnus; homines diligentes, operam dedisse, ut primo quoquo tempore, quo liceret, illo fasce liberarentur. Itaque non unciis tantum anni, sive singulorum mensium fine, sed, ut pacisci potuerant & res familiaris patiebatur, post bimestre alios, alios trimestre, & omne tempus intra orbem anni creditoribus satisfecisse. „ Deinde, quid est Usuras centesimas eminenter quasi sic dictas, nisi eminens stupor & stulticia? aut cur usuræ centesimæ magis eminenter sic dictæ „ sunt quam semisses, trientes, quadrantes? Quare autem, Centesimas quoque? At putabam centesimas illi esse easdem quas uncias. Quia ergo disputat de unciis, id, quod de iis disputat, meminisse debet etiam se pronuntiare de centesimis, eoque frustra interponit, circa usuras centesimas quoque. „ Denique, Ut anni quadrante sive ternis mensibus elapsis solvi debuerint ternæ unciæ. Eo ipso, quo expedire conatur, acrius sese impedit. Unciæ usuræ sunt illi centesimæ. Cur non & sextantes binæ, quadrantes ternæ? Quia unciæ usuræ solvebantur unciis anni, sextantes aut quadrantes non sextantibus aut quadrantibus anni. Atqui convenire poterant, ut sextantibus aut quadrantibus anni solverent. Tamen habent aliquid præcipui unciæ, quia sextante binæ unciæ, quadrante ternæ solvuntur. Hactenus ille: neque cogitat se uncias usuras fecisse centesimas. Igitur etsi vitet vocabula sextantium & quadrantium usurarum, quæ sextantibus & quadrantibus anni ex pacto forte sic inito solverentur, & pro eis dicat binas uncias, ternas uncias; quia binæ unciæ nihil aliud sunt quam sextantes, ternæ unciæ id ipsum quod quadrantes; unciæ autem illi sunt centesimæ; sextantes necesse est binas esse centesimas, quadrantes ternas centesimas. Quod sequitur, nec „ juvat, nec recto stat talo, Quum per contractum non potuerit mutari „ modus usurarum quoque mense exsolvi solitarum. Falsum est modum usurarum lege permissum per contractum non posse mutari: modus enim

ille non postulat, ut necessario impleatur, sed ne excedatur. An voluit dicere, mos debendi & solvendi usuras quolibet mense? Auferat hoc: tamen ternæ unciæ usuræ sunt quadrantes, & quia unciæ usuræ de illius sententia sunt centesimæ, quadrantes sive ternæ unciæ usuræ sunt centesimæ ternæ.

60. Dixi, quod ille garrit de differentia unciarum & cæterarum usurarum, aliquo modo speciem habere in fœnore unciario, sed non in semunciario accepto pro semissibus usuris. Hic de meo affingi ait juxta sua prin-„ cipia, dilucide mentem explicantia, æquivalere debere semunciam anni & semissem. Ego vero tantundem referre atque effici arbitror, *semuncias usuras*, an temporis, hæreditatis, jugeri, sextarii, pedis, denarii *semuncias* semisses interpretere: paremque eam & vanitatem & inscitiam esse; quum *semis* & *semuncia*, quicquid partiamur, iisdem gradibus atque intervallis a se invicem distent; ille dimidium totius, hæc pars quarta & vicesima. Regerit „ autem, Usura centesima ad annum Romanum relata, juxta sua principia, „ æque semunciarii fœnoris, immo usurarum sextantium &c. rationem red-„ dere se posse, atque illi, qui varias usurarum differentias juxta assem libram considerare assolent. Hic Rhodus, hic saltus: si potest reddere, cur non reddit præsentem? Magna oportet existimatioue sit & spectatæ fidei, quo solummodo affirmante se posse, sine ullo experimento, acquiescamus, præsertim in altercatione. At hic ex nimia confidentia & falsa persuasione paratæ suæ ad omnia facultatis (ut theologicæ, historicæ, philosophicæ, philologicæ veritatis, & analogiæ dialecticæ, arithmeticæ, politicæ, historicæ exactor) toties & tam multa tentavit promisitque absque successu, ut postea de se, quid posset valeretque, asseveranti, atque etiam adjuranti, nemo duarum rerum crediderit, nisi rem auctorem det cominusque & coram in adspectu idoneorum testium superstitum operam edat. Sic quoque dilueram ejus cavillationem, quod unciæ usuræ plerumque solverentur unciis anni, id ab accidenti existere, atque esse συμβεβηκὸς commune omnium usurarum, eoque nullam unam speciem earum variare & a cæteris separare posse. Contra ea hiscere nefas bono dialectico: ergo e subsidiis excitat effrontem audaciam & os durum, vel potius pugilis, hoc frivolum esse & nihil ad „ rem facere solum dictitando. Nihilo minore verpa fartum, Qui cum „ Gronovio sentiunt usuram centesimam omnium maximam Romæ fuisse, „ non possunt eandem secundum assem libram explicare, nisi hunc comparaverint cum anno Romano. Sciens mentitur me sentire ἁπλῶς, & ut ipse, centesimam Romæ usuram maximam fuisse: multas enim hoc dictum limitationes requirere & sinistras interpretationes pati sæpe diximus. Sciens mentitur non posse me dividere centesimam, ut assem (hoc est enim, quod ille stultissime effert, secundum assem libram explicare) nisi eum comparem cum anno Romano: cui toties iterarim centesimam nihil aliud esse quam centesimam partem sortis usuram menstruam.

„ 61. Num.

„ 61. Num. XXIV pag. 179 imprudentiæ ſe notatum nollet. Prima invectiva ſperavit invidioſum mihi fore, ſi Salmaſii memoriam me magis colere videretur. In progreſſu litis laudavi quandam tanti viri argumentationem, hoc pretio, ut Logices imperitus & Hippocratis vinculis conſtringendus audirem. Hic ego homini expreſſam, non adumbratam, effigiem incogitantiæ ſuæ & excordis immodeſtiæ ob oculos poſui, qui ſua ſibi adoptione Salmaſii patrocinium profeſſus jecit tanquam in adverſarium ejus convicium, quo ipſe Salmaſius gravius cæditur & pungitur. Id purgaturus ſe „ tum ne meminiſſe quidem ait Salmaſii. Scimus, & ob hanc μελεωρίαν jure plectitur: decet enim cognitorem ac defenſorem cavere ac meminiſſe, ne quid proferat, quod in eum, quem tuetur, recidat. Addit, ſe conjectura non potuiſſe aſſequi me in poſtremo hoc tractatu Salmaſio acceſſurum fuiſſe. At ille jam ab initio hoc peccavit, & non egit ex argumento, quod ſe ferens adſerturum, quicquid de Salmaſianis corrigendum putavi, eam mecum cauſam conjecit, in qua conſentiebamus ὁ πάνυ & ego. Itaque ſemper in ſubſelliis meis Salmaſius, etſi circa rem quædam, aliter ille, aliter ego, commentati eſſemus: ſemper ille mihi proximus: non ego in poſtremo demum tractatu ad eum acceſſi. Nec vero ulla conjectura erat opus: legerat enim in Antexegeſi prima, Num. XXI. Scripſerat Salmaſius ſi unciarium fœnus &c. Tandem, ſi velim, permittit mihi judicio meo frui, & credere Salmaſium quoque Logices imperitum & Hippocratis vinculis conſtringendum de ſententia talis patroni fuiſſe: magnum documentum, quam conſtans in amicitia fuerit, qui nullum unquam fautorem vel amicum, quantumvis bene de ſe meritum intimumque ſortitus ſit, apud quem non teſſeram confregerit; quem non minimis nulliſque de cauſis, animi gratia, & tantummodo, quia ἡ ποικιλία τερπνὸν, graviter offenderit. Cæterum quod in magnos viros ex verbis maximi ſibi licere voluit, tanquam qui majore cum pernicie rei literariæ peccarent, cur mihi negat, & quatuor ſemones inſtar „ pædagogi me flagellaſſe criminatur, quod in quibus illi ceciderant, ſine cujuſquam contumelia, indicium lectoribus, & ut pares lapſus caverent, adjutorium feci.

62. Sed non hoc ſolo imprudens eſt, quod ſævit etiam in eos, quos ſuos vult videri, civeſque an hoſtes comedat, parvipendit: ne ſibi quidem parcit, neque iis, quæ in ipſum redundant, abſtinet. Sic majeſtatem ſceptri „ Orbiliani, minax meum ſceptrum, νάρθηκα, ferulam. pænulatos magiſtros, „ pænulatum Hectorem, pænulatos doctores paſſim mihi exprobrat: neque intelligit, hæc unum in Profeſſorem Academicum ſi decet jactari, præſertim hominem nec moroſum, nec protervum, neque arrogantem, neque imperioſum, nec moleſtum, ſed commodum, facilem, omnibus concedentem, nemini temporis atque operæ ſuæ invidentem, ſimultates quaſvis fugientem, etiam exoſis atque offendentibus mitem; in eum hæc jactari ſi decet,

cet, quia pro cathedra docet juventutem liberam, cui ætas ex magisterio pædagogorum excessit,

totaque impune Subura

Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo,

nulli coactioni, nulli coercitioni obnoxiam (præterquam legum, quibus omnes servimus) quî minus idem deceat in omnes, & ante omnes in ipsum conviciatorem? Juxta frequenter atque acerbe incusat privatis scholis „ actis ab auditoribus gratis honorem nobis haberi. Hoc ei est avaras ma- „ nus ad δίδακτρον porrigere: hoc scruta vendere contra auream imaginem: „ hoc prætextu collegiorum ad imum fundum crumenæ studiosorum pe- „ netrare: hoc juventutem habere quæstui & extemporanea collegia æstimare πρὸς ἰσοστάσιον χρυσόν. Cæterum hoc si semper fugisset ille, non tamen εὔσχημον καὶ εὐπρόσεδρον erat eam quasi noxiam objicere homini ejusdem ordinis: quum haud duo tresve in Belgio, ut ille mentitur, sed omnes fere omnium Academiarum doctores, ut quisque fidelior & profectus studiosorum appetentior, eum & indebitum laborem & justum laboris fructum cum omnium proborum hominum applausu capiant; simulque bona ratione discentes extra ordinem juvent, bona ratione commoda sua amplificent: & ut quisque in ea exercitatione alacrior & tolerantior, eo apud Curatores, apud magistratus & cives, apud juventutem, apud externos, melius audiat, eoque majorem discipulorum numerum e diversis & longinquis etiam partibus attrahat & allicefaciat. Quot a me ornati & morati juvenes desidiam docentium, in quam alibi locorum inciderant, multa cum indignatione accusarunt; contra paratam hanc & expositam copiam nostris in Academiis prædicarunt & magnificarunt? Nam quod homines clari, decessores nostri, plerique sibi & Musis suis canere maluerunt, quem eventum habuerit, apparet: nempe ut literæ universo Belgio, in quo ad invidiam usque floruerant, propemodum exterminarentur & interirent; certe solus ego aliquamdiu fuerim, qui (contra consiliantibus amicis & ea studia omissa & projecta esse, brevi solitudinem in auditoriis meis fore monentibus) ad veteres revocaverit & proclamaverit. Quæ tamen assiduitas & perseverantia, Dei approbante numine ac nutu, quid effecerit, item eventu apparet, tot excellentibus ingeniis suscitatis, qui partim jam caput extulerunt, & per ora virorum volitant, partim ostendent sese, ubi maturuerint, & ossibus meis gratias agent. Itaque, ut dixeram ante, haudquaquam personæ conveniebat professoris (vel ejus qui nunquam ea cura & pietate sectatores prosecutus esset) cuiquam professori secus & rectius facienti, id vitio dare. Sed si quis unquam avaras manus ad δίδακτρον non meritum porrexit, homo meus est: si quis unquam scruta & fumum & (quod vocabatur, quod nomine signari suo ipse prodidit) purgamenta & editus boum nundinatus est contra aureas atque argenteas imagines, homo meus est: si quis unquam διὰ τῆς χρηστολο-

γίας ἐξηπάτησε καὶ καρδίας τῶν ἀκάκων, & pravis artibus, montes auri pollicendo, se suaque extollendo, collegas deprimendo, nugis & ineptiis fucum & colorem addendo, omnia etiam extra professionem & modulum captus sui promittendo & audendo, imprudentes adolescentes blande ac benedice ad sese illexit atque inescavit, homo meus est: si quis unquam solius quæstus causa & dolosa nummi spe, nulla neque doctrinæ neque doctrinæ cupientium affectione atque amore, non discipulos, sed præbitores, corrogavit, homo meus est: si quem crebro, qui capti erant, comperto sese illudi & frustratui haberi, etiam honorariis exsolutis, destituerunt & perdere nummos quam tempus præoptarunt, diutiusque fabulis inanibus auscultare ac finem exspectare recusarunt, homo meus est: si cuiquam datæ operæ, datæ mercedis, plurimos pœnituit, homo meus est. Suis igitur cruribus cum Lycurgo, quam vitibus minatur, securim illidit: & cum omnem amplissimum ordinem, tum semetipse infamat & traducit. Intelligo tamen, quamobrem utilissimam consuetudinem tantopere vituperet: nempe quod ipse nunquam hoc pie, serio, meditate, corde & animo atque viribus, sed avariter, sordide, malitiose, defunctoria & extemporali opera usurpavit, ex ingenio judicat alios suo: deinde odit, quod æruscanti tantum, divulgato paullatim mimo, artificium parum ex sententia processit.

63. Num. XXV nihil habet præter vernaculam, mimicam, tabernariam, scurrilem dicacitatem, & feram semidoctisque omnibus usitatam insectationem Grammatices & Grammaticorum: tanquam illa nihil nisi τεχνικὸν & puerile complectatur; hi una primorum elementorum peritia censeantur: ob quam satis vapulavit Antexegesi secunda: & quicquid convicietur, malisque alienis rideat, cultioribus perfectioribusque studiis celebraretur, si Grammaticus, non Grammatices securus Philologus, exstitisset.

64. Num. XXVI pag. 183 ad l. XLVIII D. de admin. & peric. tuto-„rum verbis ejus accisis & instar Penthei discerptis respondere me latrat „Gronoviano more, quod sit συκοφαντικῶς & mala fide. Non totum mentitur legum contortor, & tamen sycophantam agit. Verba ejus accidi, hoc est, non sine delectu omnia descripsi, sed ea tantum retuli, in quibus poterat videri esse nodus dignus vindice, quibusque ne deciperentur creduli & incauti, periculum erat. Instar Penthei discerpsi, non ut ulla proposuerim, quorum non esset sensus absolutus, aut quæ quo pertinerent non animadverteretur (quemadmodum ille perpetuo mea tractat) sed ut singulæ quæstiunculæ, tot conjecturæ, tot præsumptiones imaginariæ, nec pauca temere audaciusque quam consideratius adfirmata, proprio, brevi, perspicuo responso solverentur & enervarentur: idque haudquaquam συκοφαντικῶς sed fide optima: neque ille, si quid adversus ea opiferi excogitare potuisset, uno mendacissimo maledicto exhalato sua indefensa & mea inoffensa reliquisset. Sed tamen sibi beatus est, cui notandum aliquid restet, quod ego

„ diffi-

„ dissimulaverim: nempe veteres tutissimum ratos omnes fortunas suas in „ præsenti pecunia habere; ideo testatorem centurionem (ad hunc enim gradum rescribit ac deprimit, qui Scævolæ *præfectus* est *legionis*. hoc est, sexaginta centurionibus imperabat) noluisse pupillorum suorum nummos „ dispergi. Hoc si verum est, non potest mihi vitio verti, tanquam dissimulaverim, quod nec mihi obesset, neque illi prodesset. Sed omnia ser„ viunt tam acutum cæcutienti. Ergo, Qui, addit, nummi semper cum usu„ ris ordinariis, minimum centesimis, a trapezita locuplete atque boni nominis repeti poterant. Sed tutores illos fuisse trapezitas, & ab trapezitis cum usuris centesimis nummos semper potuisse repeti ægrotorum somnia. Quin illud ipsum veteres tutissimum censuisse omnes fortunas in numerato & in arca habere non verius est quam meticulosius & prudentibus patribusfamilias, ut nunc quoque, indignius. At Celsus eum hoc docuit l. LXXIX π. I D. de leg. 3 referens Proculum perhibere solitum, *audivisse se rusticos senes ita dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse; peculium illud vocantes, quod præsidii causa seponeretur.* Scilicet quia veteres aliquid præsidii causa seponebant, ideo fortunas omnes in præsenti pecunia habere tutissimum existimabant. Equidem *pecuniæ* vocabulo bonos illos rusticos significasse censeo annuos reditus ex agricultura; qui sumerentur in usum quotidianum: *peculium*, cui imperceretur, quodque in thesauro & velut sanctiore domus ærario collocatum, in dura tempora & graues casus, reservaretur. Istam vocabant *fragilem*, quia poterat annus frustrari & evenire quod Vultejo Mænæ Horatiano:

oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando.

tum nisi *peculium*, aliquid scilicet in diem tam novercam reservati, sit in promptu, labat status, esuriendum satis, aut æs alienum subeundum, nec domi potest versura fieri. Fundus alter ei Constantinus l. XXII Cod. de admin. tut. *Ipsius pecuniæ (in qua robur omne patrimoniorum veteres posuerunt) fœnerandi usus vix diuturnus, vix continuus & stabilis est: quo subsecuto, intercidente sæpe pecunia, ad nihilum minorum patrimonia deducuntur.* At illa *omne patrimoniorum robur in pecunia posuerunt*, non respiciunt fatuum istud & summi discriminis plenum consilium omnem pecuniam domi & in confiscato habendi, sed hoc, quod in principio constitutionis ejus legitur: *Lex, quæ tutores curatoresque necessitate adstrinxit, ut aurum, argentum, gemmas, vestes cæteraque mobilia & pretiosa, urbana etiam prædia & mancipia, domos, balnea, horrea, atque omnia, quæ intra civitatem sunt, venderent, omniaque ad nummos redigerent, præter prædia & mancipia rustica, multum minorum utilitati adversa est.* Nimirum auctiones istæ bonorum pupillarium & consuetudo omnia ad nummos redigendi habebantur, haudquaquam, ut in arca strangularentur & otiosi jacerent,

rent, sed ut collocarentur fœnori. Hinc istud *Ipsius pecuniæ fœnerandi usus.*

65. Pariter Num. XXVII pag. 184 in L. Annæi Senecæ *usura millesima*, quod ad ea, quæ rem continent, obmutuit, neque eorum, quibus illam munivimus, quicquam, quo sollicitaret, invenit. Tantum suspiciones excitat, quasi nonnulla mihi ab eo objecta fugerim tentare, utpote impar & veris victus: quæ tanquam vilia & inefficacia ego, ut quæ extra materiam essent, & sive constarent, sive revincerentur, nullius momenti, spreveram & insuperhabueram. In quibus est extremæ stulticiæ illud, Obliviscitur bulgæ aniculárum suarum. De hoc igitur breviter. *Millesimam usuram* appellaverat Chimæram, ens rationis, quasi nulla unquam hujusmodi usura exstitisset. Docuimus contra & esse potuisse & esse posse hodieque esse, vel inter eos, qui plus lucrari non possunt, vel contemptu lucri, sive ex ambitione, sive ex animi nobilitate, sive ex pietate atque humanitate. Huc pertinent aniculæ istæ, pauperculæ, claudæ, mancæ, luscæ, per ætatem aut capta membra vitæ labore quærendæ non sufficientes, quibus in oppido satis noto in domunculis cellisque circa Ecclesias gratuita habitatio concedebatur. Hæ in lautiorum & honestiorum domos aditum habebant, vel stipis petendæ gratia, vel prandii coenæve statis diebus hebdomadum, sive etiam pro elemosynis, sive pro qualicumque, quod ancillis præstabant, auxilio, veluti cunis ducendis aut parvulis oblectandis, & hujusmodi levi opere, quod observatione magis quam manibus expediretur. Eædem peculiolam, quam ex stipe collaticia genium fraudando comparsissent, intutam apud se vetustis maleque clausis & munitis in cellis existimantes, ornatis matronis, apud quas tam benigne excipiebantur, custodiendam dabant: & hæ post aliquod tempus salvam eam ostendebant, & usurarum vicem uncias, semuncias, sicilicos pro animo cujusque vel adjiciebant vel in cavam manum flentium & Deum delegantium porrigebant. Quæ revera erant eleemosynæ; sed quæ largiebantur, gaudebant eas usuras vocari. Similes delicias parentes cum liberis, heras cum ancillis gratioribus cumque famulis dominos exercuisse memini. Et hoc est, unde ille, de nemine hominum bene cogitare solitus & externorum ignarus hæredipetam me turpiumque sordium suspectum facere vo„luit. Par insultatio, Altum quoque est apud eum silentium de classibus avarorum. Cui enim usui classes istæ? terrestresne an maritimæ? equitum an peditum? juniorum an seniorum? bellum gesturæ sunt an centuriata „comitia celebraturæ? Præterea, Deseritque hanc sententiam, extra eos, „qui in summa cavea sedebant, nullos avaros inveniri. Quisquamne deserit, quod nunquam habuit? Egone. quid ego? an homo natus quisquam fuit, qui solam plebeculam & infimæ sortis homines avaritia censeret obsideri? Utinam quidem tam præclare nobiscum ageretur, neque aquæ, quo plus potæ sunt, a plurimis magis sitirentur? Sed adeo vitium hoc magnas

plerasque domus occupavit, ut pauci sint, qui cum opibus artem fruendi acceperint, & in casas id relegare tam stupidi, blenni, bucconis videatur, quam me Dei virtute ac beneficio nunquam fuisse memini. Sed talem me libenter obtulerit adversarius suis, si quos habuit, plausoribus. Hoc meum est, in quo cavillatur: Nulla est tam beata civitas, in qua non inveniantur capitecensi & proletarii, sordidi & triparci. Quod quis interpretetur, Soli capitecensi & proletarii sunt sordidi & triparci, præter istum calumniato-„ rem? qui statim occinebat mihi, Euclioni non tantum propinquos inter „ quintæ classis homines, sed inter assiduos quoque & qui in orchestra & „ quatuordecim sedeant &c. ac similes nugas, quas contemptas præterii, & tum rectius feci, quam nunc, cum rationem earum aliquam habeo.

66. Sed enim jamdudum ludibrium Grammaticis debet, quibus & ipsis & Grammaticæ, arti sanctissimæ atque omnis divinarum humanarumque rerum scientiæ fundamento, adjumento, ornamento, infestissime, petulantissime, arrogantissime, ignominiosissime maledixit, nulla re commotus alia, quam quod inde approbationem suis commentis & propugnacula desperabat. Nec moratur Adrastia. Ecce adest ultro Num. XXVIII pag. 185 quasi mitigatus & in pœnitentiam mutatus, ut reconciliata gratia sumat inde aliquid auxilii, & a spretis irrisisque beneficium accipiat: revera ut illis det supplicium & de corio suo satisfaciat, totque allucinationibus cumulum superaddat. Intercedunt mirifici pararii, complures (si potuit aliquando vera loqui) ex meis honoratioribus amicis, qui pedibus quidem in sententiam ejus concesserunt, nollent tamen eas partes ἀγραμμάτους esse, suum plausum illiteratum; eoque optarent ostendi sibi Grammaticum aliquem, qui Grammaticomastigi esset ὁμόψηφος. Ille diffisus rei, nec sui oblitus in illum ordinem meriti, nunc demum recordatur multa difficilia qua in Græcis qua in Latinis occurrere quasi ἅπαξ λεγόμενα, quæ solis virorum eruditorum sagacibus conjecturis illustrata, nullius istorum suffragio adjuventur. Nec cogitat ea non aliter admitti, quam quoties ratio, analogia, similis usus, commodi a fonte, si pateat, ductus & quasi helices, auctoritas utentis, &, quo is vixit, seculi felicitas, alio exemplo destitutis, patrocinantur. Interim ἐπὶ φακῇ μύρον erit fraterculus Gigantum Porphyrion. Sed cesso exponere totum somnium hominis, ne quis ei male credulus de superioribus, me fallere truncis & mutilis orationibus adducendis suspicetur.

„ 67. Cujus, inquit, Porphyrionis hæc verba, cæterum admodum men-„ dosa, occurrunt in comment. ad Horatium lib. II Sat. VI, quando occa-„ sione horum verborum poetæ, sive ad vers. LXIX. *Scribe decem Nerio*, ita „ commentatur: *Avaros tangit. Sensus est. Pecuniam a fœneratore accepta* „ *lege duodecim tabularum, quas Nerio instituit, & aliis centum Perillius Cicu-* „ *ta amarissimus consignatores furabitur*. Hactenus Porphyrion. Quæ ita in „ ordi-

„ ordinem redigo salvo aliorum judicio: *Sensus est. Pecuniam a fœneratore* „ *acceptam lege duodecim tabularum, quam Nerio instituit ex aliis centum* „ (scilicet nummis) *Perillius Cicuta amarissimus, per consignatores* (eos scil. „ qui una cum aliis sigillis suis syngraphas munire solent) *furabitur.* Quum „ vero Flaccus *decem* pro *duodecim* (quod versum ingredi non poterat) po- „ suerit, atque Porphyrion dicat expresse illos *decem* (revera duodecim) in „ stipulatum venisse juxta legem XII, videor hinc colligere per *fœnus un-* „ *ciarium,* cujus meminit lex XII tabularum, intelligi debere usuram cente- „ simam. Cæterum ultra conjecturas hæc æstimari non cupio. Sic ille. Sed & conjiciendi quidam modus ac pudor est: nec si pro cerrito aut vacerroso loquare, impune abieris & tam docto seculo illuseris conjecturas appellando. Igitur ut statim rem dicamus, nullum unquam Africa monstrosiorem fœtum edidit. Quid enim, per fidem, *pecuniam accipere lege duodecim tabularum?* Quid pecuniam *instituere ex aliis centum nummis?* Quid pecuniam *per consignatores furari?* Omnia vera sunt, quæ jecit agyrta in Grammaticos, si quisquam eorum sic scripsit. Quis alius veterum hoc sibi sumpsit, ut *Decem tabulas* pro Duodecim nuncuparet? Ubi autem dicit Porphyrion sive decem sive duodecim in stipulatum venisse? Sic enim in editis: *Pecuniam a fœneratore acceptam lege decem tabularum:* nam *duodecim* fecit Criticorum obscurissimus. Ubi si τὸ *decem* significat usuras, quæ venerunt in stipulatum, non potest conjungi cum voce *tabularum:* si vero *duodecim tabulas* accipiendum est, nusquam *decem* vel *duodecim* illa, quæ in stipulatum venerunt. Denique quemadmodum hæc omnia conveniunt Horatio, aut illius aliquem tolerabilem sensum explicant?

68. A capite igitur incipiemus: non enim solus noster hic impegit.

Scribe decem a Nerio. Non est satis? Adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum: mille adde catenas.
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus,
Cum rapies in jus malis ridentem alienis.
Fiet aper, modo avis, modo saxum, &, quum velit arbor.
Si male rem gerere insani est; contra, bene sani.
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.

Scribe decem a Nerio legendum, non sine præpositione. Notavit & Porphyrion: *Quidam, a Nerio, legunt. Verum hic & Cicuta juris fuerunt studiosi.* Acro: *Sensus, scribe tabulas a Nerio juris studioso, quibus alligat Damasippum.* Rectius quam Cruquianus, qui Nerium & Cicutam facit fœneratores, quum significentur jureconsulti, qui caverent in contractibus. Nec locum hic habet Porphyrionis: *Juris verbo scribere est mutuum sumere*, cui se lactandum præbuit & Pricæus ad Lucam Euangelistam. Sed ambo isti eleganter vocant *juris studiosos:* ut Suetonius Nerone cap. XXXII.

Ut ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent, ac ne impune eſſet ſtudioſis juris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea. Quo loco nihil huc opportunius. Gellius lib. XII cap. XIII. *Cur hoc me potius rogas quam ex iſtis aliquem peritis ſtudioſiſque juris, quos adhibere in conſilium ſoletis?* Sic recte Briſſonius, fruſtra obnitente Barthio lib. XV Adverſ. cap. XVIII. Paullus l. I. D. de off. Aſſeſ. *Officium adſeſſorum, quo juris ſtudioſi ſuis partibus funguntur.* Idem l. IV D. de Extraord. cognit. *juris ſtudioſos, qui ſalaria petebant, hæc exigere poſſe.* Ulpianus l. IX π. IV D. de pœnis: *Solet autem ita vel juris ſtudioſis interdici vel advocatis vel tabellionibus ſive pragmaticis.* Sed quod Cicutæ addunt nomen *Perilli* Porphyrion & Acro; quod apud Acronem quidam vocant *Nerium Perillium*; quod Porphyrion *Perillum fœneratorem & juriſperitum* facit; falluntur, & rectius Cruquianus, qui Perillum monſtrat intelligendum creditorem Damaſippi: *Putidius*] *Si inſani eſt male rem gerere, multo putidius eſt cerebrum Perilli quam debitoris: qui id ſtudet dictare, quod debitor nunquam ſit ſoluturus.* Sive fuerit fœnerator (nam & Acro famoſum illius temporis fœneratorem facit) a quo pecuniam mutuam ſub uſuris in ſtatuas emendas Damaſippus ſumpſit; ſive ipſe ſtatuarius, vel venditor ſtatuarum, a quo eas Damaſippus die cæca, nominibus factis emit, ex illo:

Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo:
Integer eſt mentis Damaſippi creditor?

Narrat Damaſippus Horatio, quid audierit a Stertinio, cum ipſe vellet operto capite ſe mittere in Tiberim; quibus Stertinius rationibus ἀποκαρτεροῦντα ad vitam revocarit. In his hæc verba ſunt Stertinii, ſed per apoſtrophen a Damaſippo, quicum agebat, ſe convertentis ad creditorem ejus Perillum. *Scribe decem a Nerio.* Hoc eſt, Fac, o creditor Damaſippi, te curaſſe ſcribi decem ſyngraphas conceptiſſimas a Nerio dictatas vel formatas. Vel, cave tibi, o Perille, a Damaſippo per Nerium decem tabulis vel chirographis. *Non eſt ſatis?* &c. Et ſi hæ non ſufficiunt, alias centum ſume a Cicuta. qui ambo verborum & formularum aucupes ſunt acerbiſſimi, & non facile debitori ullam exceptionem relinquunt. Jam facilis emendatio eſt & explicatio verborum Porphyrionis: *Pecuniam a fœneratore acceptam lege decem tabulis, quas Nerius inſtituit, & aliis centum, quas Cicuta: amariſſimos conſignatores fruſtrabitur.* Nerius & Cicuta ſunt illi conſignatores amariſſimi, ſcriptores tabularum & cautores accurati. Cruquianus integre: *Et hoc debitum ſit firmatum centum catenis, id eſt, juris nexibus ſive cautelis: tamen debitor fruſtrabitur conſignatores.* Eludet, cautiones eorum irritas faciet. Acro pro eo: *Elabitur enim mille præſcriptionibus & dilationibus.* Ita enim legendum, non *proſcriptionibus.* Verbum juris hoc quoque, Seneca epiſt. XLVIII. *reduc te ab iſtis exceptionibus & præſcriptionibus philoſophorum.* Apparet ex juncto, quid ſit. Scriptores ſunt *conſignatores*; non qui ſigilla impreſ-

impresserunt: ut consignare est scribere. L. XXIV D. Qui test. fac. p. *Unum testamentum pluribus exemplis consignare quis potest.* Asconius in Actionem primam. *Cum jurassent omnes, nomina eorum libellis consignabantur, & ubique habebantur.* Ubi notat Fr. Hotomannus sic reposuisse Manutium, sed se malle *continebantur*, partim librorum veterum auctoritatem secutum, partim quod *nomina libellis consignari* Latine, ut ipsius ferat opinio, non dicatur. Immemor in orat. de prætura urbana apud eundem legi: *Ab horum consulatu videtur tabulas Verres rationum suarum destitisse consignare.* Et pro Milone: *testes per triduum audirentur, dicta eorum judices consignarent.* Hic locus erat illi, *Scribere* esse verbum juris, non tamen pro solvere, sed ut Cicero ad Trebatium: *Cum tu mihi meisque sæpe multa scripsisses.* Hi scilicet usi erant *consignatore* Trebatio. At de altera illa notione verbi ad τὸ *rescribere* monendum erat. Pulchre vero manum adiit honoratiorum de meis amicis traductori vox *Lege*, quam ille putavit a *Lex* descendere, cum sit a verbo *Lego*. O Perille creditor Damasippi, lege (interpretatur Porphyrion) sive recita in judicio, petens quod tibi ab isto tricone debetur; proferas licet ac recites coram judicibus decem syngraphas a Nerio, centum a Cicuta conceptas. Verbum autem *Lege* commode huc adhiberi testis & Ausonius in Gratiarum actione: *Debere te dicis. Cui? quando? quo nomine? Lege syngrapham, nomina creditorem, accepti & expensi tabulæ conferantur.* Habes sensus planos & apertos.

69. Nunc inspice, quantum est recentiorum, qui ad illum Horatii locum aliquid attulerunt: nemo enim omnium est, quos vidi, qui non alicubi hæserit aut immiscuerit, quod turbet atque in errorem implicet. Sic perperam Lambinus illa, *Scribe decem a Nerio* sic censet accipienda quasi dicentur debitori ab ipso Nerio. Itaque ejus eclogarii, alius, o debitor scribe te mutua accepisse a Nerio fœneratore 10000 librarum: alius, o debitor, scribe tuapte manu te decem millia librarum accepisse a Nerio fœneratore: cui & ista, *Non est satis*, verba sunt Nerii: syngrapha ipsius non sufficit ad meam assecurationem: cui etiam Perillius est cognomento Cicuta. Perperam Cruquius, ea verba esse Nerii Perillii fœneratoris avari ad debitorem, cui dictet formulam scriptionis: *Non est satis* esse Stertinii agentis cum Nerio Perillio: *Cicutæ*, qualibus uti solebat Cicuta nodosus, callidus aliquis & versipellis argentarius, vel (quod vero sit consentaneum magis) pararius. Perperam Xylander, *Scribe decem a Nerio*, formulam esse obligationum fœnebrium, quæ explicari possent, si de Nerio & Cicuta constaret: & quia *nodosi* dicat arthriticum forte notari. Quanto melius Acro, *scrupulosi, diligentis in accipiendis cautionibus.* Cruquianus, *dolosi, qui multis dolis & nodis obstringat debitores.* Male Cerutus: Caveat debitor per syngrapham Nerio, se nempe certam huic pecuniam debere: *Cicutæ* fœneratoris callidi mille catenas, formulas, cautiones, scripturas, quibus tanquam vinculis debito-

rem adstringat. Male Torrentius Nerium & Cicutam & ipse facit fœneratores: *decem a Nerio* explicat, ut *a me, a Titio dare, accipere, solvere:* scribi denique suadet, ut in editione Mureti:

Nodosi tabulas. centum mille adde catenas.

Male Marcilius, *Scribe decem Nerio*, videlicet in tabulis expensi: nempe *Decem Nerio expensa fero* sive *decies sestertium*. Male denique Guil. Canterus lib. I Novar. cap. VI in Porphyrione corrigit, *consignato: res furabitur*.

70. Num. XXIX pag. 186 quasi excusaturus orationis suæ mendas, quas ex infinitis paucas notavi, quod ille in mea nequicquam idem tentasset, (quamvis nunc id mendacium vocet, quemadmodum & alia veriora quam quæ ad Sagram. quod demonstratu pronum, nisi mihi fabulis, quæ nec causam nec lectorem juvant, interdixissem) hoc potissimum agit, ut

salso multumque fluenti
Expressa arbusto regerat convicia, durus
Vindemiator & invictus.

Cæterum & partim tacitus præterit, & omnium, quibus suppetias venit, ne unum quidem culpa liberat. Particula *Etenim* ut sit abusus, revisas licet Antexeg. II Num. LXXXIV. Eam scribliginem non magis purgant duo flosculi Tulliani ab Horatio Tursellino emendicati, quam antehac Cælius Aurelianus. Compara, quantum libet: vox hinc & inde eadem; sed nihil simile neque in collocatione neque in sensu vocis. Non plus valent ad *Sed* pro *Enim* ex Lexico corrogata. Cato in tertio de Finibus Stoica edissert urus rogat Ciceronem, succurrat, si quid deficiat ipse in Græcis verbis satis Latine exprimendis. Tum Cicero, *Sedulo, inquam, faciam. sed fortuna fortes.* Hoc est, sed censeo id opus non fore: aude modo, nam fortuna fortes adjuvat. Cur hic *Sed* potius *Nam* vel *Enim* sit, quam quod semper est? Martialis datur Tullio παραστάτης lib. XII Epigr. XVIII.

Ignota est toga. sed datur petenti
Rupta proxima vestis e cathedra.

Hic quoque quid est, quod me jubeat adversativam pro causali accipere? Ex eodem Lexico depromptum de particula *Unde* parvulam speciem habet, sed speciem tantum. Longe enim aliter Florus, aliter iste. Nam in Floro interrogatio est, apud hunc nulla; nec præcedit, cui commode subjungatur τὸ *Quare*. *Collocare* vel *dare ad usuram* primum falso teste defendere conatus est: postquam eum sibi detractum videt, ad imprudentiam convertitur, & nihil aliud quam, Cur mihi non licuit. Sane multa licent fatuis & quibus pudor non est: sed & licet aliis eos deridere ac detestari & barbaros putare.

71. De reciproco, est ubi *Suus*, & non *Ejus*, ac vicissim *Ejus* & non *Suus*, Latina poscat oratio: est, ubi utrumvis admitti possit; eligitur autem plerumque, quod minus gignit ambigui: est ubi τὸ *Suus* est proprius, ingenitus, ejus-

ejusdem naturæ: est ubi veteres aliquid sibi juris sumpsisse videntur, quod tamen omni sermone, omnibus paginis, imitandum & inculcandum non est. Cæterum nemo tam fuit insulsus, ut *Suus* & *Ejus* promiscue usurpari traderet. Quamquam in his analogian & anomalian distinguere interdum difficile sit, & docti quoque viri exempla ponant utriusque parum convenientia. Ex Ciceronis act. I in Verrem notat Fr. Sanctius: *ut non modo in auribus vestris, sed in oculis sua furta atque flagitia defixurus sim.* Tamquam ibi *Sua* pro *Ejus* ponatur. Crederem, si præmitteretur, *Sic agam*, aut tale quid. Sed ita sese habent, quæ præcedunt, ut tam *sua* quam *ejus* ibi decere appareat: nempe, *Intelligit me ita paratum atque instructum in judicium venire, ut non modo.* Ergo *intelligit* ipse Verres, *me venire, ut sua.* Cæcina ad Ciceronem lib. VI Famil. *quid irascitur ei, qui aliquid scripsit contra suam voluntatem, quum ignorit omnibus, qui multa deos venerati sunt contra ejus salutem.* Sanctius, *suam* subaudi scribentis; *Ejus* subaudi Cæsaris. Immo & *suam* procul dubio Cæsaris. Sponte namque & nemine cogente, petierat invectiva Cæsarem: sed rem extenuat genere dicendi. *Contra suam voluntatem* est, quod Cæsari volenti non esset, quod ei displiceret. Cæterum neutrum utrimque excluditur: quamquam suspicer τὸ *Ejus* insiticium esse. Cornelius Nepos in Attico cap. IX. *Antonius autem etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed omnibus etiam ejus amicis esset inimicus.* Quum sic duo Florentini, qui non solent esse codicum pessimi, exhibeant, libens eos sequor, & τὸ *suis*, quod dubium reddit, ad Antonium an ad Ciceronem referatur, damno. Idem in Lysandro cap. III. *Itaque decemviralem suam potestatem sui ab illo constitutam sustulerunt.* MSS. *Itaque hi*, dein sine τῷ *sui*. Recte: sed etiam expungendum τὸ *suam*, & scribendum: *Itaque hi decemviralem potestatem ab illo constitutam sustulerunt. Hi*, nempe reges. Plerique omnes in primo agmine illud Ovidii ostentant:

Respice Laërten, ut jam sua lumina condas:
Extremum fati sustinet ille diem.

Sed quo magis hoc mecum verso & expendo, eo minus sanum reperio. Itane ipso illo tempore, quo hæc epistola scribebatur, animam agebat Laertes? & aliquis ἀπὸ μηχανῆς Θεὸς advehere repente Ulyssem poterat, ut statim jam jamque oculos patri operiret? *Non bene temporibus hæc tibi divisa sunt, Dave.* Crediderim potius fuisse:

Respice Laerten. uti tu sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.

Ille quamvis vitæ satur & cupidus harum rerum molestiis defungi, luctatur cum senectute ac differt moraturque fatalem horam, non æquo eam animo laturus, ni tu ei supremum id officium facias. Ut illa Neroni: *Hanc excepero, mori volo.* Tacitus lib. II annal. cap. LXIII. *tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus ejus aliud conduceret, abiturum*

turum fide, qua venerat. Ubi Pichena: Ita MS. sed subtiliores Grammaticorum regulas fortasse in Tacito requirentes reposuerunt *rebus suis.* Frustra illi cum subtilibus regulis: nam utrique commodus hic locus: sed *suis* magis ambiguum, cum possit etiam ad loquentem referri. Si esset, *sin rebus suis aliud conducere putaret*, excluderetur omnino τὸ *ejus.* Idem lib. v Histor. cap. v. *Itaque nulla simulacra urbibus suis, nulla templa sunt.* Hoc intolerabile: & scribendum censeo *sinunt* pro *sunt.* Suetonius Vespasiano cap. xxii. *Expugnatus a quadam, quasi amore sui deperiret.* Voluit Cajus *sui* pro *ejus*, inquit Marcilius. Immo non *sui* pro *ejus* posuit, sed ubi utrumvis ponere poterat, *sui* maluit. Idem de Grammat. cap. xvii. *Quare ab Augusto quoque nepotibus ejus præceptor electus transiit in palatium cum tota schola.* Casaubonus scribi jubet *nepotibus suis:* & errorem esse ex scribendi consuetudine nota vel ex Florentinis Pandectis. Non est necesse: immo τὸ *suis* magis ambiguum, quippe quod respicere possit ipsum Valerium Probum. Justinus lib. xi cap. xi. *Comitibus quoque suis responsum, ut eum pro deo colerent.* Hic omnino scribendum *ejus:* nisi tamen omittendum utrumque. In priore S. Petri epistola cap. iii vulgata: *Coerceat linguam suam a malo, & labia ejus ne loquantur fraudem.* Laur. Valla non pro elegantia sua, Cur non, inquit, *labia sua*, sicut *linguam suam.* Itaque Erasmus censet alterum magis congruere: neque enim hic esse reciprocationem, ut in priore particula. At Jac. Revius, Interrogo, ait, Erasmum, qui verior sit reciprocatio in *linguam suam* quam in *labia sua:* hoc ne Oedipus quidem conjecerit. Vide quo transversum agat hominem libido carpendi. Sed fallitur, & recte Erasmus. Si foret, *& labiis ejus ne loquatur*, jure Valla desiderasset *suis.*

72. *Adsertionis* pro sententia, *Discursus* pro commentario sive scripto „ me gratiam illi facturum, nec classicam auctoritatem petiturum fuisse censet, si cogitassem illud Diomedis: *Pari passu morum ac literarum cucurrit licentia: & perinde, ut alii mores, alius priscis exstitit sermo: postera ætas sicuti disciplinam prisci seculi, ita & sermonem fastidire cœpit.* Me vero nec tum ista menti occurrentia retardassent, nec nunc facti pigere compellunt. Nempe Romanis contigit, quod plerisque nationum, ut paullatim castus ille in dicendo mitigaretur horror, & neglectis, quæ Fauni vatesque canebant, commodiora & solertius excogitata succederent; interdum &, quæ non ita pridem irrepserant, veteribus renovatis, expungerentur. Hinc illud Horatii:

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.

Ea vicissitudo & mutatio, dum rectus & purus sermo manebat, dum urbanus eloquii nitor non infuscabatur, & facundiæ regula stabat penes vere Romanos, a matribus jam & nutricibus bene balbutire doctos, dein studiis excul-

excultos, & ſana fori, concionum, curiæ, recitationum, ſcenæ quoque ac theatri, denique & vulgaris conſuetudinis ratione imbutos & confirmatos, nihil nocuit. Poſt inertia & pravis conſiliis Cæſarum, tot peregrinis, ad ſacramentum, in civitatem, in Patres, ad apices honorum & dignitatum, in comitatum & aulam receptis, labaſcere ac degenerare ſermonis integritas; tandemque per deformia illa & ancipitia auxilia, evocata infinita popularium multitudine, proſtrato & ſubverſo imperio, omnis funditus interire, inque linguas, quæ apud nobiliſſimas etiamnum nationes obtinent, utcumque poliantur & aures mulceant, Latiaris tamen veræ ſpurias, & in barbarum corruptas, mutari. Cum igitur Romana lingua ſit e deperditis, nec niſi e libris hauriatur, conſtat inter ſapientes, Latine ſe ſcribere profeſſis omnino caſtæ & aureæ argenteæque ætatis auctores ad imitationem legendos, dumtaxat, dum inde verba rebus ſuppeditant: ſi quis autem ad ferrum & lutum poſtremorum ſeculorum deſcenderit; aut ab illis e Latio corruptis Latina terminatione compta & ceruſſata adſciverit; eum prætexendo alia nunc, alia olim in loquendo viguiſſe, minime excuſari: nam ea, quibus in præſens ora & volumina implentur, niſi ad illa, quæ olim viguerunt, corrigantur, limentur, exaſcientur, inſana aut parum honeſta ſunt conditoribus.

73. *Profundere pelves* tenet, quia Cicero dixerit: *omnes profudi ingenii mei vires.* Fruſtra: nam *profundi* dicitur quod effunditur, non ex quo effunditur. *Procurare famam* placet illi, quia Tibullus:

Ipſe procuravi, ne poſſent ſæva nocere
Somnia.

Sed ibi *procurare* eſt expiare, non comparare aut acquirere. *Deducere aliquid prolixe*, pro, multis aliqua de re agere vel diſſerere putat ſe tegere Virgiliano *deductum dicere carmen.* Sed ibi *deductum*, tenue eſt, humili, tenui oratione & ſcriptura levi, ut Terentius loquitur; non prolixum. Itaque ut hæc „ tam disjuncta conglutinet, Volui, ait, innuere me ſimplici oratione prolixius aliquid expoſuiſſe. En attentum & præſentis animi hominem! Non de ſe, ſed de me loquitur, ubi ſic βαρβαρίζει, pag. 13. Poſtremum hoc „ neceſſum non fuiſſet tam prolixe deduxiſſe. Ubi qualicumque id oratione factum ſit, nihil ad rem pertinet meminiſſe. Sed æque madida memoria in Pii & Alexandri trientario *fœnore* inque Plinii *uſuris aſſibus* uſum animad- „ vertimus. *Coincidere* ait reſpondere Græcorum τῷ συνεμπίπτειν. Sed τὸ συνεμπίπτειν Græcum eſt, coincidere Latinum non eſt. Τὸ *Ratione* potuiſſe „ me intactum relinquere, & cogitaſſe illud Auguſtini: *Sermoni humano* „ *verba nova vel minus uſitata, moderate ac decenter adſperſa, ſplendorem adferunt.* Si Sabini, quod volunt, ſomniant, ut in proverbio eſt, nemo unquam tam Sabinus: adeo credit ſpondetque ſibi omnia de adverſario volentia, non ſecus ac ſi fortunam ejus in conſilio habuiſſet. Me, quod fictum & compoſitum & ſimulandi artificem dixeram (qui mimus non diu fallit pru-

dentes) Καρδιογνώστην gerere βλασφημεῖ· quam speciem ipse toties induit divinando cogitationes meas, etsi contrario fere semper eventu. Quemadmodum & hic vaticinatur illius pii & diserti episcopi dicto quasi refrigeratum, hunc obelum ei me donaturum fuisse. Ego autem neque Augustini tum sententiæ recordabar, quando nihil erat, quod ejus admoneret; nec recordatus forte, ob eam abstinuissem a justissima reprehensione, quam illa nullo apice prohibitum eat. Neque enim τὸ *Ratione* verbum novum est, sed usus vulgatissimi, præsertim apud M. Tullium, at hac significatione & positu usitatum Latino nemini, nec moderate ac decenter adspersum, quod toties tam inepte ac moleste obversetur.

74. Spurcissima illa & in pueris non impunita compositionis vitia sperat se lucrari Ciceronis τῷ *hanc rem sibi præsidio sperant futurum*, & Plauti, *Numero mihi in mentem fuit*. At hæc utcumque divertant ab ordinaria & vulgari constructione, ratione tamen certa & exemplis multis defenduntur: nihil eorum, quibus in illo nigrum theta præfiximus. Τὸ *Vel* in loco Ciceronis & similibus plurimis non redundat, sed suum orationi pondus adjicit, secus atque apud ipsum. *Tamdiu torquentur quam admiserint*, protegit verbis Ciceronis: *Corpus tamdiu gaudet, dum sentit voluptatem*. Si sic scripsisset, notæ fuisset immunis. Sed quem potest fugere discrimen horum sermonum? *Dum sentit*, significationem illius, quod aliquamdiu factum audimus: at pro illo *quam admiserit*, requiritur aliquid, quod significet eventum ex eo, quod spatio quodam temporis tractum est. Non esse quod arrodam *mutuare pecuniam* pro *mutuam* (non enim *mutuo*) *dare*, quum sciam Plautum ita locutum esse, opinatur scilicet Οἰνοβαρὴς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, & pro vero venditans, quod ipse falsum esse certus erat proque vero obtinebat. Ab eodem magno viro, unde hunc lacerum & cribro crebrius pertusum clipeum suffuratus est, jam didicerat attribui quidem Plauto a nescio quibus, *Si quis quid mutuaverit, pro proprio fit perditum*; sed id nusquam apud eum comparere; in Trinummo autem a. IV sc. III. *Si quis quid mutuum dederit, pro proprio fit perditum*. Sic MSS. neque ullam varietatem notant, qui ad eos Comicorum principem exegerunt: sic editi jam a ducentis annis. Quare cum „subjicit. Si dicat lectionem vulgarem sibi non placere, ad alios, quibus non displicet, provocabo: primo turpiter errat, qui *mutuaverit* vulgarem lectionem putet; deinde ut sorex indicio suo se prodit, & fatetur se male asseverasse Plautum sic locutum, ubi lectio controversa est; denique loquitur ut indoctus & post inventas fruges βαλανηφαγεῖν gestiens. Apud Cæcilium *mutuet* est mutuum sumat, non det. Eodemque sensu foret apud Valerium Maximum, si ea de lectione constaret.

75. Nec vero postremi convicii, quod erupit in me jam κύκνειον ᾄδων, jam orci thesauro proximus (quo tempore pudentes & religiosi homines ad pacem Dei optimi maximi per Christum impetrandam magis quam ad secu-

lares

lares lites & calumnias delatrandas occupari solent) dictio est ornatior aut sermo purior. Quædam hoc de genere supra tetigimus: sed longe plura & fœdiora restant. Valde lætatur & placet sibi ob inventum in ludi puerilis præceptores (quorum ferulæ nimium cito manum subduxerat, quosque non ita pridem compererat multa, quorum ipse sibi veniam dedit, ne in pueris quidem laturos) novæ contumeliæ vocabulum: itaque toties repetit *pænulatos magistros, pænulatos doctores, pænulatos Hectores:* qua ratione? quo exemplo? qua auctoritate? Neque enim sic quisquam unquam Romanus. Iter facientium & turbidum suspectumve aerem defendentium erat pænula: in schola docentium non magis quam cujusvis servi aut liberi. Lampridius Alexandro Severo: *Pænulis intra urbem frigoris causa ut senes uterentur, permisit, cum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluviæ fuisset. Matronas tamen intra urbem pænulis uti vetuit, in itinere permisit.* Sed noster, quicquid apud veteres legit, in quo paullulum sit doctrinæ secretioris, quodque quantulumcumque ingenii aut meditationis requirat, juravit nolle nisi prave ac perverse accipere: Inciderat in Martialis lib. II epigram. LVII

Quem non lacernis Publius meus vincit
Non ipse Codrus, alpha pænulatorum,
Quem grex togatus sequitur & capillatus.

Hic iste *capillatos* pueros scholasticos, & quia sequuntur Codrum *alpha pænulatorum,* hunc magistrum illorum esse opinatus est. Sed hic triplex versatur error: nam *pænulatus* non sortem vitæ aut ordinem locumque, sed habitum vestis designat: nec *grex capillatus* scholastici, sed pædagogiani pueri sunt, deliciæ Alexandrinæ: denique non Codrum dicitur hic grex sequi, sed ipsum illum ostentatorem pecuniosum,

Amethystinatus media qui secat Septa.

76. Idem, nihil moratus vetera & vulgata verba, *Posidonios* vel *Possidonios* appellat, quos prisci Latini divites & locupletes. Hinc in prioribus „ Vindiciis pag. 23. Acceperim a Dn. adversario, jam Posidonio, moribus „ Romanis L. florenos. In posterioribus pag. 149. ignotum esse non pote- „ rat Possidonios per argentarios pecuniam suam tenuioribus in fœnus dare. Hoc quoque sine auctore, sine exemplo, sine gratia, tantum literarum quarundam in verbo *Possidere* & nomine *Posidonius* similitudine ac sono delinitus. *Graphicum* me vocat *prævaricatorem* pag. 126, quia vocem Græcam apud Harmenopulum aliter atque ille interpretor. Atqui prævaricator non est, qui litiganti resistit, & scripti, de quo inter illos contenditur, non eam, quam alter facit, sententiam esse sedulo pugnat: sed qui quasi superatus diversæ partis justis suam destituit, & sese dat illi, adversus quem adest, cumque illo conludit, proprias probationes dissimulando, contrarias exceptiones & excusationes, quamvis falsas, admittendo. Nec magis antiqui moris censeo *prævaricari legibus* pag. 134 pro violare leges aut fraudem le-

 gibus

gibus facere: nam *prævaricari* est scientem, tacitum, causam tradere adversario, ut Terentius in Phormione loquitur. Quantopere barbaræ dialectices proprio verbo *Inferre* pro colligere vel argumentari delectatur? & quo-
„ ties id, quasi δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά, iterat? Pag. 112 Eadem enim ratione in-
„ feras & Atheniensem & Thebanam rempublicam profundo paupertatis
„ immersam fuisse. Pag. 126 attendendo verba hæc probabiliter intuli.
„ Pag. 127 convenienter tamen intuli a Tacito totum carmen legis non
„ fuisse exhibitum. Pag. 129 inferendo verisimile esse Romæ idem conti-
„ gisse. Pag. 164 unde ulterius infero pariter eum tantundem exigere potuisse. Jam *parum quin* pro tantumnon scire velim, ex quo veterum imita-
„ tus sit pag. 102 atque præ adversariorum potentia & dolis parum quin fatiscentem. Quam manifestarius ille solœcismus pag. 129 intelligendam
„ esse centesimam ita probavi, quod, cum aliis rebuspublicis, si pecuniæ
„ fuerit inopia, fœnus intendi consueverit, non dubitare licere. Belle vero: *probavi quod dubitare non licere*. Illud præfractæ pertinaciæ, quam mihi toties ingerit, specimen in semetipso dedit, quod objurgatus ob *profusas pelves & procuratam famam*, etsi nihil invenerit in Lexicis suis, quod in veteri Latio sic quemquam locutum fidem faciat, tamen eadem, prorsus quasi lecta & aures demulcentia, omni occasione revocat. Sic pag. 145 ipse pel-
„ ves verborum profundit, ut non modo mihi, sed & lectori glaucoma pro-
„ curet. Pag. 180 cavam manum assibus repletam in sinum profundere.
„ Nec decentius pag. 157 verborum pelves exonerare. Pag. 147 subsidium
„ paupertati domesticæ procurare. Eodem loco pono & paro *Quirites* illos
„ *in communi consideratos* pag. 111. Ne quis existimet nihil horum ad po-
„ pulum & Quirites in communi consideratos derivatum fuisse, cum vellet dicere, & vulgus civium, vel, & privatos. Molestius etiam pag. 129. Ego
„ argumentabar a civitatibus seu rebuspublicis in communi consideratis ad Romanam.

77. Quam vero lepidum *dementis otii existere* pro κακόσχολον aut male fe-
„ riatum esse aut otio per stulticiam abuti pag. 163. Me cum jamdiu distæ-
„ deat impudentiæ Gronovianæ, nec dementis otii, inter tot occupationes, afflicta quoque valetudine, existam. Quam facetum *esse proletarium* pro liberos habere multos: quasi non & classici quoque plurimi domos liberorum plenas habuissent, aut proletarius nemo ἄγαμος ἄγονός τε fuisset. Quam politum p. 179 *juxta dispositionem cerebelli sui aliquid profari?* Quam nitidum *incedere supra aliquem* p. 180 pro eo, quod est interiorem cum uno, medium inter duos ire, vel honoratiorem locum in ambulando una tenere? Quam acutum & subtile, *concidunt, immo collabuntur*, p. 158. Quam ingenuæ Latinitatis *æquivalere*, *præsupponere*, *sequela*, *multoties*, *infallibiliter?*
„ Quam suaviter & concinne sonant pag. 89. Grammatica suppeditare vo-
„ cabula, quorum quaque ætate usus fuerit in illis distinguendis, juxta diversos

versos temporis articulos. Quid enim, oro te, vocabula Grammatica? aut cur usuræ potius quam quævis aliæ res circumforaneæ vocabulis Grammaticis appellantur? Sed non hoc tantum his verbis subest insaniæ. Quis est enim, qui nunc hic Grammatica usuris tribuit vocabula? Nonne ille „ ipse, qui Grammaticorum juxta assem calculos, quæque Grammatici „ juxta regulas suas ineptiunt, si non delirant, attendi non debere; prisci „ ævi vocabula & formulas rigide ad Grammaticorum canones exigendas in hac materia non esse dictitabat? Jam vero istorum vocabulorum Gram- „ maticorum quis usus? Ut distinguerent, inquit, quaque ætate usuras juxta diversos temporis articulos. At hic, etiamsi toleremus, quod ille sentit, alterutrum tamen horum, Quaque ætate, &, Juxta diversos temporis articulos, vacat, & redundat, ac sine corpore tumorem orationi addit: neutro enim amplius quam utrovis significatur. Cæterum utrumque κίβδηλον, adulterinum, vanum est. Neque enim ulla cucurrit ætas populi Romani, quo libra & as alia nomina partium, quam usitata & omnibus nota habuerint: neqve ulli fuerunt temporis articuli, quibus usuræ aliis vocabulis, quam partium æris appellarentur: *asses* scilicet, quæ & *centesimæ*, quia nummum solidum menstruum sorti centenum nummum applicabant; inde & quæ minus, deunces, dextantes, dodrantes, besses &c. Atque hoc quoque præfractæ pertinaciæ specimen perhibuit: ne videretur resipuisse & indictum „ molle, quod stolidissime scripserat: *Fœnus unciarium*; quod postea usita- „ tius jurisconsultis præeuntibus *centesima* dici cœpit: & alibi, Quod subse- „ quentibus seculis usitatius *Centesima* dici cœpit: rursumque, *Fœnus uncia-* „ *rium* haud æstimandum secundum recentiorem distinctionem fœnoris juxta assis partes. Quod inauditum stultiloquium non incastigatum prætermisimus Antexeg. II Num. XXXIII & XLIX: neque ille mantelli, quod temerariæ linguæ obtenderet, ullam laciniam reperit; hoc obstinationis suæ ac pervicaciæ tamque cervicis quam frontis duræ signum fixisse contentus, quæsita obscuritate, ut qui recordarentur, quo ista *quæque ætas & diversi temporis articuli* pertinerent, nostræ reprehensioni diffiderent ob ipsius in sententia stabilem permansionem; qui minus, aliquid arcanæ ac singularis observationis, vel quod id non intelligerent, se accepisse crederent.

78. Sed his & hujusmodi venenis scatent affluuntque, quæcumque in publicum emisit, citius ut Eleum bubile perpurges, quam omnia ista observites, colligas, excerpas. Itaque hoc ille olim me primum de se mali commeruisse decrevit, quod cum Daventriæ, jam inde digressi, orationum volumen ederetur, meis auditoribus suasi, Ciceroni potius, Quintiliano, Plinio &c. operam darent; quibus ubi adsuessent, ipsos judicaturos, quos recentiorum adjungi præstaret; nempe qui ut ad illam legem emendati & veterum simillimi essent, elaboravissent. Hoc ut iste comperit, non fidele atque officio meo dignum monitum, sed odium interpretatus est sui. Accide-

rat autem, ut, quum ei ſtaret migrare, me in domina Urbe peregrinantem ſucceſſorem deſtinarent partim e Curia legationibus in ſummos communis reipublicæ ordines Hagam obitis, & ſecunda ibi honeſtaque de nobis edocti: ſuffragantibus & Profeſſorum nonnullis, qui etiam ante triennium, quum ille gratia unius viri eximii (quam humili adulatione promeruerat, pollicitus æmulis ejus ſeſe futurum æmulum, ſed nactus, quod affectabat, neglexit, factioni, quam firmiorem cernebat, applicitus) vocabatur, me collegam, inſcium omnino, exoptaverant; & tum ſimul rudimentis & periculis ſtudiorum meorum, quæ invulgata erant, prolatis & approbatis, ſimul teſtimoniis Lugduno, Amſtelædamo, Groninga petitis, deſiderium mei, itidem inſcii, nec de ſede quondam niſi Hamburgi in patria collocanda cogitantis, excitaverant. Ibi manibus ille pedibuſque obnixus omnia egit, ut honore me dejiceret; metu comparationis, an libidine obtrectandi bonis, incertum; niſi certius utroque ſtimulo inquietatum fuiſſe: neque unum modo familiarem & φοιτητὴν ſuum; ſed cum ei ſine fuco & fallaciis more majorum negaretur, & alterum vix ſibi notum comparavit, quos tanquam potiores mihi obduceret, omnem ambitionis laborem, concurſationem, indignitatem impigre tolerans; religionis quoque mendaciſſima calumnia interpoſita, quo tanquam præſentiſſimo telo adverſus complures multo ſe probiores & divini reverentiores graſſari ſolitum nemo ignorat. Et hoc ab ſuo facto immerentem oderat, cui merito inviſum ſe rebatur ob offenſam datam, quam tamen ego nunquam ad animum revocavi. Acceſſit velut oleum incendio locus hic, quem ille ſpe devoraverat, neglecto petitore in quietum & necopinantem collatus. Tum vero non quivit amplius pati, quin Batavis oſtenderet, quem virum ſpreviſſent, quam imparem, etiam in literis interioribus hiſtoriaque & antiquitate Romana, quatuor veritatum mancipi & mangoni acerrimo prætuliſſent. Adeo enim non pœnitebat hominem, quantum proceſſiſſet in eis, quorum vix limen liberaverat; ita ſe abundare præceptis & inſtitutis humanitatis poſtulabat; tamque improbo vires examine penſitabat, ut perfacile ſibi de modeſtia noſtra gloriolæ incrementa quærere, nihilque in quæſtione Philologis eſſe, de quo non ipſe gravis arbiter ſedere ac primos inter promere ſententiam poſſet, pro exploratiſſimo & perſuaſiſſimo duceret. Sed ſatis quoque iſtorum, quæ tacuiſſe mallem: ſed expreſſit hominis impotentia & importunitas.

76. Hæc ego adverſus maledicentiam & ſycophantias mortui, non quaſi operæ foret cum larva luctari, ſed ne larva una omnes vivos perpaveſaceret atque irridiculo haberet. Quis enim in re improſpere tentata majorem unquam confidentiam prætulit? quis plus ſpecioſi fuci & coloris ſophiſtici commentis ſuis oblevit? quis argumentis contrariis ipſa relatione infamandis & ſuſpectis reddendis callidior & aſtutior? quis cum ad ea, quibus premebatur, nihil reſponderet, ita ſe jactavit, ut nemo paratius, acutius, copioſius

pioſius

piosius respondere videretur? quis tantum undique collectæ invidiæ in adversarium sparsit? quis severior & religiosior, etiam sacra lingua adhibita, cum maxime mentiretur, apparuit? & graviori fronte atque inverecundius, quod improbe, dolose, criminose faciebat, insonti exprobravit? Quæ omnia cum sint simplicioribus & incautis, qui causam non didicerunt neque ingenium hominis explorarunt, deducendis & supplantandis, nactus aliquid otii, dum animum ex gravi sex mensium morbo indulgentia cœlesti restitutum stomachus & crura morantur, & vel lecto vel foco corpus affixum tenent, hæc in chartam conjeci, ut fraudes præstigiasque istas præciderem, & liquidi judicii faciundi lectoribus facultatem præberem. Doleo interim hominem, dum propemodum animam agit, tam malas agitasse curas: & spero, εἰ καὶ ἐποικοδομήσαντος ἐπὶ τὸν θεμέλιον, τὸν μόνον κείμενον, ξύλα, χόρτον, καλάμην, τὸ ἔργον κατεκάη, αὐτὸν διὰ τοῦτον τὸν θεμέλιον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστὸς, σωθῆναι.

FINIS.



JOH.

JOH. FREDERICI GRONOVII


Residuum caput

PECUNIÆ VETERIS,

In quo exigitur sententia

NICOLAI ABRAMI

De quo annotatum II, 2 *pag.* 58.



ic. Abramus ad Orationem Ciceronis pro Rabirio repetundarum reo, bene longa disputatione instituta, partim eorum, quæ viguerunt illis temporibus, quorum ergo maxime pars hæc antiquitatis addiscitur, non indocte exsequitur. Nam & denarii statuit justum pondus drachmam: & *sestertium* pro CCL denariis, mille nummis tuetur: & diutius in eo stetisse auri ad argentum collationem intellexit, ut pro singulis auri libris denæ argenti responderent. Sed ut in priscorum morum & rerum interpretatione laudi cedit adferre inventum aliquod suum, & quod a nemine recentiorum occupatum appareat: ita non indulgendum ingenio plus quam par est, nec novandum contra veterum auctoritatem, & attribuendum illis, quod neque fecerunt neque dixerunt neque senserunt. Quale est, quod præstruitur, *Assem* in re nummaria triplicem fuisse pro diversitate metallorum, e quibus nummi feriebantur, *æreum*, *argenteum*, *aureum*. Hoc est quidvis statuere in quovis & omnia qua verborum qua rerum discrimina tollere. De *argenteo* & *aureo* asse nihil veteres. Libellam norunt antiquissimum tenuemque nummum argenteum, qui in argento tantum valebat, quantum as in ære, nempe libram æris: eam libellam *assem argenteum* nemo vocavit præter Abramum. In rationibus excurrentes minutiæ denarii, post Constantinum etiam aurei solidi partibus æris sunt appellatæ: sed propterea extra rationes nec denarius *as argenteus* nec solidus *as aureus* nuncupabatur: quia as in his locum inveniebat, non ut proprius rei nummariæ, sed ut mensura cujusque magnitudinis vel materiæ vel pretii. Hunc errorem consecutus est alius longe gravior, quum, quæ Plinius de

assis

assis ærei pondere mutato narrat, ille de denario accepit: quasi *as* ibi nude ac simpliciter positus intelligi possit de asse, quem sibi finxit, argenteo, isque *as argenteus* sit denarius. *Librale pondus æris*, inquit Plinius, *imminutum bello Punico primo, quum impensis respublica non sufficeret, constitutumque, ut „ asses sextantario pondere ferirentur.* Hinc ille: Ergo ita imminutum est „ pondus denarii, ut hi recentiores sextantem, id est, duas uncias, sive sex- „ tam superiorum partem pondere continerent. Haudquaquam denarii: sed *æris*, seu assis ærei. Rursum Plinius: *Postea Hannibale urgente Q. Fabio Maximo dictatore unciales facti.* nempe asses, qui librales primo fuerant, „ dein sextantario pondere erant percussi. At Abramus: Et ita primi illius „ denarii pondus duodecim Fabianos colligebat. Somnium: non enim de argenteis assibus, qui nunquam exstitere, sed de æreis verba Plinii exaudienda sunt. Denique Plinius: *Mox lege Papiria semunciales facti.* Quod est Abramo: „ & ita Papirianus denarius vigesima quarta fuit primi denarii. Immo non denarius, sed as: ille quarta & vicesima pars factus primi assis seu æris, quod decuma pars denarii fuerat. Nam denarium quidem statim, ut cusus est, nihil inter has assis mutationes variato pondere pro decem libris æris placuisse scripsit ante Plinius. Repetit inferius hoc mirificum τεχνολόγημα. Quod „ ex unciis octo denarii sunt percussi, & singuli denarii drachmam pepende- „ runt, id constitutum per legem Papiriam: qua lege, inquit, *semunciales asses „ facti:* id est, ad vigesimam usque quartam partem deminuti, adeo ut unus „ eorum denariorum, qui ante bellum Punicum primum percussi sunt, conti- „ neret viginti quatuor Papiria lege percussos. Hæc alienissima ab auctoris & verbis & mente interpretatio est. Immo, ut denarius idem, qui ante fuerat, & primo decem libris æris, dein x assibus sextantariis, mox uncialibus sedecim censebatur, nunc censeretur sedecim assibus semuncialibus. Asses ad XXIV partem libræ sunt deminuti: non fuerunt autem asses, nisi ex ære. De argentei nummi mutatione verbum nullum apud Plinium. Sic „ etiam discendum nobis est, denarios, quo primum tempore percussi sunt, „ quatuor & viginti drachmas Atticas, id est, tres uncias Romanas pependisse. Primus hoc & solus omnium pronunciavit Abramus. Nam Agricola sextam aut septimam unciæ fecisse denarium satis habuit. Pancirollus cum Savoto & Gassendo non ausi sunt ultra unciam procudere. Hic in summa frugalitate & publica & privata, quum decem pondo libræ argenti facti apud consularem & triumphalem virum censorium opus essent, adeo luxuriasse vult Romanos, ut nummum publici & quotidiani usus tribus argenti unciis constantem percuterent. Sed eadem argumenta, quæ contra priores, adversus hunc militant: quæ alibi posuimus. Nunc sufficiat duorum, veteris ac novi, auctorum verba advocari, ut quantus inter ea dissensus sit, appareat. „ Bello Punico primo, rursus ingerit, constitutum, *ut asses* sextantario pon- „ dere ferirentur: id est, duodecim superioris denarii partibus decem de-

„ tractæ ſunt, ut iſte poſterior duas tantum prioris duodecimas contineret, „ ſextaque pars eſſet ad priorem comparatus: ergo nummus ſive ſeſtertius tum „ percuſſus quatuor drachmas pependit. Quid dicis, *denarii* ſuperioris? Aſſis te jubet dicere Plinius. Denarius non eſt *as*, neque ullus *argenteus* eſt *as*. Ad ſextantarium pondus autem venit as, non a tribus unciis, ſed a libra. Si vis ergo de denario accipere, non trium unciarum priorem denarium, ſed libralem debes ſtatuere. Duodecim aſſis partibus ſive unciis detractæ ſunt decem, & ſextans libræ factus eſt as: denarius quum hujuſmodi partes libræ pretio æquaſſet ſexaginta, retinuit tantum decem: ita tamen, ut in foro & in ſolutione debitorum, tantundem efficerent hæ decem partes, quantum effecerant pridem ſexaginta. Hoc nihil pariebat incommodi. Qui centum denarios mutuos ſumſerat, ſi ſolviſſet in argento, creditor receperat ſuum: ſi in ære, minus quidem pondere receperat creditor: (mille enim librarum pretium dederat, mille ſextantes repenſi erant) ſed id minus tantundem valebat & in commercio merebat, quantum, quod numeraverat, totum: expenderat mille aſſes, mille aſſes redigebat. Numquid ille paria de argento ſtatuet? tetradrachmo potuiſſe emi, quod modo erat quatuor & viginti drachmis? Et hoc manſiſſe tanquam juſtum & legitimum? immo ulterius deſcenſum, ut etiam didrachmum, & tandem drachma tantum poſſet quantum olim XXIV drachmæ? „ Sic enim pergit: Bello Punico ſecundo *as* ex ſextantario *factus uncialis:* „ id eſt, ex media parte deminutum eſt pondus denarii, atque adeo duas „ drachmas pondere effecit. Sed rurſus increpo: non denarius, ſed as dimidium ponderis amiſit, nec ad duas drachmas, octavam unciæ, ſed ad ipſam unciam devenit. Denique: *Mox lege Papiria ſemunciales aſſes facti:* atque ita „ (pergit) denarius ad drachmæ pondus perductus eſt. Denarius quidem drachmæ pondus nunquam valde exceſſit: ſed Papiria lege non denarius, ſed as, neque ad drachmæ, ſed ad quatuor drachmarum ſive ſemunciæ pondus perductus eſt. Jam, ut appareat, quemadmodum male ex primis collegit ultima, ſic etiam perperam ex ultimis eum colligere prima. Quum igitur, „ inquit, denarii, qui poſt legem Papiriam percuſſi ſunt, ad Atticæ drach- „ mæ pondus acceſſerint, denarius ille primus quatuor & viginti argenti „ drachmas, id eſt, tres uncias continebat. Sed iterum falſum ponit, denarium ad Atticæ drachmæ pondus veniſſe demum lege Papiria. Quæ tamen lex non accidit denarios, ſed aſſes, quos reddidit ſemunciales, numero, quo unciales facti denarium implere juſſi erant, ſervato; ſedecim puta. Jam ſi hæc omnia ad denarium referimus, quid ſcimus de ære & aſſibus? Ille quidem nihil de his ſeorſum & ſeparatim: ſic tamen inter cætera agit, ut quam omnes credimus in ære factam mutationem, eam quoque admittat: & ita, quod omnem ſuperat admirationem, eadem verba, ſemel pronunciata, & proprie accipit de aſſe, ut *libra, ſextans, uncia, ſemuncia* ſignificent quod ſonant, & neſcio qua ἀλληγορίᾳ de denario, ut *as* ſit argentum, *libra* tres unciæ,

ſextans

sextans quatuor drachmæ, *uncia* duæ drachmæ, *semuncia* drachma. Non facio injuriam homini docto & laborioso: sic enim & alibi loquitur: In „ Romana republica denarii pondus ita minutum est, ut tandem ad semunciam devenerit: per *semunciam* nihil aliud intelligens quam drachmam. Jam vero nihilo secius omnia eadem se quoque de asse accepta velle satis ostendit, quum unam & perpetuam has inter tot vices proportionem argenti ad æs, ut unius ad XL, constitisse pugnat: &, ut ipse loquitur, assem argenteum quadraginta æreis æstimat: sic triuncem denarium, quando as libram pondo erat, fecisse CXX uncias, & sic unciam argenti quadraginta uncias æris: sic tetradrachmum denarium, quia sextantarius erat as, decem sextantes vel viginti unciæ haberent CLX octavas, quater quadraginta octavis unciæ æris repensum: sic didrachmum, qui decem asses unciales valeret, in quibus LXXX octavæ, bis quadraginta octavis unciæ æris respondisse: sic drachmam intra coercito decem semunciales, id est, quinque uncias, & ideo quinquies octo, id est, quadragenas unciæ octavas, æquiparatas. Enimvero bella descriptio, & digna, quæ servari potuisset! Sed illi scilicet barbari ad Tiberim Potitii, decoris elegantiæque ignari, omnia perturbant, & velut e transverso impactus ventus hanc stramineam in pulvere structam casam evertunt. Nam quum duos priores gradus hujus continuatæ proportionis nullo nutu aut significatione adjuvent, duos posteriores palam ex professo arietant conculcantque, quum unciales & semunciales sedecim denario asses attributos testantur. Sedecim unciæ habent CXXVIII octavas: quas in ære si fecisset denarius (qualem ille cudit appellatque & interpretatur) as argenteus uncialis, hoc est, didrachmus, factus; drachma non quadragenis, sed sexagenis quaternis unciæ æris octavis æstimabatur. Sic & sedecim semunciæ octo constituunt uncias: octies octo sunt LXIV: tot igitur octavas habent octo unciæ æris, quibus respondisse non potest negare drachmam sive octavam unciæ argenti, ex quo de ipsius sententia drachmæ pondere contentus fuit. Hæc autem pulcra & tenax proportio Abramici argenti & æris, ut I & XL, si verum volumus, nunquam Romæ obtinuit. Videtur obtinuisse, quo tempore denarius faciebat quinque folles: sed hic denarius haudquaquam justum pondus drachmæ retinuerat. Verebatur noster, ne quis objiceret sibi Glossarum Nomicarum locum, in quo argentum ad æs unius ad CXX rationem habuisse scribitur. Ergo lepidum comparavit effugium, istum locum agere de ære caldario, quod sit sequioris notæ: se autem mensuram & æstimationem assis argentei a regulari ære sumere. Bis hoc quoque inculcat juxta vanum & inane, ac superiora: nam Glossæ illæ nullius nec caldarii nec regularis æris meminerunt, sed æris, & quidem ejus æris, ex quo folles & asses fiebant: quod genus quia tradit ipse regulare ac primæ notæ fuisse, de eodem accipere debuit verba Glossarii, non de vilissimo. Super hæc, tot mutationibus idem prorsus discrimen, eosdem inter-

valli terminos, ſervare inter æs & argentum eſt fortunatorum, & deliciis ac præſentium faſtidio, in multo ocio ac ſecuritate, rem nummariam conſtituentium. At Romani difficillimis temporibus reipublicæ, in ſummis ærarii anguſtiis atque inopia, quum ſalutis cogitatio curam decoris proportionum facile poſthaberet, ad hanc mutationem deſcenderunt. Velim autem ſcire, quemadmodum argenteo nummo ita reciſo, ut ex tribus unciis fieret tetradrachmus, quinque partes factæ ſint lucri, ſolutumque ſit æs alienum? An autumabit ille rempublicam tributis exegiſſe denarios trium unciarum, & quibus deberet denarium vel tres argenti uncias, illis ſatisfeciſſe tetradrachmo ſive ſemuncia? Hæc quidem turpiſſima & intoleranda fraudatio eſt: ad quam ferendam ſine tumultu ac ſeceſſione aut ſine vi ac tyrannide nemo cives adiget. Sed nunquam Romani illi priſci tam immites injuſtique in quemquam, nedum in ſuos fuere. Quin etiam longo poſt tempore tributum non in argento, ſed in ære collatum: aut ſi in argento, ſaltem ære, quod conferretur, æſtimatum eſt: puta in millia terni æris: ut apparet ex Catonis cenſura. Sic igitur quinque partes factæ lucri, dum proximo tributo aſſibus libralibus exactis, ſtipendium ſolverunt, omneſque publicas neceſſitates expedierunt aſſibus ſextantariis: qui quod pro juſtis aſſibus valerent, nihil erat, quod conquererentur, quibus ſolutum eſt. Solet temeritati affinis eſſe vana trepidatio: nam quum a conſilio & ratione diſceſſum eſt, omnia incerta ſunt, & modo ardet impetus, modo tepet. Idem huic eximio viro contigit. Plinius quidem tam diſtincte variati aſſium ponderis omnes gradus & articulos exſequitur, & poſtquam unciales ſedecim denario adſignatos, iiſque ſemunciales ſucceſſiſſe retulit, narrationem ſiſtens ſatis demonſtrat ad ſuam uſque ætatem in eodem tenore atque æſtimatione manſiſſe. At en hominem, quem modo tam firmum in ſua ſententia vidimus, hæſitantem & cum Oedipo non vigente Sphingos ænigma explicantem, ſed cæco velut tenebras manu explorantem, & quocumque ſe vertit, „offendentem. Tamen videtur, inquit, denarius ad antiquam æſtimatio„nem rediiſſe, ut pro denis aſſibus unus argenteus penderetur. Quamobrem, o bone, videtur? da, age, minimum ſignum, argumentum, veſtigium, quod ad hanc conjecturam ducat. Nihil extorquemus: ſed pergit ſuſpicio„nes ſuas evomere: Non ita tamen, opinor, ut ſimul & ſemel a denarii æſti„matione ſeni aſſes tollerentur, ſed ſenſim ſine ſenſu, ut primo denarius „quatuordecim aſſibus fuerit æſtimatus, poſtquam exactus eſt Hannibal, „& reſpublica reſpiravit ab illo belli incendio. Audio rem majorem, & adhuc inauditam, & obſtupeſco. Sed quem toties ſoli innixum ſibi & vetera ſine veteribus docentem deprehendi, ei non poſſum ſubſcribere, niſi aliquis veterum adſit fundus & auctor. Nemo producitur. Etiam addit paucis poſt annis ad duodecim aſſium valorem perveniſſe denarium, & in ea æſtimatione Polybii ævo fuiſſe. Tandem aliquid teſtatum datur: non tamen

men quod plane atque expresse dictum sit, sed quod captatis & aucupatis verbis, quasi definita & præcisa sunt, quæ laxius & per similitudinem efferuntur, conficitur. Jam olim Lipsio negaverunt ipsius discipuli, ne ille a nobis hoc impetrare se postulet. Ex hac dubitatione præcipitat rursus in temeritatem inconsideratissimam, ausus adfirmare, inter cætera nummariæ legis, quam Marius Gratidianus tulerit, capita cautum fuisse, ut denarius ad „ pristinam denorum assium æstimationem revocaretur. Sed forte injuria quasi nimium arguo, qui, si recte inspicias, etiam modicus hic fuit: potuit enim homo magnanimus eadem sententia facere ad semunciam, hoc est, ut ipse interpretatur, simul duas drachmas & decem asses unciales: aut ad sextantem, ipsi & drachmas quatuor & asses bimarum unciarum: aut denique ad libram, quæ illi sensu mystico est quadrans seu tres unciæ argenti, & proprio asses libram pondo. Nihil enim causæ est, quamobrem istud potius quam aliquid horum aut simul omnia locus Ciceronis, multis versibus adscriptus, innuere videatur: si innuere est, quum legitur Marium de re nummaria edixisse, & nihil amplius, significare, Hoc edixit, quod Abramo placet, etiamsi nusquam fictum vel pictum sit. Dicebam modicum fuisse: sed ne modicum fuisse quis putet, accumulat aliud confidentiæ specimen: nempe eadem lege videri constitutum, ut ex una argenti libra „ LXXXIV denarii ferirentur, id est, e singulis argenti unciis septem fierent „ denarii, ac proinde drachmam & drachmæ septimam continerent. Plinius eundem semper lege monetæ denarium agnoscit: etsi lib. XXXIII cap. III tam diligenter de asse per eam mutato tradat: etsi cap. IX ejusdem libri de denario a corruptoribus monetæ male habito non sileat: misceri ferrum, alias æs: quosdam e pondere subtrahere, *quum justum sit* LXXXIIII *e libris signari.* Hoc, quomodocumque se habeat, ab se & de sua sententia, non ex aliqua lege aut constitutione, nobis admetitur. Subjicit adversus hujusmodi fraudes gratissima plebi lege Maria artem factam denarios probare. Ex his noster conglutinans dissociabilia exprimit, quod diximus. Et mox tamen disputat, immo necesse pronunciat esse in locum Plinii mendum irrepsisse ex oscitatione librarii, satiusque esse, ut legamus, LXXXXVI. Quid igitur necesse erat ista superiora tantum non furere ac vaticinari? Hæc fenestra si aperitur, hæc via si patet, quid non importunus quivis e febrium somniis obtrudere ac venditare pro vero & antiquo possit? Sed quoniam ille studiose dissimulat, quid sit, cur æstuet tantopere, ut denarium ad antiquam æstimationem rediisse persuadeat, ego hoc secreto lectorem non fraudabo. Nimirum hæc omnia molitur, ut quam perpetuam atque immutabilem inter æs & argentum, ut XL ad unum, proportionem condidit, obtineat: quam videbat per asses unciales ac semunciales sedecim denario (etsi qualem ille vellet, didrachmum, deinde ex didrachmo drachmalem pateremur) imputatos everti. Hæc est illa Helena, quam nullo auspice, nullo

auctore, desponsatam ita adamavit, ut malit Trojam ruere, & quicquid tradiderunt antiqui, contemnere, quicquid non tradiderunt, nec tradere potuerunt, comminisci, quam ab illa discedere. Quum multis denarios consulares & Augusteos omnes usque ad Neronem drachmis vix unquam graviores fuisse disseruisset, ut putares ad sanitatem reverti, ex necopinato rursus impingit ad denarium illum duodecim assium: eum etiam sub Cæsaribus fuisse probari a Lipsio in Electis & ad Tacitum: sed quia nitatur uno Suetonii loco, quem ipse corrigat, nec ea emendatio ab orchestra, quo plausu speravisset, excepta sit, alia argumenta quærenda esse. Videamus num quid suffertius tinniat. Dio lib. LIV scribit Augustum census senatorii consti-,, tuisse πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας: quod *Decies* est, inquit, si denarios decem ,, assibus æstimes; si duodecim, *duodecies* ipsum: atque id ut intelligamus, jubet Suetonius cap. XLI. Hoccine est argumentum Lipsiano gravius & validius? Omitto, quæ docti viri in tractando utroque loco attulerunt: quibus tamen uti possem, ut evincerem juxta creperis ac dubiis laborare comparationem horum duum locorum, atque comparationem illorum, quibus fidere neminem posse fatetur Abramus. Nec me fugit, de industria non integrum Dionis locum adduci, sed bonam partem dissimulari ac prætermitti per τὸ &c. ne appareat manifestus error auctoris, & vicina quoque suspecta reddat. Sed hoc ei condono. Etiam condonabitur, quod ait, si denarios decem assibus æstimes. Nemo enim hoc bene doctus fecerit: ipsius hæc perinde mendosa atque illa per duodecim denarii hujus ætatis æstimatio. Verum sic quoque inculcare voluit denarium ad pristinam taxationem reversum, & illam unius ad quadraginta inter argentum & æs proportionem. Aliud ei respondebo: videlicet quia in his summis argentum cum argento confertur, assem, quocumque numero denarium vel sestertium intret, nihil ad earundem vel discordiam vel æquitatem adferre momenti. Πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδες, 250000, seu ducenta quinquaginta millia denarium, sunt decies, 1000000 vel decies centena millia sestertium: sive decem libras æris, sive decem sextantes, sive sedecim uncias, sive sedecim semuncias conficeret denarius. Quare igitur? quia drachma vel denarius quatuor sestertiis constat: quater viginti quinque sunt centum: pone hunc posteriorem numerum, ubi ille prior positus erat, habebis ἀντὶ τοῦ πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδων, decies. Nec interest quidquam, sedecim (quos revera habuit tum temporis) an decem duodecimve (quos falso ei tribuit Abramus) asses denarius habuerit. At duodecies sestertium sunt 1200000: hæc quot reddunt denarios? quartam hujus numeri partem pone. ea sunt 300000, τριάκοντα μυριάδες δραχμῶν, trecenta millia denarium. Assium hac in ratione οὐ λόγος, ἀλλ' ἀριθμὸς, qui quocumque numero denarium absolverint, nunquam efficient, ut duodecies Romanum sint Græcorum πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδες. Alterum argumentum est, Athenæo scribi legem Fanniam ὀψωνεῖν πλείονος

τοῦ δυοῖν

τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσεος οὐκ ἐπιτρέψαι, quibus diebus Gellium, lib. II cap. XXIV, testari eam concessisse tricenos æris: has autem duas summas non aliter convenire, quam si in denarium vel drachmam conferantur duodecim asses. Sed discordia hæc quoque auctorum est, & neuter in alterius sententiam cogendus. Athenæus commemorat, Fanniam legem statuisse, ne tribus convivis plures promiscuis diebus, nundinis (quæ ter quotmensibus redibant) quinque ducere liceret: neu quis decem nummis vel quadraginta assibus amplius obsonaret. Gellius de numero convivarum nihil, cætera accuratius: permisisse sumptum *ludis Romanis & ludis plebejis & Saturnalibus & aliis quibusdam diebus, in singulos, centenos æris, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, cæteris omnibus denos.* Satis apparet, uter in commentando ipsam formulam legis sub oculis habuerit; uter, quod memoriæ forte occurrebat, in chartam conjecerit. Neque hos dissentire mirum, quando refert Gellius, dissensisse ipsos antiquos commentariorum in Lucilium scriptores, quorum nonnulli *putaverunt Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos æris statutos.* Frustra igitur etiam Abramus est, quum ex Athenæo & Macrobio apud Gellium scribi jubet: *tribusque aliis diebus.* Quid Athenæus definiverit, vidimus. Macrobius ex lege Licinia: *Calendis, nonis, nundinis.* Hinc igitur si emendandus Gellius, jam non *tres*, sed *quinque* dies faciendi: nundinæ enim solæ tres dant dies, quibus duo accedunt Calendæ & Nonæ. Temperemus igitur manu, & relinquamus cuique quod libuit, idque intelligamus ut fert sermonis ratio: si dissentiunt, eligamus quod placet. Nulla in re facilius memoria imponit, dum inquirere aut non vacat aut non opus putatur. Per hæc igitur argumenta ἄλλως δρυῶ βαλανιστέον, si quis tendat persuadere denarium aliquando duodecim assibus æstimatum. Miseret me profecto impigri & facile laborantis viri, qui post tantum olei operæque in hos studii impensum nondum didicit, denarium, a quibus temporibus in historia Romana maxime nobis æstimandus occurrit, assibus sedecim, victoriatum sive quinarium octonis, sestertium quaternis valuisse. Antonius Augustinus hoc docendum habuerit lib. II Emend. cap. VII, quum vix e tenebris progressa pars hæc antiquitatis agnosceretur: nunc in tanta luce literarum quemquam de tam confessis concessisque rebus dubitare molestum est. Ille tamen nec usquam alibi nec in tabula progressionis per assem alio pretio ponit sestertium quam duorum assium & semissis. Sed & alia sunt istarum tabularum, istis non minora, si non minora vitia. *Denarius nummus* XXV *assium, Aureus* CCL *assium, Pondo mille assium, Sestertium duorum millium quingentorum assium, Pondo auri decem millium assium, Sestertium auri viginti quinque millium assium,* non sunt certarum rerum usitata veteribus vocabula, sed lutei gigantes & fabulæ meræ. Quum sibi placuisset in progressionibus istis, quas per numeros sestertios & quadruplos nescio cujus commoditatis ergo compa-

„ ratas

„ ratas fingit, Unde, inquit, varia denariorum genera emergunt. Vere ominatur: leves enim & cassos & nihili oportet esse denarios illos, siquidem emergunt: nam bonus denarius Romanus fundum petit. Quæ ergo ista va-„ ria denariorum genera? Aliud videtur fuisse, inquit, *denarius argentei*, „ aliud *denarius argenteus*, aliud *denarius aurei*, aliud *denarius aureus*. Noli dicere aliud atque aliud fuisse: immo omnes idem sunt, si idem esse est pariter nihil esse. At isti *denarius argentei* est, qui & absolute *denarius*, decem assium. Scio veteribus fuisse nummum argenteum, qui *denarius nummus* & *denarius* diceretur, quod decem libris æris æstimaretur: & retinuisse nomen postea, etiamsi decem tantum asses sextantarios, mox sedecim unciales, denique totidem semunciales præstaret: hunc vero *denarium argentei* nuncupatum unquam pernego. Sic etiam quos præterea tres expatrat, *denarium nummum* vel *denarium aurei* XXV assium, *denarium argenteum* vel *nummum argenteum* centum, *denarium aureum* CCL assium, nusquam nisi apud Abramum „ legi certus sum. *Denarius nummus*, inquit, ut ipsa vox indicat, denos „ nummos habuit, id est, denos sestertios, ac proinde asses quinque & viginti. Nequaquam hoc indicat vox. Ludit mirifice, sed se principem. *Nummus* quum significat sestertium, sine alia designatione ponitur: at quum dicitur aureus, argenteus, æreus, plumbeus, denarius, sestertius, quadrigatus, victoriatus, decargyrus, centenionalis *nummus*, non significat ea vox quartam partem denarii, sed νόμισμα vel pecuniam signatam. Varro lib. IV de L. L. *In argento nummi: id a Siculis: denarii, quod denos æris valebant: quinarii, quod quinos: sestertius, quod binos semis.* Rursus idem: *Nummi denarii decuma erat libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva.* Livius lib. VIII. *Vectigal quoque eis Campanus populus jussus pendere, in singulos quotannis denarios nummos quadringenos quinquagenos.* Addit eum *denarium nummum*, qui nunquam fuit, decem sestertios aut XXV asses continentem fuisse *Sportulam*, quippe quæ constare *quadrantibus arida centum* Martiali canitur. Sed centum illi quadrantes efficiebant quidem asses vicenos quinos; non tamen sestertios denos, verum senos & quartam sestertii partem; nec denarium modo, sed denarium & victoriatum & denarii semunciam sicilicum, sive sedecimam: nam denarius sedecim, sestertius quatuor assium erat. Similiter Calendarum Græcarum foro & nundinis versatus, opinor, fuit *argenteus* Abrami *centussis*. Romæ quidem centussis erat non nummus, sed æs, & quidem *maximum vocabulum æris*, ut loquitur Varro. Centum erant libræ æris, quæ argentea primum signata pecunia decem denariis, vel XX victoriatis, vel XL sestertiis æstimabantur. Post centussis a centenis æris libris velut ad centenos sextantes, qui eidem numero denariorum, victoriatorum, sestertiorum pretio pares habebantur. Tertia vice centum unciæ, & quarta centum semunciæ signati æris fuere centussis: hoc vero centussis non decem denariis, XX victoriatis, XL sestertiis, sed sex denariis & sestertio, duo-

duodecim victoriatis & dimidiato, xxv ſeſtertiis commutabatur. Obtrudi autem ſibi *aſſem argenteum*, cujus ſeſtertius fuerit centuſſis, abnuunt & recuſant veteres. *Seſtertium æris*, qui abſolute *nummus* diceretur, bonis temporibus innotuiſſe ſibi negant iidem veteres. *Centuſſis* ut vocarent ullum nummum argenteum, vociferantur nunquam ſibi in mentem veniſſe veteres. Idem *centuſſis* dici potuiſſe denarium apud ſe vehementer eunt inficias; dici poſſe, & quidem valde inepte, apud Abramum, concedunt. Nummos argenteos, quibus decem libra conſumeretur argenti, Triumviri A. A. A. F. F. ab ſe nullos agnoſcunt. Roma igitur expulſi, quantum video, hi *ar-*
„ *gentei centuſſes* ſubito migrant Hieroſolyma: nam, Quo poſito, inquit, ſe-
„ quetur Chriſtum Dominum a Juda venditum fuiſſe triginta centuſſibus. Sed non minus in Urbe Sancta quam in Æterna exſibilantur Abramici argentei centuſſes. Dominum autem proditum venditumque conſtat non triginta centuſſibus veris ſeu trecentis aſſibus (qui forent denarii octodecim, victoriatus, ſeſtertius; vel LXXV ſeſtertii) ſed triginta ſiclis vel tetradrachmis, qui ſunt CXX denarii, ſeſtertii CCCCLXXX. *Pondo* ſimpliciter ita dictum, quod fuerit ejuſdem æſtimationis, cujus mina, & C denarios, CCCC ſeſtertios, aſſes mille collegerit, nullum agnoſcimus. Sed *libram pondo* novimus, vel æris, quæ primo aſſem unum, dein ſex, poſtea duodecim, denique XXIV aſſes reddiderit: vel argenti, ejuſque aut non ſignati, & hæ fuerunt XCVI drachmæ, pares æris primo nongentis ſexaginta, dein centum ſexaginta, poſtea centum viginti octo, denique ſexaginta quatuor libris; aut ſignati, & hi centum denarii, æris primo mille, tum centum ſexaginta ſex libris beſſi, poſt centum triginta tribus libris trienti, tandem ſexaginta ſex libris beſſi æquales: vel auri, ex qua XL aurei feriebantur, omnes mille denariis, quatuor millibus ſeſtertium, ſedecim millibus aſsium æſtimati. *Seſtertium* quoque *auri* imaginarium eſt, & ignoratum bona Latine ſcribentium ætate: id enim vocabulum, ut & *denarii*, Romæ in argento fixit uſus loquendi magiſter. *Seſtertium decies in auro* legi apud Suetonium: ea erant aureorum decem millia: & corpora quidem nummorum erant aurea: ſed appellatur ſumma ex eo quod faciebat in argento. Decem vero millia nummorum, nec viginti quinque millia aſsium erant, ſed quadraginta, & qui non modo utramvis ſummam, ſed vel duo auri pondo cum ſemiſſe, vel centum aureos vel viginti quinque argenti pondo vel decem ſeſtertia, horum quodvis qui eis ſeculis, intra quæ verſamur, *ſeſtertium auri* diceret, inventus eſt nemo, præter Abramum. Nec tamen tranſire hunc locum potuit, quin contra ſuam etiam rationem calculos male poneret. Dicit hoc ipſum *ſeſtertium auri* ut centum aureos, XXV libras argenti, decem ſeſtertia, ita etiam feciſſe ducentos quinquaginta denarios. Duo millia quingentos voluit dicere: nam CCL denarii, non viginti quinque argenti ſignati pondo, ſed duæ libræ & ſelibra ſunt. Et ne ſemel ad eundem offenderit, jubet

„ etiam nos advertere, *sestertium auri*, quod denis, inquit, HS millibus, si-
„ ve ducentis quinquaginta denariis æstimavimus, aliquando *follem* appellari. In quam paucis verbis quotuplex est error? Primo *sestertium auri* nullum est: dena millia HS non sunt ducenti quinquaginta denarii, sed duo millia quingenti: præterea dena sestertia nemo dixit *follem:* sed *follem* dixit serior ætas pro CCL denariis, mille nummis, sive sestertio argenti. Illud quoque caret vindice, veteres in secundo casu, si vellent nominare sestertios, duas syllabas in unam contraxisse; si sestertia, non contraxisse. Quod si periculum esset ambiguitatis, quid opus erat illo *sestertium?* an non poterant tot *millium* vel tot *millium nummum* dicere? Similiter minoris sestertii notam fuisse *HS*, majoris *LLS*. Cujus ergo nota erat HS vel SS, quæ ambæ in vetustissimis membranis nullo discrimine occurrunt. In nummis vel ponderibus (hæc enim quoque male miscentur) communis Græciæ veteris quamquam mirum est poni *sextulam*, *sicilicum*, *duellam*, *unciam*, transmittimus. Plinium corrigi lib. XXI cap. ultimo, quis potest pati? Ex eo adducit: *Quum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est*,
„ *drachmas* XXV. Et, Lego, inquit, *significat minæ quartam partem, id est*,
„ *drachmas* XXV: siquidem, ut proxime subdit, *Mna, quam nostri minam vo-*
„ *cant, pendit drachmas Atticas centum:* quod si centum per viginti quinque
„ diviseris, invenies acetabuli mensuram quater mina contineri. Sic ille, ne quis putet non serio agere. At apud Plinium in vulgatis legitur: *drachmas* XV: & recte. Cyatho enim decem drachmas attribuit: hemina sex habet cyathos: ergo sexaginta drachmas. Quæ ergo quarta pars heminæ sexaginta drachmarum, nisi quindecim drachmæ? Acetabulum igitur nonaginta obolorum, non centum quinquaginta, quot ei dat obolos Abramus. Quum *libram Atticam* & *minam* & *minam ante Solonem* tanquam differentes ponit, non intelligit se miscere tempora, quæ non debebat, & vicissim pro diversis habere res easdem. nam libra illa Attica Fannii LXXV drachmarum & mina ante Solonem, quæ apud Plutarchum vulgo LXXIII drachmis censetur, una eademque res sunt: & post Solonem rursus mina Atticaque libra una eademque res sunt. Quum Hero scribit, ἑξήκοντα δὲ διστατήρων ὑπῆρχε τὸ δηνάριον, intelligere eum, quas Plinius vocat *sexagesimas denariorum*, mutuatus est ab Salmasio: sed cum eo fallitur, ut alibi ostendimus. Obolum
„ divisum in decem chalcos, id est, ærea nomismata, quorum decem uno obolo æstimarentur, scribit, ne non plus dicat quam ab auctoribus suis accepit: nam Plinius nihil de nomismatis; obolum, pondus medicum, decem habere chalcos annotat. Quia tamen Pollux, ex instituto vocabula nummorum percensens, oboli facit octo chalcos, quasi dissentirent hi, se Plinio ait malle adsentiri, quum Pollux chalci pretium incerto admodum argumento collegerit: non alio scilicet, quam quod Philemon sex chalcos τριτημόριον appellet: hanc autem appellationem præcisam non esse, & quadrare

posse,

posse, sive octo chalcis obolus, sive decem æstimetur. Videamus Pollux magis an Abramus defunctoria manu hunc locum tractaverit: atque eo lubentius, quia jamdudum de iisdem doctissimi scriptoris illius verbis cum aliis quoque sæpe altercati sumus. Primum quid evidentius? Scit, quod pollicitus est, περὶ νομισμάτων, non περὶ μέτρων ἢ σαθμῶν, quibus alium diem dedit, se occupari, & sic orditur: Ὁ μέντοι ὀβολὸς ὀκτὼ χαλκοῦς εἶχε· καὶ οἱ μὲν δύο χαλκοῖ, τεταρτημόριον, καὶ κατὰ ἀποκοπὴν τεταρτήμορον ἐκάλουν· οὗτοι δ᾽ ἂν εἶεν καὶ δίχαλκον, ὅτι ἦν τοῦ ὀβολοῦ τέταρτον· οἱ δὲ τέσσαρες χαλκοῖ ἡμιωβόλιον. Adhuc egregie omnia sibi constant. Obolum dicit habere octo chalcos: & duos chalcos vocari quadrantem, quod & dichalcum, quum sit quarta pars oboli: quatuor chalcos esse semiobolum. Nihil enucleatius. Quod sequitur, minus exspectatum: Οἱ δὲ ἓξ χαλκοὶ, τριτημόριον, ὅτι τὰ τρία μέρη ἐστὶ τοῦ ὀβολοῦ· οἱ δὲ τριταρτήμορον (ita recte Salmasius de M. V. cap. VI.) αὐτοὺς ὠνόμαζον, ὡς τρία τεταρτημόρια ἔχοντας. Et tamen hic nihil, quod non superioribus consentiat: quidam sex chalcos dixerunt τριταρτήμορον, quasi *triquadrantem*, quia quadrantem oboli, duos nempe chalcos, ter exhibent sex chalci. Cur iidem sex chalci τριτημόριον ἢ τριτήμωρον dicti fuerint, obscurius est: τριτημόριον proprie triens est: at sex chalci non triens sed dodrans oboli sunt. Quæcumque sit ratio, τριτήμορον pro sex chalcis usurpatum faciunt certissimum duo Philemonis testimonia. Eorum alterum:

A. Χαλκοῦς ὀφείλεις πέντε μοὶ, μέμνησ᾽. B. Ἐγὼ
Σοὶ πέντε χαλκοῦς, σὺ δέ γέ μοι τριτήμορον·
Τοὺς ἓξ ἀπόδους, τοὺς πέντε χαλκοῦς ἀπόλαβε.

Dicit ex actoribus alter: Quinque chalcos debes mihi: meministin? Respondet alter: Ego tibi quinque chalcos, tu vero mihi τριτήμορον, id est, sex chalcos, debes: istud ergo τριτήμορον, sive istos sex mihi numera, & de illis statim quinque recipias licet. Addit clarius hoc demonstrari ex alia ejusdem Philemonis comœdia: Ἰδοὺ πάρεστιν ὡς ὁρᾷς τριτημόρου Ἕκαστος ὑμῶν ἦλθεν εἰς τέσσαρας Εἴληφεν ἡμῖν οὑτοσὶ τριώβολον. Hæc quin corrupta sint, nihil est dubii. Salmasius tentat: τριτήμορον Ἐς ἕκαστον ἡμῶν ἦλθεν· ἐσμὲν τέσσαρες· hac interpretatione: Ecce adest, ut vides, ille, nempe qui nostrum habet triobolum: unicuique nostrum τριτήμορον debetur: nos sumus quatuor: hic autem a nobis accepit tres obolos. Fingit igitur fuisse, qui quatuor personis commune triobolum abstulerit, & istos quatuor eum videre, unumque ex illis hanc rationem inire. Parum comicum videtur. Accipio de advocatis testibusve, quales in Pœnolo Plautina introducuntur, aut coquis aliisve mercenariis, parvula captura ad vilem operam conductis, & dicentibus ad conductorem:

Ἰδοὺ πάρεστιν, ὡς ὁρᾷς, τριτημόρου
Ἕκαστος ἡμῶν· ἤλθομεν δὲ τέσσαρες·
Εἴληφεν ἡμῶν οὑτοσὶ τριώβολον.


Ecce, inquit, adest unusquisque nostrum senis chalcis: venimus quatuor: ille (vel δεικτικῶς unus e nobis, vel si servos cogites locatos, herus) pro nobis accepit triobolum. Πάρεσι τριτημόρου, intellige μεμισθωμένος· ut apud Plautum Pseudolo a. 1 sc. 11. *Illi drachmis sunt, miseri.* Græce dixisset: Οἱ μὲν δραχμῶν μισθοῦνται, σχέτλιοι. Sic apparet, quia pro quatuor hominum opera acceptum est τριώβολον, quatuor & viginti chalcorum, in singulos τριτήμορον, illud τριτήμορον necessario esse sex chalcos. Inde Pollux: Τεττάρων γὰρ καὶ εἴκοσι χαλκῶν ὄντων ἐν τῷ τριωβόλῳ, ἓξ ἑκάστῳ γίνονται χαλκοῖ τέτταρσιν οὖσιν, οὓς εἴρηκεν τριτήμορον. Subscribit Hesychius: τριτημόριον, οἱ ἓξ χαλκοῖ. Et superius: Τεταρτημόριον, οἱ δύω χαλκοῖ. Habet & Suidas. Dixerat quoque Pollux τοὺς τέσσαρας χαλκοῦς esse ἡμιωβόλιον. Id postea probat ex eodem Philemone: Ὅτι δ' οἱ τέσσαρες χαλκοῖ ἡμιωβόλιον ἦσαν, ἐν τῷ Θησαυρῷ Φιλήμονος ἐστὶν εἰρημένον· Ὀβολοῦ τὸ πρῶτον ἡμῖν ἐνεχθὲν καὶ τεττάρων χαλκῶν· καὶ μετὰ ταῦτα· καὶ μάλα τριημιωβόλιαι χαλκοῦ θερμοῦ λοῦ. Hæc quoque sine sensu. Scribe: Ὀβολοῦ τὸ πρῶτον ἐπιμνησθεὶς καὶ τεττάρων χαλκῶν, καὶ μετὰ ταῦτα· Καὶ μάλα τριημιωβολίου χαλκοῦ θερμὸν λοῦ. Quos Philemon prius dixerat obolum & quatuor chalcos, eos postea dicit τριημιωβόλιον sive τρία ἡμιωβόλια, tres semiobolos. Quæ vox & superius occurrit: ἐν τῷ σώματι τριημιωβόλιον ἔχων. Dicit calidam potui, quantum ejus caperet lebes, vas æneum, constitisse duodecim chalcis, vel obolo & semiobolo vel tribus semiobolis. Eat nunc aliquis & oggganniat Pollucem chalci pretium incerto admodum argumento collegisse. Pollux nullo argumento chalci pretium collegit: sed tanquam certum & indubitatum ponit, obolum habere octo chalcos, dichalcon esse oboli quadrantem, quatuor chalcos esse semiobolum, sex chalcos esse dodrantem seu τριταρτημόριον oboli. Ex hoc deinde elicit, quid sit & cur dicatur τριτήμορον· non ex τριτημόρῳ pretium chalci colligit. Nobis etiam hoc ex illo, præsertim auxilio posterioris e Philemone prolati loci, discere proclive est.

F I N I S.

VIRO-

VIRORUM DOCTORUM
opiniones
DE HYPERPYRO,
& de eodem ſententia
JOH. FREDERICI GRONOVII.

Joſ. Scaliger de re nummaria p. 63.



Non omittendus tamen nummus Ὑπέρπυρον [1] *ultimorum temporum* Conſtantinopolitani imperii. Is fuit aureus & [2] *argenteus* pondere drachmæ. Itaque in auro æqualis fuit Solato Francico, [3] *in argento drachmæ.* De aureo ita legimus in legatione Armeniorum: Ἔσωσαν, ὡς ἐν ὑποθέσει, ἐνταῦθα ὑπέρπυρα τρία μιᾶς ὄντα φύσεως, χρυσοῦ δηλονότι. Georgius Codinus Curopalates libello de Conſtantinopoli, quæ prius vocavit Ὑπερπύρων λίτρας, ea ſequenti pagina dicit [4] χρυσίου λίτρας. Sed priore caſu quinquaginta libris Hyperpyrorum, id eſt, ſcutatis Solatis 3600 domum ſuam venditam fuiſſe Antiochus oſtiarius querebatur. Imperator miſericors poſſit auctionem [5] *earum* fieri, & plus licitanti eas addixit libris auri LXXXV, qui ſunt ſcutati Solati 6120. Ὑπῆρχεν οἶκος Ἀντιόχου τινὸς Ὀστιαρίου καὶ εὐνούχου, ὃς ἀπετιμήθη εἰς ὑπέρπυρα λίτρας ν. Poſtea: ἐπράθη εἰς χρυσίου λίτρας πε. Ergo ὑπέρπυρα & χρυσίον idem. Guilhel. Tyrius lib. XVIII cap. XXIV. *Soli domino regi duo millia Hypperorum* (*Hyperpyrorum* legendum) *& tria millia marcarum argenti examinatiſſimi dicebatur largitus.* Eodem libro cap. XXII. Emanuel Conſtantinopol. Imperator fratris ſui filia Bal-

1 Hoc vellicat infra Reineſius.

2 Immo gravior drachma. nam drachma tribus ſcripulis conſtabat: hyperpyron tribus & triente.

3 Somnium ſummi viri. non fuit niſi aureus.

4 Dubium eſt, utrum libram hyperpyrorum dixerit pro juſta libra auri, an pro LXXII hyperpyris.

5 An loquitur, quaſi dixiſſet ædes ſuas.

Balduino III regi Hierosolym. in matrimonium tradita, dedit dotis nomine centum millia hyperpyrorum. Ubi idem error Hyperororum. Apud eundem Geor. Codinum Curopalaten in Noticia officiorum Palatinorum: Ἐνὶ δὲ καὶ πουγγίον δίδοται πρὸς τὸν μέγαν Πριμικήριον, κατὰ κυριακὴν, χάριν διακονικίου, ὑπέρπυρον ἕν. Quemadmodum autem Romæ denarius per ✕, drachma autem in Græcia per < denotabatur, etiam duo Iota ὑπέρπυρον designabant. Scholiastes Harmenopuli lib. I tit. XV §. 3 ιι ρ'. hoc est, ὑπέρπυρα ἑκατόν. Infra ιι σ', quæ postea exponit διακόσια ὑπέρπυρα. De argenteo puto Vincentium Belluacensem intellexisse, quum scribit [6] *quadringenta millia Hyperpyrorum quingentis septuaginta marcis argenti* valuisse. Sed ibi error est. nam totidem Hyperpyra argenti valent marcis argenti 1550 & uncia.

6 Ego apud Vincentium legi, LVII millia. lib. XXXI cap. CXLIII p. 157. Sed uterque numerus haud dubie corruptus.

Jo. Meursius in Glossario.

Ὑπέρπυρον, viri docti interpretantur velum coloris ignei, apud Codinum: Ἐνὶ δὲ πουγγίον δίδοται πρὸς τὸν μέγαν Πριμικήριον, κατὰ κυριακὴν, χάριν διακονικίου, ὑπέρπυρον ἕν. Sed errant toto cœlo. nam est nummi genus. Scholiastes Harmenopuli lib. I tit. XV. Καὶ ἐνταῦθα γὰρ ἄδηλόν ἐστιν, εἴτε τῷ Πέτρῳ παρ' ἐμοῦ ἠλευθερώθησαν τὰ ρ ὑπέρπυρα, εἴτε ἐμοὶ παρ' ἐκείνου.. Theorianus in legat. Armen. ἔστωσαν ὡς ἐν ὑποθέσει ἐνταῦθα ὑπέρπυρα τρία, μιᾶς ὄντα φύσεως, χρυσοῦ δηλονότι. Et mox: πόσα νῦν εἰσὶ ταῦτα τὰ ὑπέρπυρα; In cujus loci interpretatione labitur ibidem vir eruditissimus, Jo. Leunclavius, dum τὰ ὑπέρπυρα vertit modo *igne potiora*, modo *ignita*. Chronicon Constantinopol. ὅπερ λαβὼν ὁ βασιλεὺς, καὶ θαυμάσας, δέδωκε τῷ κομίσαντι ὑπέρπυρα ἑκατόν. Wilhelmus Tyrius de bello sacro lib. XVIII cap. XII. *Dotis autem quantitas erat in centum millibus hyperpyrorum justi ponderis, exceptis decem aliis ejusdem monetæ millibus, quos dominus imperator ad opus nuptialium expensarum liberaliter contulit: & excepti mundo virginali, in quo tam in auro, quam in gemmis, vestibus, & margaritis, tapetis, & holosericis, vasis quoque pretiosis, quadraginta millia justa æstimatione poterant computari.* Hesychius alibi laminam esse dicit: Ἔλασμα, ὑπέρπυρον.

Jac. Gretserus in Codinum lib. II *cap.* 6.

Hyperpyrum, monetæ genus. Indocte Fr. Junius, velum & involucrum coloris ignei. Longe deterius Leunclavius in Legatione ad Armenios, ubi hæc Theoriani, qui Constantinopolitanus legatus fuit, verba leguntur:

Ἔστωσαν

Ἔστωσαν ὡς ἐν ὑποθέσει ὑπέρπυρα τρία, μιᾶς ὄντα φύσεως, χρυσοῦ δηλονότι. Ἐὰν οὖν τούτων ἓν πυρακτήσω, ἔσται πάντως τὸ πεπυρακτωμένον δύο φύσεων, λέγω δὴ πυρὸς καὶ χρυσοῦ. εἶτα ἑνώσας τοῦτο τοῖς λοιποῖς δυσὶ τοῖς μὴ πεπυρακτωμένοις, ἐρωτῶ· πόσα νῦν εἰσὶ ταῦτα τὰ ὑπέρπυρα; τρία, ὡς πρώην, ἢ διὰ τὴν φύσιν τοῦ πυρὸς ἐγένοντο τέσσαρα; Quæ interpres ita vertit: *Sint tria hic velut igne potiora.* Prorſus inſcite. Vertendum: *Faciamus hic tria eſſe hyperpyra, unius materiæ, ſeu naturæ, aureæ verbi gratia. Si igitur unum ex his igneſcere faciam, omnino ignitum illud duabus naturis conſtabit, ex igne videlicet & auro. Si deinde alia duo non ignita adjiciantur, quæro, quot nunc ſint hujus generis Hyperpyra?* (Interpres, *quotnam ſint hæc ignita?* Male; unum enim tantummodo Hyperpyron ignitum eſt, ex hypotheſi facta) *num tria, ut antea, an propter naturam ignis facta ſunt quatuor?* In eundem errorem incidit idem interpres fol. 114. ubi τῶν ὑπερπύρων, vertit, *ignis vi potiorum:* abſque ullo ſenſu: vertendum enim, *Hyperpyrorum:* neque nomine Latino hoc monetæ genus exprimi poteſt. In Pandecte Turcico recte de Hyperpyris ſcribit Leunclavius. Sed hic tantus error detegendus fuit, ne qui in errorem inducantur. Hinc *Hyperpyrarii* qui Hyperpyra tributi nomine ſolvunt. Vide quæ diximus tom. 3. de S. Cruce lib. 1 c. 27. Elegans locus de Hyperpyris exſtat apud S. Antoninum tom. 3 hiſtor. tit. 19 cap. 8 §. 3. Agens enim de Tartarorum immanibus uſurarum exactionibus ita ſcribit. *Miles quidam in Georgia, de quingentis Hyperpyris, a Tartaris acceptis, & per annos quinque retentis, coactus fuit eis reddere ſeptem millia pro uſuris. Quædam etiam Domina Tartarica pro quinquaginta ovibus, quas cuidam commiſerat, & ille per ſeptem annos tenuerat, petiit ab illo pro uſuris illarum ovium, Hyperpyra ſeptem millia, quæ omnia ille coactus eſt ſolvere pro uſura.*

THOMAS Reineſius lib. III *Variar.* I.

Iperperia, nummi genus uſitati in Creta inſula. P. Juſtin. lib. 4. hiſt. Venetæ refert, Senatum Jacobo Mudacio, quod rebelles inſulanos ad fidem & obedientiam Venetis, legitimis dominis, præſtandam admonuiſſet recepta inſula, a. 1360, quingenta iperperia quotannis dum viveret, e fiſco ſolviſſe. Is ab Impp. (politanis cuſus, & per totam Natoliam monetæ publicæ vice fuit, non ultimis temporibus ejus imperii, ut volunt, ſed ante annos etiam quingentos. Cum Imperator Emanuel Comnenus neptem ſuam e fratre Theodoram circa annum 1060 Balduino III regi Hieroſolymorum deſponderet, *dotis quantitas*, inquit Wilhelmus Tyrius lib. 18 hiſt. belli ſac. c. 22. *erat in centum millibus hyperpyrorum juſti ponderis.* Aureum autem fuiſſe ex eodem Tyrio cap. 24 apparet, ubi Imp. Regi *viginti duo millia hyperpyrorum, & tria millia marcarum argenti examinatiſſimi largitus eſſe* dicitur: æqualemque in auro Solato Francico Scaligero adſentimur, dubitamus in ar-

in argento habuisse. Nam quadringenta hyperpyrorum millia, sive in auro sive in argento putentur, non efficient quingentas septuaginta marcas argenti, ut Vincentius Belluacensis æstimat. Quare cum in ejus calculo error sit, non possumus esse certi, an tot hyperpyrorum in auro potestatem ad marcas in argento tradere, an quod putat Scaliger, argentea hyperpyra in marcas argenti resolvere voluerit. Quis primus sit inventor ejus nummi, & unde ipsi hoc nomen, non magis invenias, quam si quæras, quis primus sternutaverit aut screaverit.

Balsamon in Canonem XVII.

Κἂν γὰρ, φησὶν, οὐκ ἀπαιτῇ ὁ κληρικὸς ἑκατοστιαίους τόκους βαρυτάτους, ἤτοι ὑπὲρ ἑκάστης ὑπερπύρων λίτρας [7] ὑπέρπυρα ιι δώδεκα (ἑκατοσταὶ γὰρ παρὰ τῶν Κανόνων ἐκλήθησαν οἱ ἑκατοστιαῖοι τόκοι· ὡς ἐκ παλαιοῦ τῆς λίτρας μὴ ποσουμένης εἰς ἑξάγια οβ´, καθὼς τὸ σήμερον ἐνεργοῦν, ἀλλὰ εἰς ρ´) ζητεῖ δὲ τὰ ἡμίση τοῦ ὅλου τόκου, ἤγουν ιι ἓξ ἢ καὶ τούτων ἥττονα, καὶ οὕτω καθαιρεθήσεται.

Quamvis enim centesimas usuras gravissimas non exigat Clericus, sive pro singulis nummorum libris, duodecim hyperpyra (centesimæ namque a Canonibus appellatæ sunt usuræ centesimæ, ut pote quod olim non hexagia sive solidos LXXII *libra complecteretur, ut nunc obtinet, sed centum) petat autem dimidium totius usuræ, hoc est, sex hyperpyra, vel etiam his pauciores, sic quoque sacerdotio privabitur.*

7 Aut delenda vox ὑπέρπυρα, aut nota ιι. nam hæc nota nihil aliud significat quam hyperpyron.

Guntherus in Historia C. Politana apud Canisium.

Hoc autem per nostros fieri posse non sperabat, dicens, eandem urbem plus in solis navibus piscatorum abundare, quam illos in toto navigio. Habebat enim mille sexcentas piscatorias naves, quarum quælibet per totum annum ad quatuordecim dies fisco regio persolvebat nummum aureum, qui perperam vocari solet, ferdoni, id est, quartæ parti marcæ unius, æquivalens.

Sic edidit Henricus Canisius, annotatque in MS. fuisse *perpera*, unde ipse conjicit, *propterea*. Sed legendum est, *hyperpyron.* aut corrupte, ut vulgus solitum, *Iperperia.*

Marcam haud dubie accipimus argenti, ut semper est illius ævi scriptoribus, quoties non diserte auri adjicitur.

Quod si hyperpyron est quarta pars marcæ argenti, habemus ejus æstimationem. nam marca argenti veteri æstimatione Spirensis tribunalis sunt octo Thaleri Imperiales. Quarta pars, thaleri duo, nostri quinque floreni.

Habemus etiam differentiam, quæ est inter Solidum Constantini, & ipsum

ipsum illi imperio ad ultimum usque usitatum, & hoc hyperpyron. nam solidus Constantini par est nostris duobus Philippis sive ducatonis, & valebat sex florenos.

Solidus iste constabat quatuor scripulis auri, & sex feriebantur ex uncia. Habet enim Uncia quatuor & viginti scripula. LXII feriebantur ex libra duodecim unciarum: nam sexies duodecim sunt septuaginta duo.

Et quia valebat, ut dixi, sex florenos nostros, unum scripulum auri veniebat nostris triginta stuferis. Quater triginta sunt 120 stuferi, quot reperiuntur in sex florenis.

Ergo cum hyperpyron quinque florenos faceret, constitit tribus scripulis & triente unius scripuli. nam tria scripula efficiunt quatuor florenos & dimidium unius. Triens scripuli, decem stuferi, cum totum scripulum constaret stuferis triginta.

Ex uncia autem auri fiebant Hyperpyra septem: & restabat bes unius scripuli. nam uncia scripulorum viginti quatuor. Ter septem sunt XXI. Restant tria scripula, quæ habent novem trientes. unde septem applicandi sunt ad septem hyperpyra. Remanet bes sive duo trientes.

In libra erant LXXXVI & duo besses scripuli, sive scripulum triens, quæ videtur lucrata esse Moneta. nam libra duodecim unciarum. Septies duodecim sunt octoginta quatuor. duodecim besses scripuli faciunt scripula octo. Ex quibus ad duo hyperpyra sufficiunt scripuli sex & bes, sive decem besses. Restant duo besses, ex quibus alter triens adjunctus excurrenti in proxima summa bessi septimum scripulum facit; alter triens cum besse octavum.

Sunt ergo quadringenta millia hyperpyrorum, centum millia marcarum, octingenta millia dalerorum.

Quod autem noster ducatus, qui nondum pendit tria scripula, tantundem valet, quantum hyperpyron tribus scripulis majus, id fit propter diversam proportionem auri & argenti, quæ nunc est, & quæ fuit olim.

Constantinopoli aurum erat ad argentum, ut unum ad quatuordecim & duas quintas; hodie est, ut unum ad quindecim.

Ferdonis pro quadrante marcæ mentio fit in aurea bulla Caroli IV §. ult. *sexaginta sex marcas cum uno fertone.* Decretale Innocentii cap. 2 de sentent. & re jud. in Sexto: *mille quidem fartorum pensionem.* Jagellionis regis Poloniæ Constitutio an. 1451. *pro censibus & decimis fertonalibus.* Vestigium ejus vocis retinent Angli in parvo nummo æreo, qui dicitur Farding.

FINIS.

CLAUDII SALMASII
EPISTOLA
AD
CL. SARRAVIUM.

Cl. Salmasius Cl. Sarravio.



Quod superioribus meis promiseram me scripturum, quid sentirem de Commentario Gronovii *de sestertiis*, ubi eum legissem, nunc id præsto. Nihili facio interim quod regni mei fines me vidente & in terris adhuc agente invaduntur & minutatim carpuntur. Quod sane ferendum aliis occupato: nec vereri debes ne his relictis quæ potiora jam duco ad illa occurram vindicanda, quæ ab aliis attentantur. Fecisset tamen modestius, si me epistolio monuisset, ut amicum decuit, de ea re se velle scribere, & an me volente id esset facturus, præcipue cum sciret ante tot annos grandem super ea materia tractatum à me esse promissum & ab omnibus avide exspectari. Satis erat vel verbulo indicare sibi in animo esse argumentum illud tractare. Id quamvis operis ingentis in quo pridem desudavi portiuncula sit, libentissime tamen ejus cupiditati concessissem, nec quidquam propterea decessisse integro operi putassem. Favi semper ejus studiis, & unus est ex literarum hodiernis candidatis, quem cum uno aut altero frugem facturum & ad gloriam famamque eruditionis perventurum spero. Sed hoc etiam parvi æstimo quod nihil de proposito suo mihi significare dignatus est; illud quale est, quod in fine scriptionis se non omnia quæ posset, dixisse de eo argumento profitetur, quia noluerit aliorum diligentiæ ea præripere. Excusat etiam se ac purgat quod non studio contentionis & æmulationis hanc disputationem susceperit. Obscure & aliud ibi jacit, quod etiam contumeliose dictum & in me directum videri queat, de his qui in mundo & parato habere, quæ ad eam materiam pertinent, jactitent. Quis enim hactenus inter eruditos hujus ævi majori cum strepitu opus de re nummaria veterum promisit? Sed hæc omitto, quasi alterum quemlibet potius,

potius, quam me respiciant. Minutum & illud non pro magno accipio, quod ad Spanhemium misit exemplar, & ad alios amicos, fingitque in literis quas Spanhemio scripsit, se nescire an sim in urbe, cum tamen id ignorare non possit. Nam Livius ejus sub prælo est apud Elzevirios, qui singulis septimanis ab ipso edenda accipiunt & jam edita remittunt. Præterea quod magis ad rem facit, ante quindecim dies Elzeviriis dedi fasciculum, quem à Bulliavio acceperam cum literis meis ad eum perferendum. Etiam ista parum me movent & in amicis omnia soleo, quæ non alius ferret, bono stomacho concoquere. Sed ad rem ipsam veniendum & aperiendum quæ mea sit de illo scripto sententia. Noli quæso hic me tanquam iratum cogitare, cum nihil sim minus, sed id quod res est, & quod dicam cum rationibus suis considera. Quod præcipuum in ea quæstione fuit, & a quo reliqua lucem acceperunt, a me habet. Differentiam inter sestertia & sestertios hanc jam olim ostendi esse, quod sestertia pondo essent subintelligenda, sestertii vero nummi. Fatetur quidem hoc a me pridem fuisse observatum, sed persancte jurat se postea incidisse in meam observationem, cum eadem ipsi in mentem venisset. Sed ut perjuria ridet amantum Juppiter, ita & Criticorum. An credibile cuiquam fiet, cum mea multo ante legisset, quam de his commentandis quidquam meditaretur, non adhæsisse ipsius memoriæ, quæ in meis scriptis deprehendisset? Non potest inficiari lectas a se notas *in Pallium* meas fuisse, priusquam de sestertiis Commentarium auspicatus foret. An tam negligenter quæ notabilia sunt inter legendum solet transire, ut statim eorum obliviscatur? Sæpe certe etiam quæ nolumus, & non magni facimus, ita menti affixa nobis hærent, ut deleri ex animo non possint. Sed esto concedatur hoc illi, & credatur ut vult. Non primus ergo hoc reperit, & inventi hujus gloriam penes alium esse fateri debet. Quid facilius deinde fuit quam auctorum locos congerere, & rem sic nihil necessariis testimoniis confirmare, quæ jam per se satis patebat. Ut patefacta semel fenestra aut janua lucem locus tenebricosus undique infusam accipit. Jam illud alterum loquendi genus a nobis assertum non potuit negare nec certe negavit, quo veteres dixisse ostendimus *Hoc decies sestertium, hujus decies sestertii, hoc decies sestertio.* Cæterum quod ridiculum est, id quod de ea locutione notavimus, ad confirmationem suæ sententiæ arripit, quasi scilicet hoc ab illo mutuatus sim, aut idem saltem quod illi visum mihi sit. Hæsit tamen in ratione afferenda, quare ita veteres loquuti sint, quia non illam explicavi. Nam ea quam affert plane ridicula est ac falsa, & Latinitati contraria. Ut sestertia cum dicuntur, subintelligi debent pondo; ita cum dicitur decies sestertium, subaudiri ait oportere pondo. Quod quomodo procedat, nullus video. Primum *pondo*, non dicitur *in singulari*, nec *hoc sestertium pondo* veteres liquet dixisse, sed *bina sestertia*, nempe *pondo, terna sestertia* atque ita de cæteris, ut disertim Charisius scribit *Pondo non dici in singulari.* Ideo nec uspiam

legitur apud veteres, *Unum ſeſtertium* pro mille ſeſtertiis nummis: nam ſubintelligendum foret, unum ſeſtertium pondo. Quod ſolœcum eſſe conſtat. Sed ponamus recte dici *ſeſtertium pondo*, non ſequitur in hac loquutione, *ſeſtertium decies* vel *decies ſeſtertium* ſubaudiri poſſe *pondo*. Per hanc loquutionem *decies ſeſtertium* conſtat veteres intellixiſſe, *decies centena millia ſeſtertiorum nummorum*. Singula ſeſtertia pondo æquivalebant mille ſeſtertiis nummis. Ita ergo *decies centena ſeſtertia*, vel quod idem eſt *millena ſeſtertia pondo*, idem valebant quod *decies centena millia ſeſtertium nummum*. Sed quæro ego quomodo eandem ſummam Latine exprimere poſſim dicendo, *decies ſeſtertium pondo*, pro *decies centena ſeſtertia pondo?* Video quidem illum dicere, decies includere centies. Quod quid ſit neſcio. An & centies includit centies. Nam certe dicebant etiam *centies ſeſtertium* pro *centies centena millia ſeſtertiûm nummûm*. Sed age decies includat centies. Si integrum proferatur, non propterea debet alienum eſſe a Latina ſyntaxi, ſed cum ea congruere. Videndum ergo an Latinum ſit, *decies centies ſeſtertium pondo*, pro *decies centena ſeſtertia pondo*. Quod ſi hoc Latinum eſſe concedamus, Latinum etiam fuerit *decies centies libra æris* pro *decies centena millia librarum æris*. Si decies centies libra, Latinum non eſt pro decies centena millia librarum, ſane nec Latinum erit, decies centies ſeſtertium pondo in numero ſingulari. Quod ſi hoc non eſt ſic plene & integre pronuntiatum, ne cum defectu quidem Latine dicetur, *decies ſeſtertium*, haud ſane magis quam *decies libra*, pro *decies centenis millibus librarum*. Nec illud probo quod in priſca loquutione *mille nummum*, *mille hominum*, *mille librarum*, ἔλλειψιν fieri cenſeat. *Mille hominum occiditur*, ſubaudiri putat *numerus*. An ergo diceret, *mille hominum occiſus eſt?* non ſane, ſed dicendum foret ἀρχαϊκῶς, *mille hominum occiſum eſt*. Quid ſubaudiretur? nihil ſane. Nam nulla eſt ἔλλειψις, & integra eſt loquutio. Ita apud Terentium *mille drachmarum mutuum ſumptum*. At ſubintelligit pondus. Non enim pendebantur drachmæ apud Græcos, ſed numerabantur. Immo & apud Latinos nummi jam ab eo tempore, quo a gravis æris uſu receſſerunt. Et inſcitum eſt quod exemplum e Cicerone adfert, quo probet ejus ætate nummos appendi ſolitos & propterea ſubintelligendum eſſe vox *pondo* in illis loquendi generibus *mille numum* & *mille ſeſtertium*. Quod enim Cicero dixit *mille numum expenſum* non ex eo argui poteſt, tum numos appenſos fuiſſe, non numeratos. Sed ex antiquo uſu hoc verbum retinuerunt pro erogare & enumerare. Id quod Varro monuit, cui hac in re credendum. Inde & *diſpendium* & *diſpenſare* & *impendium*. Qui hoc ignorat in re nummaria veterum, quam multa alia poteſt ignorare? Hoc *mille* apud antiquos Romanos ſubſtantivum fuit, ſingularis numeri & neutrius tantum generis. Eo utebantur ad ſingula millia omnium rerum quæ numero continentur deſignanda, ideo ſingulare erat. Numquam autem aliter loquebantur in exprimendo millenario rerum numero,

mero, quam hoc modo, *mille nummorum, mille passuum, mille hominum.* quod posteriores ita expresserunt, *mille nummi, mille drachmæ, mille pondera*, mille passus, hoc est χιλία βήματα, χίλιαι δράχμαι, & χίλιοι ἄνθρωποι. Sic τριχῶες fecerunt, cum tantum esset μονοχῶες, & pluralis numeri, cum esset singularis. Apud veteres significat non τοὺς χιλίους, neque τὰς χιλίας, neque τὰ χίλια, sed τὴν χιλιάδα. Τὸ *mille* ἡ χιλιάς. Inde in plurali τὰ *millia* αἱ χιλιάδες. In singulari indeclinabile erat, in plurali declinabatur, ut *ile & ilia* & alia sexcenta. Perperam etiam dicit Lucillium poetice usurpasse *millei* pro *mille*. Nam *milli* & *mille* tam in prosa quam in versu indifferenter usurparunt antiqui, qui has duas literas inter se permutabant & milli nummum dicebant, & mille. Sic *die quinte* & *die quinti* pro die quinto. de *parti mea* pro de parte. ut apud Terentium *omnes te in lauta & bene aucta parti putant*, pro parte. Idem Lucillius: *Esuriente leoni ex ore exculpere prædam.* Sed de his alias. Male etiam idem tuus iste sestertiarius tractator putat librariorum culpam in Pandectis esse quod scribitur apud Paulum & Celsum *centies aureorum.* Immo Triboniano debet imputare & ipsi Justiniano qui ubique ex jurisconsultorum scriptis quæ compilavit, nomen sestertiorum expungendum curavit, quia illo tempore nullum sestertiorum vestigium in Re Romana nummaria extabat, & ubique pro sestertiis aureos reposuit, habita utcunque aliqua ratione æstimationis antiquorum sestertiorum & aureorum sui temporis. Scripserant itaque Jurisconsulti *centies sestertium* pro centenis millibus sestertiorum nummorum. Tribonianus qui putabat sestertium esse sestertiorum in illa locutione, pro his substituit, *centies aureorum.* Quod alibi multis confirmamus. Non potuit amicus dissertator nodum solvere *de denariis Romanis* nec componere discidium quod in hanc quæstionem incurrit, si denarii tantum octoginta quatuor libram Romanam conficiant, & si centeni in ea computentur. Non enim negari potest, denarium Romanum majorem fuisse drachma Attica, ut sunt septem ad octo. Nam septem tantum denarii in uncia erant & octo drachmæ. Sic libra Romana octoginta tantum & quaternos denarios. Sed aliter se res habuit, cum *ad sestertium* ratio ducebatur, & cum *ad denarium.* Utriusque rationis differentiam notare ejus erat, qui intricatum hoc argumentum enucleandum susceperat. Nihil novi certe nos docuit in illo opere, si præcipua spectes capita, quæ ad rem sestertiariam pertinent. Extra rem aliquot emendationes adduxit partim veras, partim falsas. Ridiculum & illud quod vocem *tribus* Romanam a verbo *tribuo* deducit. Ex verbo τριτὺς facta est, pro quo Æoles, quorum dialecto usi sunt prisci Romani, dicebant τριπὺς, ut πέμπε pro πέντε. Inde *Tribus.* Sic ex Æolico κλιπὺς pro κλιτὺς fecerunt *clivus.* Sic ἀρπὺς iisdem Æolibus pro ἀρτὺς, conjunctio, amicitia, amor. Ita *Popam* Romani iidem pro victimario ex Æolico φύπης formarunt. Quod Æolicum φύπης pro vulgato θύτης. Nam & θ in φ mutabant,

bant, ut notum eſt, ut φῆρες pro θῆρες. Locus Varronis male ab ipſo emendatus & inepte de *Bajano margine*. Diu eſt cum corrigendum vidimus *in Bajano ardes tanta*, id eſt, *tantus ardor*. Nam *ardes* ab ardeo, ut *tabes* a tabeo vel tabeſco, *labes*, *lues* & ſimilia. Hinc in verſu poetæ veteris apud Nonium *arde fœta lampade*, pro *lampade ardore fœta*. Senſus Varronis cum lectione noſtra manifeſtus eſt. Si tibi non apparet, explicabo proximis literis. Nolim tamen hæc reſciſcat noſter quæ in ſinum tuum effudi, ut ſolus ſcias. Grave eſſet amicum perdere propter has quiſquilias aut aliquam fortaſſe ejus incivilitatem. Utetur amicitia mea quamdiu volet; Quod tamen vereor ne diuturnum ſit. Nam totus eſt Heinſianus. Librum ejus nondum compactum percurri oculo properante, & multa alia notavi, in quibus οὐκ ὀρθοποδεῖ. Vale. Leidæ XXVIII Decembris CIↃ IↃC XXXXIII.

F I N I S.



JOH.

JOH. FREDERICI GRONOVII
EPISTOLA
AD
ANT. CLEMENTIUM.

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS
ANTONIO CLEMENTIO
S. P. D.



Laudo magis illorum, qui epiſtolam Salmaſii, ut luce dignam, & egregia docentem, tecum communicarunt, effuſam ſimplicitatem, quam tuam in ea ſupprimenda ſeram, nec parcentem cui putas, cautionem. Illi hoc ſpectarunt, ut quod multi ſciebant, reſciſcerent omnes, & cum omnibus ego: tu efficeres, quod tam multi ſciebant, ut tandem neminem poſſet ſubterfugere, id ut ſolus neſcirem, cujus maxime intererat. Nec vero jure quiſquam ſuccenſebit tibi, quod deſtinatam omnibus impertiveris uni, qui præter tempus nihil eſt lucratus, & tuo beneficio legit ſolus, quam poſt paulo inter cæteros lecturus fuit. Præſertim quum ego illorum conſilio non injiciam tragulam, nec prohibeam quominus vulgetur. Tu ſoli commiſſam cenſes tibi? nempe ut quod centeſimo in aurem dicitur. Non dubito, quin pro facilitate Gallica jamdudum illa Lutetiæ perambulaverit omnes, qui plurimi ſunt illic, ſtudioſorum conventus, circulos, librarias officinas, muſea: in provincias etiam excurrerit, & apud nonnullos cum prima nominis hujus notitia mihi frigidam ſuffuderit. Sic me quoque tandem odor ejus adflavit, & nequidquam te mihi expugnandum præbuiſti in eo, in quo tot alii fuerant tam communes. Quos omnes non potuit illa delectare tantum ſpecie veri, quam me delectavit ipſis, quibus ſcatet, vitiis. Sciunt quicunque non ignorant virum, fuiſſe illum ut ad liberalia & ad quodvis doctrinæ genus, ita & in omni vita omnique actu ſingularis, vaſti, præcipitis, & ob hoc ſæpe divini, ſæpe cæci impetus: adverſus

verſus iram, odia, æmulationem, ſiniſtras ſimpliciſſimorum quoque dictorum & factorum interpretationes, ſed & cupiditatem quavis ratione vincendi, & ſi quis paulum modo ſe ſupra vulgus efferret, deprimendi longe infirmiſſimum & prorſus unum multorum, denique qui verum faceret Heracliti dictum, Πολυμαθίη νόον ȣ̓ διδάσκει. Inde erat, ut in horas judicia & animum mutaret, nec quicquam vilius faciliuſque quam vel vetuſtiſſimum amicorum leviſſimæ cuique ſuſpicioni donaret atque impenderet. Quo minus mirum, me quoque vehementer aliquando illi probatum, etſi à me nulla eſſet orta injuria, & ſumma mea erga illum obſervantia, ſumma officia conſtiterint, ad poſtremum tamen ingenti frigore percuſſum. Multa narrare poſſem illius temporis, quo ſpeciem tantum, non vim, in amicitia ejus tenui: ſed omnia condono: ſola ſufficit hæc epiſtola, cujus præfatio tota ,, injuſta & incivilis eſt, reprehenſio temeraria & inconſiderata. Regni ſui ,, fines attentatos utinam tam verecunde quam glorioſe quereretur. Non videtur tibi dicere.

Nec meum imperium: age, mitto imperium: non ſimultatem meam
Revereri ſaltem.

Regnum tamen in literis uſurpanti Salmaſio non noſtrum intercedere. Sed hoc regnum ejus eſt naturæ, ut magis a concedentibus delatum quam ab adpetente vindicatum placeat. Præterea hoc regnum patitur conſortia, ut regnum judiciarium eodem tempore eademque in civitate Hortenſii, Servii, Aquilii, agnoſcit Cicero: in his regnis ſecus atque alibi, ſumme ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. tam mehercule quam miſeria temporum, quum in literis ſicut in foro, non multi, ſed unus regnat. Quod ſi regnum in literis cogitavit, quale in defenſione ſæpe parum Regia depingit, ubi Rex ſtatuitur, cui licet, quicquid libet: numquam tam illiberales & abjectæ erunt literæ, ut hunc regem ſint paſſuræ: nec boni unquam hoc juſtum in populis regnum, ſed potius tyrannidem cenſuere juſtam. Non enim ut eſſet, cui liceret quicquid libuiſſet ſed ne eſſet cui liceret, quicquid libuiſſet, & ut nemini liberet, niſi quod liceret, hoc eſt, juſtitiæ fovendæ cauſa, reges conſtitutos ex Herodoto & Cicerone didicerunt. Regnat in literis, qui quod de priſca ſapientia chartis mandatum diurnavit, familiare habet atque tractatum: qui illa vetuſtatis, ut Quindecimviri Sibyllina Fata, ſic verſavit, ut multa in illis etiam doctos prætereuntia primus viderit, abſtruſa eruerit, vexata reſtituerit, obſcura explanarit, ignorata docuerit: quem Ennius facit *multa antiqua ſepulta, tum mores vetereſque novoſque tenentem &*

Multarum veterum legum, divumque hominumque
Prudentem

qui denique non incommode & ipſe ſcribit, & de ſcribentibus hodieque & olim judicat. Majeſtas hujus regni non terrere, ſubmovere, contundere naſcentes ſtudiorum artifices, & ſi quis conetur aliquid fidentius, opus no-

vum

vum nuntiare, ſed potius alere, producere, dare partes, conſilio, gratia, ope, juvare, & ut Plinius ait, famæ adſignare. Hac bonitate Douza, Lipſius, Scaliger omne Belgium compleverunt ingeniorum: quæ non tam deſidia juventutis, non deſperatio præmiorum ob ignorantiam & faſtidia potentium, non pravorum magiſtrorum illecebræ, quam quidam μουσοπάτακλοι, ſoli ſapere cupidi & ſtupidorum admiratione gaudentes, malevolentia ſua deleverunt. At ſaltem regnare ſolus debuit in illis, quæ ſe legiſſe ac ſepoſuiſſe pridem ſibi ut ſcribendo poliret, publice teſtatus erat. Concederem, ſi pollicitationes pudorem ſervaſſent, nec promittendo plura, quam fert ætatis humanæ modus; deinde quaſi nihil deberet, quæ fors obtulerat occupando, omnium, quæ promiſerat, incertam exſpectationem feciſſet. Nam quæ pars eſt antiquitatis, de qua non omnia nova ſe daturum cogitavit aliquando & citius pœne quam cogitavit, tantum non obſignatis tabulis cavit? Vel ſic igitur quouſque patebunt tanti regni fines? Ergo nemo in literis illo ſuperſtite quidquam tentare debuit, ne finium iſtius regni latro videretur. Ergo nemini Florum, Suetonium, Plinium, Tertullianum, Ammianum & tot alios vel totos vel in partibus, aggredi licuit: nemini Ἀνθολογίαν, nemini τὴν καινὴν Διαθήκην: nemini rem veſtiariam, militarem: nemini Etymologica. Narro tibi, me Romæ partim mea, partim multo auro redempta manu deſcripſiſſe Alexiades Annæ Comnenæ, & quia mendoſum erat exemplar, cum Florentino, ob hanc ipſam cauſam in eam urbem, quam jam videram, reverſum contuliſſe. Fecit idem poſtea otioſius Lucas Holſtenius, ex cujus codice meum exemplum paraveram & ſi edere vellem, illum jam emendatiorem benigne obtulit. Erat tum in Italia Nic. Heinſius, & cum ſarcinis librariis quas Venetiis mittebat, curandi ad me ſtudium pollicebatur. Sed non potuit induci Holſtenius, ut eum theſaurum mari committeret: terreſtris via potior viſa. Interceptus eſt liber in Gallia, traditusque P. Poſſino, ut verteret ac publicaret. Id quum per literas indicaſſet mihi Cramoyſius, reſpondi nos omnes bono publico profiteri operam: qua in re ſi alius alium anteverteret, non ſimultates ſuſcipiendas, ſed grates agendas, quod labore ſublevati eſſemus: utique illis, quorum non reſtringuntur intra anguſtum copiæ, & reſtat ſatis, in quo laudem occupare poſſimus. Nihil addo: tan-„ tum quæro uter humanius? Moneri ſe prius ait debuiſſe, & veniam rogari, ut ſe volente id mihi liceret. Quanto civilius Hadrianus Imperator? a quo quum de jure reſpondendi poteſtatem quidam peterent, pronuntiavit eam rem non peti, ſed præſtari oportere: itaque ſi quis ingenii fiduciam haberet, præberet ſe civibus, nec Cæſareum exſpectaret arbitrium. Imperet tamen quam velit iniqua, dummodo poſſimus obtemperare: hic quidem non potuimus. Tempus omne quod per intervalla recurrens in hac me intentione defixit, traxerat in Heduis, Divione, ubi in tranſitu illum ſalutaveram ad paternos penates. Annus erat mihi publice docendi primus, ſatis

impiger, ut plerumque novam & inexſpectatam provinciam ſortitis. Tamen & Livium adornabam, &

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ᾽ ἀροτῆρα,

inſtituebam: Medio tempore nullas aut raras commutavimus epiſtolas. Nec eſt meum, ſpes in longum jacere, & ſi forte unguem nanciſcar, leonem promittere. Quum interim identidem me appellaret admiſſa ſemel inquiſitio τοῦ *decies* & difficultate una victa aliam oſtenderet, non prius cepi fiduciam, quæ ſediſſent, publico committendi, quam ea perduxi ad illam in qua conſpiciuntur, immaturam maturitatem: nec prius huc perduxi, quam inſtitit divulgandi non dimittenda, non proferenda opportunitas. Ea brevis occaſio tam longinquam me veniam petere non patiebatur, ſi maxime voluiſſem. Et tamen ne magnopere vellem cauſa erat optima. Non poteram effugere, ſi conſilii mei certiorem illum feciſſem, quin urgeret ſummam obſervationis meæ ſecum communicari. Hanc excepiſſet dein nihilo mitius, quam quod de formula, *Ante dein tertium Kalendas* conſcriptum mihi deſiderantique exhibitum excepit: mille cavillationibus contempſiſſet, ab ſe meliorem ſententiam in oſtentato toties opere exſpectari juſſiſſet. Quibus ego ſi non deterritus tamen in medium mea protuliſſem, prorſus ille vexillum contra ſe ſublatum & profeſſas inimicitias indici judicaſſet. Nam „ quod ait ſi verbulo monitus eſſet cupiditati meæ conceſſurum fuiſſe, nec „ putaturum tamen quicquam decedere operi ſuo, cujus exigua hæc erat „ portiuncula; Arcadiam promittit, numquam daturus. Alioqui cur non nunc quoque ex conſilio Epicteti, ταύτης τῆς φορητῆς λαβῆς τὸ πρᾶγμα apprehendit? Res integra erat, & licebat impune illi hac cogitatione mollito æquius ferre tam parvæ rei deceſſionem, & frangere minacem animum duntaxat in homine, qui gratiam ejus nec unquam neglexerat, & perpetuo hoc opuſculo quæſierat. Sed non admittebat hanc moderationem fervidum ejus ingenium: regni ſui fines attentatos, ſpretam auctoritatem, vel potius offenſam majeſtatem, quaſi Peliada uni debitam Achilli haſtam vibraſſet ignavus, aut in regio ſolio Perſa privatus ſediſſet, imbiberat: & exiſtimaturus erat inverecundius id fieri, ſi fieret denunciato. Quid autem mali, præ- „ ferre non exhauſtum eſſe omne argumentum & aliquid conſulto aliorum „ diligentiæ relinqui, ſi verum erat? ſi mendacium, quare illum potius quam quemvis alium urebat? Niſi ſoli voluit licere ſibi, poſtquam omnia dixit, quæ potuit, ſuſpendere lectorem illo legitimo: SED DE HIS ALIAS. Rhamnuſiam putes: adeo nullum pati magnum verbum potuit. Quamquam quid hic ſuperbiæ? Utrum ſuperbum eſt, aliquid diſpenſare & plus habere in conditis quam utare, an in quo non ſatisfacias tibi, id aliis delegare? Immo prius facere prudentis ſcriptoris eſt, de ſcriptore cogitare boni lectoris: poſterius quam modeſtum facienti, tam amplum merito. Itaque ſi per aliorum diligentiam non niſi ſuam intellexit, ultro ſibi honorem ha-

bitum

bitum interpretari debuit. Dicam autem non elatius quam verius: habebam non tantum de illo argumento, quæ persequi protenus poteram, sed etiam poteram adversus tradita Salmasio: quibus (etsi censuerit Ennius, etiam à sapiente faciliùs flammam ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneri) suppressis parcebam, ne committerer cum viro, in quo colendo patriam mihi constitueram sanctitatem: etsi nihil mihi profuerit. Quod „ excusavi non studio contentionis & æmulationis hanc me disputationem „ suscepisse, nihil ad illum: sed quia contra summos viros, Budæum, Agricolam, Hotomannum, Scaligerum veneram, sic salvam modestiam meam volebam. Procul autem habuisse me contentionem & æmulationem omnem, vel inde constat, quod illorum neminem sciens dolo malo & injuria perstrinxi, quod in redarguendo a verbis procacibus temperavi, quod quicquid ab singulis boni acceperam, laudavi & sub inventorum nominibus proposui: secus ac magni quidam homines, qui quamcunque materiam retractant, quicquid de illa veri proditum est, pro publico & communi, imo pro suo habent, certe auctorum nemini reddunt, quos nec appellant, nisi quo„ ties volunt reprehendere. Me jacere uspiam de his, qui in mundo & para„ to habere se jactitent, quæ ad hanc materiam pertinent, falsissimum est: & diu quæsivi, quo loco aliquid saltem simile mihi excidisset. Inveni tandem „ ab hoc sensu alienissima. Arguor magis quotquot diebus, multa me igno„ rare, quædam oblivisci, non modo eorum quæ nescire etsi doleant docti, „ non tamen ducunt pudori, sed eorum etiam quæ nunc scire inque mundo „ & parcato habere, non, ut fit; *condita in palimpsesto, sed*

Directa plumbo & pumice omnia æquata:

se quisque vult credi. Numquam majori documento apparuit, arquatis & veternosis, quæ lutea non sunt, æque ut lutea videri. Quid enim potuit innocentius? aut ubi hic qui rem nummariam in mundo & parato habere se jactitant? Miseret me profecto tam obnoxii & omnia sibi applicantis animi. Hiccine regum opes æquaverit? Non opes profecto, sed impotentiam. Quum ista scriberem, nulla, quod meminerim, certa persona mihi obversabatur: sed sæpe incidi in homines gravitate sua minores, qui moniti meliora quam senserant, supercilio errorem & pertinaciam tuerentur, & eadem se scisse aut debere credi non nescisse postularent. Et interdum non omnino mentiebantur: sciebant enim, sed hæc eo etiam pertinere & referenda esse, quo subjiciebat monitor, id scilicet illos fefellerat. Hic ludus potest fieri, ut obhæserit mihi recenti ab colloquio cum miro ejus artifice: certe remotissimi a cogitatione mea tum erant, si qui jactarunt unquam se de pecunia veterum quid elaboratum habere. Quis non videt hic memoriæ rem commemorari, non scripturæ? quod dicitur sciri, inque mundo & parato haberi, non intelligi relatum in puram chartam, sed ita præsens recordationi, ut non sit in quæstione, nec submonente alio indigeat? quæsi-

tam in eo elegantiam, quod in Catulli verſibus quæ de ſcriptura & libris efferuntur, ad memoriæ, ut ſic dixerim, paginas & tabulas & loculos applicantur? Priuſquam tamen hinc diſcederet, contigit ei ſemel verum proloqui, neminem majori cum ſtrepitu opus de re nummaria quam ſeſe promiſiſſe. Sed (ô magna Nemeſis) qui noſtra cum ſani neminis, nedum ipſius contumelia conjuncta verba teterrime detorquet ac ſupplantat, ut cauſam capiat, nec gratis nos odiſſe videatur, gravius iſto veriſſimo dicto atque atrocius de ſe ipſe opinatur quam nos unquam de illo ſumus auſi, aut quicquam eorum quæ graviſſime dicta cenſet, quamvis maligniſſime interpretando poſſit accipi. Neque enim modeſtius hoc quam

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum

„ quod qua nota figat Horatius palam eſt. Si ad Spanhemium ſcripſi neſci„ re me an in urbe eſſet, nihil in eo fuit tam ſtultæ εἰρωνείας. Quid enim interfuit, citius an ſerius ad iſtum perveniret exemplar, quod omnino mittere conſtitueram, & poſtea miſi. Annum & quod excurrit in Gallia egerat: in reditu eſſe audieram: utrum rediſſet nec ne, apud nos ignorabatur. Nec vero ſi quid cum typographis mihi fuit in publicandis libellis meis commercii, propterea ſolitus ſum quavis dierum hebdomade accipere literas, præcipue quibus vacaret aut illis narrare, aut mihi cognoſcere adventus aut diſceſſus oppidanorum. Fuerit forte tempus, quum pars eruditionis credebatur ſcire, quid Athenis, tanquam in patria communis eloquentiæ, fieret: nunc dudum eſt tantummodo aut ambitu aut otio laborantium. Jam tum ἡ Δέσποινα πολιὰς olim inſperantes & ὀκνοῦντας (Ἀμαθία μὲν γὰρ θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει) e longinquo ſollicitare famulos ſolita, captandam ſe præbebat, nec niſi inſidiantibus cedebat: jam tum inſtabat ea mutatio ſæculi, qua nunc ſi Diis placet, etiam gloriatur. Itaque actorum iſtic & rerum urbanarum curioſum eſſe tam parum honeſtum mihi ſemper cenſui, quam Plinius ſibi donare locupleti & orbo. Præterea numquam meus mos fuit, ſi quid ederem, in unam modo hebdomadem parare aut trans mare portandum dare. Sic illis uſus eſt, qui extemporales dici putant eſſe præclarum, & tantum ſibi confidunt, ut primum inventionis ſcriptioniſque calorem ad prælum præcipitent. Ego mihi conſcius imbecillitatis, priuſquam operas in laborem miſi, aut omnem curam meam aut majorem ejus partem ſemper adfectam habui, ut intervallo aliquo dato inter ſuccedentis ſtyli gaudium & editionem, incorruptius de meis judicarem. Itaque quoties noſtra, ubi præſentes non eramus, formis deſcripta ſunt, non in tam anguſta, ſed multo laxiora ſpatia temporum, & ſæpe in menſes quod ſufficeret officinæ præbere potuimus, præbuimuſque etiam ſumptus circumcidendi gratia. Quemadmodum & perfecta numquam recepimus per quaterniones ſingulos aut ſingulis hebdomadibus, ſed ſemper aliquanti temporis dilato & juncto labore, niſi quid novæ rei incidiſſet. Utcunque igitur Livius meus

Lugdu-

Lugdunensia præla moveret, non tamen singulis hebdomadibus aut typis formanda a me illuc aut jam formata inde ad me proficiscebantur: eoque aliquantisper ignorare potui; vel si maxime percunctatus essem aut ultro „ mihi nuntiassent reditum Salmasii. Sed nec si tradiderat bibliopolis fa„ sciculum Bullialdi ad me curandum, necesse fuit illos, ut Davos comicos aut Birrias, relictis rebus succinctos & anhelos cursitare, & id unum habere negotii, ut tantis fungerentur imperiis. Sciebant non esse symbolum collybisticum, ut vel ipsorum vel istius vel mea fides laboraret, nisi ad diem responderet. Et solet in his minuendi, ut dixi, sumptus gratia exspectari occasio amici portantis. Quibus respondit primis ad primas meas, iidem Bremam curandas susceperant: ubi quum ego satis moræ fecissem, post amandatas meas, dein Groningæ quadrantem anni, neque ignoraretur Lugduni, me ibi vivere, profectus demum in Batavos, jamque ipsi Salmasio domi loquutus, ex ipsorum quibus commissæ erant manibus, deducente „ me Vincentio Fabricio, seras accepi. Quam in amicis omnia ferre & bono „ stomacho concoquere solitus sit, dixerint Rigaltius, Rivetus, Grotius, Heraldus, Spanhemius, Bochartus, Vossius, Blondellus, Morus. Hactenus mores meos accusavit: nunc accedit ad ingenii crimina: quæ quum judicii „ nomen ferre debeant, vehementer autem suspectus sit offensus judex, ira„ tum se cogitari vetat. Quasi tumultuari & præcipitem ruere insontes insectando magis deceat sanum & suæ spontis quam adfectione commotum & ablatum: quasi alia re nulla excusetur tanta & verborum insolentia & carpendi temeritas, nisi quod fervor concitatioque ægræ & inflammatæ mentis viribus eam suis solitaque in agnoscendo vero perspicacia uti prohibuerit. Tot mea in se collegit superius peccata, tot sequentibus inspergit, ut si possent illa convinci, si non aut ficta prorsus aut longe secus & vel diverso consilio vel jure facta constaret, merito excanduisse diceres, nec mansuetudinem sed remissionem animi ac dissolutionem in istis non excandescere. Hic tamen iratus haberi non vult. Quid ni? qui enim sit iratus pugil aut gladiator, qui in certamine ultro appetito præ perturbatione occæcatis oculis, in tot ictibus vix semel aut destinatum feriat, aut adversarium, non „ cruentet modo, sed nec suggillet? Justius rogat, ut id quod est, & quod „ dicturus est, cum rationibus suis consideretur. Idque faciemus. Quod „ præcipuum in quæstione est, me ait ab se habere. Falsum: nam præcipuum in quæstione, quomodo diceretur *decies sestertium:* non, quid differrent *sestertii* & *sestertia*. Deinde hanc differentiam non ego ab illo, non ipse a se habuit Salmasius. nam *sestertia* significare mille sestertios, & intelligere *τὸ pondo*, plane scripserunt & Budæus & Porcius: quibus quum Agricola & Hotomannus adversati essent, pro mille nummis tamen singula *sestertia* poni multis probarunt Ciacconius & Scaliger. Quos illum vidisse omnes tam certum quam me vidisse notas istius ad Pallium. Quod autem

dixi mihi per me in mentem veniſſe de illa differentia, id verum eſt: nec jactatum quaſi primus & ſolus id obſervarim, ſed quod inter varias ſententias quum hæc quoque poneretur, & ab Agricola, & Hotomanno, & Scaligero rejiceretur, eam elegerim pro vera ponderibus libratis, quantum ea ex ipſis ejus ſententiæ obtrectatoribus colligi poterant, quantum noſtra lectionis antiquæ memoria juvari: quippe cui nihil ad manum præter Scaligeri libellum & feſtinatas ex Hotomanno eclogas. Res omnis ita ſe habet. Quum in reditu per Gallias oblato forte Cornelio Nepote incidiſſem in locum, qui firmat vetuſtam Senecæ ſcripturam *ſi in ſeſtertio centies vixiſſet:* non ceſſavit illa ſeſtertiorum materia oberrare animo meo & exercitum eum ac ſollicitum habere. Rothomagi dono Maximiliani Langlæi contigit mihi Scaliger. Dum hæreo in portu Gratiæ exſpectandis ventis ſecundis & præſidiaria nave, Cadomum ad ſalutandum Bochartum excurri. Ab eo ſumpſi Hotomannum utendum, & inde biduo illo aut triduo, quo ibi manſi, horis nocturnis in diverſorio, quæ videbantur, excerpſi: quibus collatis cum eo, quod in Scaligero notaveram, ſolus interdum mecum ſpatiatus ſecundum Portuenſe littus, verum deprehendi inter adverſantes & primis literis deformavi. Hoc adeo mirum aut novum videri non debet, ut certum habeam, nulla in quæſtione ſive philoſophiæ ſive antiquitatis quid probandum ſit, bene cognoſcere aut definire poſſe, niſi qui calculis bene poſitis & rationibus ſubductis ipſe ſua contentione id invenerit, & quaſi generet atque enitatur, ipſe poſitis & conceſſis poſtera & conſequentia educat, etſi millies ea prodiderint alii. Invenire & excogitare hominis ingenioſi eſt & philoſophi, non tantum ſumere & credere: vixque recte ſumit & credit, cui deeſt explorandi & inveſtigandi facultas. In Hollandiam denuo reverſus Budæum, Porcium, Salmaſium vidi ſtatuere idem de τῷ *ſeſtertia:* ſed nemo illorum viderat ab hoc principio pergendum eſſe, ut erueretur, quod „ eſſet, quive componeretur *ſeſtertium decies.* Perjuria Criticorum rideri a Jove non eſt noſtrum credere, qui nemini ſublegimus ſuum, ſed illorum, qui quicquid ad aliis quibuſcunque obſervatum eſt, ſi eo indigeant, aut id leviter adjuvare poſſint, totum intercipiunt, totum ab ſe nobis expenſum ferunt. Apud M. Senecam eſt: *Multi ſunt, qui detracto verbo aut mutato aut adjecto putant ſe alienas ſententias lucrifeciſſe. Hoc, ajebat Severus Caſſius, qui facerent, ſimiles ſibi videri furibus, alienis poculis anſas mutantibus.* Fuerunt ſane quibus non tantum diu impune licuerit, ſed etiam mirifice ad famam & honores & commoda vitæ profuerit hac fraude graſſari: olim tamen grex ovium venit repetitum plumas. Apud Tertull. de Pallio Joſ. Scaliger emendavit: *quum inter inſulas nulla jam Delos, harenæ Samos, ut „ Sibylla non mendax:* quum legeretur, *etſi ille non mendax.* Verba, inquit, „ Sibyllæ, quæ habebat in animo & quidem trita & vulgata, hæc ſunt:

„ Καὶ Σάμος ἄμμος ἔσῃ καὶ Δῆλος ἄδηλος.

„ Καὶ Ῥώμη ῥύμη.

ad

ad Manilium pag. 70. At Salmasius omnibus iisdem literis concepta sententia, nisi quod *Et* habet ἀντὶ τȣ͂ *Ut*, Hæc est, ait, plane libri nostri veteris scriptura, & priorum editionum, quam jam ante decem plus minus annos asserueram, & cui firmandæ notaveram illum Sibyllini oraculi versum: Καὶ Δῆλος ἄδηλος καὶ ψάμαθος Σάμος ἔσῃ. Non Δῆλος hic magis quam Scaliger ἄδηλος, cujus tamen Notæ prodierant anno CIↃ IↃ IC, hoc est viginti tribus annis ante Salmasii librum, ut frustra illud decennium jactet. Quid notius emendatione Scaligeri apud Curtium: *alterum Nini*, *alterum Beli?* quid laude dignius? De illa tamen audiamus Salmasium ad Historiam „ Aug. p. 377. sic *belli* pro *Beli* editum apud cultissimum scriptorem Cur„ tium: nam ex duobus simulacris argenteis, quæ ex jugo currus Darii „ eminebant, dicitur alterum gessisse *effigiem belli:* ubi scribendum *Beli*. Quasi nunc primum id moneretur, & nihil egisset Scaliger. Quid qua *epoptas* pro *portis* apud Tertullianum restituit? Ineptissime legebatur, inquit ad Catullum, *quum & portas ante quinquennium instituant*. Rursus ineptius: „ *tot suspiria portarum*, Nos, *tot suspiria epoptarum*. nam nihilo consultius „ Beatus Rhenanus *suspiria* in *sipparia* mutaverat. Totidem verbis continenter uno loco Scaliger, ut non possint prioribus intendi, quin & posteriora legant surripiantque oculi. Itaque dubito, convitio dignus sit, qui putarit credituros homines, inter τὰ *instituant* & *Rursus*, præcise aciem luminum ejus abruptam quasi horizon ei circulus illic occurrerit, & ulteriora videri prohibuerit, an venia, qui clementer cum Scaligero egerit, & quum totum involare posset, diviserit, *epoptas ante* illi relinquens, *suspiria porta*„ *rum* ad se convertens. Pro *suspiria epoptarum* vulgo legitur *siparia porta*„ *rum*, sed cum libri omnes haberent, *suspiria portarum*, facile fuit corrige„ re *suspiria epoptarum*, & nescio an ita jam emendarint viri docti. Sic ad Hist. Aug. pag. 34. Apud Apostolum Paulum ad Philippenses cap. II. παραβȣλευσάμενος τῇ ψυχῇ perperam legi pro παραβολευσάμενος, primus monuit Scaliger ad Manilium pag. 317. Vides, inquit, Claudianum τȣ̀ς παραβόλȣς *audaces*, vertere. inde verbum elegans Apostolo παραβολεύεσθαι, quod alii in παραβȣλεύεσθαι mutant. Accinuit Casaubonus monuitque, in quadam epistola Scaligerum, se ut ille censuerat legendum reperisse expressum in MS. codice Puteano venerandæ vetustatis majusculis literis exarato, exhibenti translationem Latinam multum differentem a vulgata: ut & hoc loco, ubi sit, *parabolanus fuit de anima sua*. Quid responderit Scaliger, in epistolis ejus legi potest. At operæ pretium est cognoscere quam gratiam tantis primordiorum suorum fautoribus rependerit Salmasius. De modo usu„ rarum pag. 198. Ab eo nomine παράβολος & aliud verbum παραβο„ λεύεσθαι, idem plane quod παραβάλλεσθαι, quo usus est Apostolus in epistola „ ad Philippenses cap. II. Ubi vetus interpres ex codice bibliothecæ Pu„ teanæ, *parabolatus est de anima sua*, reddidit, ut pluribus ad locum dictu-

„ ri su-

„ri sumus: non ut vir magnus aliis oculis fortasse quam suis usus in episto-„la ad Scaligerum se legisse testatur, *parabolanus fuit.* Quum Scaligerum necessario nominandum putaret, ne requiri non posset, quis esset ille vir magnus, tamen Scaligerum hic sibi præivisse tacuit: Casaubonum in una litera peccasse ut dissimularet, ab se impetrare non potuit. At memini, quum in illa epistola, quod scil. ab ipso in familiari sermone acceperam, *parabolatus* edere vellem, severe vetuisse ne perderet hanc occasionem carpendi virum. Martiali lib. XII epigr. LVII,

Illinc paludis malleator Hispanæ,

reddendum *balucis*, conjecit Turnebus lib. XXX Adv. cap. XXVI. At de se si credimus ipsi, ab Salmasio hoc nobis habendum. Sic enim scribit ad So-„linum pag. 277. Idem prorsus mendum, quod mireris, & Martialis ver-„sum occupavit, &c. Similiter igitur & persanandum legendo. *Illinc balu-„cis malleator Hispanæ.* Et mox, Fallitur Turnebus, qui *baluces* auri mas-„sas ex Plinio interpretatur. Hic noscitur, ubi debebat vellicari. ubi laudandus erat, quod idem mendum sic persanasset, ignorabatur. G. Scioppius apud Symmachum reposuit *soloci filo*, in Verisimilibus anno prioris sæculi XCVI editis: hoc Lectius repetivit hujus seculi anno I: Juretus recepit Lutetiæ anno IV: ipse Scioppius admisit anno VI. Tamen lego in notis ad „Pallium anno, ut dictum, XXII publicatis: *Solox filum* apud Symmachum: „*quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam.* ita enim ex vetustiss. Pal. schedis olim restitueramus. Idem Scioppius in Hypobolimæo reprehendit Scaligero notata ad illud Catulli carmen LXIX:

Qui cum divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen testatas intulit in tabulas.
Impia derisi gentilis gaudia tollens
Suscitat a cano Vulturium capite.

Impia inquit dicuntur *gaudia gentilis* sive agnati, qui lætetur spe propinqua mortis agnati sui, cui ipse successurus est. Hoc gaudium tollit natus ex filia nepos, eumque risui ob frustratam spem exponit, ipsumque a cano avi sui capite suscitat sive summovet, cui ille prius tanquam vultur inhiabat. Nimis hæc tenuiter, nimisque obscuro loco Scioppius. Itaque merito, quasi nihil ille nec ausus nec potuisset, magnificentius & illustriore loco Salma-„sius ad Solinum pag. 984. inde explicandus ac legendus Catulli versus, „in quo Cimmeriæ tenebræ Josepho Scaligero

„ *Impia derisi gentilis gaudia tollens.*
„ *Suscitat a cano vulturium capite.*

„Sic corrigendum ex veteri codice, quem etiam vidit idem Scaliger. De „parvo nepote loquitur &c. sensibus nihil differentibus ab eo, quod vir optimus apud Scioppium legerat: sed exemplo Lacedæmoniorum honestam & probam sententiam auctoris improbati contagio noluit dehonestari. Ita-

que

que suam esse maluit. In lege XII Cod. Theodosii de pagan. sacris, hæc corrupta, *lavem ignem erogenium, penates odore veneratus accendat, lumina imponat, tura serta suspendat:* emendasse domi suæ Rodenborgium Antverpiensem scribit Taubmannus in præfatione posterioris editionis Plautianno XII publicatæ: *Larem igne, mero genium, penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat.* Eodemque modo interpungere & legere se ait Henricus Lindenbrogius ad Censorinum de die natali cap. II an. XIV. Et sane perexigua & facilis res est. Tamen illustrior ei quærendus auctor fuit ad histor. Aug. p. 379, ubi hæc recognosces in excessu dicta: „Non possum abstinere, quo minus & legem duodecimam ejusdem tituli „longe corruptissimam in editis emendem & distinguam, ut olim ostendi „D. Gothofredo &c. Mox verbis expositis, quæ insignis restitutio est, „& commentarium integrum merebatur. Apud Silium Italicum ubique editur

Mox accola Minos
Duxerat Eteretum non fausta ad bella cohortes.

„Hic Cluverius: *Eteretes* mihi lecti sunt nulli. Proinde vocem istam ita „emendo: *Duxerat & Cretum* pag. 33 Siciliæ antiquæ. Decennio post ser„viebat hic locus Salmasio ad Solinum pag. 105. *Cretensium* cum Minoe „Silius: *mox accola Minos Duxerat & Cretum* &c. Cluverium nominare infra ipsum erat. Apud Phædrum fab. XIV.

Nam ubi tricandum & ubi currendum est, scio,

hic Nevelletus: legit Clarissimus Gruterus, *strigandum.* Vindicant hoc „quoque notæ ad Solinum pag. 56. Quam vocem & nos olim in Phædro primi restituimus. Apud Ausonium legit Douza lib. II explan. Plautin. cap. XXII. *Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen.*

Sibi tribuit hoc cum sugillatione Scaligeri & omnium Salmasius ad Hist. Aug. pag. 353. In Solino corruptum cap. XLVIII: *ut de industria curvatus:* emendavit e MSS. *cernuatus*, And. Schottus ad Melam lib. III cap. V. At „Salmasius: ita reposuimus ex libris, quum in editis exstaret: *quum de industria curvatus.* Schoti meritum periit. In eodem cap. XI idem Schottus legit: *hinc domo Archimedes:* idque in duobus Toletanis MSS. reperisse testatur lib. III observ. cap. XI. Imminuebatur ingenium summi viri, si hoc MSS. si Schotto debere se fateretur. Quid igitur? sic reposuimus, in„quit, ex conjectura, cum libri haberent: *hic domus Archimedis.* Horum ingentem catalogum poteramus texere, prope ut volumen fieret. Sed hic gustus sufficit, ut deprehendatur, quis fuerit ille, qui perjuria Criticorum à Jove rideri crediderit. Legeram commentaria ejus ad Pallium ante multos annos; sed quum rem nummariam antiquam omnem parum aut nihil meditatam haberem: itaque inter infinita alia quæ transcurrimus in libris volvendis, nec præ cæteris memoriæ mandamus, hoc mihi prorsus excide-

„ rat, ut fit. Sæpe quæ nolumus ait menti adfixa nobis hærere. Credo: præsertim male patratorum conscientiam. Sed & sæpe quæ volumus, & magni facimus, excidunt invitis, & ex animo delentur ita, ut frustra revocentur, nec vel numerorum nemores verba reperiamus. Video quicquid conatus sum ad retinendam gratiam ejus, id omne mihi retrorsum & ingratum cecidisse. Potueram dissimulare istum, ut ipse Budæum, ac Porcium tacuerat. Induxi industria mentionem illam, ut mulcerem hominem & placatiorem ad reliqua haberem. ille vero est ipsa laudatione irritatus. Non ὁ ἀκρατὴς tantum, ut ait Aristoteles, sed & noster alio genere intemperantiæ laborans, ἔνοχος τῇ παροιμίᾳ, ἐν ᾗ φαμὲν, ὅταν τὸ ὕδωρ τὴν φάρυγγα πνί-
„ γῃ, τί δε, ἔπι πίνειν; Sequitur triumphus inanis: Concedatur, inquit, hoc illi
„ & credatur ut vult: non primus ergo hoc reperit, & inventi hujus glo-
„ riam penes alium esse fateri debet. Nec intelligit congruere hoc in unum, in quem minime vellet. Ego & inventi hujus gloriam penes Budæum & Porcium esse, & reperisse me quidem, non tamen primum ingenue fassus sum. Satis mihi, abunde satis in tantorum virorum vestigia incidisse. Nihil igitur debeo, nihil cogendus sum: non fui inficiator. At novimus virum, qui hoc ab se uno haberi prædicat, quem puduit aliquid a Budæo didicisse, qui gloriam adfectat inventi, quod ante illum natum Budæus & Porcius aperuerunt. Hic est ergo, cui impingendum est istud: Non primus ergo hoc reperit, & inventi hujus gloriam penes alium esse fateri debet.
„ Locos auctorum congerere, & rem sic nihil necessariis testimoniis confir-
„ mare, quæ jam per se satis patebat, non modo facile, sed & vanum est. Sed si primus hujus inventi repertor Salmasius: si primus docuisset, & ab eo solo haberetur distare *sestertios* & *sestertia*, non modo vanum aut superfluum fuisset ad id probandum congerere auctorum locos, sed necessarium imprimis. Neque enim nisi verbo ponit *sestertios* esse nummos singulos, *sestertia* mille nummum. At quam non affirmatione nuda hoc persuadeatur, demonstrant ingentes viri Agricola, Hotomannus, totque alii illos sequuti, qui ne quidem post tot exempla & auctorum loca à Budæo, Ciacconio, Scaligero prolata manum dare veris potuerunt. Si ergo putidi, si in facili laborantes, quibus id curæ fuit, Budæus, Ciacconius, Scaliger leves & contemnendi: non nos qui diligentia illorum contenti tantummodo bina Livii & Plutarchi loca in hoc comparavimus. Quæ autem congessi testimonia, probabant *decies sestertium* nunquam habere respondens nisi adjectivum vel verbum singulare. Quæ alia disputatio est, & eam nihil necessariis testimoniis confirmatam nemo dicet, nisi qui multa solus, Salmasius. Illud
„ alterum genus ab se adsertum non potuisse non negare, nec negasse certe
„ ait, quo veteres dixisse ostenderet: *hoc decies sestertium*, *hujus decies ses-*
„ *tertii*, *huic decies sestertio*. At nec dixi hoc adsertum ab isto, & nunc diserte nego. Scaligeri hæc observatio est? Scaliger hoc primum statuit, &

enixe

enixe contendit approbare. Salmasius nihil aliud quam ad veterem lapidem: sic VETERES LOQUEBANTUR. Si mihi non credis, vide Hist. Aug. pag. 17. Utrique nos suum reddidimus: hic quod sibi arrogat, Scaligero „ derogat. Quam ridiculum autem, quod ridiculum esse ait, me quod ea „ loquutione ipse notaverit, arripere ad confirmationem sententiæ meæ. Qui enim poteram aliter, qui placere illi vellem? Apparet quod dixi, quomodocunque hunc hominem tractares, sileres, appellares, laudares, omitteres, si literas tangeres, si quid scriberes, de quo & ipse, offendendum fuisse. At quod sequitur, non ridiculum sed prorsus insanum. Quasi, inquit, „ hoc ab illo mutuatus sim. Scilicet quod ille vir pleni roboris me puero & equitante in arundine longa, ad historiam Augustam scripserat, & ego candide probandi consensus nostri causa sub auctore adduxeram, id voluisse me videri illum a me mutuatum esse. Quid dicam? miserebor tam vanis suspicionibus se macerantis? an irascar tam stolidam mihi personam „ aptanti? Addit etiam: aut idem saltem quod illi, visum mihi sit. Rursus aliquando verum dicit: nam ideo verba illa ad partes vocavi, quod idem Salmasio visum esset, quod mihi, sed utrique post Scaligerum: nempe *sestertium millies condonatum* Latine dici, *sestertium millies condonata* non dici Latine. An hoc potest negare? sed ita erat. nolebat quemquam posse reperire aut reperisse, quod ipse reperisset, aut reperisse gestiebat credi. Hæsisse tamen exsultat me in ratione adferenda, quare ita veteres loquuti sint, quia illam non explicaverit. Ita nihil potuimus hoc sine Delio natatore: ubi ille præsto fuit, ubi annuit propitium nutum numenque suum, rem bonam posuimus, sed alienam, nec ut ei adderemus de nostro, sed ut auctorum loca congereremus non necessaria: ubi destituit, turpiter discessimus. Immo quia nec ille explicuit, nec cuiquam explicare conato bene cessit, propterea id ego tentavi: huc spectabat omnis labor meus, & hoc præcipuum erat in quæstione: idque ita me præstitisse confido (præfiscini dixerim) ut ille, vir licet tantus, qui omnia alia melius quam ego potuit, nunquam potuit. Nam ne hic quidem, ubi maxime tempus erat, id conatur. At *ἰδοῦ Ῥόδος, ἰδοῦ πήδημα*. Quid validius ad revincendam & exstinguendam opinionem meam, quam si composuisset illi suam veriorem, si quam habuisset? Non componit, ne significat quidem se habere: tantum in vexanda mea habenas effundit. Latinitati esse contrarium causatur, ut *decies sestertium* dicatur eo sensu, quo integrius *decies centies sestertium pondo*, quia *pondo* non dicatur numero singulati. Hoc rursus ingestum extendit amplificatque pretium observatis nostris de eo vocabulo, libro primo repetitæ editionis expositis, quæ si scisset ὁ *πανεπιστήμων*, qui volebat nos nihil scire nisi ab ipso, numquam illud Grammaticorum ludibrium de *pondo* plurali retulisset. Ostendimus illic *τὸ pondo* numquam esse nisi singulare, non minus quam *pondere*, vel *numero*: & cum Charisium, tum omnes Grammaticos & Latine

doctos in ejus vocabuli natura erraſſe. Si dixiſſent, non poni facile cum ſingulari, aliquid dixiſſent: cum ſingulari ſcilicet adjectivo ſolo, numerum ſignificante. Alioqui cum dicitur, *corona libram pondo, piſcium unciam pondo, mellis pondo ſemiſſem* vel *quadrantem*, apponitur utique illi ſingulare, & juxta bene profertur, atque *corona centum libras pondo* & ſimilia. Quod nemo dixit *unum ſeſtertium* pro mille nummis, cauſa non eſt, quod *ſeſtertia* appellantur intellectu τοῦ *pondo*, id autem non conjungitur ſingulari; ſed ut vitarent ambiguitatem ſermonis, ſi eadem vox & nummum & mille nummos iiſdem omnibus terminationibus caſuum ſignificaret. *Unum ſeſter-* „ *tium pondo* ſolœcum eſſe conſtat. Non repugno: tantum doleo uni viro quantumvis docto maximique & nominis & ſtrepitus contigiſſe, ut ſic loqueretur. Is eſt Claudius Salmaſius ad Pallium Tertulliani pag. 423. *Sic* „ *unum ſeſtertium pondo* duas argenti libras cum ſemiſſe valebat, ut unus „ ſeſtertius aſſis duos aſſes & ſemiſſem. Et mox, ne quid ſemel dixerit, Sic mille ſeſtertii nummi duas libras argenti & ſemiſſem conſtituebant. hoc eſt, „ *unum ſeſtertium pondo*. Ita ſuo ſibi hunc gladio. Ut tamen non celem quod ſentio, inſolentia, quæ mihi in hoc ſermone diſplicet, non eſt in vocabulo *pondo*, ſed in τῷ *Unum*. *Coronam libram pondo, auri unciam pondo, mellis ſemiſſem pondo, aſſem libram pondo*, invenio apud veteres: nuſquam, *Coronam unam libram pondo, auri unciam unam pondo, mellis unum ſemiſſem pondo, aſſem unam libram pondo*. Ergo quem ſolœciſmum vocat ſolus fecit: & tamen qua parte ſolœciſmus fieret, neſciit: nam quod ſolœcum cenſet, ſine vitio eſt, quod tranſmittit pro inculpato, ſolœcum eſt. Putat ſe rem magnam præſta- „ re quærendo, quomodo *decies ſeſtertium pondo* dici poſſit ἀντὶ τοῦ *decies cen-* „ *tena ſeſtertia pondo?* At ſcit, quod poſui, ſub τῷ *decies* intelligi τὸ *centies*, & *decies centies* dictum pro *millies*. Hoc ſe ait quid ſit neſcire. Credo: & ideo neſcivit, quantumcunque ſcierit, quomodo diceretur *ſeſtertium decies* pro decies centenis millibus nummum ſeſtertium, etſi non ignorabat dici. „ An, inquit, & centies includit centies? Ita profecto, includit. nam *centies ſeſtertium* eſt centies centena millia nummum. Et hæc fuit una e cauſis, quare τὸ *centies* non pronunciaretur in adverbiis, ſed ubique includeretur ac ſubaudiretur, ne ubi ad hunc ordinem proventum eſſet, eandem vocem „ bis ponendam haberent. Pergit: ſi integrum proferatur, non propterea „ debet eſſe alienum à Latina ſyntaxi, ſed cum ea congruere. Jus poſtulat, „ nemo negabit. Videndum ergo (ſubjicit) an Latinum ſit, *decies centies* „ *ſeſtertium pondo*, pro decies centena ſeſtertia pondo. Et continenter: „ Quod ſi hoc non eſt, ſic plene & integre pronunciatum &c. At hoc probandum erat, non eſſe; non verbo ſolummodo ponendum: niſi rex hic antiqui nummi ſingulis verſiculis jus habet ſingula vocabula de civitate Latina tollendi. Demonſtrandum, inquam, quæ analogiæ regula hac compoſitione violetur: quæ recepta loquendi ratio ſubvertat hanc fictam, aut ipſa

ſtare

ſtare nequeat, ſi iſta fingatur. *Seſtertium* eſt argentum duarum librarum & dimidiatæ. Si *libra pondo* Latine dicitur, quare non & *ſeſtertium pondo*, hoc eſt duæ libræ & dimidiata pondo? Si veteribus placuit, *quadrantem quartum pondo, trientem tertium pondo, beſſem alterum pondo, ſemiſſem tertium pondo*, quare intolerabile fuerit *ſeſtertium pondo?* Quid enim natura vocabulorum aliud *ſeſtertium pondo*, quam *ſemiſſem tertium pondo?* Numquid intereſt, argentum eſcarium vel vas argenteum dicam, *beſſem alterum pondo*, an *bes alterum pondo?* Tantundem inter iſta: nempe alterum, ut ſit explicatius, alterum contractius. At nuſquam legitur apud veteres. Nunc ubi legitur *ſeſtertia pondo*, quorum inventorum gloriam nobis venditat? Semper in originibus quærendis analogia contenti ſumus, cujus infinita uſus expunxit: quæ niſi imaginemur, & a primis initiis retrahamus, ne illorum quidem, quæ conſuetudo probavit, plerorumque rationem reddere poſſumus. Sic uſus idem repudiavit *ſeſtertium pondo*, non quia τὸ *pondo* carebat ſingulari (nam idem uſus pari exſilio damnavit *ſeſtertia pondo*) ſed quia τὸ *pondo* non dicebatur de argento ſignato; *ſeſtertium* autem idem uſus conſtituit tantummodo dici de nummis, numquam de illo, quod pondere; non numero æſtimaretur. Hinc docuimus in poſteriore editione, *ipſa ſeſtertia pondo*, quibus tantopere gloriatur, parum ex conſuetudine Latini ſermonis dici. Convenientius autem *ſeſtertium pondus* vel *ſeſtertium argentum:* nam *auri & argenti pondus* paſſim etiam de nummis dicitur; *aurum & argentum pondo* numquam niſi de maſſis & vaſis. Quod nec nunc infirmamus: etſi quæ priore molitione rudius conſtruximus, adverſus imbres & nimbos Salmaſii ſarta tecta præſtemus. *Argentum ſeſtertium pondo*, etſi non uſu & conſuetudine auctorum, quos habemus, tamen per analogiam recte omnino dicitur, ut *argentum ſemiſſem tertium pondo. Æs, argentum, aurum, lapis, materia, ſeſtertium pondo* non minus olim dictum eſt, quam *æs argentum, aurum lapis, materia, ſemiſſem tertium pondo:* hoc eſt, duarum librarum & ſelibræ, vel duorum aſſium & ſemiſſis. Sic *ſeſtertius pes*, patens ſemiſſem tertium longitudinis, ſive duos pedes & octo digitos vel ſex pollices: ſic *ſeſtertium*, puta *milliare*, locus alicunde diſtans duo millia quingentos paſſus: ſic *ſeſtertium* ruſticis, ſimili proportione bipalium. Deinde ſtudium applicandi rebus certa & ſingularia verba τὸ *ſeſtertium* in urbe & foro coarctavit: & tantum de argento, ſecluſo ære vel auro, tantumque de ſignato argento, ſecluſo rudi & facto, accipi voluit. Sic *nummus ſeſtertius* argenteus pretio duorum aſſium & ſemiſſis: ſic *ſeſtertium* de quo diſputamus, non jam *pondo* (nam eo vel rude vel factum intelligitur) ſed *pondus* vel *argentum* vel πρᾶγμα ἀργύρου, *negotium argenti*, nummorum quantitas, quot ſcilicet imputabantur in duas argenti libras & dimidiatam: puta, ſeſtertii mille, denarii ducenti quinquaginta, noſtri Philippei viginti quinque. Non repugnat his „ noſtris ὁ πάνυ quum ad Pallium pag. 420 ſcribit. *Seſtertia* numquam de

„ nummis dicuntur, ut *sestertii* numquam nisi de nummis: ut contra *ses-* „ *tertia* semper de libris & pondo, *sestertii* semper de nummis. Agit enim contra illos, qui de sestertiis majoribus & minoribus monstra confinxerant: & vult sestertia singula numquam appellari nummos singulos, *sestertios* semper esse nummos singulos: quod nec nos negamus. Nos volumus *sestertia* quidem dici duas libras & selibram argenti, sed tamen non argenti facti, neque rudis, verum tantummodo signati: quod nec ille negat, duntaxat illic, etsi imprudenter adjecerit τὸ *pondo*, etsi contra rationem simul & usum dixerit, de *libris & pondo*. *Libras pondo*, non *libras & pondo* norunt veteres. Quod restat, pergemus agere ex priore hypothesi. Sed ponamus, in- „ quit, recte dici *sestertium pondo*, non sequitur in hac loquutione, *sester-* „ *tium decies*, vel *decies sestertium* subaudiri posse *Pondo*. Quid ita quæso? „ Per hanc ait loquutionem constat veteres intellexisse decies centena millia „ sestertiorum nummorum. Quæro ego quomodo eandem summam La- „ tine exprimere possim dicendo, *decies sestertium pondo*, pro decies cente- „ na sestertia pondo? Si nihil aliud habebat impedimenti, melius erat virum præstantissimum discipuli sui apodixin laudare, quam & sibi & amico strophis interrogationum illudere. Etenim si *sestertium pondo* patimur Grammatica Latinitate, quod aliquo modo concedit, & nos satis probavimus, patiamur etiam necesse est *decies sestertium pondo* pro quinque & viginti libris argenti. Ut *bis tanto ampliorem fundum & bis tantum reddit, quantum tuus fundus, & maxime propter bis quaternas causas esse commutata* Varroni, Ciceroni *sexies tantum ablatum, quantum satum:* & similia: Rursus si *decies sestertium pondo* pro quinque & viginti libris ἀναλογικῶς potest dici, quare non & *decies centies sestertium pondo*, pro binis millibus & quingentis libris? Quid enim *decies centies* aliud quam *millies?* Ubi *decies* salva syntaxi poni potest, ibidem locum habet *millies:* ubi *millies*, ibi & *decies centies*. Denique si *decies* accipimus pro *decies centies*, quid quærimus quod habemus? *Decies sestertium* ea ratione, qua nos volumus, pro decies centenis millibus nummum sestertium, haud sane magis dici Latine ait, quam *decies libra* pro decies centenis millibus librarum. Nec cogitat *sestertium* adjectivum esse, libram substantivum, adverbia autem ista cum adjectivis passim conspici, cum substantivis rarissime: ut apud Horatium, *bis ter ulnarum toga*, apud Statium. *Ter noctem Herculeam*. Non cogitat, si *decies* libra dicatur, non fore nisi decem libras, quæ voxillo ævo non dicebatur pro certo numero nummorum: quum *decies sestertium* pronunciatur, dici millies multiplicatam eam summam, quæ mille nummos complectebatur; quo fiunt 1000000, millies mille nummi, sive ut Romani loquebantur, decies centena millia nummorum. Mira est obtrectationis pervicacia. Quid propius, congruentius, probabilius, quam cum audis *decies* pronunciari ea significatione, qua *millies est*, cogitari id tacitum includere *centies*, & dici pro

decies

decies centies? Hoc quum res ipſa inſinuet ſatis concilietque attente perpendenti, ut interdum mirer non occupatum pridem, & in noſtram tenuitatem dilatum eſſe, admittere noluit ὁ ἰδιογνώμων, quia ipſe non viderat, & quamvis nihil ipſe melius dare poſſet, aliorum maluit profectus impedire, ſe traducere, quam à nobis aliquid diſcere. Recoquit & errorem in *mille* ſubſtantivo: & quod ſcripſi, *mille hominum occiditur*, putat egregie ſe confu„ tare, cum ait: An ergo diceret, mille hominum occiſus eſt? Hoc cavillari eſt: nam per analogiam ſic dici poſſet, ſed renuit uſus: quemadmodum idem elegit, *horrendum clamat*, non admiſit, *horrendus clamatur*: etſi tamen hic intelligi poſſit *clamor*, quam illic *clamorem*. Deinde docet nos rem arca„ nam, dicendum eſſe & quidem ἀρχαικῶς. *Mille hominum occiſum eſt*. Et, quid ſubaudiretur? nihil ſane inquit. Sic vincit, quum reſpondet ſibi. At ſi mihi licet hiſcere quod non ab illo habeam, dicam: immo aliquid & quidem *corpus*, πρᾶγμα, χρῆμα, *negotium*, quod didiciſſe debuerat ex Minerva Sanctii vel Scioppii Grammatica Philoſophica vel denique Voſſii corpore rei Grammaticæ. *Mille drachmarum mutuum* quum dicitur apud Terentium, negat ſubaudiri debere *pondus*: non enim pendebantur drachmæ apud veteres, ſed numerabantur, jam ab eo tempore, quo à gravis æris uſu receſſerunt. Quis negat? At multa vocabula & verba pondus notantia & à pondere denominata ſignatæ jam & numeratæ pecuniæ aptantur apud ſcriptores veteres, quum appendi deſiiſſet, ex eo quod quandoque priuſquam ſignaretur & concideretur in facies minutas, æs adpenſum fuerat. An negabit *pondus auri* uſpiam dici pro numerato? Diomedontem Cyzicenum *magno cum auri pondere* veniſſe Thebas ſcribit Cornelius Nepos. Eos τρισμυρίους Δαρεικοὺς fuiſſe docet Plutarchus. Juſtinus auctorem Græcorum ab Alexandro defectionis *magno auri pondere* a Perſis corruptum Demoſthenem exſtitiſſe ſcribit lib. XI. Quis dubitet pecuniam fuiſſe ſignatam? Idem poſt mortem Alexandri vulgo militem theſauros & *grave pondus auri* velut inopinatam prædam ſpectaſſe refert lib. XIII. Poſt paulo ſubjicit fuiſſe *quinquaginta millia talentum*. Jam vero ſi *pondus* intellectum hic non haberet locum, an non mille drachmarum argentum, χρῆμα, πρᾶγμα, *negotium*
„ intelligi poſſet? Inſcitum eſt, inquit, quod exemplum e Cicerone adfert,
„ quo probet ejus ætate nummos appendi ſolitos. Incredibile quam ſtupidos, blennos, ſtolidos, ſtultos, concinnaverit amicos ſuos ὁ παυλοδαής, quoties eos amare deſierat. Mihi ut unquam in mentem venerit Ciceronis ætate nummos adhuc adpendi ſolitos, non numerari? ego id undecunque probare voluerim? Profecto tum inſcitus fui, ita ut numquam alias, & nunc quoque ſim licet, niſi ille inficetiſſimus verborum fuerit interpres meorum. Hoc ex Ciceronis loco colligere volui, quia ille dicit *mille nummum expenſum*, pro mille nummis numeratis, non incommode nos ſubintelligere *pondus* mille nummorum, etiamſi iſti nummi numerarentur. Poſtquam Cice-

ronis

ronis locum protuli, addidi: Dubitabis an hoc sit expensum pondus mille nummum, & posteriora duo vocabula patrico casu accipi? Quid enim expenditur, nisi pondus certum. Hæc verba aucupatur & calumniatur. At quis non videt, sensum illorum esse: quid expendi dicitur? aut, qua in re proprie adhibemus expendendi verbum, nisi quæ pondere constat? Sequitur enim: Nam hæ loquendi formæ cum plurimis notissimis aliis ex more veteri appendendi æris, etiam cum ille exolevisset, ac pecunia adnumeraretur, superstites fuerunt. Tantum abest igitur, ut probare voluerim Ciceronis ætate nummos appendi solitos, ut contra plane posuerim, morem adpendendi illa ætate exolevisse, & pecuniam adnumeratam & loquendi formas a pondere tractas mori exoleto superstites fuisse. Et quid aliud decernit, quam ego decrevi, cum quasi rem mihi contrariam dicturus addit: Sed ex
„ antiquo usu hoc verbum retinuerunt pro erogare & enumerare : id quod
„ Varro monuit, cui hac in re credendum: inde & *dispendium* & *dispensare*
& *compendium :* sed hæc vulgo nota. Nihil hic video, cui adversatus unquam fuerim: nedum ut hæc vulgo nota debuerim doceri. Ubi nunc illa memoria, cui etiam nolenti omnia adfixa hærebant? Certe enim æquiorem habuissemus, ni destertuisset se aliquando Franciscum Francum fuisse &
„ scripsisse adversus Antonium Cercoetium pag. 73. In omnibus nummis
„ pretium ex metalli sui pondere, nec nummus ullus sine pondere, quin
„ imo & nummi omnes σταθμοὶ sunt, & dicti sunt. Pag. 74. Numquid scis
„ aliquod olim nummi genus cusum esse, quod nullum habuerit pondus?
Pag. 80. Nummus omnis, ô magister, etiam pondus est, sed non & pon-
„ dus nummus. Pag. 81. Dico tibi chalcum, ut drachmam & obolum
„ ponderis simul & nummi nomen fuisse, quatenus nummi omnes pondera sunt. Si nummus omnis pondus, sive numeretur, sive appendatur, quare quum dicitur *Hoc mille nummum* non possum subaudire *hoc pondus mille nummum*, etsi numerentur illi, non ponderentur? Ne tamen maneret in eo, intra quod se vulgo omnes continuerunt, addit suum dogma, quantumvis
„ præceps & temerarium. Hoc *mille*, inquit, apud antiquos Romanos sub-
„ stantivum fuit singularis numeri & neutrius tantum generis. Et, num-
„ quam aliter loquebantur in exprimendo millenario rerum numero, quam
„ hoc modo, *mille nummorum*, *mille passuum*, *mille hominum :* quod poste-
„ riores ita expresserunt, *mille nummi*, *mille pondera*, *mille drachmæ*, *mille*
„ *passus.* sic τριγλύφες fecerunt quod erat μονογλύφες & pluralis numeri, cum es-
„ set singularis. Apud veteres significat non τοὺς χιλίους, neque τὰς χιλίας, ne-
„ que τὰ χίλια, sed τὴν χιλιάδα. Quid audio novi? Mille vetustissimis tantummodo fuisse substantivum, tantummodo singulare, tantummodo neutrius generis, tantummodo significasse χιλιάδα? Quemadmodum igitur antiqui Romani pronunciabant id quod est χίλιοι? Utrum credibile, illos ejusmodi voce caruisse, nec numerare potuisse ultra centum? an erat hoc ex du-
centis

centis vocabulis, quæ Latio deperdita se restituisse alicubi jactat? Profecto magna injuria Latium & nos adfecit, qui non hac occasione illud exprompserit, & nos docuerit, Quid Latine primis Romanis fuerint, χίλιοι, χίλια. Nam ut, quicquid usquam hominum Latine scivit, id hactenus censuerunt exprimi, tradideruntque, eam vocem negat hac significatione Romanis fuisse antiquis, eam sciscit tantum significasse χιλιάδα. Præterea non minus mirum est quod vult, amisso scilicet aut fastidito, quod primo denotabat χιλίους, χιλίας, χίλια, eam vocem quæ ab initio non nisi χιλιὰς pronunciabatur, productam a posterioribus ad explicandos χιλίους. Quid aliud dicam, si prius dicam fuisse πεντηκοντάδα vocabulum quam πεντήκοντα, prius ἑκατοντάδα quam ἑκατὸν, prius μυριάδα quam μυρίους, prius *centuriam* quam *centum*, prius *decuriam* quam *decem?* & illa quidem primitiva, hæc derivata esse? Potest autem definire nobis qui sint isti Romani antiqui, qui numquam loquebantur aliter, quam *mille nummum?* Neque enim nisi in Saliorum aut potius Faunorum vatumve versibus, nisi in aliqua Carmentæ nenia repererit, ostendere nobis illos poterit. Priscum putabam, ut appellatur, M. Porcium Catonem; antiqua & antiquario sermone concepta utique ante Catonem, æra legum: ex his tamen ille apud Gellium lib. 7 cap. 3. *Mille nummi dimidium familiæ mulcta esto.* Antiquum & archaismorum plenum credebam Plautum: non veritus tamen est dicere in Rudente: *Mille dabo nummos*, tum, *mille nummos dinumeravi:* & in Trucul. *Homeronidæ poetillæ mille.* Antiquarius Varro: ei tamen perinde lib. II de re rust. *mille naves iisse ad Trojam*, ut lib III. *intra mille annorum artes in Græcia repertæ.* Rursum quo continentur ambitu posteriores isti, quibus religio fuit dicere *mille nummum*, quique tantum expresserunt *mille nummi?* Non certe Cicero, Livius, Cæsar, Nepos: quippe qui *mille nummum, mille passuum, mille hominum* non refugerint. Non Plinius, Gellius, Justinus, Macrobius, Symmachus. Unus & idem Gellius lib. 9 cap. 11, *dari jussit mille nummum.* & lib. 6 cap. XII, *quid alia mille per hujuscemodi formam producta?* Censeo, si id exprimendum quivis antiquiorum habuisset, non aliter expressurum fuisse. Justinus lib. 31 cap. III. *decem millia peditum & mille equitum poscebat.* Sic enim MSS. Equidem nec antiquum novi ullum, qui non ausus fuerit dicere, si libuisset, *mille nummos*, etsi a Grammaticis notatum in vetustissimis potius alterum, ut figuratum & elegantius, nec posteriorem sinceræ Latinitatis, qui non *mille nummum* & similia: etsi Virgilius ea vitarit in versibus, quem non vitasse in sermonibus certum habeo. Tradidit quidem Gellius in his *mille* non poni pro eo, quod Græce χίλιοι dicitur, sed pro eo, quod est χιλιάς. sed nequaquam usque eo provectus est, ut diceret, veteribus *mille* numquam poni pro eo, quod est χίλιοι: semper pro eo, quod est χιλιάς. Sed ipse Gellius erravit, ubi negat hoc per figuræ concinnitatem admissum, sed directa ratione fieri statuit, quasi proprie *mille* sit

χιλιὰς, substantivum ex adjectivo factum. Dubitandum non est, ab ultima vetustate *mille* significasse χιλίες, & plurale, ut semper fuisse. Suspicari licet, initio pronunciatum, *hi milles* οἱ χίλιοι, *hæ milles* αἱ χίλιαι, *hæc millia* τὰ χίλια. postea ut expeditius numerarent, recisam literam, quæ nota erat generis & casus, omnique genere & casu usurpari cæptum *mille:* provisa ratione, qua solebant *S* in fine negligere primum pronunciato, dein & scriptura. Sic *milleis, milles, millis*, dein *mille* & *milli* generarunt, ut *treis, tres, tris*, postea *tre* & *tri* in compositis, ut *trepondo, treviri, tripus, tridens*. Mansit tamen & alterum neutrum, usu ab isto separatum, ita ut quæ non excederent eum numerum, dicerentur *mille*, duo vel plura dicerentur *millia*. Simplex ergo locutio est, *mille nummi, mille drachmæ, mille dea est operum:* at figurata, *mille nummum expensum, mille drachmarum mutuum, mille hominum occiditur:* duo enim genitivi per intellectum nominativi vel articuli dicuntur pro integra oratione constante ex nominativo & genitivis: eoque illis genitivis adjungitur adjectivum vel verbum absenti & intellecto nominativo re-„spondens. Si Lucilius dixit *milli* pro *mille*, quia *E* & *I* confundebant, non certe gloriabitur ab se nos hoc habere, nec negare poterit aliquando & nobis videri, quod illi visum sit, quando idem censuimus lib. 1 cap. x. Sed hoc nunc tueri non erat Salmasii, quippe qui hoc ipso contradicat auctori suo Gellio, & argumentum omnium speciosissimum ad probandum *mille* singulare neutrum sibi detraxerit. Gellius enim contendit Lucilium dativo singulari dixisse *milli:* quod si verum est, necessario concedamus oportet, & hoc *mille* singulari nominativo esse. Salmasius etsi singulare & substantivum velit, tamen pugnat contra indeclinabile esse *mille* & concedit frustra fingi a Gellio *milli* dativum, quum idem sit *milli* & *mille:* atque adeo *uno milli quærere centum*, non dici aliter quam Plauto *illo mille Philippeum*. Nihil nobis opportunius. *Mille* haud dubie Græcæ est originis, ut *centum, decem*, & cætera numerorum vocabula, non Hebraicæ, ut volunt. Potest deduci à χίλιοι. Vetustissimi Græcorum ante X inventam scripserunt ΚΗΙΛΙΟΙ. Inde abjecerunt K Latini, ut sæpe in similibus: sic ex χάω, χαίνω, χάσκω, *hio* & *hisco* fecerunt; ex χειμὼν *hiems*, ex χελιδὼν *hirundo*, ex χαμαὶ *humi*. Contempserunt dein & adspirationem, ut in multis Æoles. Præposuerunt *M*, ut ex Ἄρης *Mars* & *Mavors*, ex ἄρσην *mas*, ex ἅλς *mare* (nam Λ & P, & vicissim commutarunt, ut βαλιὸς *varius*, σίλφι, *sirpe*, χελιδὼν *hirundo*, uti dictum) ex ἄρδα *merda* (non enim ex μέρδειν quod nihil habet significatione conveniens) ex εἴλως *miles*, ex ὠνητὸς vel ὠνὴ *moneta*. Denique ΛΙ mutatum in LL, ut contra φύλλον *folium*, ἄλλος *alius*, ἅλλομαι *salio* genuerunt. Sic ex χίλιοι potest exstitisse *mille*. Quod si hoc operosius, ad μύελοι decurrendum est. Ut enim a φᾶρος, unde *parus* Latine fuisse monstrat *supparus*, deminutum φάρελον, Latine *parium*, cui testimonio *siparium*, procreavit denique *pallium*; ut μόρμυρος & μορμυρέλων piscis, quod insigne in galea gere-bant,

bant, gladiatorum genus *mirmyllones* (quod utrumque præclare proditum Salmasio) ut λείϱιον *lilium*, ita ex μύϱιοι contractum significatione *milliei*, & *millii*, *milli* & *millei*, *milleis* & *millis* analogia condidit: ex quibus *milli* & *mille* curtata retinuit usus usque ad Lucilium: deinde & *milli* repudiato solum *mille* sibi reservavit. Si Triboniano parcere volui in solœco *centies aureorum*, non peperci ei lib. II cap. V. Nam passim Tribonianum delevisse *sestertium* & supposuisse *aureorum*, non mihi exspectandum fuit, donec Salmasius alibi multis confirmaret: didiceram a Cujacio. Unum de hoc genere quum ab isto didicisse me putarem, in l. I π. XII D. de cognitionibus extraordinariis, *centum aureos* a Triboniano subrogatos *centum sestertiis* (adeo placitum auctori, ut Observationibus ad jus Atticum & Romanum in extrema pagina id adhærere juberet) mox animadverti pro lepore erinaceum, pro thesauro me tenere carbones: quum *centum isti aurei* sint ipsius Ulpiani non Triboniani, & eadem quæ Tacito & Plinio *dena sestertia*, vel *decem millia nummum*. Nimium melli fuit amico reprehensori, amicum „ dissertatorem non potuisse solvere nodum de denariis Romanis, nec com- „ ponere discidium (ut scribit) quod in hanc quæstionem incurrit, si de- „ narii tantum quatuor & octoginta libram Romanam conficiant, & si cen- „ teni in ea computentur. Non enim negari posse denarium majorem fuisse „ drachma Attica, ut sunt septem ad octo: nam septem tantum denarios in „ uncia fuisse & octo drachmas: itaque in libra tantum LXXXIV denarios. Quid dissertator (hoc unum, opinor, est ex ducentis vocabulis, quibus auxit Latinam linguam) potuerit, palam est, & æstimabunt medii ac neutrarum partium homines, qui, vir iste magnus

non si quid turbidus ira
Elevet, accedant examenve improbum in ista
Castigent trutina.

Nunc tantummodo videbimus, numquid solertius eum nodum solvere potuerit Franciscus Francus. Pag. 55 ita loquitur, ut hic dictis videatur „ consentire. Milliarenses in libra sexaginta cudebantur, denarii vero „ quatuor & octoginta: sic in uncia argenti quinque milliarenses inibant, „ septem denarii. At tertio post versu pag. 56. Denarium illum quem septi- „ mam aut octavam unciæ argenteæ partem pensasse certum est. Paulo „ post: denarium quem unciæ argenti partem septimam fuisse nemo nescit. „ Rursum tertio post versu: denarium argenteum sive drachmam, quæ un- „ ciæ argenti octavam pendebat. Mox: denarius argenti, qui drachma „ erat, & octavam tantum unciæ argenti partem pendebat. Pag. 58. Dena- „ rium in argento octavam tantum unciæ aut etiam septimam partem appen- „ disse nemo ignorasse possit. Pag. 74. Denarius metalli sui, hoc est, ar- „ genti, σταθμῷ, non plus pendit quam unciæ octavam. At post paulo: dena- „ rium Romanum, qui septimam tantum unciæ pendebat. Pag. 75. cum satis

„ constet denarium in argento septimam tantum unciæ partem ponderis ha-
„ buisse. Pag. 76. Denarius nummus erat, qui septimam pendebat unciæ. At
„ pag. 82. Aut stulte credidisti, aut improbe aliis persuadere voluisti, nos de-
„ narium quindecim unciarum fecisse, qui octavam partem pendebat unciæ.
„ Pag. 77. Hi denarii in argento sive metallo suo pondus habebant drachmæ
„ unius. Pag. 79. Denarii sunt drachmæ, quæ centenæ minam explent. Sic
„ & pag. 80. Drachma quæ singularis nummus est & pars centesimæ minæ,
„ haud minus etiam ὁλκὴ est octavam pendens unciæ partem. Et pag. 56. De
„ quibus denariis Glossæ illæ intellexerint, non est dubitandum, cum centum
„ denarios τῷ ἀργυρῷ, id est, minæ argenti, imputant, quam ἀργυροῦν appellant.
„ Et pag. 63. Epiphanius ipse in hac follis dinumeratione, qui ex denariis col-
„ ligebatur, non pro minuto æreo τὸ δηνάριον posuisse, sed pro denario argen-
„ teo clare clamat: duo ἀργυροῦς cum dimidio ducentis quinquaginta dena-
„ riis æstimat. Ita singulis ἀργυροῖς centum denarios attribuit. Τοὺς ἀργυροῦς pro
„ minis eum accepisse certum est: sic & τὰ δηνάρια pro denariis argenteis vel
„ drachmis, quæ centenæ minam, hoc est ἀργυροῦν explent. At pag. 59. Ve-
„ rum milliarenses in libram argenti sexagenos fuisse cusos, quare graviores
„ drachmis antiquis fuerint necesse est. Etenim drachmas in libram argenti
„ nonaginta sex feriri justum erat. Confutationis pag. 100. Milliarenses ar-
„ gentei non paulo graviores erant drachmis: centum quippe drachmæ in li-
„ bram argenti cudebantur, cum LX tantum milliarenses in libram incurre-
rent. Ex his omnibus quid colliges? Denarius scilicet est ejusdem ponde-
ris, cujus drachma: immo denarius est drachma major. Denarius vel drach-
ma est octava pars unciæ: imo denarius septima aut octava: imo denarius
est tantum septima, drachma octava: imo, si ei ad Solinum credimus,
drachma est sexta pars unciæ. Denarii vel drachmæ centum referebantur
in minam sive libram: immo denarii quatuor & octoginta, drachmæ cen-
tum: immo nec centum, sed solummodo sex & nonaginta. En virum aut
heroa tibi, qui scierit, nodum solvere de denariis Romanis! qui merito in-
sultet exprobretque aliis non potuisse componere dissidium, quod in hanc
quæstionem incurrit per denarios & drachmas. Quis se contineat, nec e-
rumpat cum Comico?

Missa hæc faciamus. non te dignum Chærea
Fecisti. nam si ego dignus hac contumelia
Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen.

Unum pæne oblitus. Quum toties dixerit, in loco Epiphanii ἀργυροῦν esse minam, quæ centum denariis valebat, ut pag. 105 confutat. follem ex duabus argenti minis & semisse, hoc est, ducentis quinquaginta denariis sive drachmis compositam fuisse advers. Cercoeth. pag. 65 & 77 & 78. follem in argento collegisse minas duas cum dimidia, hoc est denarios ducentos quinquaginta pag. 79. (nam *quinque* hoc postremo loco adjectum est per

calami

calami errorem) quum toties, inquam, hæc iteraverit; quibus omnibus centum denarii in libra sive mina statuantur, in dimidiata seu hemimnæo quin-„ quaginta: tamen adeo excidit sibi pag. 64, ut scriberet: φόλλις κατὰ δηναρισμὸν ex ducentis quinquaginta denariis constans tres libras argenti, „duobus denariis minus continebat. Nam octoginta quatuor denarii in libra „ argenti Romana cudebantur. Hui tres libras! at putabam duas cum dimidia. Adeo nihil habuit, in quo consisteret ille, cui tam lætum est nos cum eodem nodo luctatos, ut nullo magis argumento nos cæptis impares, se solum parem vincere velle videatur. Et tamen sicubi hæsimus, nec satis expedire nos potuimus, cum iisdem hæsimus, quibuscum omnes, qui hoc saxum volverunt: quorum interim nemo tam inconstantia scripsit, quam Franciscus Francus: nemo omnia simul, toties adversis frontibus pugnantia, nulla distinctione conciliata adfirmavit: quæ ratio si valet, si licet idem prorsus prout commodum est, nunc probare, nunc improbare, nec interest, concedas an neges, quod puncto temporis ante contrarium feceris: facile est esse vel Salmasium, hoc est, nusquam hæsitare. Quod si postea habuit aliquid exploratius, cur non profertur? cur non eundem facit conscium altioris scientiæ suæ, cui tantopere studet fidem facere meæ imperitiæ? Cur hic non eodem modo defungitur, quo superius *decies sestertium* transiluit, nostra labefactans & subruens, ipse nihil ædificans? Sed longe pejus hic se dedit. Nihili sunt, quæ adhuc tetigimus præ admirabili artificio & vaferrimo commento, quo ex loco tam lubrico evadit, & ejus quod ipse multo minus definire poterat, quam me non potuisse exsultat, ignorationem dissimulat. Ingerit enim, quod neque ille ad quem scribebat, neque ipse qui scribebat, neque quisquam omnium, qui legit, intellexit, ut aliquid abstru-„ sum & reconditum neminique exploratum scire videatur. Sed, inquit, ali-„ ter se res habuit, cum ad sestertium ratio ducebatur, & cum ad denarium. Hæc mimicis frustrationibus par est illusio. Quis enim hoc legit, quin suspicetur ex varietate rationum conficiendarum, ad sestertium & ad denarium, aliquid colligi & collectum esse Salmasio, quo illud dissidium de denariis & drachmis in libram incurrentibus componatur. Ecce & rursus insul-„ tat: utriusque rationis differentiam notare ejus erat, qui intricatum hoc ar-„ gumentum susceperat. Grates Deo: quid sit *rationem ducere ad sestertium*, quid *ad denarium*, notavimus nihil ab illo adjuti, & ita palam fecimus lib. III cap. X & XI & XII, nemo ut paulo humanior in eo scrupulum sentire possit. Rogo te, lege, relege, excute, versa tenaci forcipe: si minimum ibi vestigium est, quo perveniri possit ad dissidium componendum, aut tollendam difficultatem, quam subtilis differentia denariorum & drachmarum movit; nihil recuso, merito plectamur, nec sit in ista epistola quidquam bilis aut injustitiæ. Rationes ad denarium & ad sestertium duabus rebus differebant, primo quod alius est nummus denarius, alius sestertius; deinde

 quod

quod minutiæ excurrentes in rationibus ad denarium vocabulis æris, in rationibus ad ſeſtertium vocabulis argenti ſignificabantur. Sive autem ad denarium, ſive ad ſeſtertium duceretur ratio, eadem ſumma Latinis erat vel mille ſeſtertium vel ducenti quinquaginta denarii, & Græcis ducentæ quinquaginta drachmæ: eadem ſumma Latinis mille denarium & quatuor millia ſeſtertium, Græcis χίλιαι δραχμαί. denarium vel quatuor ſeſtertios ponebant Latini, ubi Græci δραχμὴν vel ἓξ ὀβολούς. nummaria libra Latinis centum æſtimabatur denariorum, ut mina Atticis centum drachmarum: quantocunque etiam numero vel denarii vel drachmæ ſive ex libra ſive ex mina ferirentur. Hoc caput & fundamentum eſt omnis veterum pecuniæ feliciter cum inter ſeſe, tum cum hac, quæ nunc verſatur, comparandæ, quod quicumque moroſa ſubtilitate convellere ſunt conati, hæſerunt & duxerunt ad Syrtes, unde nulla evadendi via. Nec negat hæc Salmaſius: immo hac ipſa ratione ad Pallium Tertulliani, & paſſim in ſcriptis ſuis ubique utitur. Quid igitur hic oggannit de differentia denarii & drachmæ? Nolebat idem viſum mihi quod ſibi. Quid de rationibus ad ſeſtertium & ad denarium? Nihil quidem, quod faciat ad hunc Dionyſum: ſed ipſum Abracadabra, ipſum Nævii Butubatta, quod ſuſpendat retineatque admirantes, quod non intelligunt, quorum multi non audent rogare, quia neſciunt quid ſalva eruditionis opinione ignorare liceat, eoque verentur, ne ignoratio ſit inſcitiæ confeſſio: rogantibus erat objecturus locum Voluſii Mæciani, quem numeris Platonicis obſcuriorem & Sibyllæ folia vocat Hotomannus, & inſuper, nunc non vacare, ſed in commentario de re nummaria ſe primum & ſolum Helicona iſtum pandere. Si nihil novi eo in opere docui Salmaſium, nihil factum eſt novi. Sunt enim τῶν πρός τι docere & diſcere, & vicem requirunt. Tam qui diſcere debet, quam qui docere, ſtudium & mentem adhibeat oporteat. Nequicquam docet, quem ſpernit, illudit, averſatur, qui audit. Vereor tamen, ut verum ſit, nihil novi docuiſſe illud opuſculum. Nam ſi nota omnia & vel ab aliis quoque trita vel ſibi antea pertractata reperiſſet, aut veris dediſſet manum, aut ambigua melioribus mutaſſet. Neutrum potuit. Quæ de τοῦ *decies ſeſtertii* origine primi ſolique, de τοῦ *mille drachmarum expenſum* compoſitione poſt Sanctium Scioppiumque veriſſima & indubitata, de conciliandis opinionibus auctorum, quorum alii LXXII, alii LXXXIV, alii XCVI, alii centum denarios vel drachmas libræ tribuunt, & modo denarium eundem quem drachmam, libram eandem quam minam, modo diverſas faciunt, probabilia & ſimilia veris attulimus, nec cepit, nec his ſaniora obduxit alia. In medio vulgarem errorem ita tuetur, ut eum graviore proprio accumulaverit: primo ne tentavit quidem quicquam opponere tanquam ſuum & melius: in tertio fucum facit & egregie os ſublinit conſultori ſuo. Sic apparet & nova ei fuiſſe noſtra, quæ propter novitatem adſecutus non eſt, nec ſatis agitata & excuſſa ipſum habuiſſe

buisse sua, quæ contra nostra se approbaturum non sperarit. Si extra rem aliquot emendationes adduxi partim veras, partim falsas, est quo me consoler, habeo aliquid Salmasii. Quis enim unquam mortalium, qui unquam calamum chartæ admoverunt, tam multa extra rem loquitur, & remotissimis, prolixissimisque excessibus cruciat, obtundit, occidit lectorem, ita ut in omnibus scriptis jure suo facit noster? Non negabo, quoties ingenii nervos intenderat, nec festinationis aut iracundiæ æstu auferebatur, tantum de rebus abstrusissimis prodidisse veri, quantum aut neminem aut paucissimos ævi nostri. Adeo tamen nihil humani debuit ab se alienum putare, ut in plurimis eum falli, etiam hujus tanto cum strepitu arreptæ, tanta cum invidia vindicatæ materiæ satis demonstraverimus. Nec diffitebor necesse esse, ut hoc multo sæpius accidat mihi, cui non tam felix indoles pectoris, non prima institutio, non pax temporum & locorum, quibus ætas agenda fuit, non fortuna domus & vitæ, non otium, non inspectæ bibliothecæ, non memoria rerum & verborum, non favor & applausus a primis etiam rudimentis, nihil denique par aut simile, sed dura omnia ab initio ætatis proposita fuere. Inde nobis modestia votorum, & animus parvo lætus facileque patiens qualescunque præferri, nec adfectatum unquam, quod haberet rivales. Inde fuga simultatum, & falsorum amicorum perfidiam dissimulare potius quam ulcisci, si forte uno flagitio contenti esse, & quem gratis læserant, in reliquum possent non ut læsi odisse, ne ex studiis quidem sperata supra mediocritatem, aut petita per ambitum fama, magis ut conscientiam utilis laboris quam mirificos aut latos plausus sequeremur. Inde timor & pallor in scribendo, & nemini tardius satisfacientia quæ bene cesserunt quam auctori. Inde agnoscere & minores mediosque etiam & imperfectos doctorum impetus, si profuissent, prædicare; erga superiores reverentia quamvis deprehensos, ut illis, qui a vino redeuntem serius Catonem; nulla in quemquam æmulatio. Quum ad Senecam notarem in his, *Deesse sibi in sumptum*, male Pincianum duas voces in unam contraxisse, & fecisse *insumptum*, poteram comitem ei dare Salmasium, & addere, in Notis ad Historiam Augustam quasdam emendationes partim veras, partim falsas adduci. Favi linguis & gloriola tanti paris æquo animo carui. Quum lib. IV Observat. cap. XXIV Valerio Maximo defenderem *negotiationem* fæneratorum & Iuvenali *Prædam caballorum* prætorem, rursus exemplum, & quidem duplex erat, non omnes emendationes Notarum istarum esse Augustas: immo & licebat explodere voces nihili, *necationem* & *perdam*. Imperavi mihi & dixi, καὶ ταῦτά σοι δόγμα κείσθω. Quum restituerem nobilem Troadum locum lib. II Observ. cap. X, *Sortem occupavi, præmium eripui tibi*, jus erat præfandi Plinianas Exercitationes adducere extra rem quædam vere, alia perperam emendata: jus erat præfandi Salmasium in istius versus lectione & sententia eruenda plane cæcutisse, & emen-

emendationem ejus carere ratione: qua verborum humanitate ibidem Scaliger excipitur. Quum in Obſervatis ad ſcriptores Eccleſiaſticos monerem apud Tertullianum dici Vedium Pollionem de piſcibus cogere feras, quaſi *teneræ beſtiæ eſſent edentulæ & exungues & excordes*; ſine mendacio præmiſiſſem, Pallium Tertulliani Salmaſianum conſutum eſſe ex emendationibus quibuſdam veris, partim falſis. Sed & qui omnia me vult ab ſeſe habere, ab eo ſumere potuiſſent, qui terrenas beſtias putent eſſe piſces maritimos in vivario, eos eſſe ipſos terrenas beſtias. Utroque loco non modo contumeliam, ſed etiam mentionem diſſenſus abſtinui. Et hoc ſolum (ſic loqui de bonis & doctis viris) exceperam, ne diſcerem, paratus alioqui omnia diſcere ab illo, qui nihil a nobis voluit. Adeo non ardebam ſciri veniſſe in mentem mihi, quæ illum fugerant, adeo non æmulum quem comprimendum haberet, me ſibi fingere debuit, non ἀξιοθριάμβευτον putare, aut tanti facere, ut ſe magnum non crederet, niſi hominem ultro ſibi obnoxium obtriſſet, ac conculcaſſet. Nam in priſca re nummaria, quam ille omnem promiſerat, tantillum tentare, quod præſertim in tot ejus materiæ præcerptis præfloratiſque per omnia opera partibus nuſquam apparebat aut tenuiſſe aut elimaſſe ipſum, non erat æmuli, ſed bono ſuo ſine cujuſquam injuria utentis, & quod poſſet, in publicum conferentis. Sit autem τοῦ *Tribus* ἔτυμον potius τὸ τριττὺς, quod toties poſt illa inculcavit, cur tamen tam ridiculum deduci a *tribuo*? niſi quis hilaris ſolummodo malis, ringi ſolitus lætis alienis, omne ridiculum putet, in quo offenderit. An non ſic & *acus* ab *acuo*, *rus* a *ruo*, *thus* à θύω derivanda videntur? illud notum eſt, ut in originibus multa feliciter conatus eſt noſter, ita nonnunquam deriſum effugere non potuiſſe: ut in ipſo *Pondo* a σατὸς trahendo, ubi etiam Æoles illi ſuum Π ἀντὶ τοῦ Τ nequicquam commodant. Cæterum jamdudum exploratum eſt nobis, Romulum diviſionem populi Romani ſuam a Græcis ſumpſiſſe. Athenienſium aliquando quatuor erant φυλάι. ſingulæ φυλαὶ in tres Τριττύας ſecabantur. ſingulæ Τριττύες in triginta Γένη. Romulus omiſſis φυλᾶις, reddidit Τριττύας *Tribus*, Γένη *Curias*, ſervans eundem numerum non in ſingulis ſed in omnibus tribubus. Hoc quoque vocabulum Græcis debetur: his enim Κυρία Εκκλησία, ἡ ἐκύρου τὰ ψηφίσματα, legitima concio, quæ auctoritatem publicam habet, quæ quod ſtatuit, populus juſſiſſe putatur. Quod majori numero capitum τῆς κυρίας viſum eſt, id τῇ Κυρίᾳ ſeu concioni vel populo placuit. Romulus eam vim vocis contraxit, & non quidem concionem totam, ſed eas partes concionis, quarum quod major numerus comitiis probaſſet, concio accepiſſe exiſtimabatur, ſingulas dixit *Curias*. Ab his & fanum quod unaquæque Curia ſeparatum habuit, *Curiæ* nomen accepit. Et quia quo corpora illa coibant ſacrorum cauſa, Curiæ vocabantur, locus etiam quo conveniebat publici conſilii corpus, quod in multis cauſis pro τῇ Κυρίᾳ erat, & pro omni populo Romano decernebat, Senatus nimirum, *Curia* vocatus. Varro lib. IV de

de Lingua Latina. *Curiæ duorum generum. nam & ubi curarent ſacerdotes res divinas, ut curiæ veteres, & ubi ſenatus humanas, ut curia Hoſtilia, quod primus ædificavit Hoſtilius rex.* Ex quo apparet curiarum nomen pro parte populi & pro cujuſque illius partis templo fuiſſe ante uſurpatum, quam pro domo publica ad excipiendum ſenatum, & hanc illarum imitatione ſic appellatam. Nam quod *curandi* verbum interponit, alludit ille quidem ad falſam opinionem, quæ paſſim obtinuit, à *cura* dictam curiam, non tamen quo iſtud verbum συγκυρία quadam huc quadrat, ſaniori rationi præjudicium facit. Feſtus: *Curiæ etiam nominantur, in quibus unius cujuſque partis populi Romani quid geritur: quales ſunt eæ in quas Romulus populum diſtribuit numero triginta, ut in ſua quiſque curia ſacra publica faceret, feriaſque obſervaret.* Illud notum eſt, ut in originibus multa feliciter conatus eſt ὁ πάνυ, ita nonnunquam deriſum effugere non potuiſſe, ut in ipſo illo *pondo* a σπῶς trahendo, ubi etiam Æoles illi ſuum Π ἀντὶ ℥ Τ nequicquam commodant. Varronis locus eſt lib. III de re ruſtica extremo: *In Bajano autem tanta ardebat cura, ut architecto permiſerit, vel ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus e piſcinis in mare, objectaculo quo æſtus bis quotidie ab exorta luna ad proximam novam introire ac redire, rurſus in mare poſſet, ac refrigerare piſcinas.* P. Victorius notavit in MSS. *in Bajano aut ardis tanta:* quod ita refert ut taceat, deſintne in iiſdem, quæ ſequuntur ejus membri, *ardebat cura,* an non. Scaliger accepit quaſi deeſſent, & adducit: *aut ardis tanta ut:* unde conjicit: *ardis tanta, ut architecto.* Hunc ſecutus Au. Popma pariter advocans: *aut ardis tanta ut:* facitque: *In Bajano haud par, ſed tanta.* Lubrica hæc mihi viſa, quia neuter illorum veteres libros inſpexit, ſed quos nominant, a Victorio habent: ille autem finiebat in τῷ *tanta*, nec appoſuerat τὸ *ut.* Itaque verebar, ne in MSS. fuiſſet: *in Bajano aut ardis tanta ardebat cura ut:* eoque tentabam: *In Bajano margine tanta ardebat cura, ut architecto permiſerit.* In poſteriori editione totum hunc locum omiſi, quia non magnopere conjecturæ fidebam, & non hac tantum parte laborare videbatur, nec facile ſanandus, niſi veteris & valde boni libri ope. Ille non tam facilis ad vertendum ſtylum, impingit nobis, quod ad Solinum quoque venditaverat: *In Bajano ardes tanta, ut architecto.* Sed primo hæremus in eodem luto dubii, abfuerint a MSS. illa, *ardebat cura*, an adfuerint, nec auſus eſt definire certum, ut in illis fuerit. Dein quid hoc eſt abrupti: *In Bajano ardor tantus?* aut quis ita loquitur, quum in præcedentibus nihil ſit, unde, quæ deſunt, in hac oratione ſupplere poſſis? Denique haud ſcio quid aliis, mihi quidem frigida ſemper *ardes* iſta pro ardore viſa eſt, nihiloque ſartior tectior, quam *colium* & *coligo*, *inhoſtus*, *cuſpes*, *cuſpitis*, *militina*, & quales effinxit alias voces multas. Probat eam auctoritate veteris Poetæ apud Nonium: *arde fœta lampade*, pro *lampade* ardore fœta. Vetus ille Poeta eſt Varro in Satira, γνῶθι σεαυτόν. *Non videtis unus ut par-*

vulus Amor ardi fœta lampade arida agat amantes, æstuantes. Sed hæc quoque mihi valde suspecta, & vereor, ne corrupto, ut sæpe, codice deceptus sit Nonius, scripseritque Varro: *ardefacta lampade:* id est, incensa, ardente. Etenim *ardefacio*, ut *calefacio, tepefacio, fervefacio,* quæ non ex *cales* & *tepes* & *ferves,* sed ex *calere* & *tepere* & *fervere* cum verbo *facio* duplicatis exstitere. Et amat hæc verba Varro: veluti, quum ait: *quæ sole perferve ita fit, ut radices satorum comburat, & consue quoque faciunt, ut alligari possint: & quæ tunc innumerabiles excandefaciebant annonam: & sexaginta millia Fircellina excande me fecerunt cupiditate.* Non vult tamen ut ista rescifcam. Crudelis clementia est, morsum, rosum, punctum, laceratum, prohiberi tumores ac vulnera sentire vel ob succrescentis gangrænæ metum. Sed bene habet: Ajax cecidit Atridas & Ulyssem. Si qui alii nobis sugillatis & sauciis lætabantur, præstigiis & mimicis artibus petiti sunt. Secuit nos novacula, qua sibi Giton cervicem præcidit: *Fragili quærens elidere dentem offendit solido.* Vide autem quanto proclivius sit exigere officium quam præstare. Decuisse contendit se a me literis moneri & rogari, qua de re vellem scribere, ut id se volente mihi liceret: quod nec necesse fuit, nec fieri commode potuit. Quanto magis decuit, nunc me ab ipso literis moneri & juberi, quæ viderer errasse, aut corrigere, aut rationibus defendere? Hoc est fidi pectoris amicum concastigare privatam ob commeritam noxam; non inscium ipsum aliis comedendum & deridendum propinare. Nec ignorabat me admonitionum esse tolerantissimum. Quoties ei obtuli aliquid a me publicandum vel publicatum, serio rogavi, severum ac minime ambitiosum judicium faceret; quoties fecit, benigne tuli, & ultro grates egi. Si ob has quisquilias grave est amicum perdere, multo gravius eundem traducere ac vilem facere patronis & fautoribus suis. Nam quem quis sic perdit, eo caret non invitus: at patronum quis volens amittit, præsertim per causam ingenii ac morum gravi testimonio improbatorum? Quem locum inter familiares ejus obtinuerim, quum hanc epistolam daret, satis ostendit, quum ait, me amicitia ejus usurum, quamdiu voluero. Sic enim loquimur de illis quos nihil moramur, nostri nonsint an alieni. At quos vere amamus, etsi quid suspicionis intervenerit, statim missos facimus, sed & in gravi peccato ad pœnitentiam revocamus, & vel judicii nostri tuendi ergo labantes retinere laboramus. Itaque & male præsagit non diu futurum, ut amicitia ejus utar. Nam hoc præsagium mea „ irritum patientia effecit, quum ex multis & dictis & factis ejus aliis mihi constaret, me animo viri excidisse, vel potius sic hærere, ut excidisse mallem. Sed hæc abierunt, neque unquam mihi erunt tam amara, ut bona ejus detrectem, nec si quid in me ferre non potuit, ubi eo nomine apud æquos judices me purgavi, id magis tribuam malitiæ quam insitæ infirmitati. Aperit tandem totum mysterium, & oportuit me nihil recte neque fecisse, neque „ dixisse, quia totus Heinsianus eram. Hinc illæ lachrymæ. Ego vero si Hein-

Heinsianus, quia Heinsium colui ob summas, quibus eum Deus ornaverat, ingenii dotes, & ob summa tam in rem literariam omnem, quam in me beneficia, non modo Heinsianum me fateor, sed etiam glorior, nec Heinsianum modo, sed & Salmasianum & Grotianum & Vossianum, & tot aliorum, quos passim literarum principes adolescens majores natu observavi;

Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας οὐδὲ ἴδωμαι
Οἷον Πειρίθοόν τε Δρύαντά τε ποιμένα λαῶν.
Καινέα τ' Ἐξάδιόν τε καὶ ἀντίθεον Πολύφημον,
Θησέα τ' Αἰγείδην, ἐπιείκελον ἀθανάτοισι.
Καὶ μὲν τοῖσιν ἐγὼ μεθομίλεον.

Sin Heinsianus partium nomen est, & sic dicitur, qui solum Heinsium esse aliquid putaret, cæteros nihil; qui si quos illi fecisset infestos sors communis (neque enim ulla est innocentia tanta, multo minus gloria, ut ei desit obtrectator) eosdem injunxerit sibi, & offendere atque irritare festinaverit, ut placeret uni addictus; nec Heinsianus talis unquam fui, nec unquam qui fuerint alii, scio. Vivebant uno tempore Heinsius, Salmasius, Cunæus, ejusdem Academiæ ingentia decora, municipio magis quam voluntatibus conjuncti, ut vulgo jactabatur. Neminem propterea scelestum aut improbum ducebam: sed cogitabam id fieri humanitus, ut nihil convenisse inter Themistoclem & Aristidem, inter Africanum & Catonem, inter alterum Africanum & Metellum, & plura præstantissimorum virorum inimicorum quam amicorum paria legimus. Memineram quod scribit auctor Dialogi: *nam quod invicem se obtrectaverunt, & supersunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium, sed hominum. Nam & Calvum Asinium & ipsum Ciceronem credo solitos & invidere & livere & cæteris humanæ infirmitatis vitiis affici.* Itaque neminis hoc apud me leviorem reddebat existimationem, neque deterrebar, quin suspicerem, sectarer, ambirem omnes, & multa intelligerem in singulis, quare qui cuivis illorum, quum frui possent, consuetudine carerent, infelices judicarem. Ad Heinsium divertebam, quoties venissem Lugdunum: ex ædibus ejus egressus, quoties libuisset, Salmasium aut Cunæum visitabam: sermones, quibus ego proficerem, non arcanos illorum morbos denudarem: ab his ad Heinsium nihilo mihi tristiorem revertebar. Liberum ne noram, nec sic esse tum prohibebat Salmasius mitior & moderatior: quod postea in superbiam mutatus pati negavit. Tunc Heinsianus erat, quisquis quos ille, quotidie plures amicorum communium, plerosque levibus aut nullis de causis, odisse incipiebat, ad signum ab ipso datum odisse nollet. Decet scorpii caudam esse venenatam in primis. Referebat igitur in fine sciri, tantis nævis insignem apparuisse libellum nostrum etiam percurrenti
„ nondum compactum oculo properante. Subjicitur enim sic cogitandum, quid futurum fuisset, si ligatum & tractabiliorem fixo & hærente obtutu,

 velut

velut emptor aut laniſta, diligenter inſpexiſſet: me vero non indoctum modo, ſed hebetem quoque & incautum, cui neſciat ſuppuratum ulcus mentiri ſanam cutem: & quaſi tam ſupine ac ſecure peccarim, ut nihil ſit vitiis meis obtentui, & quamvis aliud agentibus ea neceſſe ſit in ſolum & ante pedes venire. Sane credo ſi paulo conſideratius & otioſius, ſi placidus integerque ac ſuus, nec obſtinatus omnia retexere & improbare ad rem acceſſiſſet, exorſa noſtra emendaturum fuiſſe: nunc nimis verum eſt & oculos ejus inter legendum & manum in ſcribendo properaviſſe, ut mens officio fungi, & vel cauſam meam diſcere vel de cognita pronuntiare nullo modo potuerit. Sed & multa notavit alia, in quibus οὐκ ὀρθοποδοῦμεν. Quaſi faſcinum metueret, ſi certa tantum annumeraret nobis, addit *multa*: ut ſcilicet nihil ſalvi, nihil non ſuſpecti relinqueret, ac velut vulneribus confoſſum tandem excoriaret, & omnia unum vulnus faceret. Notavit *multa*, quibus & certa, fugientibus oculis & per hoc fallentibus: quales remi partem aquis merſam notant obliquam & refractam: quales quadrata eminus notant rotunda; qualibus denique

Eumenidum demens videt agmina Pentheus
Et ſolem geminum & duplices ſe oſtendere Thebas.

Vale, mi Clementi. Finiebam Hamburgi a. d. IV Kal. Septembres CIƆ IƆ C LVI.

FINIS.



ΠΑΛΑΙΑ ΛΟΓΑΡΙΚΗ.
VETUS RATIONARIUM.

ΑΡΧΗ
ΣΥΝ ΘΕΩ ΤΗΣ ΠΑΛΑΙΑΣ ΛΟΓΑΡΙΚΗΣ ΤΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ.

CUM DEO INCIPIT VETUS RATIONARIUM AUGUSTI CÆSARIS.

Ἰστέον ὅτι δώδεκα μιλλιαρήσια ἢ δώδεκα ἀργυρέα τῷ νομίσματι λογαριάζονται εἰς τὸ Σέκρετον τοῦ Γενικοῦ· τὸ γὰρ μιλλιαρήσιον ἀντὶ ἀργύρου λογίζεται· τὸ δὲ ἀργυρὸν ἀντὶ μιλλιαρησίου.

Sciendum duodecim milliarenses aut duodecim argenteos pro colido duci apud Secretum ærarii. Milliarensis enim pro argenteo putatur, & argenteus pro milliarensi.

Τὰ ἐπερωτήματα τῆς λογαρικῆς τοῦ Γενικοῦ.

Notæ Rationarii.

Τὸ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον, φόλλεις ἕξ.

Pars octava & quadragesima, sive sicilicus, folles sex.

Τὸ εἰκοστὸν τέταρτον, φόλλεις δώδεκα.

Pars quarta vicesima, sive semuncia, folles duodecim.

Τὸ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον, φόλλεις ὀκτωκαίδεκα.

Pars XXIV & XLVIII, semuncia sicilicus, folles XVIII.

Τὸ ὄγδοον, φόλλεις τριάκοντα ἕξ.

Pars octava, sescuncia, folles XXXVI.

Τὸ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον, φόλλεις τεσσαράκοντα δύο.

Pars octava & quadragesima octava, sescuncia sicilicus, folles XLII.

Τὸ δωδέκατον φ̃ μιλλιαρήσιον ἕν.

Pars duodecima sive uncia milliarensis.

Τὸ ἕκτον ϛ̄ μιλλιαρήσια δύο.

Pars sexta sive sextans milliarenses duo.

Τὸ τέταρτον αφ, μιλλιαρήσια τρία.

Pars quarta sive quadrans, milliarenses tres.

Pars tertia, triens, milliarenſes quatuor.	Τὸ τρίτον β˜, μιλιαρήσια τέσσαρα.
Pars tertia & duodecima, quincunx, milliarenſes v.	Τὸ τρίτον δωδέκατον β˜φ, μιλιαρήσια πέντε.
Pars dimidia, ſemis, milliarenſes ſex.	Τὸ ἥμισυ μιλιαρήσια ἕξ.
Pars dimidia & duodecima, ſeptunx, milliarenſes vii.	Τὸ ἥμισυ δωδέκατον Γ˜φ, μιλιαρήσια ἑπτά.
Pars dimidia & ſexta, bes, milliarenſes octo.	Τὸ ἥμισυ ἕκτον, ἤτοι ∠ δ', μιλιαρήσια ὀκτώ.
Pars dimidia & quarta, dodrans, milliarenſes ix.	Τὸ ἥμισυ τέταρτον Δφ˜, μιλιαρήσια ἐννέα.
Pars dimidia & tertia, ſextans, milliarenſes x.	Τὸ ἥμισυ τρίτον ξ˜, μιλιαρήσια δέκα.
Pars dimidia & tertia & duodecima, deunx, milliarenſes xi.	Τὸ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον ξ˜φ, μιλιαρήσια ἕνδεκα.
Pars dimidia & tertia & ſexta, as, milliarenſes xii.	Τὸ ἥμισυ τρίτον ἕκτον ς˜, μιλιαρήσια δώδεκα.
Et ſimul ſcriptura ſolidi unius computata juxta Secretum ærarii ſic.	Καὶ ὁμοῦ χάραγμα νομίσματος ἑνὸς συμψηφιζόμενον κατὰ τὸ Σέκρετον τοῦ Γενικοῦ οὕτως.
Sic autem ſe habet & exactio dicerati ex præſcripto Secreti.	Ἔστι δὲ καὶ ἡ ἀπαίτησις τοῦ δικεράτου κατὰ τὸν τύπον τοῦ Σεκρέτου οὕτως.
In ſicilicum ſolidi exige diceraton follem: ſimul (vel ſumma) cum dicerato folles ſeptem.	Εἰς τὸ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλιν ἕνα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις ἑπτά.
In ſemunciam ſolidi exige diceraton follem: ſimul cum dicerato folles tredecim.	Εἰς τὸ εἰκοστὸν τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλιν ἕνα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις τρισκαίδεκα.
In ſemunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles duos: ſimul cum dicerato folles viginti.	Εἰς τὸ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις δύο· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις εἴκοσι.
In unciam ſolidi exige diceraton folles duos: ſimul cum dicerato folles ſex & viginti, ſive milliarenſem folles duos.	Εἰς τὸ δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις δύο· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις εἴκοσι ἕξ· ἤτοι μιλιαρήσιον ἓν φόλλεις δύο.
In unciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles tres: ſimul cum dicerato folles xxxiii ſive milliarenſem folles novem.	Εἰς τὸ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τρεῖς· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις τριάκοντα τρεῖς, ἤτοι μιλιαρήσιον ἓν φόλλεις ἐννέα.

Εἰς

Εἰς τὸ ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τρεῖς, ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις τριάκοντα ἐννέα, ἤτοι μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις πεντεκαίδεκα.

In ſeſcunciam ſolidi exige diceraton folles tres: ſimul cum dicerato folles XXXIX ſeu milliarenſem folles XV.

Εἰς τὸ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τέσσαρας· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις τεσσαράκοντα ἕξ, ἤτοι μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις εἴκοσι δύο.

In ſeſcunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles IV: ſimul cum dicerato folles XLVI ſive milliarenſem folles XXII.

Εἰς τὸ ἕκτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τέσσαρας· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ φόλλεις πεντήκοντα δύο, ἤτοι μιλλιαρήσια δύο φόλλεις τέσσαρας.

In ſextantem ſolidi exige diceraton folles quatuor: ſimul cum dicerato folles LII, ſive milliarenſes duos folles quatuor.

Εἰς τὸ τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον, ἤτοι μιλλιαρήσια τρία φόλλεις ἕξ.

In quadrantem ſolidi exige diceraton folles ſex: ſimul cum dicerato ſolidi quadrantem ſicilicum, ſive milliarenſes tres folles ſex.

Εἰς τὸ τρίτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ὀκτὼ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύο, ἤτοι μιλλιαρήσια τέσσαρα φόλλεις ὀκτώ.

In trientem ſolidi exige diceraton folles octo: ſimul cum dicerato ſolidi trientem ſicilicum folles duos ſive milliarenſes quatuor folles octo.

Εἰς τὸ τρίτον δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις δέκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας, ἤτοι μιλλιαρήσια πέντε φόλλεις δέκα.

In quincuncem ſolidi exige diceraton folles decem: ſimul cum dicerato ſolidi quincuncem ſicilicum folles IV, ſive milliarenſes V folles decem.

Εἰς τὸ ἥμισυ τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις δώδεκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον, ἤτοι μιλλιαρήσια ἓξ φόλλεις δώδεκα.

In ſemiſſem ſolidi exige diceraton folles XII ſimul cum dicerato ſolidi ſemiſſem ſemunciam, ſive milliarenſes VI folles XII.

Εἰς τὸ ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τρισκαίδεκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλιν ἕνα, ἤτοι μιλλιαρήσια ἓξ φόλλεις ἐννεακαίδεκα.

In ſemiſſem ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XIII: ſimul cum dicerato ſolidi ſemiſſem ſemunciam ſicilicum follem, aut milliarenſes ſex folles novendecim.

Εἰς τὸ ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τρισκαίδεκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος ἥμισυ

In ſemiſſem ſemunciam ſolidi exige diceraton folles XIII: ſimul cum dicerato ſolidi ſeptuncem

cem follem, ſive milliarenſes VII follem.

In ſemiſſem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XIV: ſimul cum dicerato ſolidi ſeptuncem ſicilicum folles II aut milliarenſes VII folles octo.

In ſeptuncem ſolidi exige diceraton folles XIV: ſimul cum dicerato ſolidi ſeptuncem ſemunciam folles duos, ſive milliarenſes ſeptem folles quatuordecim.

In ſeptuncem ſemunciam ſolidi exige diceraton folles XV: ſimul cum dicerato ſolidi beſſem folles tres, aut milliarenſes octo folles tres.

In ſeptuncem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XVI: ſimul cum dicerato ſolidi beſſem ſicilicum folles IV, aut milliarenſes VIII folles X.

Hucuſque ſolum exiges diceraton, non amplius. A beſſe autem ſolidi exiges & hexaphollon in ſingulos. Duces autem duodecim milliarenſes in ſolido, in milliarenſe folles quatuor & viginti ex vetere inſtituto Auguſti Cæſaris. Applicabis autem converteſque & reliquum de integro, ſeu quod deeſt ad integrum ſolidum, ad id, quod fiſco debetur. Sciendum autem hexaphollon acceſſionem eſſe ab Leone Iſauro introductam.

In beſſem ſolidi exige diceraton folles XVI: hexaphollon folles

δωδέκατον φόλλιν ἕνα· ἤτοι μιλλιαρήσια ἑπτὰ φόλλιν ἕνα.

Εἰς τὸ ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τεσσαρεσκαίδεκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύο· ἤτοι μιλλιαρήσια ἑπτὰ φόλλεις ὀκτώ.

Εἰς τὸ ἥμισυ δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις τεσσαρεσκαίδεκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος ἥμισυ ὄγδοον φόλλεις δύο, ἤτοι μιλλιαρήσια ἑπτὰ φόλλεις δεκατέσσαρας.

Εἰς τὸ ἥμισυ ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις πεντεκαίδεκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος ἥμισυ ἕκτον φόλλεις τρεῖς, ἤτοι μιλλιαρήσια ὀκτὼ φόλλεις τρεῖς.

Εἰς τὸ ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ἑκκαίδεκα· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ νομίσματος ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας, ἤτοι μιλλιαρήσια ὀκτὼ φόλλεις δέκα.

Ἕως ὧδε ὀφείλεις ἀπαιτεῖν δικέρατον καὶ μόνον. Ἀπὸ δὲ τοῦ ἡμίσεως ἕκτου ἤτοι τοῦ διμοίρου τοῦ ἑνὸς χαράγματος νομίσματος ὀφείλεις ἀπαιτεῖν καὶ ἑξάφολλον διὰ χαράγματος· λογαριάζειν δὲ δώδεκα μιλλιαρήσια τῷ νομίσματι, ἤτοι τὸ μιλλιαρήσιον ἔχειν φόλλεις εἴκοσι τέσσαρας κατὰ τὴν παλαιὰν παράδοσιν τοῦ Αὐγούστου Καίσαρος· ἀντιστρέφειν δὲ καὶ τὰς στροφὰς ἐξ ὁλοκλήρου κατὰ τὸ ἀνῆκον τῷ δημοσίῳ. Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι τὸ ἑξάφολλον προσθήκη ἐγγόνει Λέοντος τοῦ Ἰσαύρου.

Εἰς τὸ ἥμισυ ἕκτον ἤτοι δίμοιρον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ἑκκαίδεκα·

θεκα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας· ἤτοι μιλλιαρήσια ὀκτὼ φόλλεις εἴκοσι δύο χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ νομίσματος τέταρτον φόλλεις δύο.

Εἰς τὸ ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ἑπτακαίδεκα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τέταρτον φόλλεις πέντε, ἤτοι μιλλιαρήσια ἐννέα φόλλεις πέντε χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ νομίσματος ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλις εἷς.

Εἰς τὸ ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ἑπτακαίδεκα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις πέντε· ἤτοι μιλλιαρήσια ἐννέα φόλλεις ἕνδεκα χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ νομίσματος ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον φόλλις εἷς.

Εἰς τὸ ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ὀκτωκαίδεκα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον ἤτοι μιλλιαρήσια ἐννέα φόλλεις ὀκτωκαίδεκα χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ νομίσματος ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἥμισυ τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ὀκτωκαίδεκα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον, ἤτοι μιλλιαρήσια δέκα χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ νομίσματος ἕκτον.

ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi beſſem ſemunciam ſicilicum folles IV ſive milliarenſes VIII folles XXII ſolidi. Deeſt ſolidi quadrans folles II.

In beſſem ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XVII: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi dodrantem folles V ſive milliarenſes IX folles quinque ſolidi. Deeſt ſextans ſemuncia ſicilicus follis.

In beſſem ſemunciam ſolidi exige diceraton folles XVII: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi dodrantem ſicilicum folles V ſive milliarenſes IX folles XI. Deeſt ſextans ſemuncia follis.

In beſſem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XVIII, hexaphollon, folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi dodrantem ſemunciam ſicilicum ſive milliarenſes IX folles XVIII ſolidi. Deeſt ad integrum ſolidum ſextans ſicilicus.

In dodrantem ſolidi exige diceraton folles XVIII. hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi dextantem vel milliarenſes decem ſolidi. Deeſt ſolidi ſextans.

In dodrantem ſicilicum ſolidi exige diceratum folles XIX: hexaphollon folles VI: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi dextantem ſicilicum ſive milliarenſes X folles VII ſolidi. Deeſt ſolidi ſeſcuncia folles quinque.

Εἰς τὸ ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ἐννεακαίδεκα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλιν ἕνα· ἤτοι μιλλιαρήσια δέκα φόλλεις ἑπτὰ χαράγματος νομίσματος ἑνός· Ἀντιστροφὴ νομίσματος ὄγδοον φόλλεις πέντε.

In dodrantem ſemunciam ſolidi exige diceraton folles XIX: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi dextantem ſemunciam follem ſive milliarenſes X folles XIII ſolidi. Supple unciam ſicilicum folles quinque.

Εἰς τὸ ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις ἐννεακαίδεκα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον φόλλιν ἕνα· ἤτοι μιλλιαρήσια δέκα φόλλεις τρισκαίδεκα χαράγματος νομίσματος ἑνός· Ἀντιστροφὴ νομίσματος δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις πέντε.

In dodrantem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XX: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo dextantem ſemunciam ſicilicum folles duos, vel milliarenſes X folles XX ſolidi. Supple unciam folles quatuor.

Εἰς τὸ ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύο· ἤτοι μιλλιαρήσια δέκα φόλλεις εἴκοσι χαράγματος νομίσματος ἑνός· Ἀντιστροφὴ νομίσματος δωδέκατον φόλλεις τέσσαρες.

In dextantem ſolidi exige diceraton folles XX: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi deuncem folles duos, ſive milliarenſes XI folles duos ſolidi. Deeſt ſemuncia ſicilicus folles quatuor.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον δωδέκατον φόλλεις δύο, ἤτοι μιλλιαρήσια ἕνδεκα φόλλεις δύο χαράγματος νομίσματος ἑνός· Ἀντιστροφὴ νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρες.

In dextantem ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XXI: hexaphollon folles VI: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi deuncem ſicilicum folles III ſive milliarenſes XI folles IX.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι ἕνα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τρεῖς, ἤτοι μιλ-

λια-

λιαρήσια ἕνδεκα φόλλεις ἐννέα χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον φόλλεις τρεῖς.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι ἕνα· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον ὄγδοον φόλλεις τρεῖς ἤτοι μιλλιαρήσια ἕνδεκα φόλλεις πεντεκαίδεκα χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ φόλλεις ἐννέα.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι δύο· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματος ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας· ἤτοι μιλλιαρήσια ἕνδεκα φόλλεις εἴκοσι δύο χαράγματος νομίσματος ἑνός. Ἀντιστροφὴ φόλλεις δύο.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι δύο· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ χαράγματος νόμισμα ἕν, φόλλεις τέσσαρας.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι τρεῖς· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ χαράγματος νόμισμα ἓν φόλλεις ἕνδεκα.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι τρεῖς· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ χαράγματος νόμισμα ἓν φόλλεις ἑπτακαίδεκα.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον φόλλεις εἴκοσι τέσσαρας ἤτοι νομίσματος δωδέκατον· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ ἤτοι νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ χαράγματος νόμισμα ἓν δωδέκατον.

Deeſt ſemuncia ſolidi, folles III.

In dextantem ſemunciam ſolidi exige diceraton folles XXI: hexapſollon folles VI: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi deuncem ſemunciam folles III, ſive milliarenſes XI folles XV. Deſunt folles IX.

In dextantem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XXII: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidi deuncem ſemunciam ſicilicum folles IV, ſive milliarenſes XI, folles XXII. Deſunt duo folles.

In deuncem ſolidi exige diceraton folles duos & viginti: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidum folles quatuor.

In deuncem ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XXIII: hexaphollon folles VI: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidum folles undecim.

In deuncem ſemunciam ſolidi exige diceraton folles XXIII: hexaphollon folles ſex: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidum folles ſeptendecim.

In deuncem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige diceraton folles XXIV ſive ſolidi unciam: hexaphollon, folles ſex, ſive ſolidi ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidum unciam.

In solidum exige diceraton solidi unciam, hexaphollon solidi sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidum unciam sicilicum.

Εἰς τὸ ἓν νόμισμα ἀπαίτει δικεράτιον νομίσματος δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικερατίῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Et hæc quidem imputantur atque approbantur fisco & inferuntur in imperatorium thesaurum. Sed præter hæc consuevit exigere collector & sui commodi ergo in unumquemque solidum consuetudinem vel ordinariam solidi unciam, sive milliarensem, aut folles quatuor & viginti. Et pro viatico hominis sui compellentis censitum ad pendendum, quod convenit fisco, compulsorium folles duodecim sive solidi semunciam. Et solidus quidem cum dicerato-hexaphollo est fisci, triginta autem sex folles sunt collectoris.

Καὶ ταῦτα μὲν εἰσὶ τὰ λογισθέντα καὶ ἐγνωσμένα τῷ δημοσίῳ, καὶ εἰσκομιζόμενα ἐν τῷ βασιλικῷ κοιτῶνι. Ἐκτὸς δὲ τούτων εἴωθεν ἀπαιτεῖν ὁ πράκτωρ καὶ ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ ὠφελείας ἐφ᾽ ἑκάστῳ νομίσματι συνήθειαν νομίσματος δωδέκατον, ἤτοι μιλλιαρήσιον ἕν, ἤγουν φόλλεις εἴκοσι τέσσαρας. Καὶ λόγῳ ποδοκοπίου τοῦ ἐλκοντος ἀνθρώπου αὐτοῦ τὸν τελεστὴν πρὸς τὸ δοῦναι τὸ ἀνῆκον τῷ δημοσίῳ ἐλατικὸν φόλλεις δώδεκα ἤτοι νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. Καὶ τὸ μὲν χάραγμα ἤτοι τὸ ἓν νόμισμα μετὰ τοῦ δικερατο-ἑξαφόλλου ἐστὶ τοῦ δημοσίου. αἱ δὲ τριάκοντα ἓξ φόλλεις ἐστὶ τοῦ πράκτορος.

In solidum unciam exige diceraton solidi unciam folles duos: hexaphollon folles sex aut solidi sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidum sextantem sicilicum folles II.

Εἰς τὸ ἓν δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δικεράτιον νομίσματος δωδέκατον φόλλεις δύο· ἑξάφολλον φόλλεις ἕξ· ἤτοι νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον ὁμοῦ σὺν δικερατίῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύο.

In solidum sextantem exige diceraton solidi unciam folles IV: hexaphollon solidi sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidum quadrantem sicilicum folles IV.

Εἰς τὸ ἓν ἕκτον νομίσματος ἀπαίτει δικεράτιον νομίσματος δωδέκατον φόλλεις τέσσαρας· ἑξάφολλον νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικερατίῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας.

In solidum quadrantem exige diceraton solidi unciam sicilicum hexaphollon solidi sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidum trientem semunciam.

Εἰς τὸ ἓν τέταρτον νομίσματος ἀπαίτει δικεράτιον νομίσματος δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον. ἑξάφολλον νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικερατίῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον.

In solidum trientem exige dice-

Εἰς τὸ ἓν τρίτον νομίσματος ἀπαίτει δικέ-

ρατον

ρατον νομίσματος δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύω. ἑξάφολλον νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν τρίτον ὄγδοον φόλλεις δύω.

Εἰς τὸ ἓν τρίτον δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας. ἑξάφολλον νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον φόλλεις τέσσαρας.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον χαράγματος νομίσματος δευτέρου. λx νομίσματος τρίτον.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον φόλλιν ἕνα· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλιν ἕνα, χαράγματος νομίσματος δευτέρου. ἀντιστροφὴ νομίσματος τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον φόλλεις πέντε.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον φόλλιν ἕνα· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον φόλλις εἷς χαράγματος νομίσματος δευτέρου. ἀντιστροφὴ νομίσματος τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις πέντε.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον φόλλεις δύω· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ

raton solidi unciam sicilicum folles duos hexaphollon solidi sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidum quincuncem semunciam folles duos.

In solidum quincuncem exige diceraton solidi unciam sicilicum folles quatuor, hexaphollon solidi sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidum semissem semunciam folles quatuor.

In solidum semissem exige diceraton solidi sescunciam, hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidum bessem solidi secundi. Deest solidi triens.

In solidum semissem sicilicum exige diceraton solidi sescunciam follem, hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidum bessem sicilicum follem solidi secundi. Deest solidi quadrans semuncia folles quinque.

In solidum semissem semunciam exige diceraton, solidi sescunciam follem, hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidum bessem semunciam follem solidi alterius. Supple solidi quadrantem sicilicum folles quinque.

In solidum semissem semunciam sicilicum solidi exige diceraton solidi sescunciam folles duos, hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo

solidi bessem semunciam sicilicum folles duos solidi alterius. Deest solidi quadrans folles IV.

In solidum septuncem exige diceraton solidi sescunciam folles duos: hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidum dodrantem folles duos alterius. Supplendum sextante semuncia sicilico follibus IV.

In solidum septuncem semunciam exige diceraton solidi sescunciam folles tres: hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidum dodrantem semunciam folles tres solidi secundi. Deest solidi sextans sicilicus folles tres.

In solidum septuncem semunciam sicilicum exige diceraton, solidi sescunciam folles IV: hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidum dodrantem semunciam sicilicum folles IV solidi alterius. Deest sextans folles duo.

In solidum bessem exige diceraton solidi sescunciam folles IV: hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidum dextantem folles quatuor solidi secundi. Deest solidi sescuncia sicilicus folles duo.

In solidum dodrantem exige diceraton sescunciam sicilicum: hexaphollon solidi semunciam: simul cum dicerato & hexa-

νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύω χαράγματος νομίσματος δευτέρου. Ἀντιστροφὴ νομίσματος τέταρτον φόλλεις τέσσαρες.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον φόλλεις δύω· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον φόλλεις δύω χαράγματος νομίσματος δευτέρου. ἀντιστροφὴ νομίσματος ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρες.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον φόλλεις τρεῖς· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον φόλλεις τρεῖς χαράγματος νομίσματος δευτέρου. Ἀντιστροφὴ νομίσματος ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τρεῖς.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρες χαράγματος νομίσματος δευτέρου. Ἀντιστροφὴ νομίσματος ἕκτον φόλλεις δύω.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ ἕκτον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον φόλλεις τέσσαρας χαράγματος νομίσματος δευτέρου. ἀντιστροφὴ νομίσματος ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύω.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τέταρτον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξα-

ἑξαφόλλῳ νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον χαράγματος νομίσματος δευτέρου. Ἀντιστροφὴ νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τρίτον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις δύω· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ χαράγματος νομίσματα δύω φόλλεις ὀκτώ.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τρίτον δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα δύω δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον φόλλεις τέσσαρας.

Εἰς τὰ δύω νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα δύω ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τρία τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τέσσαρα τρίτον δωδέκατον.

Εἰς τὰ πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πέντε ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ· ἑξάφολλον νομίσματος ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἓξ ἥμισυ ὄγδοον.

phollo ſolidum deuncem ſicilicum ſolidi alterius. Deeſt ſolidi ſemuncia ſicilicus.

In ſolidum dextantem exige diceraton ſolidi ſeſcunciam ſicilicum folles duos: hexaphollon ſolidi ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos duos folles octo.

In ſolidum deuncem exige diceraton ſolidi ſeſcunciam ſicilicum folles quatuor: hexaphollon ſolidi ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos duos unciam ſicilicum folles quatuor.

In duos ſolidos exige diceraton ſolidi ſextantem: hexaphollon ſolidi ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos duos ſextantem ſemunciam.

In tres ſolidos exige diceraton ſolidi quadrantem: hexaphollon ſolidi ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos tres quadrantem ſemunciam ſicilicum.

In quatuor ſolidos exige diceraton ſolidi trientem: hexaphollon ſolidi unciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos quatuor quincuncem.

In quinque ſolidos exige diceraton ſolidi quincuncem: hexaphollon ſolidi unciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos quinque ſemiſſem ſicilicum.

In ſenos ſolidos exige diceraton ſolidi ſemiſſem: hexaphollon ſolidi ſeſcunciam: ſimul cũ dicerato & hexaphollo ſolidos ſex ſeptuncem ſemunciam.

In

In VII ſolidos exige diceraton ſolidi ſeptuncem hexaphollon ſolidi ſeſcunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos ſeptem beſſem ſemunciam ſicilicum.

Εἰς τὰ ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In octo ſolidos exige diceraton ſolidi beſſem, hexaphollon ſolidi ſextantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos octo dextantem.

Εἰς τὰ ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀκτὼ ἥμισυ τρίτον.

In novem ſolidos exige diceraton ſolidi dodrantem, hexaphollon ſolidi ſextantem ſicilicum. ſimul cum dicerato & hexaphollo novem ſolidos deuncem ſicilicum.

Εἰς τὰ ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννέα ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In decem ſolidos exige diceraton ſolidi dextantem, hexaphollon ſolidi ſextantem ſemunciam. ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos undecim ſemunciam.

Εἰς τὰ δέκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἕνδεκα εἰκοστὸν τέταρτον.

In XI ſolidos exige diceraton ſolidi deuncem, hexaphollon ſolidi ſextantem ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos duodecim ſeſcunciam ſicilicum.

Εἰς τὰ ἕνδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα δώδεκα ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In duodecim ſolidos exige diceraton ſolidum, hexaphollon ſolidi quadrantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XIII quadrantem.

Εἰς τὰ δώδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἕν· ἑξάφολλον νομίσματος τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τρισκαίδεκα τέταρτον.

In XIII ſolidos exige diceraton ſolidum unciam, hexaphollon ſolidi quadrantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XIV trientem ſicilicum.

Εἰς τὰ τρισκαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα δεκατέσσαρα τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In XIV ſolidos exige diceraton ſolidum ſextantem, hexaphollon ſo-

Εἰς τὰ τεσσαρακαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἕκτον· ἑξάφολλον νο-

νομίσματος τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντεκαίδεκα τρίτον ὄγδοον.

Εἰς τὰ πεντεκαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκκαίδεκα ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑκκαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑπτακαίδεκα ἥμισυ ἕκτον.

Εἰς τὰ ἑπτακαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀκτωκαίδεκα ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀκτωκαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἥμισυ· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννεακαίδεκα ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ἐννεακαίδεκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσιν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ εἴκοσι νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι δύω δωδέκατον.

Εἰς τὰ εἴκοσι ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον· ἑξά-

lidi quadrantem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos xv quincuncem ſemunciam.

In xv ſolidos exige diceraton ſolidum quadrantem, hexaphollon ſolidi quadrantem ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos xvi ſemiſſem ſemunciam ſicilicum.

In xvi ſolidos exige diceraton ſolidum trientem, hexaphollon ſolidi trientem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos ſeptendecim beſſem.

In ſeptendecim ſolidos exige diceraton ſolidum quincuncem, hexaphollon ſolidi trientem ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos octodecim dodrantem ſicilicum.

In octodecim ſolidos exige dicerati nomine ſolidum ſemiſſem, hexaphollon ſolidi trientem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos novendecim dextantem ſemunciam.

In novendecim ſolidos exige pro dicerato ſolidum ſeptuncem, hexaphollon ſolidi trientem ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos viginti dextantem ſeſcunciam ſicilicum.

In ſolidos xx exige dicerati nomine ſolidum beſſem, hexaphollon ſolidi quincuncem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos xxii unciam.

In ſolidos viginti unum exige diceraton ſolidum dodrantem, hexa-

phollon solidi quincuncem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXIII sextantem sicilicum.

In XXII solidos exige dicerati nomine solidum dextantem, hexaphollon solidi quincuncem sescunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXIV quadrantem semunciam.

In XXIII solidos exige diceraton solidum deuncem, hexaphollon solidi sescunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo XXV solidos trientem semunciam sicilicum.

In XXIV solidos exige diceraton duos solidos, hexaphollon solidi semissem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXVI semissem.

In XXV solidos exige pro dicerato solidos duos unciam, hexaphollon semissem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXVII septuncem sicilicum.

In XXVI solidos exige dicerati nomine duos solidos sextantem, hexaphollon semissem semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXVIII octo bessem semunciam.

In XXVII solidos exige diceraton solidos duos quadrantem, hexaphollon solidi semissem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXIX dodrantem semunciam sicilicum.

λον, νομίσματος τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι τρία ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ εἴκοσι δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι τέσσαρα τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ εἴκοσι τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι πέντε τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ εἴκοσι τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι ἓξ ἥμισυ.

Εἰς τὰ εἴκοσι πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι ἑπτὰ ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ εἴκοσι ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι ὀκτὼ ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ εἴκοσι ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα εἴκοσι ἐννέα ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς

Εἰς τὰ εἴκοσι ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα ἥμισυ τρίτον δωδέκατον.

In XXVIII solidos exige pro dicerato solidos duos trientem, hexaphollon solidi septuncem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos triginta deuncem.

Εἰς τὰ εἴκοσι ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα δύο τεσσαράκοντα ἐννέα.

In XXIX solidos exige pro dicerato solidos duos trientem unciam, sive quincuncem, hexaphollon septuncem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXII sicilicum.

Εἰς τὰ τριάκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο ἥμισυ· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα τρία ὄγδοον.

In XXX solidos exige diceraton solidos duos semissem, hexaphollon semissem sescunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXIII sescunciam.

Εἰς τὰ τριάκοντα ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα τέσσαρα ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In XXXI solidos exige dicerati nomine solidos duos septuncem, hexaphollon solidi semissem sescunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXIV sextantem semunciam sicilicum.

Εἰς τὰ τριάκοντα δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα πέντε τρίτον.

In XXXII solidos exige pro dicerato solidos duos bessem, hexaphollon solidi bessem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXV trientem.

Εἰς τὰ τριάκοντα τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα ἓξ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In XXXIII solidos exige diceraton solidos duos dodrantem, hexaphollon solidi bessem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXVI quincuncem sicilicum.

Εἰς τὰ τριάκοντα τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει νομίσματα δύο ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ

In XXXIV solidos exige dicerati nomine solidos duos dextantem, hexaphollon solidi bessem semun-

semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXVII semissem semunciam.

In XXXV solidos exige diceraton solidos binos deuncem, hexaphollon solidi bessem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXVIII septuncem semunciam sicilicum.

In XXXVI solidos exige diceraton solidos tres, hexaphollon solidi dodrantem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XXXIX dodrantem.

In XXXVII solidos exige dicerati nomine solidos tres unciam, hexaphollon solidi dodrantem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XL dextantem sicilicum.

In XXXVIII solidos exige diceraton solidos tres sextantem, hexaphollon solidi dodrantem semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XLI deuncem semunciam.

In XXXIX solidos exige diceraton solidos tres quadrantem, hexaphollon solidi dodrantem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XLIII semunciam sicilicum.

In quadraginta solidos exige dicerati titulo solidos tres trientem, hexaphollon solidi semissem trientem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XLIV sextantem.

ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα ἑπτὰ ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ τριάκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύο ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα ὀκτὼ ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τριάκοντα ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ σὺν τῷ δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριάκοντα ἐννέα ἥμισυ τέταρτον.

Εἰς τὰ τριάκοντα ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα ἥμισυ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τριάκοντα ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα ἓν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον.

Εἰς τὰ τριάκοντα ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα τρία εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα τέσσαρα ἕκτον.

Εἰς

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα πέντε τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In quadraginta unum ſolidos exige pro dicerato ſolidos tres quincuncem, hexaphollon ſolidi deuncem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XLV quadrantem ſicilicum.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἥμισυ· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα ἓξ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον.

In XLII ſolidos exige dicerati nomine ſolidos tres ſemiſſem, hexaphollon ſolidi dextantem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XLVI trientem ſemunciam.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα ἑπτὰ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In XLIII ſolidos exige diceraton ſolidos tres ſeptuncem, hexaphollon ſolidi dextantem ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XLVII quincuncem ſemunciam ſicilicum.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα ὀκτὼ ἥμισυ δωδέκατον.

In XLIV ſolidos exige dicerati nomine ſolidos tres beſſem, hexaphollon ſolidi deuncem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XLVIII ſeptuncem.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τεσσαράκοντα ἐννέα ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In XLV ſolidos exige diceraton ſolidos tres dodrantem, hexaphollon ſolidi deuncem ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XLIX beſſem ſicilicum.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον.

In XLVI ſolidos exige diceraton ſolidos tres dextantem, hexaphollon ſolidi deuncem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos L dodrantem ſemunciam.

In XLVII solidos exige diceraton solidos tres deuncem, hexaphollon solidi deuncem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LI deuncem semunciam sicilicum.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα ἓν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In XLVIII solidos exige diceraton solidos quatuor, hexaphollon solidum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LIII.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα· ἑξάφολλον νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα τρία.

In XLIX solidos exige pro dicerato solidos quatuor unciam, hexaphollon solidum sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LIV unciam sicilicum.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα τέσσαρα δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In L solidos exige diceraton solidos quatuor sextantem, hexaphollon solidum semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LV sextantem semunciam.

Εἰς τὰ πεντήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα πέντε ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον.

In LI solidos exige dicerati solidos quatuor quadrantem, hexaphollon solidum semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LVI quadrantem semunciam sicilicum.

Εἰς τὰ πεντήκοντα ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα ἓξ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In LII solidos exige dicerati solidos quatuor trientem, hexaphollon solidum unciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LVII quincuncem.

Εἰς τὰ πεντήκοντα δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα ἑπτὰ τρίτον δωδέκατον.

In LIII solidos exige dicerati so-

Εἰς τὰ πεντήκοντα τρία νομίσματα ἀπαίτει

ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα ὀκτὼ ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ πεντήκοντα τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντήκοντα ἐννέα ἥμισυ ὄγδοον.

Εἰς τὰ πεντήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ πεντήκοντα ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα ἓν ἥμισυ τρίτον.

Εἰς τὰ πεντήκοντα ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα δύο ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ πεντήκοντα ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα τέσσαρα εἰκοστὸν τέταρτον.

lidos quatuor quincuncem, hexaphollon ſolidum unciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LVIII ſicilicum.

In LIV ſolidos exige dicerati ſolidos quatuor ſemiſſem, hexaphollon ſolidum ſeſcunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LIX ſeptuncem ſemunciam.

In LV ſolidos exige pro dicerato ſolidos quatuor ſeptuncem, hexaphollon ſolidum ſeſcunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos ſexaginta ſemiſſem ſextantem ſemunciam ſicilicum.

In LVI ſolidos exige diceraton ſolidos quatuor beſſem, hexaphollon ſolidum ſextantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXI dextantem.

In LVII ſolidos exige diceraton ſolidos quatuor dodrantem, hexaphollon ſolidum ſextantem ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXII deuncem ſicilicum.

In LVIII ſolidos exige pro dicerato ſolidos quatuor dextantem, hexaphollon ſolidum ſextantem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXIV ſemunciam.

In

In LIX solidos exige dicerati vicem solidos quatuor deuncem, hexaphollon solidum sextantem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXV sescunciam sicilicum.

Εἰς τὰ πεντήκοντα ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα πέντε ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In LX solidos exige dicerati nomine solidos quinque, hexaphollon solidum quadrantem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXVI quadrantem.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα ἓξ τέταρτον.

In LXI solidos exige diceraton solidos quinque unciam, hexaphollon solidum quadrantem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo LXVII solidos trientem sicilicum.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα ἑπτὰ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In LXII solidos exige dicerati loco solidos quinque sextantem, hexaphollon solidum quadrantem semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXVIII quincuncem semunciam.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα ὀκτὼ τρίτον ὄγδοον.

In LXIII solidos exige pro dicerato solidos quinque quadrantem, hexaphollon solidum quadrantem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXIX semissem semunciam sicilicum.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξήκοντα ἐννέα ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In LXIV solidos exige diceraton solidos quinque trientem, hexaphollon solidum trientem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXX bessem.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα ἥμισυ ἕκτον.

In LXV solidos exige pro dicerato solidos quinque quincuncem, hexaphollon solidum trientem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos

Εἰς τὰ ἑξήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκον-

κον-

κοντα ἓν ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἥμισυ· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα δύο τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα τρία ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα πέντε δωδέκατον.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα ἓξ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα ἑπτὰ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα ὀκτὼ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

LXXI dodrantem ſicilicum.

In LXVI ſolidos exige diceraton ſolidos quinque ſemiſſem, hexaphollon ſolidum trientem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXXII trientem ſemunciam.

In LXVII ſolidos exige pro dicerato ſolidos quinque ſeptuncem, hexaphollon ſolidum trientem ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXXIII deuncem ſemunciam ſicilicum.

In LXVIII ſolidos exige diceraton ſolidos quinque beſſem, hexaphollon ſolidum quincuncem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXXV unciam.

In LXIX ſolidos exige diceraton ſolidos quinque dodrantem, hexaphollon ſolidum quincuncem ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXXVI ſextantem ſicilicum.

In LXX ſolidos exige pro dicerato ſolidos quinque dextantem, hexaphollon ſolidum quincuncem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXXVII quadrantem ſemunciam.

In LXXI ſolidos exige dicerati nomine ſolidos quinque deuncem, hexaphollon ſolidum quincuncem ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos LXXVIII trientem ſemunciam ſicilicum.

In LXXII solidos exige pro dicerato solidos sex, hexaphollon solidum semissem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXIX semissem.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἕξ· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑβδομήκοντα ἐννέα ἥμισυ.

In LXXIII solidos exige diceraton solidos sex unciam, hexaphollon solidum semissem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXX septuncem sicilicum.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In LXXIV solidos exige dicerati vicem solidos sex sextantem, hexaphollon solidum semissem semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos octoginta unum bessem semunciam.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα ἓν ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον.

In LXXV solidos exige dicerati titulo solidos sex quadrantem, hexaphollon solidum semissem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXXII dodrantem semunciam sicilicum.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα δύο ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In LXXVI solidos exige diceraton solidos sex trientem, hexaphollon solidum septuncem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXXIII deuncem.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα τρία ἥμισυ τρίτον δωδέκατον.

In LXXVII solidos exige pro dicerato solidos sex quincuncem, hexaphollon solidum septuncem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXXV sicilicum.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα πέντε τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἥμισυ· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα ἓξ ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα ἑπτὰ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα ὀκτὼ τρίτον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀγδοήκοντα ἐννέα τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐνενήκοντα ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐνενήκοντα ἓν ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτά· ἑξά-

In LXXVIII solidos exige dicerati titulo solidos sex semissem, hexaphollon solidum septuncem semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXXVI sescunciam.

In LXXIX solidos exige dicerati nomine solidos sex septuncem, hexaphollon solidum septuncem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXXVII sextantem semunciam sicilicum.

In LXXX solidos exige diceraton solidos sex bessem, hexaphollon solidum bessem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXXVIII trientem.

In LXXXI solidos exige diceraton solidos sex dodrantem, hexaphollon solidum bessem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos LXXXIX quincuncem sicilicum.

In LXXXII solidos exige pro dicerato solidos sex dextantem, hexaphollon solidum bessem semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XC semissem semunciam.

In LXXXIII solidos exige dicerati vice solidos sex deuncem, hexaphollon solidum bessem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos XCI septuncem semunciam sicilicum.

In LXXXIV solidos exige pro dicerato solidos septem, hexaphol-

phollon ſolidum dodrantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XCII dodrantem.

In LXXXV ſolidos exige diceraton ſolidos ſeptem unciam, hexaphollon ſolidum dodrantem ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XCIII dextantem ſicilicum.

In LXXXVI ſolidos exige diceraton ſolidos ſeptem ſextantem, hexaphollon ſolidum dodrantem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XCIV deuncem ſemunciam.

In LXXXVII ſolidos exige pro dicerato ſolidos ſeptem quadrantem, hexaphollon ſolidum dodrantem ſemunciam ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XCVI ſemunciam ſicilicum.

In LXXXVIII ſolidos exige diceraton ſolidos ſeptem trientem, hexaphollon ſolidum dextantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XCVII ſextantem.

In LXXXIX ſolidos exige dicerati nomine ſolidos ſeptem quincuncem, hexaphollon ſolidum dextantem ſicilicum: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XCVIII quadrantem ſicilicum.

In XC ſolidos exige pro dicerato ſolidos ſeptem ſemiſſem, hexaphollon ſolidum dextantem ſemunciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos XCIX trientem ſemunciam.

φολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννενήκοντα δύο ἥμισυ τέταρτον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννενήκοντα τρία ἥμισυ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννενήκοντα τέσσαρα ἥμισυ τρίτον ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννενήκοντα ἓξ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννενήκοντα ἑπτὰ ἕκτον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννενήκοντα ὀκτὼ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννενήκοντα ἐννέα τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα ἓν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα δύο νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν ἓν ἥμισυ δωδέκατον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν δύο ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν τρία ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν τέσσαρα ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτώ· ἑξάφολλον νομίσματα δύο· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν ἕξ.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτὼ δωδέκατον·

In XCI solidos exige diceraton solidos VII septuncem, hexaphollon solidum dextantem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos centum quincuncem semunciam sicilicum.

In XCII solidos exige diceraton solidos septem bessem, hexaphollon solidum deuncem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CI septuncem.

In XCIII solidos exige diceraton solidos septem dodrantem, hexaphollon solidum deuncem sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CII bessem sicilicum.

In XCIV solidos exige diceraton solidos septem dextantem, hexaphollon solidum deuncem semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CIII dodrantem semunciam.

In XCV solidos exige diceraton solidos septem deuncem, hexaphollon solidum deuncem semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CIV dextantem semunciam sicilicum.

In XCVI solidos exige diceraton solidos octo, hexaphollon solidos duo: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CVI.

In XCVII solidos exige diceraton solidos octo unciam, hexaphol-

phollon solidos duos sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CVII unciam sicilicum.

ἑξάφολλον νομίσματα δύο τεσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν ἑπτὰ δωδέκατον τεσαρακοστὸν ὄγδοον.

In XCVIII solidos exige diceraton solidos octo sextantem, hexaphollon solidos duos semunciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CVIII sextantem semunciam.

Εἰς τὰ ἐνενήκοντα ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτὼ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματα δύο εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν ὀκτὼ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον.

In XCIX solidos exige diceraton solidos quadrantem, hexaphollon solidos duos semunciam sicilicum: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CIX quadrantem semunciam sicilicum.

Εἰς τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτὼ τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματα δύω εἰκοστὸν τέταρτον τεσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν ἐννέα τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσαρακοστὸν ὄγδοον.

In C solidos exige diceraton solidos octo trientem, hexaphollon solidos duos unciam: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CX quincuncem.

Εἰς τὰ ἑκατὸν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτὼ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα δύω δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑκατὸν δέκα τρίτον δωδέκατον.

In CC solidos exige diceraton solidos sedecim bessem, hexaphollon solidos IV sextantem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CCXX dextantem.

Εἰς τὰ διακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑκκαίδεκα ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματα τέσσαρα ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα διακόσια εἴκοσι ἥμισυ τρίτον.

In CCC solidos exige diceraton solidos XXV, hexaphollon solidos sex quadrantem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CCCXXXI quadrantem.

Εἰς τὰ τριακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα εἴκοσι πέντε· ἑξάφολλον νομίσματα ἓξ τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τριακόσια τριάκοντα ἓν τέταρτον.

In CCCC solidos exige dicerati jure solidos XXXIII trientem, hexaphollon solidos octo trientem: simul cum dicerato & hexaphollo solidos CCCCXLI bessem.

Εἰς τὰ τετρακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τριάκοντα τρία τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα ὀκτὼ τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τετρακόσια τεσαράκοντα ἓν ἥμισυ ἕκτον.

In quingentos so lidos exige dicerati nomine solidos quadraginta unum

Εἰς τὰ πεντακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τεσαράκοντα ἓν ἥμισυ

μισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντακόσια πεντήκοντα δύω δωδέκατον.

Εἰς τὰ ἑξακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πεντήκοντα· ἑξάφολλον νομίσματα δώδεκα ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξακόσια ἑξήκοντα δύω ἥμισυ.

Εἰς τὰ ἑπτακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πεντήκοντα ὀκτὼ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα τέσσαρα καὶ δέκα ἥμισυ δωδέκατον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑπτακόσια ἑβδομήκοντα δύω ἥμισυ τρίτον δωδέκατον.

Εἰς τὰ ὀκτακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑξήκοντα ἓξ ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματα ἑκκαίδεκα ἥμισυ ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀκτακόσια ὀγδοήκοντα τρία τρίτον.

Εἰς τὰ ἐννεακόσια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑβδομήκοντα πέντε· ἑξάφολλον νομίσματα ὀκτωκαίδεκα ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννεακόσια ἐννενήκοντα τρία ἥμισυ τέταρτον.

Εἰς τὰ χίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀγδοήκοντα τρία τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα εἴκοσι ἥμισυ τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα χίλια ἑκατὸν τέσσαρα ἕκτον.

Εἰς τὰ δισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑκατὸν ἑξήκοντα ἓξ ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματα τεσσαράκοντα ἓν ἥμισυ ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα δισχίλια διακόσια ὀκτὼ τρίτον.

Εἰς τὰ τρισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα διακόσια πεντήκοντα·

beſſem, hexaphollon ſolidum unum trientem unciam: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos quingentos quinquaginta duo unciam.

In ſexcentos ſolidos exige diceraton ſolidos quinquaginta, hexaphollon ſolidos duodecim ſemiſſem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos ſexcentos ſexaginta duos ſemiſſem.

In ſeptingentos ſolidos exige diceraton ſolidos quinquaginta octo trientem, hexaphollon ſolidos quatuordecim ſeptuncem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos DCCLXXII deuncem.

In octingentos ſolidos exige diceraton ſolidos ſexaginta ſex beſſem, hexaphollon ſolidos ſedecim beſſem: : ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos DCCCLXXXIII trientem.

In nongentos ſolidos exige diceraton ſolidos LXXV, hexaphollon ſolidos octodecim dodrantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos nongentos XCIII dodrantem.

In mille ſolidos exige diceraton ſolidos LXXXIII trientem, hexaphollon ſolidos viginti dextantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidos mille centum quatuor ſextantem.

In duo millia ſolidorum exige diceraton ſolidos CLXVI beſſem, hexaphollon ſolidos XLI beſſem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidorum duo millia ducentos octo trientem.

In tria millia ſolidorum exige diceraton ſolidos CCL, hexaphol-

phollon ſolidos LXII ſemiſſem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidorum tria millia trecentos duodecim ſemiſſem.

In quatuor millia ſolidorum exige diceraton ſolidos CCCXXXIII trientem, hexaphollon ſolidos LXXXIII trientem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidorum MMMMCCCCXVI beſſem.

In quinque millia ſolidorum exige diceraton ſolidos CCCCXVI beſſem, hexaphollon ſolidos CIV ſextantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidorum MMMMM DXX dextantem.

In ſex millia ſolidorum exige diceraton ſolidos quingentos, hexaphollon ſolidos CXXV: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidorum ſex millia ſexcentos XXV.

In ſeptem millia ſolidorum exige diceraton ſolidos DLXXXIII trientem, hexaphollon ſolidos CXLV dextantem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidorum ſeptem millia ſeptingentos XXIX ſextantem.

In octo millia ſolidorum exige diceraton ſolidos DCLXVI beſſem, hexaphollon ſolidos CLXVI beſſem: ſimul cum dicerato & hexaphollo ſolidorum octo millia octingentos XXXIII trientem.

In novem millia ſolidorum exige diceraton ſolidos DCCL, hexaphollon ſolidos CLXXXVII ſe-

ἑξάφολλον νομίσματα ἑξήκοντα δύω ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τρισχίλια τριακόσια δώδεκα ἥμισυ.

Εἰς τὰ τετρακισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τριακόσια τριάκοντα τρία τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα ὀγδοήκοντα τρία τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα τετρακισχίλια τετρακόσια ἑκκαίδεκα ἥμισυ ἕκτον.

Εἰς τὰ πεντακισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τετρακόσια ἑκκαίδεκα ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματα ἑκατὸν τέσσαρα ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα πεντακισχίλια πεντακόσια εἴκοσι ἥμισυ τρίτον.

Εἰς τὰ ἑξακισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πεντακόσια· ἑξάφολλον νομίσματα ἑκατὸν εἴκοσι πέντε· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑξακισχίλια ἑξακόσια εἴκοσι πέντε.

Εἰς τὰ ἑπτακισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πεντακόσια ὀγδοήκοντα τρία τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα ἑκατὸν τεσσαράκοντα πέντε ἥμισυ τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἑπτακισχίλια ἑπτακόσια εἴκοσι ἐννέα ἕκτον.

Εἰς τὰ ὀκτακισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑξακόσια ἑξήκοντα ἓξ ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματα ἑκατὸν ἑξήκοντα ἓξ ἥμισυ ἕκτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ὀκτακισχίλια ὀκτακόσια τριάκοντα τρία τρίτον.

Εἰς τὰ ἐννεακισχίλια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτακόσια πεντήκοντα· ἑξάφολλον νομίσματα ἑκατὸν ὀγδοή-

δοήκοντα ἑπτὰ ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα ἐννεακισχίλια ἐννεακόσια τριάκοντα ἑπτὰ ἥμισυ.

Εἰς τὰ μύρια νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτακόσια τριάκοντα τρία τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα διακόσια ὀκτὼ τρίτον· ὁμοῦ σὺν δικεράτῳ καὶ ἑξαφόλλῳ νομίσματα μύρια χίλια τεσσαράκοντα ἓν ἥμισυ ἕκτον.

Καὶ ταῦτα μὲν εἰσὶ τὰ λόγῳ τοῦ δημοσίου ποτὲ ἀπαιτούμενα καὶ εἰσκομιζόμενα. ἐκτὸς δὲ τούτων εἴωθεν ἀπαιτεῖν ὁ πράκτωρ καὶ ὑπὲρ ὠφελείας αὐτοῦ ἐφ᾽ ἑκάστῳ νομίσματι συνήθειαν μιλλιαρήσιον ἕν, ὅ ἐστι δωδέκατον τοῦ νομίσματος· καὶ λόγῳ ποδοκοπίου τοῦ ἕλκοντος ἀνθρώπου αὐτοῦ τὸν τελεστὴν πρὸς τὸ δοῦναι τὸ ἀνῆκον τῷ δημοσίῳ, ἐλατικὸν φόλλεις δώδεκα, ἤτοι νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. Καὶ τὰ μὲν δικερατοεξάφολλα ὡς τοῦ δημοσίου ὄντα ἐτίθεντο καὶ εἰς τὸ παρ᾽ αὐτοῦ διδόμενον κατάστιχον πρὸς τὸ σέκρετον τοῦ γενικοῦ. ἡ δὲ συνήθεια καὶ τὸ ἐλατικὸν εἰσεκομίζοντο μὲν καὶ ταῦτα εἰς τὸν δημόσιον, καὶ εἰς τὸ σέκρετον τοῦ γενικοῦ. ἐδίδοντο δὲ ἐκ τούτων αἱ ἐκθέσεις τῶν σεκρετικῶν κατὰ τὴν ἔκθεσιν ἑκάστης τῶν διοικήσεων, ὡς ὑπὲρ ὠφελείας τοῦ διοικητοῦ καὶ τῶν ἀνθρώπων αὐτοῦ, ὡς εἴρηται, ἀπαιτουμένων. ἐτίθεντο δὲ εἰς τὸ κατάστιχον αὐτοῦ, οὐκ εἰς τὴν ἀπόδειξιν τοῦ τελοῦντος τὴν γενομένην αὐτῷ παρὰ τοῦ διοικητοῦ· ὕστερον δὲ διὰ τὸ ἀφορισθῆναι καὶ ταῦτα εἰς τὸν δημόσιον, τίθενται παρ᾽ αὐτοῦ λεπτομερῶς, καὶ γράφει ἐν τῇ ἀποδείξει τοῦ τελοῦντος

missem: simul cum dicerato & hexaphollo solidorum novem millia nongentos triginta septem semissem.

In decem millia solidorum exige diceraton solidos octingentos triginta tres trientem, hexaphollon solidos CCVIII trientem: simul cum dicerato & hexaphollo solidorum XIM XLI bessem.

Et hæc quidem sunt, quæ nomine publici quondam exigebantur, & inferebantur. Præter hæc vero solebat exigere coactor etiam sui commodi causa in unumquemque solidum consuetudinem vel ordinarium milliarensem sive unciam solidi: & pro viatico hominis sui, qui censitum urget ad dandum, id quod competit publico, compulsorium folles XII sive solidi semunciam. Et diceratohexapholla quidem, utpote quæ in publicum pertinent, referebantur in breviarium, quod ab eo exhibebatur ad scrinium ærarii. Ordinarium vero & Compulsorium inferebantur quidem & ipsa in publicum inque scrinium ærarii: dabantur autem ex eis salaria ministris scrinii pro modo largitatis cujusque administrationum, ut quæ ob commoda procuratoris & ministrorum ejus, ut dictum est, exigebantur. Memorabantur autem in ejus breviario; sed non in apodixi solventis, quam ab procuratore accipiebat: postea vero, quoniam & ipsa pars publici deputantur, speciatim ab ipso annotantur; scribique in apodixi

apodixi vectigalis regionis sic: Junctim summa c solidi. Diceraton, milliarenses c, aut solidi octo triens. Hexaphollon, milliarenses xxv, aut solidi duo uncia. Ordinarium, solidi tres; & compulsorium, solidus. Simul cum dicerato-hexaphollo, ordinario & compulsorio solidi cxiv quincunx.

De ordinariis & compulsoriis.

In solidum debes exigere ordinarium solidi unciam sive milliarensem, & compulsorium solidi semunciam sive xii folles.

In duos solidos ordinarium solidi sextantem, & compulsorium solidi semunciam.

In tres solidos ordinarium solidi quadrantem, & compulsorium solidi semunciam.

In quatuor solidos ordinarium solidi trientem, & compulsorium solidi semunciam.

In quinque solidos ordinarium solidi quincuncem, & compulsorium solidi semunciam.

In sex solidos ordinarium solidum, & compulsorium solidi semissem. Et usque ad ipsos decem solidos.

In decem solidos semissem ordinariũ duo solidos, & compulsorium solidum. Et usque ad triginta solidos.

In triginta solidos semissem ordinarium solidos tres, & compulsorium solidum. Et usque ad ipsos centum solidos.

In centum solidos semissem ordinarium solidos sex, & compulsorium solidum. Et usque ad ducentos solidos.

χωρίου, οὕτως· ὁμοῦ σῶμα νομίσματα ἑκατὸν· δικέρατον μιλλιαρήσια ἑκατὸν, ἤγουν νομίσματα ὀκτὼ τρίτον· ἑξάφολλον μιλλιαρήσια εἴκοσι πέντε, ἤγουν νομίσματα δύω δωδέκατον· συνήθειαν νομίσματα τρία· καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατο-εξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα ἑκατὸν δεκατέσσαρα τρίτον δωδέκατον.

Περὶ τῶν συνηθειῶν καὶ ἐλατικῶν.

Εἰς τὸ ἓν νόμισμα ὀφείλεις ἀπαιτεῖν συνήθειαν νομίσματος δωδέκατον, ἤγουν μιλλιαρήσιον ἕν· καὶ ἐλατικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον, ἤγουν φόλλεις δώδεκα.

Εἰς τὰ δύω νομίσματα συνήθειαν νομίσματος ἕκτον· καὶ ἐλατικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ τρία νομίσματα συνήθειαν νομίσματος τέταρτον· καὶ ἐλατικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ τέσσαρα νομίσματα συνήθειαν νομίσματος τρίτον· καὶ ἐλατικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ πέντε νομίσματα συνήθειαν νομίσματος τρίτον δωδέκατον· καὶ ἐλατικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ἓξ νομίσματα συνήθειαν νόμισμα ἕν· καὶ ἐλατικὸν νομίσματος ἥμισυ. Καὶ μέχρι καὶ αὐτῶν τῶν δέκα νομισμάτων.

Εἰς τὰ δέκα ἥμισυ νομίσματα συνήθειαν νομίσματα δύω· καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν. Καὶ μέχρι καὶ αὐτῶν τῶν τριάκοντα νομισμάτων.

Εἰς τὰ τριάκοντα ἥμισυ νομίσματα συνήθειαν νομίσματα τρία· καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν. Καὶ μέχρι καὶ αὐτῶν τῶν ἑκατὸν νομισμάτων.

Εἰς τὰ ἑκατὸν ἥμισυ νομίσματα συνήθειαν νομίσματα ἕξ· καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν. Καὶ μέχρι αὐτῶν τῶν διακοσίων νομισμάτων.

Εἰς

Εἰς τὰ διακόσια ἥμισυ νομίσματα συνήθειαν νομίσματα ἐννέα· καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἓν· καὶ ἵσταται· πλεῖον γὰρ τῶν δέκα νομισμάτων ἡ συνήθεια σὺν τῷ ἐλατικῷ οὐκ ἀναβιβάζεται, οὐδὲ ἀπαιτεῖται ὅσα ἂν εἰσὶ τὰ τοῦ δημοσίου νομίσματα ἐπέκεινα τῶν διακοσίων πρὸς τῷ ἑνί.

Εἰς τὸ ἓν νόμισμα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματος δωδέκατον· καὶ ἐλαλικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλαλικῷ νόμισμα ἓν ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ δύω νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· συνήθειαν νομίσματος ἕκτον· καὶ ἐλαλικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαλικῷ νομίσματα δύω τρίτον δωδέκατον.

Εἰς τὰ τρία νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματος τέταρτον· καὶ ἐλαλικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλαλικῷ νομίσματα τρία ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τέσσαρα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος δωδέκατον· συνήθειαν νομίσματος τρίτον· καὶ ἐλαλικὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλαλικῷ νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον

In ducentos ſolidos ſemiſſem ordinarium novem ſolidos, & compulſorium ſolidum. Et ſiſtitur. Ultra enim decem ſolidos ordinarium cum compulſorio non aſcendit, neque exigitur, quotquot ſunt fiſci ſolidi ultra ducentos apud unum.

In ſolidum exige diceraton ſolidi unciam, hexaphollon ſolidi ſicilicum, ordinarium ſolidi unciam, & compulſorium ſolidi ſemunciam: ſimul cum diceratohexaphollo, ordinario, & compulſorio ſolidum ſextantem ſemunciam ſicilicum.

In duosſolidos exige diceraton ſolidi ſextantem, hexaphollon ſolidi ſemunciam, ordinarium ſolidi ſextantem, & compulſorium ſolidi ſemunciam: ſimul cum diceratohexaphollo, ordinario & compulſorio ſolidos duos quincuncem.

In tres ſolidos exige diceraton ſolidi quadrantem, hexaphollon ſolidi ſemunciam ſicilicum, ordinarium ſolidi quadrantem, & compulſorium ſolidi ſemunciam: ſimul cum diceratohexaphollo, ordinario, & compulſorio ſolidos tres ſeptuncem ſicilicum.

In quatuor ſolidos exige diceraton ſolidi trientem, hexaphollon ſolidi unciam, ordinarium ſolidi trientem, & compulſorium ſolidi ſemunciam: ſimul cum diceratohexaphollo, ordinario, & compulſorio, ſolidos quatuor dodrantem ſemunciam.

In quinque ſolidos exige diceraton ſolidi quincuncem: hexaphollon

ſolidi

ſolidi unciam ſicilicum: ordinarium ſolidi quincuncem: & compulſorium ſolidi ſemunciam: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos quinque deuncem ſemunciam ſicilicum.

In ſex ſolidos exige diceraton ſolidi ſemiſſem, hexaphollon ſolidi ſeſcunciam, conſuetudinem ſolidum, & compulſorium ſolidi ſemiſſem: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos octo ſeſcunciam.

In ſeptem ſolidos exige diceraton ſolidi ſeptuncem, hexaphollon ſolidi ſeſcunciam ſicilicum, conſuetudinem ſolidum & compulſorium ſolidi ſemiſſem, ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos novem ſextantem ſemunciam ſicilicum.

In octo ſolidos exige diceraton ſolidi beſſem, hexaphollon ſolidi ſextantem, conſuetudinem ſolidum, & compulſorium ſolidi ſemiſſem: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine, & compulſorio ſolidos decem trientem.

In IX ſolidos exige diceraton ſolidi dodrantem, hexaphollon ſolidi ſextantem ſicilicum, conſuetudinem ſolidum, & compulſorium ſolidi ſemiſſem; ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos undecim quincuncem ſicilicum.

In decem ſolidos exige diceraton ſolidi dextantem, hexaphollon ſolidi ſextantem ſemunciam, conſue-

νομίσματος δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματος τρίτον δωδέκατον· καὶ τὸ ἐλαϊκὸν νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαϊκῷ νομίσματα πέντε ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἓξ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ· ἑξάφολλον νομίσματος ὄγδοον· συνήθειαν νόμισμα ἓν, καὶ ἐλαϊκὸν νομίσματος ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαϊκῷ νομίσματα ὀκτὼ ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑπτὰ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νόμισμα ἓν, καὶ ἐλαϊκὸν νομίσματος ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαϊκῷ νομίσματα ἐννέα ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀκτὼ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον· συνήθειαν νόμισμα ἓν· καὶ ἐλαϊκὸν νομίσματος ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαϊκῷ νομίσματα δέκα τρίτον.

Εἰς τὰ ἐννέα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νόμισμα ἓν, καὶ ἐλαϊκὸν νομίσματος ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαϊκῷ νομίσματα ἕνδεκα τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ δέκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον·

συνή-

συνήθειαν νόμισμα ἕν, καὶ ἐλατικὸν νομίσματος ἥμισυ· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα δώδεκα ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ δέκα ἥμισυ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματος ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα δύω, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα δεκατέσσαρα ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ πέντε καὶ δέκα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα δύω, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα ἐννεακαίδεκα ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ εἴκοσι νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νομίσματος τρίτον δωδέκατον· συνήθειαν νομίσματα δύω, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα εἴκοσι πέντε δωδέκατον.

Εἰς τὰ εἴκοσι πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύω δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα δύω, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα τριάκοντα ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τριάκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέ-

tudinem ſolidum, & compulſorium ſolidi ſemiſſem: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos XII ſemiſſem ſemunciam.

In decem ſolidos ſemiſſem exige diceraton ſolidi dextantem ſemunciam, hexaphollon ſolidi ſextantem ſemunciam ſicilicum, conſuetudinem ſolidos duos, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos quatuordecim ſeptuncem ſicilicum.

In XV ſolidos exige diceraton ſolidum quadrantem, hexaphollon ſolidi quadrantem ſemunciam ſicilicum, conſuetudinem ſolidos duos, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos XIX ſemiſſem ſemunciam ſicilicum.

In viginti nomiſmata exige diceraton ſolidum beſſem, hexaphollon ſolidi quincuncem, conſuetudinem ſolidos duos & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos quinque & viginti unciam.

In XXV ſolidos exige diceraton ſolidos duos unciam, hexaphollon ſolidi ſemiſſem ſicilicum, conſuetudinem ſolidos duos, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos XXX ſeptuncem ſicilicum.

In XXX ſolidos exige diceraton

solidos duos semissem, hexaphollon solidi semissem sescunciam, consuetudinem solidos duos, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos XXXVI sescunciam.

In triginta solidos semissem exige diceraton solidos duos semissem semunciam, hexaphollon solidi semissem sescunciam sicilicum, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine, & compulsorio solidos XXXVII bessem sicilicum.

In XXXV solidos exige diceraton solidos duos deuncem, hexaphollon solidi bessem semunciam sicilicum, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos XLII septuncem semunciam sicilicum.

In XL solidos exige diceraton solidos tres trientem, hexaphollon solidi dextantem, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos XLVIII sextantem.

In XLV solidos exige diceraton solidos tres dodrantem, hexaphollon solidi deuncem sicilicum, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos LIII bessem sicilicum.

ρατον νομίσματα δύω ἥμισυ· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα δύω, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα τριάκοντα ἓξ ὄγδοον.

Εἰς τὰ τριάκοντα ἥμισυ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύω ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα τριάκοντα ἑπτὰ ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τριάκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα δύω ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα τεσσαράκοντα δύω ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα τεσσαράκοντα ὀκτὼ ἕκτον.

Εἰς τὰ τεσσαράκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τρία ἥμισυ τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματος ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα πεντήκοντα τρία ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ πεντήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν εἰκοστὸν τέταρτον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαλικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαλικῷ νομίσματα πεντήκοντα ἐννέα ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ πεντήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαλικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαλικῷ νομίσματα ἑξήκοντα τέσσαρα ἕκτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τέταρτον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα ἑβδομήκοντα τέταρτον.

Εἰς τὰ ἑξήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαλικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλαλικῷ νομίσματα ἑβδομήκοντα πέντε ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα πέντε ἥμισυ τρίτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν τρίτον ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαλικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλαλικῷ νομίσματα ὀγδοήκοντα ἓν τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον.

In L ſolidos exige diceraton ſolidos quatuor ſextantem, hexaphollon ſolidum ſemunciam, conſuetudinem ſolidos tres, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos LIX ſextantem ſemunciam.

In LV ſolidos exige diceraton ſolidos quatuor ſeptuncem, hexaphollon ſolidum ſeſcunciam ſicilicum, conſuetudinem ſolidos tres, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos LXIV ſextantem ſemunciam ſicilicum.

In LX ſolidos exige diceraton ſolidos quinque, hexaphollon ſolidum quadrantem, conſuetudinem ſolidos tres, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos LXX quadrantem.

In LXV ſolidos exige diceraton ſolidos V quincuncem, hexaphollon ſolidum trientem ſicilicum, conſuetudinem ſolidos III, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine, & compulſorio ſolidos LXXV dodrantem ſicilicum.

In LXX ſolidos exige diceraton ſolidos V dextantem, hexaphollon ſolidum quincuncem ſemunciam, conſuetudinem ſolidos tres, & compulſorium ſolidum: ſimul cum diceratohexaphollo, conſuetudine & compulſorio ſolidos LXXXI quadrantem ſemunciam.

In

In LXXV solidos exige diceraton solidos VI quadrantem, hexaphollon solidum semissem semunciam sicilicum, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos LXXXVI dodrantem semunciam sicilicum.

In LXXX solidos exige diceraton solidos sex bessem, hexaphollon solidum bessem, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine, compulsorio solidos XCII trientem.

In LXXXV solidos exige diceraton solidos septem unciam, hexaphollon solidum dodrantem sicilicum, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos XCVII dextantem sicilicum.

In XC solidos exige diceraton solidos VII semissem, hexaphollon solidum dextantem semunciam, consuetudinem solidos III, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine, & compulsorio solidos C tres trientem semunciam.

In XCV solidos exige diceraton solidos VII deuncem, hexaphollon solidum deuncem semunciam sicilicum, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos CVIII dextantem semunciam sicilicum.

Εἰς τὰ ἑβδομήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ τέταρτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαικῷ νομίσματα ὀγδοήκοντα ἓξ ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἓξ ἥμισυ ἕκτον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ ἕκτον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλαικῷ νομίσματα ἐννενήκοντα δύο τρίτον.

Εἰς τὰ ὀγδοήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαικῷ νομίσματα ἐννενήκοντα ἑπτὰ ἥμισυ τρίτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαικῷ νομίσματα ἑκατὸν τρία τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὰ ἐννενήκοντα πέντε νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ἑπτὰ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον· ἑξάφολλον νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλαικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλαικῷ νομίσματα ἑκατὸν ὀκτὼ ἥμισυ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς

Εἰς τὰ ἑκατὸν νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτὼ τρίτον· ἑξάφολλον νομίσματα δύο δωδέκατον· συνήθειαν νομίσματα τρία, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα ἑκατὸν δεκατέσσαρα τρίτον δωδέκατον.

Εἰς τὰ ἑκατὸν ἥμισυ νομίσματα ἀπαίτει δικέρατον νομίσματα ὀκτὼ τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον· ἑξάφολλον νομίσματα δύο δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθειαν νομίσματα ἕξ, καὶ ἐλατικὸν νόμισμα ἕν· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ, καὶ τῷ ἐλατικῷ νομίσματα ἑκατὸν ἑπτακαίδεκα ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Καὶ εἰς τὰ ἐπέκεινα δὲ ψηφία τοῦ δημοσίου τὰ μέχρι τῶν διακοσίων νομισμάτων καὶ αὐτῶν, ἡ αὐτὴ ποσότης τῆς συνηθείας καὶ τοῦ ἐλατικοῦ εἰσπράττεται. Ἔκ τοτε δὲ αὐξανομένης τῆς τῶν νομισμάτων ἀπαιτήσεως αὔξεται καὶ ἡ συνήθεια σὺν τῷ ἐλατικῷ περιισταμένη εἰς νομίσματα δέκα, καὶ οὕτως ἵσταται. Πλεῖον γὰρ τῶν δέκα νομισμάτων οὐκ ἀναβιβάζεται ἡ συνήθεια σὺν τῷ ἐλατικῷ, οὐδὲ ἀπαιτεῖται, ὅσα ἂν εἰσὶ τὰ τοῦ δημοσίου νομίσματα ἐπέκεινα τῶν διακοσίων πρὸς τῷ ἑνί· ἐφ᾽ ἑκάστῳ μέντοι νομίσματι ἀπαιτεῖται δικέρατον μιλιαρήσιον ἕν, ὅ ἐστι δωδέκατον τοῦ νομίσματος· ἑξάφολλον, φόλλεις ἕξ, ὅ ἐστι νομίσματος τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· συνήθεια μιλιαρήσιον ἕν, ὅ ἐστι δωδέκατον τοῦ νομίσματος· καὶ ἐλατικὸν φόλλεις δώδεκα, ὅ ἐστι νομίσματος εἰκοστὸν τέταρτον. Τὰ δὲ μιλλιαρήσια ὀφείλεις λογαριάζειν δώδεκα τῷ νομίσματι ἐν πάσῃ δημοσίων ἀπαιτήσει.

Τέλος σὺν Θεῷ τῆς παλαιᾶς λογαρικῆς

In c solidos exige diceraton solidos VIII trientem, hexaphollon solidos duos unciam, consuetudinem solidos tres, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos CXIV quincuncem.

In solidos c semissem exige diceraton solidos octo trientem semunciam, hexaphollon solidos duos unciam sicilicum, consuetudinem solidos sex, & compulsorium solidum: simul cum diceratohexaphollo, consuetudine & compulsorio solidos CXVII deuncem semunciam sicilicum.

Et in reliqua deinceps æra fisci usque ad ducentos solidos ipsos eadem quantitas consuetudinis & compulsorii exigitur. Sed abhinc augescente solidorum exactione & consuetudo cum compulsorio augentur, porrecta ad decem solidos, & ibi sistitur. Nam ultra decem solidos non ascendit consuetudo cum compulsorio, neque exigitur, quotquot etiam sint fiscales solidi ultra unum & ducentos. In unumquemque nihilominus solidum exigitur diceraton milliarensis unus, quæ solidi est uncia; & hexaphollon, folles sex, qui est solidi sicilicus; & consuetudo milliarensis unus, quæ est uncia solidi; & compulsorium, folles duodecim, quæ semuncia solidi est. Milliarenses autem putabis duodecim pro solido in omni exactione fiscali.

Explicit cum Deo vetus Rationarium

rium Augusti Cæsaris. & incipit novum, quod nunc exigitur mandato incliti Imperatoris Domini Alexii Comneni.

Exempla suggestionum ab iis factarum, qui Præfecti ærario fuerunt, tum Domini Joannis Tzirithni, tum Domini Georgii Spanopuli; item venerandorum Imperatoriorum rescriptorum, quæ ad eas emanarunt, & excerpta ex Secretici archivi scrinio, quod servatur in magni palatii tholoto ovato, ponente jam nominato Spanopulo. Ita autem se habent.

Mense Martio, sexto die, septimo Indictionis secundæ repositum est commonitorium Joannis Tzirithni olim Genici, sive præfecti ærario, sic se habens.

Domine mi Sacrosancte; Exactiones extranearum procurationum Thraciæ & Macedoniæ exigebantur quotannis, & inferebantur, prout formula vetus constituerat. Verum circa tertiam decimam Indictionem quum Camaterus Demetrius condixisset inferre breviarium hujusmodi procurationum in duplum, quumque non intulisset, diruta est domus ejus propter Hippodromum sita. Dein circa quartam decimam Indictionem permissæ sunt præsidi Nicephoro Artauasdo, qui & exactionem istius Indictionis quum peregisset, & quintam decimam Indictionem sibi conferri enixus es-

τοῦ Αὐγούστου Καίσαρος. καὶ ἀρχὴ τῆς νέας τῆς νῦν ἀπαιτουμένης διὰ προστάξεως τοῦ ἀοιδίμου βασιλέως Κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ.

Τὰ ἴσα τῶν ὑπομνήσεων τῶν γεγονότων Γενικῶν τοῦ τε Τζιρίθνου κυροῦ Ἰωάννου καὶ τοῦ Σπανοπώλου κυροῦ Γεωργίου· ἐπὶ δὲ καὶ τῶν ἐπὶ ταύταις ἐξενεχθεισῶν προσκυνητῶν βασιλικῶν λύσεων καὶ παρεκβληθεισῶν ἀπὸ τῆς ἐναποκειμένης ἐν τῷ Θολωτῷ ὠάτῳ τοῦ μεγάλου παλατίου ἀρχαίας σεκρετικῆς θέσεως τοῦ ῥηθέντος Σπανοπώλου· τῶν καὶ περιεχουσῶν οὕτως.

Μηνὶ Μαρτίῳ, ἕκτῃ ἡμέρᾳ, ἑβδόμῃ Ἰνδικτιῶνος δευτέρας κατεστρώθη ὑπομνηστικὸν Ἰωάννου γεγονότος Γενικοῦ τοῦ Τζιρίθνου περιέχον οὕτως.

Δέσποτά μου ἅγιε, αἱ ἀπαιτήσεις τῶν ἔξω διοικήσεων Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας ἀπῃτοῦντο καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ εἰσεκομίζοντο, καθὼς τύπος ἀρχαῖος παρηκολούθησε. Κατὰ δὲ τὴν τρισκαιδεκάτην Ἰνδικτιῶνα τοῦ Καματήρου Δημητρίου συμφωνήσαντος εἰσκομίσαι τὸ ἀκρόστιχον τῶν τοιούτων διοικήσεων εἰς τὸ διπλάσιον, καὶ μὴ εἰσκομίσαντος, ἐξεδόθη τὸ ὁσπήτιον αὐτοῦ ἐγγύς που τοῦ Ἱπποδρόμου διακείμενον. Εἶτα κατὰ τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην Ἰνδικτιῶνα ἀνετέθησαν τῷ προέδρῳ Νικηφόρῳ τῷ Ἀρταβάσδῳ· ὃς καὶ τὴν ἀπαίτησιν ἀνύσας τῆς αὐτῆς Ἰνδικτιῶνος, καὶ τὴν πεντεκαιδεκάτην Ἰνδικτιῶνα ἐπιζητήσας ἀνατεθῆναι

αὐτῷ,

αὐτοῦ, ἀνωμολόγησε ἐν τῇ ὑπομνήσει αὐτοῦ, ὅτι τὴν ἀπαίτησιν τῶν τοιούτων διοικήσεων ἐνεργῶν εὗρε συνήθως ἀπαιτούμενον· ἐν τισὶ μὲν τῶν χωρίων ἀντὶ μιλλιαρησίου ἑνὸς νόμισμα ἕν· ἐν ἑτέροις δὲ χωρίοις ἀντὶ μιλλιαρησίων δύο τραχὺ νόμισμα ἕν· ἐν ἄλλοις ἀντὶ μιλλιαρησίων τριῶν νόμισμα ἕν· καὶ ἐν ἑτέροις ἀντὶ μιλλιαρησίων τεσσάρων νόμισμα ἕν· πάντα δὲ τὰ πρόσωπα καὶ τὰ μοναστήρια, καί τινα τῶν χωρίων ἀντὶ μιλλιαρησίων δώδεκα τραχὺ νόμισμα ἕν· καὶ ἀκολούθως καὶ αὐτὸς τοῖς πρὸ αὐτοῦ ἀπαιτηταῖς τὴν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης Ἰνδικτιῶνος πεποίηκεν εἴσπραξιν, καὶ ἠρώτησε τηνικαῦτα, ὅπως ἡ τῆς πεντεκαιδεκάτης Ἰνδικτιῶνος ὀφείλει παρ' αὐτοῦ προβῆναι ἀπαίτησις. Καὶ λύσις ἐδόθη τῆς Βασιλείας σου διακελευομένη ἀπὸ πάντων τῶν τε χωριτῶν καὶ τῶν προσώπων ἀντὶ ἀργυροῦ ἑνὸς ἤτοι μιλλιαρησίου ἑνὸς νόμισμα ἓν εἰσπράττεσθαι διά τε τοῦ δικερατοεξαφόλλου, συνηθείας, καὶ τοῦ ἐλατικοῦ· ἐπὶ δὲ τῇ ἀπαιτήσει τῶν νομισμάτων τὸ τραχὺ παλαιὸν ἓν ἀπαιτεῖσθαι νόμισμα μετὰ τῶν παρακολουθημάτων αὐτοῦ. Ὡς δὲ οἱ μέλλοντες οὕτως ἀπαιτεῖσθαι βαρέως ἐλογίζοντο τὴν ἀπαίτησιν, ὑπόμνησις ἑτέρα παρὰ τοῦ Ἀρταβάσδου ἐγένετο, αὐτὰ ταῦτα τὰ ἀνωτέρω γεγραμμένα ἐξιοῦσα ῥητῶς· καὶ λύσις τῆς Βασιλείας σου ἀπελύθη ῥητῶς ἔχουσα οὕτως.

set, in sua suggestione testatus est se in exsequutione exactionis talium procurationum comperisse ex consuetudine exactum, in quibusdam quidem regionibus pro milliarensi uno solidum unum; in aliis autem pro milliarensibus duobus asperum solidum unum, in aliis pro milliarensibus tribus solidum unum, & in aliis pro milliarensibus quatuor solidum unum: omnes vero * personas & monasteria, & aliqua regionum pro milliarensibus duodecim solidum unum. Sed & ipse, ad eundem præcedentibus exactoribus morem exactionem quartæ decimæ Indictionis peregit. ac tunc quæsivit, quomodo quintæ decimæ Indictionis exactio ab ipso deberet effici. Cui rescriptum datum est Majestatis Tuæ, mandans ab omnibus tam vicanis quam personis pro argenteo uno vel milliarensi uno solidum unum exigi nomine tum dicerato-hexapholli, tum consuetudinis & compulsorii: in exactione vero solidorum, asperum veterem unum exigi solidum cum accessionibus ejus. Sed quum illi, qui sic exigendi erant, gravem censerent hanc exactionem; altera suggestio ab Artauasdo contigit, ea ipsa quæ modo scripta sunt, diserte declarans, & rescriptum ab Majestate Tua emissum est hoc exemplo.

* Vel intelligit personatos & honoribus ornatos viros, vel beneficiis Ecclesiasticis decoratos, qui etiam vocabantur personæ, jam isto & sequuto tempore.

RESPONSUM.

Quod & antehac jussit Majestas Mea, ut per æreos nummos exigerentur minora æra vectigalium publicorum; & rursus ita ecce constituit, ut exigatur solidus per formam auream vel argenteam; minuta vero æra, uti dictum est, per nummos: duntaxat non super quatuor milliarenses in solidum. Et sic debes inferre publico nummos, quemadmodum jussus es illos exigere. Instituatur autem exactio æquabiliter de omnibus personis & vicanis. Ponatur igitur præsens hoc responsum Majestatis Meæ etiam in archivis secreti notitiæ ergo.

Hoc igitur responso in Secretum relato ambigebatur de sensu verborum responsi inter conservos meos Secreticos. Quidam enim illorum dicebant velle jussionem solvi minuta æra ad duodecim milliarenses in solidum; sive ubi scribitur solidi semis, illud computari sex milliarenses, ut olim constitutum erat: & rursus ubi triens, quatuor milliarenses: & sic deinceps ratione XII milliarensium in solidum. Et sic computatis atque in quantitatem quandam minutis æribus coeuntibus exigi pro IV milliarensibus solidum unum cum accessionibus suis. Quidam vero Secreticorum censebant hoc constitutum Imperatoria jussione, ut minuta æra usque ad IV milliarenses solido

ΛΥΣΙΣ.

Ὅπερ καὶ πρότερον προσέταξεν ἡ βασιλεία μου, τὸ διὰ χαλκῶν νουμίων ἀπαιτεῖσθαι τὰ λεπτὰ ψηφία τῶν τελουμένων δημοσίων· καὶ πάλιν οὕτως ἰδοὺ διορίζεται, ἀπαιτεῖσθαι τὸ μὲν χάραγμα διὰ νομισμάτων, τὰ δὲ λεπτὰ ψηφία, ὡς εἴρηται, διὰ νουμίων, πλὴν ἐπὶ τῶν τεσσάρων μιλλιαρησίων τῷ νομίσματι. Καὶ οὕτως ὀφείλεις εἰσκομίσαι τῷ δημοσίῳ τὰ νουμία, καθὼς ὡρίσθης ἀπαιτῆσαι αὐτά. Γενέσθω δὲ ἡ ἀπαίτησις ὁμοίως ἐπὶ πᾶσι προσώποις τε καὶ χωρίταις. Καταστρωθήτω οὖν ἡ παροῦσα Λύσις τῆς βασιλείας μου καὶ ἐν τοῖς Σεκρετικοῖς χαρτίοις εἰς εἴδησιν.

Ταύτης οὖν τῷ Σεκρέτῳ προσκομισθείσης ἠμφιβάλλετο τὰ περὶ τῆς Λύσεως παρὰ τοῖς συνδούλοις μου τοῖς Σεκρετικοῖς. Οἱ μὲν γὰρ τούτων ἔλεγον διεξιέναι τὴν πρόσταξιν, τὸ ἀναλύειν τὰ λεπτὰ ψηφία ἐπὶ τῶν δώδεκα μιλλιαρησίων τῷ νομίσματι· ἤγουν ἔνθα κεῖται νομίσματος ἥμισυ, ψηφίζεσθαι τοῦτο μιλλιαρήσια ἕξ, καθὼς ἀπὸ παλαιοῦ διωρίζετο· καὶ αὖθις τὸ τρίτον εἰς μιλλιαρήσια τέσσαρα καὶ καθεξῆς οὕτως, ὡς πρὸς δώδεκα μιλλιαρησίων τῷ νομίσματι; καὶ οὕτως ψηφιζομένων καὶ εἰς ποσότητά τινα τῶν λεπτῶν ψηφίων περιισταμένων, εἰσπράττεσθαι ἀντὶ μιλλιαρησίων τεσσάρων νόμισμα ἓν μετὰ τῶν παρακολουθημάτων αὐτοῦ. Οἱ δὲ τῶν Σεκρετικῶν ἔλεγον, ὡς τοῦτο διωρίζετο ἡ βασιλικὴ πρόσταξις, τὸ τὰ λεπτὰ ψηφία ἐπὶ τῶν τεσσάρων μιλλιαρησίων τῷ νομί-

νομίσματι ψηφίζεσθαι· καὶ ἔνθα κεῖται νομίσματος ἥμισυ, λογίζεσθαι τοῦτο ἀντὶ μιλλιαρησίων δύο, ὡς ἐπὶ τῶν τεσσάρων μιλλιαρησίων τῷ νομίσματι· ἔνθα δὲ κεῖται νομίσματος τέταρτον, ἐκεῖσε εἰσπράττεσθαι μιλλιαρήσιον ἕν. Τοιαύτης οὖν οὔσης τῆς ἀμφιβολίας, καὶ λύσιν μὴ δεξάμενοι ἄχρι τοῦ σήμερον, διὰ τὴν τῆς βασιλείας σου ἀποδημίαν, παρέβη ἡ τῶν δύο ἐγχρονιῶν ἀπαίτησις, τῆς τε πεντεκαιδεκάτης Ἰνδικτιῶνος καὶ πρώτης Ἰνδικτιῶνος, ὡς τὸ συμφέρον τοῦ δημοσίου καὶ τὸ ὠφέλιμον τῷ Σεκρέτῳ κατενοήθη· ἤτοι τὸ λογίζεσθαι τὸ ἀναγραφόμενον νομίσματος ἥμισυ ἀντὶ μιλλιαρησίων ἕξ, καὶ ἀπαιτεῖν ὑπὲρ τούτων τραχὺ νόμισμα ἓν ἥμισυ μετὰ τῶν παρακολουθημάτων αὐτοῦ. Ἐπεὶ δὲ ἡ βασιλεία σου ἐνεδήμησε καὶ ἡ τῆς δευτέρας Ἰνδικτιῶνος τῶν διοικήσεων ἐπέστη ἀπαίτησις, ἀναφέρω τὰ περὶ τούτων, ὡς ἂν παρὰ τοῦ θείου Κράτους σου τὰ τῆς προσκυνητῆς λύσεως ἑρμηνευθῶσι καθαρώτερον ῥήματα.

ΛΥΣΙΣ.

Ἡ προγεγονυῖα λύσις τῆς βασιλείας μου σαφής ἐστι πάντη καὶ ἀναμφίβολος. Τοῦτο γὰρ προσέταξεν ἡ βασιλεία μου, τὸ μὲν χάραγμα νόμισμα διὰ τραχέων ἄσπρων νομισμάτων ἀπαιτεῖσθαι, τὰ δὲ λεπτὰ ψηφία διὰ νουμίων χαλκῶν· καταλογίζεσθαι δὲ τὰ νουμία, ἐπὶ τῶν τεσσάρων μιλλιαρησίων τῷ νομίσματι· ὥστε τὸν χρεωστοῦντα ἥμισυ νομίσματος διδόναι μιλλιαρήσια δύο νουμίων χαλκῶν· καὶ ὑπὲρ τοῦ τρίτου τελεῖσθαι μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις ὀκτώ· ὑπὲρ τοῦ τετάρτου μιλλιαρήσιον ἕν· ὑπὲρ τοῦ ἕκτου φόλλεις

ducerentur; & ubi positus est solidi semis, computari hoc pro milliarensibus duobus, utpote in solidum tantummodo quatuor milliaribus exigendis: ubi vero positus est solidi quadrans, ibi exigi milliarensem unum. Hæc igitur quum ambiguitas teneat, nec solutionem acceperint in hunc diem propter absentiam Majestatis Tuæ, continuavit duorum annorum exactio & quintædecimæ & primæ indictionis, prout commodum publico ac salutare Secreto consideratum fuit: videlicet duci accedentem solidi semissem milliarensibus sex, & pro his exigi asperum solidum semissem cum accessionibus suis. Postquam vero Majestas Tua in Urbem rediit, & secundæ Indictionis procurationum instare cœpit exactio, refero de his, ut divina Potestas Tua adorandi responsi verba purius interpretetur.

RESPONSUM.

Prius editum responsum Majestatis Meæ omnino planum est & ambiguitatis expers. Hoc enim jussit Majestas Mea, solidum in auro vel argento exigi, minuta autem æra per nummos æreos: duci autem nummos istos usque ad quatuor milliarenses in solidum: ut qui debeat semissem solidi, duos det milliarenses in æreis nummis: qui trientem, milliarensem octo folles: qui quadrantem, milliarensem: qui sextantem, folles sexdecim:

decim: qui ſeſcunciam, folles duodecim: qui unciam, folles octo: qui ſemunciam, folles quatuor: & qui ſicilicum, folles duos. Ut monſtratum eſt igitur, plana & minime controverſa eſt reſponſio Majeſtatis Meæ; obſcuritatem autem in ea finxit nonniſi collectorum turpis lucri cupiditas. Non enim accuſat Majeſtas Mea Secreticos. Illi enim fortaſſe gnari exactionem non fieri ex formula, quam juſſit Majeſtas Mea; & pro ſcopo id ſtatuentes, ut collectores reddant rationes, prout exegerunt, mentionem hanc iniiciunt. Sed Majeſtas Mea hoc jubet, nempe ut ab ipſis collectoribus flagitetur, prout ipſi exegerint, collectionum breviarium; & exigantur, quicquid ultra mandatum Majeſtatis Meæ exegerint per cauſam obſcuritatis, quam allegant. In reliquum vero ad normam hujus, quod dictum eſt, mandati Majeſtatis Meæ exactio fiat & flagitetur; neque amplius quidquam exigant collectores. Neque enim Majeſtas Mea veniam hanc dat exactoribus, ſuper ea quæ diſerte injuncta eis ſunt, aliquid exigendi. Et ſane oportebat potius collectores eos qui exactionem talem imperata ſumma majorem fecerunt, pœna quoque congruente propterea mulctari: ſed Majeſtas Mea clementius in eos conſulens definit, ut ſolummodo compellantur edere ſummarium, & exigantur, quantum exegerint. prout nimirum confeſſi ſunt in-

ἑκκαίδεκα· ὑπὲρ τοῦ ὀγδόου φόλλεις δώδεκα· ὑπὲρ τοῦ δωδεκάτου φόλλεις ὀκτώ· ὑπὲρ τοῦ εἰκοστοῦ τετάρτου φόλλεις τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ τοῦ τεσσαρακοστοῦ ὀγδόου φόλλεις δύο. Ὡς δεδήλωται οὖν, σαφής τε καὶ ἀναντίῤῥητός ἐστιν ἡ Λύσις τῆς Βασιλείας μου· τὴν δὲ ἀσάφειαν οὐδὲν ἄλλο ἐνταῦθα παρήγαγεν, εἰ μὴ ἡ τῶν διοικητῶν αἰσχροκερδία. Οὐ λέγει γὰρ ἡ Βασιλεία μου τῶν Σεκρετικῶν. Οἱ γὰρ Σεκρετικοὶ γνωρίσαντες ἴσως ὅτι οὐ κατὰ τὴν πρόσταξιν τῆς Βασιλείας μου γίνεται ἡ ἀπαίτησις· καὶ σκοπὸν ἔχοντες λογαριάσαι τοὺς διοικητὰς καθὼς ἀπῄτησαν, ὑπομιμνήσκουσι περὶ τούτου. Ἀλλ' ἡ Βασιλεία μου τοῦτο προστάσσει· ἵνα οἱ μὲν διοικηταὶ λογαριασθῶσι, καθὼς ἀπῄτησαν τὸ τῶν διοικήσεων ἀκρόστιχον· καὶ ἀπαιτηθῶσι τὸ ἐπέκεινα τῆς προστάξεως τῆς Βασιλείας μου ἀπαιτηθὲν παρ' αὐτῶν διὰ τὴν ἀσάφειαν ταύτην, ἣν λέγουσι. Τοῦ λοιποῦ δὲ ἡ ἀπαίτησις κατὰ τὴν δηλωθεῖσαν πρόσταξιν τῆς Βασιλείας μου γίνηται καὶ λογαριάζηται· καὶ μηδὲν πλέον ἀπαιτῶσιν οἱ διοικηταί· οὐδὲ γὰρ ἄδειαν δίδωσιν ἡ Βασιλεία μου τοῖς ἀπαιτηταῖς ἐπέκεινα τῶν ῥητῶς προστατ]ομένων αὐτοῖς ἀπαιτεῖν τι. Καὶ ὤφειλον μᾶλλον οἱ τὴν τοιαύτην ὑπεραπαίτησιν ποιήσαντες διοικηταὶ καὶ ποινὴν τὴν προσήκουσαν ὑπὲρ ταύτης ἐκτίσαι· συμπαθέστερον δὲ ἡ Βασιλεία μου εἰς αὐτοὺς διατιθεμένη διορίζεται λογαριασθῆναι μόνον αὐτούς· καὶ ἀπαιτηθῆναι, ὅσον ἀπῄτησαν. καθὼς δηλονότι ὡμολόγησαν νοεῖν τὴν Λύσιν τῆς Βασιλείας

σιλείας μου ἐκείνην, ἀπὸ τοῦ νῦν δὲ γίνεσθαι τὴν ἀπαίτησιν κατὰ τὸν ἀληθῆ σκοπὸν τῆς τοιαύτης προστάξεως, ὃς καὶ ἀνωτέρω καθαρῶς ἐδηλώθη καὶ κατὰ μέρος. Καταστρωθήτω οὖν εἰς εἴδησιν ἡ παροῦσα λύσις τῆς Βασιλείας μου. Τὸ μηνὶ Φεβρουαρίῳ Ἰνδικτιῶνος δευτέρας διὰ γραμμάτων ἐρυθρῶν τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως καὶ ἡ διὰ κηροῦ συνήθης σφραγὶς εἶχε καὶ τὸ κατεστρώθη τοῦ Λογοθέτου καὶ τοῦ μεγάλου Λογαριαστοῦ.

Ἐν τῇ αὐτῇ θέσει εὕρηται καὶ ἑτέρα γραφὴ ἔχουσα οὕτως.

Μηνὶ Αὐγούστῳ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ, ἑβδόμῃ Ἰνδικτιῶνος δευτέρας κατεστρώθη ὑπομνηστικὸν τοῦ Γενικοῦ Λογοθέτου Κυροῦ Γεωργίου τοῦ Σπανοπούλου περιέχον οὕτως.

Δέσποτά μου ἅγιε· τῆς ἀπαιτήσεως τῶν κατὰ τὴν δύσιν δημοσιακῶν τελεσμάτων, κατὰ τὴν παρελθοῦσαν πεντεκαιδεκάτην Ἰνδικτιῶνα καὶ τὴν μετ' αὐτὴν πρώτην, ἐπὶ ζημίᾳ τῶν ὑπηκόων τῆς ἁγίας Βασιλείας σου προβάσης, οἷα τῶν διοικητῶν τὸ ταύτης παρερμηνευσάντων πρόσταγμα, καὶ τὸ μὲν χάραγμα διὰ νομισμάτων ἀπαιτούντων, τὰ δὲ λεπτὰ ψηφία ἐπὶ τῶν δώδεκα μιλιαρησίων τῷ νομίσματι συμποσουμένων, καὶ ἀντὶ τούτων τρία νομίσματα εἰσπραττομένων·

telligere Majeſtatis Meæ illud Reſcriptum; ab hoc autem tempore exactio fiat ad veram hujus juſſionis ſententiam, quæ etiam antea liquide manifeſtata eſt & particulatim. Ponatur vero ad notitiæ cuſtodiam præſens hoc Majeſtatis Meæ reſcriptum. Illud * menſe Februario, Indictione ſecunda, literis rubris Potentis & ſacrati noſtri Imperatoris, etiam ſolenne ex cera ſigillum: habuit & verbum *Poſitum eſt* Logothetæ & magni Logariaſtæ.

In eodem ſcrinio repertum eſt etiam aliud ſcriptum hoc exemplo.

Menſe Auguſto, die quartodecimo, ſeptimo Indictionis ſecundæ poſitum eſt commonitorium Domini Georgii Spanopuli Generalis Logothetæ hæc continens.

Domine mi Sacroſancte. Quum exactio publicarum penſionum per Occidentem & præterita quinta decima Indictione & prima poſt illam, in fraudem ſubjectorum Sacratæ Majeſtatis Tuæ proceſſerit, utpote collectoribus prave interpretatis Eius decretum, & aurum quidem & argentum exigentibus in ſolidis, tenuia vero æra ad duodecim uſque milliarenſes ſolido æquiparantibus, & pro his tres ſolidos efflagitantibus,

* Sic particulam iſtam in Latinis etiam appoſui, quam Gallus interpres omiſit, non ſecus ac ſi cohærens ipſi reſcripto Imperatorio hæc eſſet clauſula: quum videatur eſſe ab hujus libelli confectore, qui poſt reſcriptum etiam monet ſe inveniſſe ei annexum primo diem, quo fuit datum; ſecundo Principis nomen ſcriptum literis rubris, tertio ſigillum; denique adſcriptum infra manu Logothetæ verbum κατεστρώθη. Itaque ſic infra in ſimili clauſula quoque repetivi.

aut

aut pro quatuor milliarensibus ſolidum; non diu eſt, quum Divina Poteſtas Tua ſubmonita eſt, & per auguſtum reſcriptum juſſit, aurum & argentum in aſperis aſpris ſolidis exigi, tenuia vero æra per æreos nummos; hos nummos autem ita computari, ut quatuor milliarenſes ponerentur in ſolido, ut qui deberet dimidium ſolidi, daret milliarenſes duos in nummis æreis; & pro triente milliarenſem unum, folles octo; pro quadrante milliarenſem unum; pro ſextante folles ſedecim; pro ſeſcuncia folles duodecim; pro uncia folles octo; pro ſemuncia folles quatuor; & pro ſicilico folles duos. Quum hæc ſit ſententia adorandi ejus reſcripti; qvidam eorum qvi in urbe ſoliti ſunt pendere, congruentia ipſorum poſſeſſionibus publica præbituri, auri quidem & argenti vectigalia in ſolidis & exiguntur & præbent; ſimiliter etiam tenuia æra in nummis ex mandato Majeſtatis Tuæ; & ratio dubitationis de his omnino nulla. Cæterum in dicerato-hexaphollis inducunt quandam ambiguitatem. Nam quum ab initio aſper ſolidus in ratione dicerato-hexapholli par ſit pretio follibus triginta, repugnant vectigales ſolutionem præſtituri, tam in ſolidis qui in auro vel argento exiguntur, quam in nummis ad ſolidorum quantitatem cumulatis; utpote quum quatuor milliarenſes pro uno ſolido, ut ſtatuit juſſio, computandi ſint, ſe id quod a principio adhærebat

ἤγουν ἀντὶ μιλλιαρησίων τεσσάρων νόμισμα ἕν· ὑπεμνήσθη περὶ μικροῦ τὸ θεῖον Κράτος σου, καὶ διὰ σεβασμίας προσέταξε λύσεως, τὸ μὲν χάραγμα διὰ τραχέων ἀσπρων νομισμάτων ἀπαιτεῖσθαι, τὰ δὲ λεπτὰ ψηφία διὰ νουμίων χαλκῶν· καταλογίζεσθαι δὲ τὰ νουμία ἐπὶ τῶν τεσσάρων μιλλιαρησίων τῷ νομίσματι· ὥστε τὸν χρεωστοῦντα ἥμισυ νομίσματος διδόναι μιλλιαρήσια δύω νουμίων χαλκῶν· καὶ ὑπὲρ τοῦ τρίτου μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις ὀκτώ· ὑπὲρ τοῦ τετάρτου μιλλιαρήσιον ἕν· ὑπὲρ τοῦ ἕκτου φόλλεις ἑκκαίδεκα· ὑπὲρ τοῦ ὀγδόου φόλλεις δώδεκα· ὑπὲρ τοῦ δωδεκάτου φόλλεις ὀκτώ· ὑπὲρ τοῦ εἰκοστοῦ τετάρτου φόλλεις τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ τοῦ τεσσαρακοστοῦ ὀγδόου φόλλεις δύω. Οὕτω τῆς προσκυνητῆς ταύτης ἐχούσης λύσεως, τινὲς τῶν διὰ πόλεως εἰωθότων τελεῖν, τὰ ἀνήκοντα τοῖς κτήμασιν αὐτῶν δημόσια μέλλοντες παρέχειν, τὰ μὲν διὰ χαράγματος τέλη διὰ νομισμάτων καὶ ζητοῦνται, καὶ παρέχουσιν, ὡσαύτως καὶ τὰ λεπτὰ ψηφία διὰ νουμίων κατὰ τὸ τῆς βασιλείας σου πρόσταγμα· καὶ λόγος ἀμφιβολίας περὶ τούτων οὐδὲ εἷς. Ἐπὶ δέ γε τοῖς δικερατοεξαφόλλοις παρεισάγουσιν ἀμφιβολίαν τινά. Τοῦ γὰρ τραχέως νομίσματος ἔχοντος ἐξ ἀρχῆς δικερατοεξάφολλον φόλλεις τριάκοντα, διενίστανται οἱ ὀφείλοντες τελέσαι καὶ ἐπὶ τοῖς διὰ χαράγματος ἀπαιτουμένοις νομίσμασι, καὶ ἐπὶ τοῖς εἰς ποσότητα νομισμάτων ἠθροισμένοις νουμίοις· τῶν τεσσάρων δηλονότι μιλλιαρησίων ἀντὶ νομίσματος ἑνὸς, ὡς ἡ πρόσταξις ἔχει, καταλογιζομένων, μὴ τὸ ἐπακολουθοῦν ἐξ ἀρχῆς

τῷ

τῷ νομίσματι δικερατοεξάφολλον, ἤτοι φόλλεις τριάκοντα, παρέχειν· ἀλλὰ μόνας φόλλεις δέκα· τὸ τρίτον δηλονότι τῶν τριάκοντα. Ἐγὼ δὲ ὁ ἀνάξιος δοῦλός σου οὐκ ἐλαχίστην ἐκ τούτου τῷ δημοσίῳ ζημίαν προσγινομένην κατανοῶν, καὶ ἄλλως δὲ τὰς σεκρετικὰς εἰς τὸ μέλλον συζητήσεις προορώμενος, ζητῶ προσταχθῆναί μοι ῥητῶς, ὅσην δικερατοεξαφόλλου ποσότητα καὶ ἐπὶ τοῖς χαράγμασι καὶ ἐπὶ τοῖς εἰς ποσότητα νομισμάτων καταλογιζομένοις νουμμίοις ὀφείλω ζητεῖν.

solido, dicerato-hexaphollon aut folles triginta non præbituros, sed solos decem folles, tertiam nimirum partem ex triginta. Ego autem indignus servus tuus non minimum ex ea re ærario detrimentum eventurum considerans, atque etiam præterea controversias Secreti in futurum jam prospiciens, peto aperte mihi mandari, qualem dicerato-hexapholli quantitatem, & in solutione per aurum argentumque & in nummis pro solidorum quantitate componendis me flagitare oporteat.

ΛΥΣΙΣ.

Καὶ ἐπὶ τοῖς διὰ χαράγματος ἀπαιτουμένοις νομίσμασι, καὶ ἐπὶ τοῖς νουμμίοις, τῶν τεσσάρων δηλαδὴ μιλιαρησίων ἀντὶ τοῦ ἑνὸς νομίσματος, ὡς αὐτός τε ὑπέμνησας καὶ ἡ πρὸ μικροῦ ἀπολυθεῖσα πρόσταξις περιέχει, τὸ ἥμισυ νῦν τοῦ πρώην ἀπαιτουμένου δικερατοεξαφόλλου ἀπαιτεῖσθαι ἡ Βασιλεία μου διορίζεται, φόλλεις πεντεκαίδεκα, καὶ μόνον, καὶ μηδένα πλέον, ἐφ᾽ ἑκάστῳ νομίσματι, εἴτε διὰ χαράγματος, εἴτε διὰ νουμμίων, ὡς εἴρηται, ἀπαιτουμένῳ· *

RESCRIPTUM.

Et in solidis, qui in auro vel argento exiguntur, & in nummis, quatuor nimirum milliarensibus in pretium unius solidi, ut & ipse suggessisti, & paulo ante egressa jussio tradit; dimidium modo ejus, qui olim exigebatur, dicerato-hexapholli nunc exigi Majestas Mea determinat, quindecim folles & solum & nihil amplius in unoquoque solido sive in aurea argenteave moneta, sive in nummis, ut dictum est, exacto.

ΥΠΟΜΝΗΣΙΣ.

Ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῇ ἀπαιτήσει τῶν συνηθειῶν καὶ ἐλατικῶν ὁρισθῆναί μοι τῷ

SUGGESTIO.

Sed & in exactione consuetudinum & compulsoriorum definiri mihi

* In MS. est compendiosa nota ἀπαιτου. Eam pater ita explicuit, ut referret ad vocem νομίσματι. Galli ἀπαιτουμένας, ut ad φόλλεις revocetur. Certè ἀπαιτουμένῳ pag. 755 (quæ est pag. 378. Gallicæ editi onis versu penultimo, sed ubi illa negligenter omisit voces quatuor διὰ χαράγματος ἀπαιτουμένῳ, εἴτε) est alia notæ figura in MS. tamen similis ἀπαιτου, & refertur quoque ad vocem νομίσματι.

indigno ſervo tuo rogo, utrum in ſolidis etiam hæc me oporteat petere, an in nummis. Etenim uſque ad ſeptem ſolidos exigitur jure conſuetudinis & compulſorii in unoquoque ſolido milliarenſis unus folles duodecim. Aucta vero in ſolidis exactione augetur quoque conſuetudo cum compulſorio. Et quidem uſque ad decem ſolidos efflagitatur nomine conſuetudinis & compulſorii ſolidus unus ſemis: in ampliorem vero ſummam exactione publicorum extenſa, & ad ſolidos viginti coacervata, petitur conſuetudo & compulſorium ſolidi tres.

Quoniam igitur ex nummis ab initio in minutioribus ſolidorum vectigalibus exactio conſuetudinum & compulſoriorum conſiſtit; ego quidem etiam vice unius ſolidi & ſemiſſis, etiam vice trium ſolidorum, etiam ultra hos, qui pro conſuetudine ac pro compulſorio præbentur, nummos rogo accipere, aut pro uno ſolido quatuor milliarenſes.

Sed id illis, a quibus hi ita petuntur, grave & moleſtum videtur, deſiderantibus nummos quidem in nummis præbere, ad morem eundem publicis ipſorum tributis, ſolidos vero in ſolidis. Potens itaque Majeſtas Tua etiam de hoc, prout ipſi fuerit viſum, mihi injungat.

ἀναξίῳ δούλῳ σου ζητῶ, εἴτε διὰ νομισμάτων ὀφείλω καὶ ταῦτα ζητεῖν εἴτε διὰ νουμίων. Ἄχρι γὰρ τῶν ἑπτὰ νομισμάτων ἀπαιτεῖται χάριν συνηθείας καὶ ἐλατικοῦ ὑπὲρ ἑκάστου νομίσματος μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις δώδεκα. αὐξομένης δὲ τῆς περὶ τῶν νομισμάτων ἀπαιτήσεως αὔξεται καὶ ἡ συνήθεια σὺν τῷ ἐλατικῷ· καὶ ἕως μὲν νομισμάτων δέκα, εἰσπράττεται χάριν συνηθείας καὶ ἐλατικοῦ νόμισμα ἓν ἥμισυ· εἰς πλέον δὲ ποσὸν τῆς τῶν δημοσίων ἀπαιτήσεως παρεκτεινομένης καὶ ἄχρι νομισμάτων εἴκοσι περιϊσταμένης, ζητεῖται συνήθεια καὶ ἐλατικὸν νομίσματα τρία.

Ἐπεὶ οὖν ἐκ νουμίων ἐξ ἀρχῆς ἐν τοῖς λεπτομερεστέροις τῶν νομισμάτων τέλεσιν ἡ τῶν συνηθειῶν καὶ ἐλατικῶν ἀπαίτησις συνίσταται, ἐγὼ μὲν καὶ ἀντὶ τοῦ ἑνὸς ἡμίσεως νομίσματος, καὶ ἀντὶ τῶν τριῶν νομισμάτων καὶ τῶν ἐπέκεινα τούτων, ὑπέρ τε συνηθείας καὶ ἐλατικοῦ διδομένων, νουμία ζητῶ λαμβάνειν· ἤγουν ἀντὶ νομίσματος ἑνὸς μιλλιαρήσια τέσσαρα.

Τοῖς δὲ οὕτως αὐτὰ ζητουμένοις ἐπαχθὲς τοῦτο δοκεῖ, τὰ μὲν νουμία διὰ νουμίων παρέχειν ἐνισταμένοις, καθ' ὅμοιον τοῖς δημοσιακοῖς τούτων τελέσμασι· τὰ δὲ νομίσματα διὰ νομισμάτων. Ἡ δὲ κραταιὰ Βασιλεία σου τὸ δοκοῦν αὐτῇ καὶ περὶ τούτου προσταξάτω μοι.

ΛΥΣΙΣ.

Καὶ τὴν τῶν συνηθειῶν καὶ ἐλατικῶν εἴσπραξιν διὰ νουμίων ἡ Βασιλεία μου προβαίνειν διορίζεται, καὶ μόνας δώδεκα φόλλεις εἰσπράττεσθαι ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι, εἴτε διὰ χαράγματος ἀπαιτουμένῳ εἴτε διὰ τεσσάρων μιλλιαρησίων, ὡς ἀνωτέρω διείληπται, κἂν εἰς πολὺ ποσὸν τὸ παρ' ἑκάστου τελούμενον δημόσιον κορυφοῦται, κἂν εἰς ἔλαττον. Δὸς οὖν εἴδησιν ἔγγραπτον τῶν τοιούτων οἰκονομιῶν τῷ ἐνεργοῦντι τὰς δυτικὰς διοικήσεις· ἵνα καὶ αὐτὴν ἀπαιτήσῃ τό τε δικερατοεξάφολλον καὶ τὰ τῶν συνηθειῶν καὶ τοῦ ἐλατικοῦ· ὡς καὶ τοιουτοτρόπως ὀφείλει λογαριασθῆναι, ἐφ' οἷς ἀπὸ Μαρτίου μηνὸς τῆς παρούσης δευτέρας Ἰνδικτιῶνος ἡ κακῶς ἐκληφθεῖσα τοῖς διοικηταῖς περὶ τῶν τεσσάρων μιλλιαρησίων προτέρα λύσις τῆς Βασιλείας μου διὰ τῆς μεταγενεστέρας αὐτῆς προστάξεως ἐσχόλασε. Τὸ δὲ μηνὶ Ἰουνίῳ Ἰνδικτιῶνος * δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων τοῦ βασιλέως ἡμῶν τοῦ ἁγίου, καὶ ἡ διὰ κηροῦ συνήθης σφραγίς. εἶχε καὶ τὸ Κατεστρώθη τοῦ Λογοθέτου καὶ τοῦ μεγάλου Λογαριαστοῦ.

Αἱ ὑπογραφαὶ τῶν Σεκρετικῶν.

Ὁ ἀνάξιος δοῦλος τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως καὶ γενικὸς Μιχαὴλ ὁ Κουτρίκιος. †

RESPONSUM.

Etiam consuetudinum & compulsoriorum exactionem in nummis confieri Majestas Mea determinat, & solos duodecim folles exigi in unoquoque solido, sive is in auro argentove exigatur, sive in quatuor milliarensibus, ut antea decisum fuit, idque tam si ad magnam summam id quod ab unoquoque solvitur, publicum accumuletur, quam si ad minorem. Da igitur conscriptam notitiam talium dispositionum, procuratori occidentalium administrationum, ut secundum illam exigat diceratohexaphollum & quæ pertinent ad consuetudines & compulsorium: ut & ipse tali modo debeat inferre rationes; ea conditione, ut ab Martii mensis præsente secunda Indictione illud quod male procuratores interpretati fuerunt de quatuor milliarensibus, prius Majestatis Meæ rescriptum per hanc posteriorem Ejus jussionem cesset. Illud autem mense Junio Indictione ... in rubris literis Sacrati Imperatoris nostri, & solitum in cera sigillum. Habuit & illud POSITUM EST Logothetæ & magni Logariastæ.

Subscriptiones Secreticorum.

Indignus servus Potentis & Sacrati nostri Imperatoris & Generalis Michael Cutricius.

* Quoniam nota in MS. codice compendiose ita formatur, ut in posteriore parte habeat instar literæ γ, hinc pater putabat supplendum τρίτης.

† Sic pater. Gallica editio Κουτρίκιος. in MS. est nota κουτρίκ.

Logariastes Secreti generalis Basilius Tzirithon.

Ejusdem Secreti Imperatorius Notarius Georgius Apimpithium.

Ejusdem Secreti Generalis Imperatorius Notarius Constantinus Rothonas.

Joannes, Imperatorius Notarius Secreti Generalis Serblias.

Imperatorius Notarius Secreti Generalis Nicolaus Triphyllus.

Judex veli & super Hippodromum Joannes Manuelites præsens exemplum oblatæ mihi fideli Secreticæ chartæ reperiens par, subscripsi.

Ὁ Λογαριαστὴς τοῦ Σεκρέτου τοῦ Γενικοῦ Βασίλειος ὁ Τζιρίθων.

Ὁ τοῦ αὐτοῦ Σεκρέτου βασιλικὸς Νοτάριος Γεώργιος ὁ Ἀπιμπιθιούμ.

Ὁ τοῦ αὐτοῦ Σεκρέτου τοῦ Γενικοῦ βασιλικὸς Νοτάριος Κωνσταντῖνος ὁ Ῥωθωνᾶς.

Ἰωάννης βασιλικὸς Νοτάριος τοῦ Σεκρέτου τοῦ Γενικοῦ ὁ Σερβλίας.

Βασιλικὸς Νοτάριος τοῦ Σεκρέτου τοῦ Γενικοῦ Νικόλαος ὁ Τρίφυλλος.

Ὁ κριτὴς τοῦ βήλου καὶ ἐπὶ τοῦ Ἱπποδρόμου Ἰωάννης ὁ Μανουηλίτης τὸ παρὸν ἴσον τῇ ἐμφανισθείσῃ μοι πεπιστωμένῃ σεκρετικῇ παρεκβολῇ ἰσάζον εὑρὼν ὑπέγραψα.

Itaque secundum amplexus & tenores modo scriptorum divinorum & adorandorum Imperialium mandatorum exactionem quorumcunque ærum facere debes hoc modo.

In sicilicum solidi exige publicum folles duos: & pro dicerato-hexaphollo, consuetudine & compulsorio follis bessem sicilicum: simul cum dicerato-hexaphollo, consuetudine & compulsorio folles duos bessicilicum.

In semunciam solidi exige publicum folles quatuor, & pro reliquis accessionibus follem quadrantem sescunciam: simul folles quinos quadrantem sescunciam vel quinos trientem semunciam.

In semunciam sicilicum solidi exige publicum folles sex: & pro accessionibus folles duos unciam: simul folles octo unciam.

Κατὰ γοῦν τὰς περιλήψεις καὶ δυνάμεις τῶν ἀναγεγραμμένων θείων καὶ προσκυνητῶν βασιλικῶν προστάξεων ὀφείλεις ποιεῖν τὴν ἀπαίτησιν ἑκάστου ψηφίου οὕτως.

Εἰς τὸ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις δύω· καὶ ὑπὲρ δικερατοεξαφόλλου, συνηθείας καὶ ἐλατικοῦ φόλλεως ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ σὺν δικερατοεξαφόλλῳ, τῇ συνηθείᾳ καὶ τῷ ἐλατικῷ φόλλεις δύο ἥμισυ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ εἰκοστὸν τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ τῶν λοιπῶν παρακολουθημάτων φόλλιν μίαν τέταρτον ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις πέντε τέταρτον ὄγδοον, ἤτοι πέντε τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον.

Εἰς τὸ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις ἕξ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις δύω δωδέκατον ὁμοῦ φόλλεις ὀκτὼ δωδέκατον.

Εἰς τὸ δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις ὀκτὼ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις δύω ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ φόλλεις δέκα ἥμισυ τέταρτον.

Εἰς τὸ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις δέκα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τρεῖς τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις τρεισκαίδεκα τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις δώδεκα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τέσσαρας ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑκκαίδεκα ὄγδοον.

Εἰς τὸ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις τεσσαρεσκαίδεκα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τέσσαρας ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ὀκτωκαίδεκα ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἕκτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον φόλλεις ἑκκαίδεκα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις πέντε ἥμισυ· ὁμοῦ φόλλεις εἴκοσι μίαν ἥμισυ.

Εἰς τὸ τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλιαρήσιον ἕν· ἤτοι φόλλεις εἴκοσι τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ὀκτὼ τέταρτον· ὁμοῦ φόλλεις τριάκοντα δύω τέταρτον.

Εἰς τὸ τρίτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλιαρήσιον ἓν φόλλεις ὀκτὼ, ἤτοι φόλλεις τριάκοντα δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἕνδεκα· ὁμοῦ φόλλεις τεσσαράκοντα τρεῖς.

Εἰς τὸ τρίτον δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις ἑκκαίδεκα, ἤτοι φόλλεις τεσσαράκοντα·

In unciam solidi exige publicum folles octo, & pro accessionibus folles duos dodrantem: simul folles decem dodrantem.

In unciam sicilicum solidi exige publicum folles decem, & pro accessionibus folles tres quincuncem sicilicum: simul folles tredecim quincuncem sicilicum.

In sescunciam solidi exige publicum folles duodecim, & pro accessionibus folles quatuor sescunciam: simul folles sedecim sescunciam.

In sescunciam sicilicum solidi exige publicum folles quatuordecim, & pro accessionibus folles quatuor dodrantem semunciam sicilicum: simul folles octodecim dodrantem semunciam sicilicum.

In sextantem solidi exige publicum folles sedecim, & pro accessionibus folles quinque semissem: simul folles XXI semissem.

In quadrantem solidi exige publicum milliarensem, vel folles quatuor & viginti, & pro accessionibus folles octo quadrantem: simul folles XXXII quadrantem.

In trientem solidi exige publicum milliarensem folles octo, vel folles XXXII, & pro accessionibus folles XI: simul folles XLIII.

In quincuncem solidi exige publicum milliarensem folles sedecim, sive folles XL: & pro acces-

acceſſionibus folles tredecim dodrantem: ſimul folles LIII dodrantem.

καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τρισκαίδεκα ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ φόλλεις πεντήκοντα τρεῖς ἥμισυ τέταρτον.

In quincuncem ſemunciam ſolidi exige publicum milliarenſem folles XX vel folles XLIV: & pro acceſſionibus folles quindecim ſeſcunciam: ſimul folles LIX ſeſcunciam.

Εἰς τὸ τρίτον ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις εἴκοσι· ἤτοι φόλλεις τεσσαράκοντα τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις πεντεκαίδεκα ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις πεντήκοντα ἐννέα ὄγδοον.

In quincuncem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige publicum milliarenſem folles XXII, vel folles XLVI: & pro acceſſionibus folles quindecim dodrantem ſemunciam ſicilicum: ſimul folles LXI dodrantem ſemunciam ſicilicum.

Εἰς τὸ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις εἴκοσι δύω· ἤτοι φόλλεις τεσσαράκοντα ἕξ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις πεντεκαίδεκα ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑξήκοντα μίαν ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In ſemiſſem ſolidi exige publicum milliarenſes duos, vel folles XLVIII: & pro acceſſionibus folles ſedecim ſemiſſem: ſimul folles LXIV ſemiſſem.

Εἰς τὸ ἥμισυ τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω· ἤτοι φόλλεις τεσσαράκοντα ὀκτώ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἑκκαίδεκα ἥμισυ· ὁμοῦ φόλλεις ἑξήκοντα τέσσαρας ἥμισυ.

In ſemiſſem ſicilicum ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles duos vel folles L: & pro acceſſionibus folles ſeptem ſextantem ſicilicum: ſimul folles LXVII ſextantem ſicilicum.

Εἰς τὸ ἥμισυ τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις δύω, ἤτοι φόλλεις πεντήκοντα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἑπτὰ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑξήκοντα ἑπτὰ ἕκτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

In ſemiſſem ſemunciam ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles IV, vel folles LII: & pro acceſſionibus folles XVII dextantem ſemunciam: ſimul folles LXIX ſemuncideuncem.

Εἰς τὸ ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις τέσσαρας, ἤτοι φόλλεις πεντήκοντα δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἑπτακαίδεκα ἥμισυ τέταρτον ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑξήκοντα ἐννέα ἥμισυ τέταρτον ὄγδοον.

In ſemiſſem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles ſex vel folles LIV: & pro acceſſionibus

Εἰς τὸ ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις ἕξ· ἤτοι φόλλεις πεντήκοντα τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ

ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ὀκτωκαίδεκα ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑβδομήκοντα δύω ἥμισυ εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἥμισυ δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις ὀκτὼ· ἤτοι φόλλεις πεντήκοντα ἕξ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἐννεακαίδεκα τέταρτον· ὁμοῦ φόλλεις ἑβδομήκοντα πέντε τέταρτον.

Εἰς τὸ ἥμισυ δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις δέκα, ἤτοι φόλλεις πεντήκοντα ὀκτὼ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἐννεακαίδεκα ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑβδομήκοντα ἑπτὰ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἥμισυ ὄγδοον ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις δώδεκα, ἤτοι φόλλεις ἑξήκοντα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις εἴκοσι ἥμισυ ὄγδοον. ὁμοῦ φόλλεις ὀγδοήκοντα ἥμισυ ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἥμισυ ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις δεκατέσσαρας, ἤτοι φόλλεις ἑξήκοντα δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις εἴκοσι μίαν τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ὀγδοήκοντα τρεῖς τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἥμισυ ἕκτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια δύω φόλλεις ἑκκαίδεκα, ἤτοι φόλλεις ἑξήκοντα τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις εἴκοσι δύω· ὁμοῦ φόλλεις ὀγδοήκοντα ἕξ.

folles XVIII ſemiſſem ſemunciam ſicilicum: ſimul folles LXXII ſemiſſem ſemunciam ſicilicum.

In ſeptuncem ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles octo, vel folles LVI: & pro acceſſionibus folles XIX quadrantem: ſimul folles LXXV quadrantem.

In ſeptuncem ſicilicum ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles decem, vel folles LVIII, & pro acceſſionibus folles XIX deuncem ſicilicum: ſimul folles LXXVII deuncem ſicilicum.

In ſeptuncem ſemunciam ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles duodecim, vel folles LX, & pro acceſſionibus folles XX ſeptuncem ſemunciam: ſimul folles LXXX ſeptuncem ſemunciam.

In ſeptuncem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles XIV, vel folles LXII, & pro acceſſionibus folles XXI quadrantem ſemunciam ſicilicum: ſimul folles LXXXIII quadrantem ſemunciam ſicilicum.

In beſſem ſolidi exige publicum milliarenſes duos folles ſedecim, vel folles LXIV, & pro acceſſionibus folles XXII: ſimul folles LXXXVI.

In

In dodrantem ſolidi exige publicum milliarenſes tres vel folles LXXII : & pro acceſſionibus folles XXIV dodrantem : ſimul folles XCVI dodrantem.

In dextantem ſolidi exige publicum milliarenſes tres folles octo, vel folles LXXX : & pro acceſſionibus folles XXVII ſemiſſem : ſimul folles CVII ſemiſſem.

In deuncem ſolidi exige publicum milliarenſes III folles XVI, vel folles LXXXVIII, & pro acceſſionibus folles triginta quadrantem : ſimul folles CXVIII quadrantem.

In deuncem ſicilicum ſolidi exige publicum milliarenſes tres folles XVIII, vel folles XC : & pro acceſſionibus folles XXX deuncem ſicilicum : ſimul folles CXX deuncem ſicilicum.

In deuncem ſemunciam ſolidi exige publicum milliarenſes tres folles viginti, vel folles XCII : & pro acceſſionibus folles triginta unum ſeptuncem ſemunciam : ſimul folles CXXIII ſeptuncem ſemunciam.

In deuncem ſemunciam ſicilicum ſolidi exige publicum milliarenſes tres folles XXII, vel folles XCIV : & pro acceſſionibus folles XXXII quadrantem ſemunciam ſicilicum : ſimul folles CXXVI quadrantem ſemunciam ſicilicum.

Εἰς τὸ ἥμισυ τέταρτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια τρία, ἤτοι φόλλεις ἑβδομήκοντα δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις εἴκοσι τέσσαρας ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ φόλλεις ἐννενήκοντα ἓξ ἥμισυ τέταρτον.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια τρία φόλλεις ὀκτὼ, ἤτοι φόλλεις ὀγδοήκοντα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις εἴκοσι ἑπτὰ ἥμισυ· ὁμοῦ φόλλεις ἑκατὸν ἑπτὰ ἥμισυ.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια τρία φόλλεις ἑκκαίδεκα, ἤτοι φόλλεις ὀγδοήκοντα ὀκτὼ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα τέταρτον· ὁμοῦ φόλλεις ἑκατὸν ὀκτωκαίδεκα τέταρτον.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια τρία φόλλεις ὀκτωκαίδεκα, ἤτοι φόλλεις ἐννενήκοντα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑκατὸν εἴκοσι ἥμισυ τρίτον δωδέκατον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια τρία φόλλεις εἴκοσι, ἤτοι φόλλεις ἐννενήκοντα δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα μίαν ἥμισυ ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑκατὸν εἴκοσι τρεῖς ἥμισυ ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον μιλλιαρήσια τρία φόλλεις εἴκοσι δύω, ἤτοι φόλλεις ἐννενήκοντα τέσσαρας· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα δύω τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ φόλλεις ἑκατὸν εἴκοσι ἓξ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς

Εἰς τὸ ἓν νόμισμα ἀπαίτει δημόσιον χαράγματος νόμισμα ἕν· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα τρεῖς· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις τριάκοντα τρεῖς.	In solidum exige publicum signatum aureum tremissem, & pro accessionibus folles triginta tres: simul tremissem folles XXXIII.
Εἰς τὸ ἓν δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν φόλλεις ὀκτὼ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα πέντε ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις τεσσαράκοντα τρεῖς ἥμισυ τέταρτον.	In solidum unciam exige publicum tremissem folles octo, & pro accessionibus folles XXXV dodrantem: simul tremissem folles quadraginta tres dodrantem.
Εἰς τὸ ἓν ἕκτον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκκαίδεκα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα ὀκτὼ ἥμισυ· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις πεντήκοντα τέσσαρας ἥμισυ.	In solidum sextantem exige publicum tremissem folles XVI, & pro accessionibus folles XXXVIII semissem: simul tremissem folles LIV semissem.
Εἰς τὸ ἓν τέταρτον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα χαράγματος ἓν καὶ μιλλιαρήσιον ἕν· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τεσσαράκοντα μίαν ἥμισυ· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ἑξήκοντα πέντε τέταρτον.	In solidum quadrantem exige publicum tremissem signati & milliarensem, & pro accessionibus folles XLI semissem: simul tremissem folles LXV quadrantem.
Εἰς τὸ ἓν τρίτον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα χαράγματος ἑνὸς μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις ὀκτὼ· ἤτοι νόμισμα ἓν φόλλεις τριάκοντα δύο· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τεσσαράκοντα τέσσαρας· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ἑβδομήκοντα ἕξ.	In solidum trientem exige publicum tremissem signati milliarensem folles octo, sive tremissem folles XXXII, & pro accessionibus folles XLIV: simul tremissem folles LXXVI.
Εἰς τὸ ἓν τρίτον δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις ἑκκαίδεκα, ἤτοι νόμισμα ἓν φόλλεις τεσσαράκοντα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τεσσαράκοντα ἓξ ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ὀγδοήκοντα ἓξ ἥμισυ τέταρτον.	In solidum quincuncem exige publicum tremissem milliarensem folles XVI, sive tremissem folles XL, & pro accessionibus folles XLVI dodrantem: simul tremissem folles LXXXVI dodrantem.
Εἰς τὸ ἓν τρίτον ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλλιαρήσιον ἓν φόλλεις εἴκοσι· ἤτοι νόμισμα ἓν φόλλεις τεσσαράκοντα τέσσαρα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τεσσά-	In solidum quincuncem semunciam exige publicum tremissem milliarensem folles XX, sive tremissem folles XLIV: & pro accessionibus folles XLVIII

ſeſcunciam : ſimul tremiſſem folles XCII ſeſcunciam.

In ſolidum quincuncem ſemunciam ſicilicum exige publicum tremiſſem milliarenſem folles XXII, ſive tremiſſem folles XLVI, & pro acceſſionibus folles XLVIII dodrantem ſemunciam ſicilicum : ſimul tremiſſem folles XCIV dodrantem ſemunciam ſicilicum.

In ſolidum ſemiſſem exige publicum tremiſſem milliarenſes binos, & pro acceſſionibus folles XLIX ſemiſſem : ſimul tremiſſem folles XCVII ſemiſſem.

In ſolidum ſeptuncem exige publicum tremiſſem milliarenſes duos folles octo, & pro acceſſionibus folles LII quadrantem : ſimul tremiſſem folles CVIII quadrantem.

In ſolidum beſſem exige publicum tremiſſem milliarenſes duos folles XVI, & pro acceſſionibus folles LV : ſimul tremiſſem folles CXIX.

In ſolidum dodrantem exige publicum tremiſſem milliarenſes tres, & pro acceſſionibus folles LVII dodrantem : ſimul ſignati tremiſſem folles CXXIX dodrantem.

In ſolidum dextantem exige publicum tremiſſem milliarenſes tres folles octo, & pro acceſſioni-

ἑξήκοντα ὀκτὼ ὄγδοον· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ἐννενήκοντα δύω ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἓν τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλιαρήσιον ἓν φόλλεις εἴκοσι δύω, ἤτοι νόμισμα ἓν φόλλεις τεσσαράκοντα ἕξ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τεσσαράκοντα ὀκτὼ ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ἐννενήκοντα τέσσαρας ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλιαρήσια δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τεσσαράκοντα ἐννέα ἥμισυ· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ἐννενήκοντα ἑπτὰ ἥμισυ.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλιαρήσια δύω φόλλεις ὀκτώ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις πεντήκοντα δύω τέταρτον· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκατὸν ὀκτὼ τέταρτον.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ ἕκτον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλιαρήσια δύω φόλλεις ἑκκαίδεκα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις πεντήκοντα πέντε· ὁμοῦ νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκατὸν ἐννεακαίδεκα.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τέταρτον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλιαρήσια τρία· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις πεντήκοντα ἑπτὰ ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ χαράγματος νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκατὸν εἴκοσι ἐννέα ἥμισυ τέταρτον.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τρίτον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλιαρήσια τρία φόλλεις ὀκτώ· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων

μάτων φόλλεις ἑξήκοντα ἥμισυ· ὁμοῦ χαράγματος νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκατὸν τεσσαράκοντα ἥμισυ.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τρίτον δωδέκατον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλλιαρήσια τρία φόλλεις ἑκκαίδεκα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἑξήκοντα τρεῖς τέταρτον· ὁμοῦ χαράγματος νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκατὸν πεντήκοντα μίαν τέταρτον.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλλιαρήσια τρία φόλλεις εἴκοσι· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἑξήκοντα τέσσαρας ἥμισυ ὄγδοον· ὁμοῦ χαράγματος νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκατὸν πεντήκοντα ἓξ ἥμισυ ὄγδοον.

Εἰς τὸ ἓν ἥμισυ τρίτον ὄγδοον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νόμισμα ἓν μιλλιαρήσια τρία φόλλεις εἴκοσι δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἑξήκοντα πέντε τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον· ὁμοῦ χαράγματος νόμισμα ἓν φόλλεις ἑκατὸν πεντήκοντα ἐννέα τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσσαρακοστὸν ὄγδοον.

Εἰς τὰ δύω νομίσματα ἀπαίτει δημόσιον νομίσματα τραχέα δύω· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἑξήκοντα ἕξ· ὁμοῦ χαράγματος νομίσματα δύω φόλλεις ἑξήκοντα ἕξ.

Εἰς τὰ δύω ἥμισυ νομίσματα ἀπαίτει δημόσιον νομίσματα τραχέα δύω, καὶ μιλλιαρήσια δύω, καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ὀγδοήκοντα δύω ἥμισυ· ὁμοῦ χαράγματος νομίσματα δύω φόλλεις ἑκατὸν τριάκοντα ἥμισυ.

Εἰς τὰ δύω ἥμισυ τέταρτον νομίσματος ἀπαίτει δημόσιον νομίσματα δύω μιλλιαρήσια τρία· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων

bus folles LX semissem: simul signati tremissem folles CXL semissem.

In solidum deuncem exige publicum tremissem milliarenses tres folles sedecim, & pro accessionibus folles LXIII quadrantem: simul signati tremissem folles CLI quadrantem.

In solidum deuncem semunciam exige publicum tremissem milliarenses tres folles viginti, & pro accessionibus folles LXIV septuncem semunciam: simul signati tremissem folles CLVI septuncem semunciam.

In solidum deuncem semunciam sicilicum exige publicum tremissem milliarenses tres folles XXII, & pro accessionibus folles LXV quadrantem semunciam sicilicum: simul signati tremissem folles CLIX quadrantem semunciam sicilicum.

In duos solidos exige publicum tremisses asperos duos, & pro accessionibus folles LXVI: simul signati tremisses duos folles LXVI.

In duos solidos semissem exige publicum tremisses asperos duos & milliarenses duos, & pro accessionibus folles LXXXII semissem: simul signati tremisses duos folles CXXX semissem.

In duos solidos dodrantem exige publicum tremisses duos milliarenses tres, & pro accessionibus

folles XC dodrantem: simul signati tremisses duos folles CLXII dodrantem.

In tres solidos exige publicum tremisses asperos tres, & pro accessionibus folles XCIX: simul signati tremisses tres folles XCIX.

Et ad eandem rationem debes etiam ulterioris summæ æra publici exigere; illa quidem vectigalia, in auro vel argento signato solvenda, in tali signata specie aut in asperis aspris solidis; etiam exigere in unoquoque tali solido respectu accessionum ejus pro dicerato-hexaphollo quidem folles quindecim, pro consuetudine autem & compulsorio folles octodecim, qui sunt simul folles tres & triginta. Tenuia vero æra oportet exigere in æreis nummis; tum sic computare nummos in vicem quatuor milliarensium solido: atque exigere etiam pro illis similiter in unumquemque solidum respectu accessionum folles tres & triginta ex divina & imperatoria jussione.

Ut vero plenius percipiantur ea quæ dicta sunt, hæc quoque addenda. Quæ penduntur quotannis ab venerabili monasterio isto, hæc sunt, solidus deunx, solidi duo dodrans, solidi quatuor dodrans semuncia, & solidi triens sescuncia. Hæc pensa simul in auri vel argenti moneta sunt solidi septem aut asperi septem, & pro accessionibus eorum, utpote suetis in unoquoque solido exigi follibus tribus & triginta, folles ducenti unus &

φόλλεις ἐννενήκοντα ἥμισυ τέταρτον· ὁμοῦ χαράγματος νομίσματα δύω φόλλεις ἑκατὸν ἑξήκοντα δύω ἥμισυ τέταρτον.

Εἰς τὰ τρία νομίσματα ἀπαίτει δημόσιον νομίσματα τραχέα τρία· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις ἐννενήκοντα ἐννέα· ὁμοῦ χαράγματος νομίσματα τρία φόλλεις ἐννενήκοντα ἐννέα.

Καὶ κατὰ τὴν μέθοδον ταύτην ὀφείλεις καὶ εἰς τὰ ἐπέκεινα ψηφία τοῦ δημοσίου ἀπαιτεῖν τὰ μὲν διὰ χαράγματος τέλη διὰ χαράγματος ἤτοι διὰ τραχέων ἄσπρων νομισμάτων· εἰσπράττεσθαι δὲ καὶ ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι τοῦ χαράγματος χάριν τῶν παρακολουθημάτων αὐτοῦ ὑπὲρ μὲν δικερατοεξαφόλλου φόλλεις πεντεκαίδεκα· ὑπὲρ δὲ συνηθείας καὶ ἐλατικοῦ φόλλεις ὀκτωκαίδεκα, ἤτοι φόλλεις τριάκοντα τρεῖς. Τὰ δὲ λεπτὰ ψηφία ὀφείλεις ἀπαιτεῖν διὰ νουμίων χαλκῶν· εἶθ' οὕτως καταλογίζεσθαι τὰ νουμία ἐπὶ τῶν τεσσάρων μιλιαρησίων τῷ νομίσματι· καὶ εἰσπράττεσθαι καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ὁμοίως ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι χάριν τῶν παρακολουθημάτων φόλλεις τριάκοντα τρεῖς, κατὰ τὴν θείαν καὶ βασιλικὴν πρόσταξιν.

Χάριν δὲ πλείονος καταλήψεως τῶν λεγομένων ῥητέον καὶ ταῦτα. Εἰσὶ τὰ τελούμενα ἐτησίως παρὰ τῆς σεβασμίας μονῆς τῆς δεῖνος ταῦτα, νόμισμα ἓν ἥμισυ τρίτον δωδέκατον, νομίσματα δύω ἥμισυ τέταρτον, νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ τέταρτον εἰκοστὸν τέταρτον, καὶ νομίσματος τρίτον ὄγδοον. Ὁμοῦ τὰ τελούμενα διὰ μὲν χαράγματος νομίσματα ἑπτὰ ἤτοι τραχέα ἑπτά· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων αὐτῶν, ὡς ἀπαιτουμένων ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι φόλλεων τριάκοντα τριῶν, φόλλεις διακόσιαι τριάκοντα

μία·

μία· διὰ δὲ λεπτῶν, μιλιαρήσια ἕνδεκα ἕκτον, ἤτοι φόλλεις διακόσιαι ὀγδοήκοντα· καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων αὐτῶν ὡς καταλογιζομένων τῶν μιλιαρησίων ἐπὶ τῶν τεσσάρων τῷ νομίσματι καὶ ποσουμένων εἰς νομίσματα δύω ἥμισυ τρίτον δωδέκατον, φόλλεις ἐννενήκοντα ἓξ τέταρτον· ὁμοῦ διὰ χαράγματος νομισμάτων ἑπτὰ, καὶ διὰ λεπτῶν φόλλεις ἑξακόσιαι ἑπτὰ τέταρτον, γινόμεναι ἐπὶ τῶν ἑκκαίδεκα τῷ ἑνὶ τραχεῖ * νομίσματι, ὡς ἡμέρα ἔχει, νομίσματα τραχέα τριάκοντα ὀκτὼ παρὰ μιᾶς φόλλεως τὸ ἥμισυ τέταρτον ἤτοι τὰ ὅλα, τραχέα νομίσματα τεσσαράκοντα πέντε.

triginta; in tenuibus autem milliarenses undecim sextans, vel folles ducenti octoginta; & pro accessionibus eorum, utpote computatis milliarensibus quatuor pro solido & collectis ad summam solidorum duorum deuncis, folles nonaginta sex quadrans. Simul in auro vel argento solidi septem, & in tenuibus folles sexcenti septem quadrans; qui obducti ad sedecim aspero solido, ut dies obtinet, solidi fiunt asperi octo & triginta præter unius follis dodrantem; vel ipsa summa, asperi solidi XLV.

Εἰσὶ καὶ τὰ τελούμενα ἐτησίως παρὰ τοῦ δεῖνος ταῦτα, ἤγουν διὰ μὲν χαράγματος νόμισμα ἕν· διὰ δὲ λεπτῶν, μιλλιαρήσια ἐννέα, ἤτοι ὑπὲρ ἐγχρονιῶν δύο ἤγουν δωδεκάτης καὶ τρισκαιδεκάτης Ἰνδικτιῶνος χαράγματος νομίσματα δύο καὶ μιλιαρήσια ὀκτωκαίδεκα· ὑπὲρ τῶν δύο νομισμάτων τοῦ χαράγματος τραχέα δύο, καὶ ὑπὲρ τῶν παρακολουθημάτων αὐτῶν φόλλεις ἑξήκοντα ἕξ, ἤτοι ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι φόλλεις τριάκοντα τρεῖς καὶ ὑπὲρ τῶν ὀκτωκαίδεκα μιλιαρησίων φόλλεις τετρακοσίας τριάκοντα δύο, καὶ χάριν τῶν παρακολουθημάτων αὐτῶν ὡς καταλογιζομένων τῶν ὀκτωκαίδεκα μιλιαρησίων ἐπὶ τῶν τεσσάρων τῷ νομίσματι καὶ ποσουμένων εἰς νομίσματα τέσσαρα ἥμισυ, καὶ ἀπαιτουμένων ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι φόλλεων τριάκοντα τριῶν, φόλλεις ἑκατὸν τεσσαράκοντα ὀκτὼ ἥμισυ· ὁμοῦ τὰ ὑπὲρ τῶν δύο ἐγχρονιῶν τελεσθῆναι ὀφείλοντα διὰ μὲν χαράγματος νομίσματα δύο, διὰ δὲ λεπτῶν

Etiam quæ penduntur quotannis ab isto, hæc sunt; nempe in auro vel argento solidus; in tenuibus autem milliarenses novem, aut pro duobus certi temporis terminis vel duodecima & tertia decima Indictione ex auro vel argento solidi duo & milliarenses octodecim: pro duo istis in auro vel argento solidis asperi duo, & pro accessionibus eorum folles sex & sexaginta, seu in unoquoque solido folles tres ac triginta; & pro octodecim milliarensibus folles quadringentos triginta duo, & vice accessionum eorum, utpote computatis octodecim milliarensibus, ut quatuor contingant solido, & congestis ad summam solidorum quatuor semissis, exactisque in unoquoque solido follibus tribus & triginta, folles centum quadraginta octo semissis. Simul isti pro duobus terminis pendi debiti in auro vel argento solidi duo, in tenuibus au-

* MS. τεχέα.

tem folles sexcenti quadraginta sex semissis, qui ducti ad duodecim in uno aspero solido, ut mos est temporis, fiunt asperi quinquaginta quatuor; seu summa solidi asperi quinquaginta sex.

FINIS.

φόλλεις ἑξακόσιοι τεσσαράκοντα ἓξ ἥμισυ γινόμεναι ἐπὶ τῶν δώδεκα τῷ ἑνὶ τραχεῖ νομίσματι, καθὼς ἡ ἡμέρα ἔχει, τραχέα πεντήκοντα τέσσαρα ἤτοι τὰ ὅλα νομίσματα τραχέα πεντήκοντα ἕξ.

ΤΕΛΟΣ.



INDEX

INDEX
AUCTORUM EMENDATORUM
AC
ILLUSTRATORUM.

Joſe-

FINIS.

INDEX
RERUM.

A.

Attica

C.

Δεκάδα

Dupon-

E.

F.

M.

Q.

Quinde-

R.

S.

State-

T.

Uncia

CORRIGENDA.

Pag. 9 vers. ult. Advertebant 24, 31 unde unde 29, 22 *ducentæ* 42, 7 *in denarieis, vict.* 88, 39 Budæo, quem sequimur, Plinius 118, 39 *Livio bini asses dodrans in.* 126, 36 ex ternis. 131, 5 *ducenta.* 26 decussexis. 183, ult. *in denariaria ratione pro* 191, 3 *hemisescla* (id est, *semis.* 197, 15 *latum.* 209, 35 *triens. Eu* 222, 28 & hoc 250, 24 *quaque ipsa.* 259, 7 *Livio iterum* 269, 9 accipere excusationem 272, 10 Quacumque 281, 36 fuitque proverbium 298, ult. *Favor* 301, 29 & orbi. 306, 6 pontificium 329, 2 καὶ τοι ἱερῶδαι 353, 30 positum 355, 6 interpretii 358, 24 supplere donantem cogi 362, 36 οἰκείαν 379, 8 *ære signato* 386, 17 & in utrisque 387, 6 erat S. 389, 27 ἀπαιτεῖν 413, 14 *tolerabilem, iniq.* 414, 1 *pecuniamque* 417, 14 supprimere, quam 418, 29 quum (nunc Gram. A. v. E. vocant) subst. 419, 1 *dare & acc.* 420, 13 *cum centesima.* --- 39 est ipse. 436, 5 duodecimæ sunt 450, 30 esse manus 500, 15 ἦσαν 518, 22 πολυετεῖ 551, 32 *Centesima sit* 583, 21 Coss. 23 sexaginta 593, 3 Ordinibus 594, 10 Justiniani 628, 18 studiis 633, 2 unum 653, 21 nolle 663, 36 majora 666, 12 occurrunt? 667, 17 τριτημόριον 669, 19 poscit 676, 5 intellexisse 681, 18 υἱῷ 682, 15 *diem* 683, 23 parato 686, 30 ab aliis 690, 4 memores 691, 36 singulari 707, 33 liberum me 709, 14 solido. 15 cretum 710, 18 simul forma solidi --- 21 φόλλιν μίαν, quod aliquoties pag. 714 & 717 restitue. 712, 23 A besse autem seu duplici parte solidi 713, 16 φόλλις μία bis & p. 717. 718, 32 solidum dodrantem folles --- 34 ἥμισυ τρίτον φόλλεις 724, 14 dele τῶ 726, 6 LI dextantem sem. --- 7 τρίτον εἰκοστὸν τέταρτον τεσ- --- 6 LXXII semissem trien. 729, 8 δύο ἥμισυ τρίτον 738, 39 καὶ μέχρι καὶ αὐτῶν 739, 7 ducentos ac unum 747, 31 βαρείαν 748, 31 μιλλιαρήσια 749, 11 duorum terminorum exactio --- 14 καὶ ὠφέλ. 751, 11 συνήθης 753, 9 προσορώμενος --- 25 μηδὲν 755, 8 ἄνωθεν 759, 21 ὄγδοον τοῦ νομίσματος ἀπ. 765, 21 τρισ- 761, 2 τραχὺ νόμισμα, ut & 7 & 18 & 24 --- 20 μίαν τέταρτον· ἐμοῦ, & in Latinis XLI quadrantem.

FINIS.